Digitized by Google

BIBLIOTECA
COMPLUTENSE
E. 36. C. 3. N. 9.

Digitized by Google

Digitized by Google

129-1-22

Digitized by Google

Da R
N° 16545

108 – 2

Digitized by Google

Digitized by Google

Revisado año 1977

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIA
CONGREGATIONUM
DE AUXILIIS
A R. P. LEMOS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTA OMNIA

CONGREGATIONVM AC DISPVTATIONVM

QUÆ CORAM

SS. CLEMENTE VIII. ET PAULO V.

SUMMIS PONTIFICIBUS

SUNT CELEBRATÆ

IN CAUSÂ ET CONTROVERSIÂ ILLÂ MAGNÂ

DE AUXILIIS DIVINÆ GRATIÆ


QUAS DISPUTATIONES

EGO F. THOMAS DE LEMOS

EÂDEM GRATIÂ ADJUTUS SUSTINUI

CONTRA

PLURES EX SOCIETATE.



LOVANII,
Apud ÆGIDIUM DENIQUE.

MDCCII

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO PATRI

ANTONINO CLOCHE

TOTIUS PRÆDICATORUM ORDINIS

MAGISTRO GENERALI,

UNIVERSISQUE PER ORBEM DIFFUSIS

DOMINICANIS

EPISTOLA NUNCUPATORIA.

REVERENDI ADMODUM PATRES,

Hoc quod nunc primùm publici juris facimus Lemoſij Opus eximium ſiſtit ſe vobis ; & quidèm jure merito. Quibus enim illud debetur niſi vobis ? Fundus veſter eſt ; nec ſibi alios patitur conſtitui Patronos. Quæ Cæſaris ſunt, Cæſari ipſi eſſe reddenda, divinum eſt & irrefragabile Oraculum. Deprædator ergò forem, ſi talem tantumque Theſaurum à vobis mutuatum utiquè & cum fœnore propriis non reſtituerem Dominis. Debitum ſolvens, mihi ipſi Mæcenates, licèt præclariſſimos & admodùm potentes, non quæro ; ſed ipſi Lemoſio, veſtro Sodali, veſtro Doctori, immò & totius Ordinis jubari & ornamento, patrocinium deprecor & æquiſſimam ambio protectionem. Ejus Opera quæ vobis offerimus, dicamus & conſecramus, veſtra ſunt : Non ergò dubium quin ea benignè ſuſcepta, fovere, tueri, & adversùs quoſcunque futuros hoſtes vindicare dignemini. Nonniſi pro vobis, pro veſtrâ Scholâ,

Digitized by Google

pro veritate, pro Eccleſiâ olìm ovans pugnavit; vobis ergò pugnas, Concertationes, victorias nunc publicè enarraturus, nonnè omnium veſtrûm laudes, obſequia, patrocinium meretur? Adversùs Molinæ Vindices ſibi demandatam totius Ordinis egit cauſam & etiamnùm præſenti tuetur Opere, immò & in æternum propugnabit. Quàm benè illi hæc ceſſerint, omnes noverant Eruditi, ac deinceps ex ejus Actis, quæ modò damus, nullus erit qui dignoſcere non poſſit: At in poſterum partas ab eo victorias triumphoſque perennes fulcire, ſtabilire, incumbit vobis.

Sed quid in expoſtulando patrocinio diutiùs immoror, PATRES ADMODUM REVERENDI? Veſtra ſanè res potiùs agitur quàm mea: libentiùſque Lemoſij proculdubio agetis partes, quàm & ego à vobis deprecari poſſem. Extraneus ſum, fateor, & alius à Dominicanorum Familiâ; ſed alienum Opus toti Prædicatorum Ordini non conſtituo. Quidquid enim in Præfatione omni dixi, non à meipſo, ſed & à Lemoſio & ab aliis in eâdem causâ poſitis hauſi. Non meam ſed Lemoſianam doctrinam expoſui: communis itaque mihi cum eo cauſa eſt, nec unum abſque altero poſſetis deſerere. Sed mihi hâc de re nullus eſt metus. Ordinis veſtri genius non me latet. Novi fidem, pietatem colo, laudo doctrinam, veritatis amorem demiror, magnanimitatem prædico, mentem rectam ſinceramque pluries ſum expertus, invictumque in tuendis SS. Auguſtini & Thomæ dogmatibus animi robur ſummo proſequor obſequio.

Sacer Prædicatorum Ordo, etiam ab incunabulis toti Chriſtiano prælucet orbi, REVERENDI ADMODUM PATRES; vixque efformatum gaviſa eſt Eccleſia, cùm ab eo verbi Dei Præcones eximios, hæreſeon extirpatores, Doctores & Miniſtros, atque acerrimos doctrinæ orthodoxæ morumque puriorum Defenſores ſtatìm ſuſcepit. Innumeros Eccleſiæ Præſules & quidem præſtantiſſimos, Cardinales plurimos, immò & Pontifices Summos numero plures, ex hoc Ordine aſſumptos, non recolo. In recenſendis Prædicatorum Doctoribus, Scriptoribus, Scholæ Magiſtris nec ſpiſſus Liber ſufficeret. Vel unicus D. Thomas Aquinas totius Ordinis encomia præſtat, in æternumque præſtabit. Adulatoribus quàm maximè refragor; verumtamèn nullam in Eccleſiâ extitiſſe Familiam, in quâ major Religionis ſcientia floruerit, conſtantiorque perſeveravit, fidenter aſſerere auſim. Cunctas etiamnùm illuſtrat Academias.

Tantoque Religionis ardore ſemper enituit, ut ſacram Eccleſiæ doctrinam vel minimo unquàm errore obnubilari non permiſerit. Nec Hæreticis pertinacibus nec ipſis errantibus Catholicis pepercit. Quiſquis ſepoſitâ antiquæ Traditionis authoritate, nova prodere Placita moliretur, nullos ſibi Prædicatoribus infeſtiores expertus eſt adverſarios. Teſtes advoco Valdenſes, Huſſitas, Lutheranos, Calviniſtas, & cæteros hujuſmodi. A quibus, quæſo, validiùs expugnati ſunt turpiùſque proſtrati, quàm à Dominicanis? Iſti enim S. Thomâ duce, quoſcunque à veritate devios reperêre, vel fidei ſemitas coegerunt regredi, vel in erroribus pertinaces rationum ponderibus obruerunt.

Non enim doctas ſecuti fabulas, REVERENDISSIMI PATRES, ut hæreſim everteretis, aliquorum inſtàr, in oppoſitum impegiſtis errorem; ſed mediâ tuti incedentes viâ, nulla niſi certa niſi inconcuſſa fidei dogmata protuliſtis. Nonnè hâc æquiſſimâ agendi ratione, ità à Calviniſtarum aberrationibus circà divinam Chriſti gratiam deviaſtis, ut nullatenùs Pelagianorum vel Semipelagianorum hâc de re adſtrueretis commenta? Nonnè, poſtquàm Lutherus Chriſti gratiam de ſe efficacem abſque libertatis læſione hominis movere & determinare voluntatem, à vobis fuiſſet edoctus; & ipſe Molina didicit, hoc ſupernaturale Dei adjutorium nuſquàm humano ſubjici arbitrio, nec in effectu producendo ab hominis pendere conſenſu? Has utiquè Catholicas veritates, non à ratiocinationibus merè humanis, ſed è puriſſimo Apoſtolicæ Traditionis fonte hauſiſtis: quid ergò mirum, ſi tot & tantas de inimicis veræ Chriſti gratiæ reportaſtis victorias? Quamdiù, ut aſſoletis, nullos alios in prædicandâ Chriſti gratiâ præter D. Paulum & SS. Auguſtinum & Thomam duces ſequemini, certior ſemper vobis erit triumphus. His inconcuſſis fidei columnis fulti, adverſariorum tela, machinationes, dolos, potentiam nè reformidetis. Illis omnibus potentior eſt veritas; & quam enixè colitis, ipſa ſemper vos ſuſtentabit ſolidabitque. Gratiæ Chriſti tutela vobis in terris eſt quaſi credita; ipſius ergò jura tueri nunquàm abnuatis; ſed jàm glorioſè inceptis firmiter ſtantes, omnem admovete lapidem, ut S. Sedes Apoſtolicâ Sanctione maximam de Auxiliis Controverſiam quàm primùm planè dirimat. Nulla major vobis gloria, quàm ex authenticâ Decreti jàm delineati evulgatione, comparari poteſt.

Ad jàm præfatam laudum ſegetem, ſingularis inſuper illa acce-

Digitized by Google

dit pietas, quæ tanti apud vos habetur, ut tot egregiis dotibus aliis, quibus Eccleſiæ admirationi eſtis, illam putetis, REVERENDI ADMODUM PATRES, longè eſſe anteponendam. Hæc cùm ſummâ fulciatur doctrinâ, nîl niſi ſincerum, nîl niſi magnanimum ubìque redolet. Mira virtutum varietas in vobis conſpicitur. Vitæ auſteritas cum ſuavitate morum conjuncta; ferventiſſimus ſinè acerbitate zelus; flagrans in Deum charitas, quâ non ſolùm ardetis intùs, ſed quæ etiam, quantùm in vobis eſt, palam ſe prodit; ſtabilis deniquè in bono conſtantia, quæ frangi nunquàm poteſt. Europa veſtros non valuit pro Religione concludere ardores. Apoſtolorum inſtàr, in annuntiando his poſtremis temporibus ubìque terrarum Evangelio; plus omnibus allaboraſtis. Omnium primi ad Sinenſes populos commeaſtis; Chriſtum, & illum utiquè pro nobis crucifixum, palam prædicare non erubuiſtis. Paganiſmum radicitùs extirpaturis ſola veritas præluxit, unica Religionis ratio corda movit. Quidquid Idololatriam vel tantillùm redolet execrantes, indefeſsè cum Domino conclamare non ceſſaſtis: Non poteſtis duobus Dominis ſervire. *Cultus Sinenſes cum Eccleſiæ myſteriis coadunare, vobis ſemper monſtrum fuit exhorrendum. Et quid mirum? Politica humanæ prudentiæ dictamina veſtros non dirigunt greſſus, ſed unica gloriæ Chriſti promovendæ ſollicitudo vos manu conducit. Non divitias, non honores, non Mandarinatus apud Gentes longinquas quæritatis; ſed meram animarum ſalutem, Paganorum converſiones, Chriſtianæ Religionis propagationem intenditis promovere.*

Libentiùs ſcriberem plura, REVERENDI ADMODUM PATRES. At hæc omnia, cùm ampliſſima ſint, ornatiorem dubioprocùl Oratorem expoſcerent; nec laudes hìc proſequi veſtras, mihi eſt in animo; cùm tot virtutum dotes tàm anguſtis Epiſtolæ terminis concludi non valeant. Tenuitati ergò meæ conſulendum arbitror. Cætera demirari contentus, hìc ſuperſedeo. Benè mecum actum erit, ſi quo Lemoſij Opus vobis offerimus animo, eodem ipſum complexi fueritis. Atque utinàm hunc laboris mei referam fructum, ut quo vos affectu colam, quâ veneratione proſequar perfectè intelligatis. Valete.

Pridie Kalendas Martij 1702.

PRÆLOQUIUM

Digitized by Google

PRÆLOQUIUM

DE VITA, DISPUTATIONIBUS ET Scriptis F. Thomæ de Lemos Ordinis FF. Prædicatorum.

THOMAS DE LEMOS ex antiquâ & nobili bellique ac pacis artibus in Hiſpania perilluſtri Lemoſiorum familiâ, natus eſt Ribadaviæ Gallæciæ oppido anno 1545. Catholicæ fidei addictiſſimus, Parentibus orbatus adhuc puer, curâ fratris natu majoris educatur, ac humanioribus Litteris in domo fraternâ inſtitutus, Dominicanorum deinceps Familiæ nomen dedit, & Theologicis ſtudiis ſe totum addixit. Valliſoleti degebat, cùm prima Controverſiarum de divinæ gratiæ Auxiliis velitatio cœpit anno 1594. inter Didacum Nuño Dominicanum, & Jeſuitam Antonium de Padilla. In his Diſputationibus non otioſus ſtetit Lemos, ſed ut ipſe teſtatur infrà *Diſp. 2. col. 176.* : *Molinæ doctrinam armis S. Thomæ primùm impugnare cœpit* : Et poſteà ad Sancti Auguſtini Opera confugit, ut ex iis argumenta ad eam confodiendam erueret. His Diſputationibus tantam ſibi apud ſuos famam comparavit, ut ad generalia Ordinis Comitia communi Fratrum voto Neapolim mitteretur anno Reparatæ Salutis 1600. Statim atque illuc pervenit, die 21ª. Maij ejuſdem anni publicas Theſes de divinâ Gratiâ Cardinali de Avilâ nuncupatas, propugnavit ; in quibus Thomiſticam ſimul & Auguſtinianam doctrinam tantopere prædicavit, & adverſantium tela tantâ vi repulit, ut omnium qui in Capitulo vota ferebant ſuffragiis dignus ſit habitus, qui totius Ordinis nomine in hanc cauſam Romæ incumberet, ſociuſque Didaco Alvareſio adjungeretur. Harum Theſium ipſe meminit Diſp. 35. ſub finem col. 926. ubi negat verum eſſe quod aïebat Vaſtida, illas à ſe ſub alterius præſidio fuiſſe propugnatas, aſſeritque ſe ſolum ſub auxilio tantùm divinæ gratiæ adverſariorum falſas ſententias efficaciter expugnaſſe.

Romam pervenit Lemoſius, cùm ſecundo Propoſitionum Molinæ abſoluto jam examine, Cenſuræ recognitioni juſſu Summi Pontificis inſtabant Conſultores deputati. Quo tempore compoſitionis conditiones & conciliationis vias proponebant Jeſuitæ, primùm per Gagliardum ; deindè per Patrem Arrivam Ordinis Minorum, qui de concordiâ utriuſque Scholæ à ſe lucubratum Opuſculum Clementi VIII. exhibuit ut narratur in Hiſtoriâ Congregationum de Auxiliis Lib. 2. cap. 10. " Interceſſit ex oppoſito (aït hujus Hiſtoriæ Author) Thomas de Lemos propriæ cauſæ meritis confiſus, quibus nullâ unquam compoſitione præjudicium vel minimùm inferri voluit. Clementi VIII. Opuſculum obtulit, inter ipſius Miſcellanea etiamnum aſſervatum, quo futilem, illuſoriam, ac planè inſulſam conciliationem illam oſtendit." Hoc primum Lemoſij Opus, quod quidem in notitiam noſtram venerit, prodiit ſub finem Auguſti anno 1600. " Spe itaque (pergit idem Scriptor) compoſitionis ineundæ dejecti Jeſuitæ, prolixum ad Italiæ Academias Scriptum ſub menſis Septembris initium tranſmiſerunt, quo Prædicatorum de gratiâ efficaci doctrinam Calviniſmi & Lutheraniſmi incuſabant.

» Hujus Scripti exemplaria cùm Romam miſiſſet Inquiſitor Papienſis; hæc ut » vidit P. Lemos, impactam doctrinæ Thomiſticæ calumniam Scripto propulſavit, multiſque probavit FF. Prædicatorum doctrinam fallaciter à Jeſuitis » expoſitam eſſe, ut damnationis ſubſcriptionem à Theologis Bononienſibus » extorquerent.

Tertiò Propoſitionum Molinæ Examine peracto deputati Cenſores recognitam doctrinæ Moliniſticæ Cenſuram, & ejuſdem Summarium, propriis utrumq; ſubſcriptionibus munitum Clementi VIII. obtulerunt 12. Octobris anni 1600.

At cùm Jeſuitæ dicerent iniquum eſſe ſe inauditos damnari, quartum Examen Summus Pontifex ad annum 1601. indixit, eâ lege ut in Congregationem duo Actores ex utrâque parte admitterentur. A Dominicanis ſteterunt Alvarez & Lemos; ex parte Societatis, Chriſtophorus Cobos, unà cum Arrubale. Propertius Reſta de Capellis Ordinis S. Franciſci Epiſcopus Cariatenſis & Geruntinenſis huic Examini præfuit. Quæ in quadraginta ſeptem hujus Examinis Congregationibus geſta ſunt, legere eſt toto Libro ſecundo Hiſtoriæ Congregationum de Auxiliis, ubi ea quæ à Lemoſio in his Congregationibus acta & dicta ſint ſummatim perſtringuntur.

Abſoluto Doctrinæ Moliniſticæ Examine quarto, probatáque à Conſultoribus, uno aut altero exceptis, Cenſurâ viginti Propoſitionum, novam cauſæ cognitionem à Summo Pontifice petierunt & obtinuerunt Molinæ Vindices. Quintum ergò Clemens VIII. indixit Examen, ſeu Diſputationes inter delectos ex utraque parte Theologos in Congregationibus quibus ipſe præſens adeſſet habendas. "Imminente Diſputationum iſtarum tempore, tentarunt Molinæ Vindices (inquit Author Hiſtoriæ Congregationum de Auxiliis Lib. 3. cap. 2.) nùm poſſent ſecretâ quadam machinatione Thomam de " Lemos Româ pellere. Fatali ſcilicèt præteritarum rerum uſu didicerant, " plus ſibi ab illo quàm à Didaco Alvareſio timendum. Quamquàm enim eſſet uterque longè doctiſſimus, profundior tamen in Lemoſio eruditio, magiſque decocta SS. Auguſtini & Thomæ lectio probata fuerat. Ferrea etiam & » infragilis illi vox, ſermonis robur, pectus ſolidum, ingenium acre ac vehemens: quæ dotes, ſingulari præſertim eruditioni conjunctæ, quantùm in » contentioſâ diſputatione valeant, nemo neſcit. Lemoſio igitur Sacras à Philippo III. infulas deferri curarunt, ut illum honoris ſpecie in Hiſpaniam agerent. At timuit ille Danaos & dona ferentes. Delatam dignitatem recuſavit pari humilitate ac Religione. Quo eximiæ virtutis facinore priſtinâ ſpe » deluſi fervidi Actores, nova tentarunt emunctioris politicæ machinamenta. » Per ſuppoſitos ſuſurrones, propenſam in Prædicatorum Ordinem voluntatem mentientes, ejuſdem Generali Præpoſito inſtillarunt, præſentem Controverſiam tanti momenti non eſſe, cui viri duo eruditi inſudare deberent: plurimamque univerſo Ordini eruditionis famam acceſſuram, ſi debellandis » quibuſvis Molinæ Vindicibus, unicum Alvareſium, velut alterum Iſmaëlem » præficerent; cui hæc ipſa provincia ex Regentis officio aliàs incumbebat. » Hamum incautè voravit Præpoſitus Generalis: Thomam de Lemos in Hiſpaniam reverti juſſit. Paruit Vir obediens, jamque parabat iter, ac dato locati equi arrhabone vaſa colligebat; cùm ecce inſperato eventu, Pontificis » juſſu detentus eſt. Ipſius enim eruditionis famâ permotus Clemens VIII. » Cardinalem Mellinum, in Minoribus eâ ætate conſtitutum, à quo imminentem deceſſum ejus acceperat, ad Ordinis Magiſtrum direxit, vetans nè Lemoſium abire ſineret, cujus in publicis Diſputationibus audiendi deſiderio » fervebat. Subſtitit igitur Lemoſius ſecundùm Pontificis juſſa, totumque penè ſolemnium Diſputationum ſub Clemente VIII. & Paulo V. habitarum » pondus ſuſtinuit. Ejus enim loco ſemel duntaxat, & iterùm infirmitatis occaſione,

occaſione, ſuffectus eſt Didacus Alvarez, eique aliquando ſocius adjunctus «
fuit, quo tempore Magiſter Ordinis, Regni Neapolitani viſitationem obi- «
turus, Româ ſeceſſerat."

Itaque Lemoſius Romæ ſuperſtes præcipuas in hoc negotio partes egit, cùmque in primâ Concertatione 20. Martij anno 1602. habitâ Alvareſius cum Valentiâ diſputaſſet, ſtatim Alvareſio ſuffectus eſt Lemoſius, qui deinceps cum Valentiâ, Vaſtidâ, Arrubale, Salaſio in triginta ſeptem Congregationibus decertavit coram Clemente VIII. quarum ultima incidit in diem 21. Januarij anni 1605.

Finitâ haccè Congregatione Clemens VIII. in morbum incidit, ex quo deceſſit 3°. Martij ejuſdem anni; In ejus locum Pontifex electus eſt Alexander Medicæus ultimâ die Martij, qui vigeſimo ſexto ab Electione die fato functus eſt. Huic ſuffectus eſt die 16. Maij Cardinalis Burgheſius, qui Pauli V. nomen aſſumpſit. Ei recèns evecto multa ſunt ex parte Societatis exhibita Scripta, ut à definiendâ causâ Pontificis animus avocaretur. Hiſce Scriptis reſpondiſſe ſe ait P. Lemos; potiſſimùm Cardinalis Bellarmini Scripto, quod unà cum Reſponſione Lemoſij legere eſt in Hiſtoriâ Congregationum de Auxiliis Lib. 4. c. 1. Repulit etiam alio Scripto Jeſuitarum querelas, qui ſibi 55. Propoſitiones à PP. Prædicatoribus affingi in Apologetico Libello ſcripſerant. Itaque nihil his motus Pontifex, initio menſis Auguſti ipsâ S. Dominici die Lemoſium ad ſe vocat, atque declarat ſibi propoſitum eſſe quæſtionem iſtam determinare; eique præcepit ut propoſitiones quas hæreticas reputaret, in unum colligeret, atque ex adverſo Catholicas ipſis oppoſitas annotaret, & hujuſmodi Scriptum ad ſe deferret. Haud ægrè mandato Pontificis annuit Lemos, atque ipsâ die S. Laurentij Summo Pontifici 33. Propoſitiones damnandas & 22. approbandas tanquàm Catholicas obtulit, ſimulque petiit ut Scriptum aliud de Phyſicâ prædeterminatione, quod ipſi exhibuit, examinari præciperet. Exin Pontifex Lemoſium ſemel, iterùm ac tertiò vocavit ut de eo negotio cum eo conferret; ac tandem Congregatione habitâ ſtatutum eſt, ut res Apoſtolicâ Definitione terminaretur, atque ut intermiſſæ Diſputationes reſumerentur.

Lemoſius à Pontifice commonitus ut ſe ad diſputandum præpararet. Huic Molinæ Vindices Vaſtidam iterùm oppoſuêre, cui Bartholomæus Perez ſocius eſt datus. Die 20. Septembris anni 1605. coram Paulo V. prima cœpit Diſputatio. Decem habitæ ſub illo Diſputationes, quarum poſtrema incidit in diem 26. Februarij anni 1606. quo Concertatio deſiit. Quid in hiſce Diſputationibus ſub Clemente VIII. & ſub Paulo V. à Lemoſio propoſitum & reſponſum fuerit, & quid effectum, non eſt quòd hîc in anteceſſum delibemus, cùm accuratiſſimè cuncta collegerit ipſe P. Lemos in his Actis quæ publici juris fiunt. Nunc reliqua quæ ad Lemoſium pertinent expediamus.

Sexageſimum jam ætatis annum attigerat Lemoſius cùm Diſputationibus de Auxiliis finis impoſitus eſt. Ille in iis tantam eruditionis & ſapientiæ famam ſibi comparavit, ut ſtatim ei Epiſcopales infulæ primùm à Pontifice, deindè à Philippo Rege Hiſpaniarum oblatæ fuerint. At Lemos oblatam ab utroque Epiſcopatûs dignitatem recuſavit. Univerſalis Conſultor creatus eſt die 15. Novembris anni 1607. & annuâ à Rege Catholico pecuniæ attributione donatus, quam, ut Conventui Ordinis ſui Minervitano oneri non eſſet, accepit. In eo privatam omnibus muniis publicis vitam anteponens, orationi, jejunio, vigiliis & ſtudiis unicè incubuit: ita tamen ut cùm ſe dedit occaſio pro defendendâ causâ gratiæ, novos labores ſuſcipere non detrectarit. Cùm enim in Comitiis generalibus Ordinis PP. Prædicatorum Romæ habitis anno 1612. uno omnium ſuffragio Paulum V. adire, ab ipſoque Pontificiam de divinis Auxiliis Sanctionem vehementiùs efflagitare ſtatutum ſit,

totius Ordinis nomine ſupplex Libellus hac de cauſa oblatus eſt. Sed Jeſuitica Societas nihil magis quàm Apoſtolicam pertimeſcens Definitionem, novos Prædicatorum conatus ægerrimè tulit. Ut ergò Pontificis animum à lite judicandâ dimoveret, Scripta per Urbem ſpargebat varia, in quibus hoc unum erat conſilium, ut ſpecioſis ſed inanibus ratiunculis probaretur, nequaquàm expedire litem Pontificio terminare Decreto. Tunc Lemoſius Chriſti gratiæ jura indefeſsè ſemper propugnans, omnes Jeſuitarum Libellos variis hinc indè Scriptis egregiè confutavit. Imprimis editum jam ante annos quatuor R. P. Hieronymi de la Nuza Libellum Memorialem, ſed novis à ſe rationibus auctum, Paulo V. dedit. Aliud deindè genuinum ſuperaddidit Reſponſum, Pontifici oblatum 12ª. Julij ejuſdem anni 1612. Ac tandem cùm Jeſuitæ gratiæ per ſe efficacis dogma ad fidem non pertinere dictitarent; ſpecialem hac de re Tractatum edidit. Intereà in elaborando inſigni de Gratiâ Opere, quod Panopliam Gratiæ appellavit, incumbebat, & in eo perficiendo quod reliquum fuit vitæ impendit. Triennio ante mortem oculorum caligine laboravit, ac tandem obdormivit in Domino die 23. menſis Auguſti ætatis ſuæ anno 84. Reparatæ Salutis 1629. Hæc de hujus vitâ; nunc pauca de Operibus.

Panoplia Gratiæ in quatuor Tomos diviſa, edita eſt Leodij anno 1676. Innocentij XI. temporibus. Fuêre tunc temporis qui Operis hujus ſuppreſſionem à Pontifice flagitarent; at Prædicatorum Generalis illud oblato ſupplici Libello vindicavit, & ut intactum maneret, ac publicè Romæ divenderetur effecit, ut latiùs narrat Author Hiſtoriæ Congregationum de Auxiliis in Præfatione §. XI. Hac repulſi aliis deinceps artibus conati ſunt Panopliæ Lemoſij authoritatem omnem abrogare, ſuppoſititium eſſe Opus ſcriptitantes, & falsò Lemoſio tributum ab aliquo ſuſpectæ ſimul & ſubleſtæ fidei. At varias iſtorum conjecturas ita disjecit, & Panopliam genuinum eſſe Lemoſij Scriptum tam apertè demonſtravit P. Sery tùm in Hiſtoria Congregationum de Auxiliis, tùm in ejus Vindiciis Gallicis modò editis, ut hac de re nullum jam dubium ſupereſſe poſſit.

Alterum Lemoſij Opus eximium eſt illud, quod nunc publici juris facimus; continens Acta omnia Congregationum & Diſputationum quæ coram Clemente VIII. & Paulo V. Summis Pontificibus ſunt celebratæ, in quibus quæcumque tùm à ſe tùm ab Adverſariis propoſita, objecta, reſponſa, dicta ſunt, accuratè & ſummâ fide refert. Conſcripſit illud, ut patet, de die in diem, eo ipſo tempore quo Diſputationes illas habebat, recenti adhuc modò geſtorum memoriâ. Atque ita nihil ferè ipſi excidit; ſed cuncta etiam minutiora ſummâ ingenuitate in eo Diario annotata reperiuntur. Monet autem P. Sery hujus Operis Autographum ſervatum fuiſſe apud Prædicatores Duacenſes; undè illud ab annis circiter triginta Antuerpiam tranſportatum eſt. At hujus Libri Autographi fortunam non ſatis compertam habuit; nam ab annis quinquaginta & ampliùs incidit in manus Patris Francisci Vermeil Duacenſis, Ordinis FF. Prædicatorum, qui in Opere, cui titulus *Clavis Regia ad primam Partem S. Thomæ*, edito Duaci anno 1650. p. 1. Tract. 6. ex eo quædam loca adducit, ut oſtendat Thomiſticam Doctrinam nihil habere cum Calvini erroribus affine, & productis ex eo quibuſdam locis, hæc ait: *Refert hæc & plura alia P. M. Joannes à S. Thomâ tom. 1. ad 1. p. D. T. in fine, & tom. 2. plurima producit ex his Congregationibus, & omnia fideliſſimè: concordant enim cum Originali ſcripto propriâ manu P. M. Thomæ Lemos, qui his Congregationibus interfuit, & pro Thomiſtis diſputavit. Quod Manuſcriptum vidi, pluries legi, & per plures annos habui. Dubitas? veni & vide.* Et reverà anno ſequenti quo hæc ſcribebat, (Dominicæ Incarnationis 1651.) die 30. Julij

Manuſcriptum

Digitized by Google

Manuſcriptum iſtud Pariſiis recognovit coram D. Roget Notario Apoſtolico, & inſtrumentum eâde re authenticum petiit. Quod quidem Autographum ſtudiosè nunc aſſervatur Pariſiis à Viro fide digniſſimo, quod oculis ipſe meis perluſtravi. In eo Dubia omnia quæ præcedunt Diſputationes, ſcripta ſunt manu Itali cujuſdam, & ſubſcripta ab ipſo Clemente VIII. Quæſtio etiam propoſita à Paulo V. ejus manu ſignata eſt. Cætera manu ipſius Patris Lemos exarata ſunt. Ex hujus Manuſcripti Apographo fideliter exſcripto prodeunt hæc Congregationum de Auxiliis Acta. Cui Editioni ne quis opponere poſſit, Innocentij X. Decreto 23. Aprilis anni 1654. dato vetitum eſſe nè Actis Manuſcriptis Congregationum de Auxiliis divinæ gratiæ, ac ſpeciatim iis quæ ſub nomine Fratris Thomæ de Lemos Ordinis Prædicatorum circumferuntur, fides habeatur. Hunc enim ſcrupulum prorsùs amovet P. Sery tùm in Hiſtoriâ Congregationum tùm in ejus Vindiciis: oſtendens hujuſce Decreti non alium eſſe ſenſum, quàm hæc Acta pro authenticâ definitione habenda non eſſe. Non eſt ergo quòd quis propterea aut Acta iſta ſubdititia eſſe autumet, aut eorum Editori vitio vertat quòd ea publici juris fecerit. Quæ autem ab illo in hâc Editione præſtita fuerint, ſic ipſe ediſſerit.

I°. Cùm impartitus eſſet Liber, ipſum tres in partes dividendum judicavi; itaut Prima Pars duodecim Clementis VIII. Reſcripta; Secunda 37. ſub eodem Pontifice Diſputationes; Tertia denique decem alias coram Paulo V. Concertationes complecteretur. II°. In MSS. nulli ſunt Tituli, niſi unicus in fronte; ſed poſteà Diſputationes ſingulæ nullis præfixis agitatarum materiarum Summis, ſimpliciter adnotantur. Undè majoris evidentiæ causâ, ad uniuſcujuſque caput perbrevem epitomen exhibere ſatiùs duxi. III°. In editi Operis Marginibus, duplicis generis reperiuntur Notulæ. Aliæ enim extant in MSS. Cæteræ autem ſunt Editoris. Diverſo ſecerni caractere cautum eſt. Quæcumque enim, hæque perpaucæ, Romano ſeu quadrato caractere exhibentur, ipſas Lemoſij eſſe ſcias. Editor autem ſuas Italico, ut vocant, caractere exarari curavit. IV°. Fermè omnes Editoris Notulæ marginales unicè teſtimoniorum indigitationem ſpectant. Alias doctrinæ expreſſivas apponere primùm in animo fuerat. Sed nè alicui offenſæ eſſent, cunctas reticuit. V°. Cùm Molinianæ Concordiæ loca citantur, & ipſa notatur pagina: Antuerpienſem anni 1595. in 4°. Editionem ſcito indicari. Prætereà Operum S. Auguſtini indigitata eſt tantùm Editio Pariſina Benedictinorum Congregationis S. Mauri. Demùm cùm legis ad marginem, *Hiſtor. Congregat. de Auxiliis*, tunc illam Congregationum de Auxiliis Hiſtoriam à R. P. Sery, ſub nomine Auguſtini Le Blanc Lovanij apud Ægidium Denique anno 1700. in folio editam, indigitari te monitum velim. VI°. Deniquè, quamvìs P. Lemos, & P. Sery non eadem ſemper de Diſputationibus referant, idcircò tamen nè inter ſe contrarios autumes. Sæpiſſimè Lemoſius plura enarrat quàm P. Sery. Sed quid mirandum? Siquidem hic poſtremus ea tantùm ſummatim perſtringit, quæ Lemoſius ampliſſimè expoſuerat. Quandóque etiam P. Sery quorumdam mentionem facit, quæ in Lemoſio nuſquàm reperiuntur. V. G. in Diſputatione 21ª. coràm Clemente VIII. adulteratum tunc à Vaſtidâ S. Auguſtini locum, aliumque Soti à Jeſuitis truncatum, conqueritur; cùm tamen nec unicum verbum in Lemoſianis Actis hac de re legere ſit. Immò identidem verba quædam in Summi Pontificis ore ponit, quorum in Lemoſio nulla ſit mentio. At recenti Hiſtoriæ Scriptori nullam indè mendacij notam inuret, quiſquis R. Patrem Sery, non tantùm in Lemoſianis Actis, ſed & in aliis permultis hujus Hiſtoriæ Monumentis, narrationem fundare, revocabit in mentem.

Digitized by Google

Cætera Lemoſij Scripta quæ nondùm prodière, hæc ſunt.

I°. Opuſculum Clementi VIII. oblatum adversùs propoſitam à Franciſcano quodam concordiam, cujus jam meminimus.

II°. Scriptum ab eodem compoſitum ut impactam Thomiſticæ doctrinæ calumniam propulſaret; cujus etiam ſuperiùs facta eſt mentio.

III°. Inter medias illas Diſputationes coram Summis Pontificibus habitas, non tantùm verbo decertavit, ſed & plurima Scripta Congregationi obtulit. Nam pleraque eorum quæ Dominicanorum nomine tunc temporis prodierunt, Lemoſium authorem habuiſſe veriſimile.

" IV°. Quarto cauſæ hujus Examine perfecto, egregium Opus eo fine » adornavit Lemoſius, (inquit Pater Sery a) quo miſſis prolixioribus diſpu- » tationibus, ex mutuâ duntaxat principiorum & aſſertionum collatione, inti- » mam Semipelagianorum & Moliniſtarum conſonantiam demonſtrabat. Ad » Supremam Inquiſitionem Hiſpanienſem die 26ª. Februarij 1602. tranſmiſſum » eſt, Epiſcopis & Academiis communicandum. Reſpondit dignitati Operis » fructus uberrimus: multi enim priſtinis opinionibus abducti, tanto Moli- » niſmum ardore inſectari cœpêre, quanto ei in anteceſſum fuerant patrocinati. » Extat hoc Opus in Collectione Miſcellaneorum Lemoſij.

a Hiſtor. Congr. L. 3. cap. 3. col. 364.

V°. Circà idem tempus, è quodam Libro in Molinæ gratiam pervulgato, plures tàm Arrianas quàm Pelagianas Lemoſius excerpſit propoſitiones, gravemque eis cenſuram adjunxit. Rem ſic ipſe enarrat in Panopliâ Gratiæ: » b Titulus hujus Libri habebat: *Tractatus de Prædeſtinatione .... ab Idiotâ* » *Ferdinando de las Infantas Presbytero Cordubenſi compoſitus .... Pariſiis anno* » *1601.* In iſto Libro Author fingit ſe idiotam & à Deo per revelationem ac- » cepiſſe, quæ in illo ſcribit. Qui cùm à Superioribus mihi examinandus de » doctrinâ committeretur, ipſum attentè conſiderando inveni totum eſſe erro- » ribus Pelagianorum plenum, & prædeſtinationem, & gratiam, jam ſine » pallio contrà Apoſtolum ex ipsâ officinâ Pelagii tradere, atque diffamare. » Undè quindecim Pelagianas propoſitiones fundamentales, ex quibus totus » pendebat, aliis minurioribus omiſſis, ex ipſo colligens, & alias duas apertè » Arrianas; omnium illarum tunc brevem compoſui cenſuram, illam Superio- » ribus tradens, in fine illius ità concludens: *Hujus Libri Author, ut ex reve-* » *latione, quam ſibi illuxiſſe in Prologo ipſe fatetur, videtur de illorum eſſe Sectâ,* » *qui Illuminati dicuntur, ſuamque illuminationem ordinat ad totum Pelagii dogma* » *apertiſſimè ſuadendum. Nec his contentus, duos alios manifeſtos Arrianorum erro-* » *res apponit, ut ex præcedentibus fit manifeſtum. Undè Liber iſte, quia pernicio-* » *ſiſſimus, prohiberi debet in perpetuum, & tantò magis, quantò vulgari ſermone,* » *ut ipſe author affirmat, dicitur fuiſſe primò conſcriptus.* Viſâ autem prædictâ cen- » ſurâ ſtatim Romæ Magiſter Sacri Palatii Librum in perpetuum prohibuit. » Et ut mihi fideliter relatum eſt, Liber ille cum cenſurâ miſſus fuit à quodam » doctiſſimo, & zelo Dei ferventiſſimo Prælato Hiſpano ad Hiſpanias, ut ibi » ſimili ſententiâ damnaretur.

b Tom. 1. parte 1. Tract. 6. cap. 2. col. 1. p. 129.

VI° Dum quinti Examinis Diſputationes haberentur, non tantùm verbo & voce concertabat Lemoſius, ſed & Scriptis Jeſuitarum confutabat Reſponſiones. In ipſo Congregationum exordio, bina Clementi VIII. obtulit Scripta, in quibus S. Auguſtinum Molinæ opponens, collatis utriuſque teſtimoniis, longè majores libero hominis lapſi arbitrio vires à Molinâ quàm ab Auguſtino tribui, apprimè demonſtravit. Hæc infrà legi poſſunt in Diſputatione primâ à col. 53. ad col. 71.

VII°. Præcedentibus Lemoſii Scriptis ampliſſimam oppoſuerunt Reſponſionem Societatis Patres, in quâ ducentis & ampliùs S. Auguſtini teſtimoniis Molinæ opiniones fulcire ſatagebant. Confeſtim autem P. Lemos huic

prolixiori

prolixiori Scripto breviter quidem, ſed nervosè & ſolidè reſpondit. Hac de re loquentem auſcultemus Lemoſium ipſum: a " Et ut evidenter appareret, inquit, omnia illa teſtimonia contrà expreſſam S. Auguſtini ſententiam à Jeſuitis fuiſſe inducta; Ego F. Thomas de Lemos omnia illa teſtimonia videns in fonte, breviſſimam hanc Reſponſionem Sanctiſſimo obtuli pro FF. Prædicatoribus, in quâ, ſummâ brevitate oſtenditur, Scriptum Jeſuitarum ex teſtimoniis S. Auguſtini conflatum, contrà expreſſam tanti Doctoris ſententiam procedere; & loca illius vel ſiniſtrè adduci, vel in pravâ, & falsâ intelligentiâ, ab Auguſtino minimè intentâ, vel truncatè inducta eſſe." Utrumque tàm Jeſuitarum, quàm Lemoſii Scriptum ſimul inſertum habes infrà à col. 73. ad col. 162.

VIII°. Menſe Decembri anni 1602. abſolutiſſimum Clementi VIII. oblatum fuit à Lemoſio Scriptum, quo omnimoda Molinæ cum Caſſiano concordia commonſtrabatur. Infrà legi poteſt immediatè poſt Diſputationem IXam. à col. 283. ad col. 300. cùmque hujus Operis transſumpta enixiùs Jeſuitæ poſtularent, abbreviatum duntaxàt Scriptum à P. Lemos obtinere valuerunt, quod habetur infrà antè Diſputationem Xam. à col. 301. ad col. 308.

IX°. Anno 1603. novus Liber in lucem prodierat ſub hoc titulo: *Quâ tandèm ratione dirimi poſſit controverſia, quæ in præſenti de efficaci Dei auxilio & libero arbitrio inter nonnullos Catholicos agitatur..... Authore Paulo Benio Eugubino inter Patavini Collegii Theologos minimo.* Hunc Librum P. Lemos & Superiorum juſſu examinavit, & plures ex ipſo excerptas aſſertiones criterio adhibito confodit, & à Sacri Palatii Magiſtro in perpetuum prohiberi fecit. Quâ de re ſic ipſe loquitur: b " Liber iſte cùm Romam mitteretur, Sacri Palatij Magiſter mihi illum de doctrinâ examinandum tranſmiſit; quem cùm attentè conſiderarem, id quod in priori nunc relato inveni fundatum magis magiſque extenſum, (nempè in Libro Idiotæ Ferdinandi, de quo ſuprà numero V°.) eumdemque finem in iſto ſicut in illo priori præfigi, apertè deprehendi; videlicèt, Dei prædeſtinationem ex operum fieri præviſione. Idque contendebat inter alia, illud Apoſtoli ad Romanos 8°. *Qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt Sancti*, de hominis propoſito non Dei eſſe intelligendum. Ex quo proindè Libro viginti quatuor & plures aſſertiones, quæ à Pelagianorum errore minimè recedebant, deduxi, & ſuis numeris præfixas Magiſtro Sacri Palatii tradidi. Quo omnia an ità eſſent examinante, & SS. Clementi VIII. id referente, prædictus Liber ex Summi Pontificis expreſſo mandato totaliter fuit prohibitus, & ejus prohibitio Romæ publicata, typiſque excuſa, & in viis publicis vulgari Italicâ linguâ conſcripta, affixa fuit..... Fuit etiam poſt Libri prohibitionem ejus Author Romam vocatus, & graviter reprehenſus. Similiter & accerſiti ſunt Romam illius Libri examinatores, atque reprehenſi. Prædictus autem Liber ad Hiſpanias cum prædictâ cenſurâ tranſmittitur ab eodem doctiſſimo Prælato Hiſpano, ut in illis partibus à venenatâ doctrinâ illius caverent omnes, illumque etiam ibi perpetuò damnarent. Quod in Regno illo egregiè Catholico ſtatim executioni mandatur, & Liber ille etiam in illis partibus totaliter prohibetur."

X°. Circà annum 1604. Jeſuitæ quoddam evulgarunt Scriptum, cui titulus: *Reſcriptum de Scientiâ-mediâ à PP. Societatis*; in quo, Lemoſio atteſtante, c *expreſſè fatebantur, id quod negare non poterant, videlicet, Semipelagianos uſos fuiſſe pro ſuis ſententiis defendendis hac mediâ ſcientiâ, ſeu hac præſcientiâ futurorum ſub conditione.* Hoc Jeſuitarum Reſcriptum, ipſe ſtatim Scripto confutavit, ut dicitur infrà. d

XI°. Clemente VIII. ad ſuperos vocato, plurima Jeſuitæ ediderunt Scripta, ut ejus in ſupremâ Sede Succeſſorem à lite dirimendâ & dijudicandâ

a *Infrà Diſp. 1. coll. 163. & 164.*

b *In Panopliâ T. 1. part. 1. Tract. 6. cap. 2. p. 129.*

c *Infrà Diſp. 33. coll. 856. & 857.*

d *Ibid. col. 878.*

a *Infr. part. 3. col. 994.* dâ amoverent. a *Quæ*, inquit P. Lemos, *ferè omnia ad manus noſtras pervenerunt, & Deo adjuvante, pro divinâ Gratiâ reſponſa dedimus; ut in Libro alio Acta hujuſmodi continentur.*

XII°. Poſt evectionem Pauli V. ad Summum Pontificatûs apicem, Cardinalis Bellarminus ſub finem Maij anni 1605. Scriptum edidit, in quo decem de libero arbitrio, totidemque de divinæ gratiæ efficaciâ Propoſitiones exhibuit, quas, ut aïebat, definire ſatis eſſet, ad omnem Pelagianiſmi & Calviniſmi ſuſpicionem effugiendam: iis intactis & indeciſis quæ ſub Clemente VIII. in Molinâ notatæ fuerant. Verùm ubi primùm Bellarmini lucubrationem inſpexit Lemoſius, brevibus illicò obſervationibus ad ſingulas Cardinalis propoſitiones repoſuit, eaſque æquivocas, periculoſas, ac firmandæ Catholicæ veritati minùs idoneas & ſufficientes demonſtravit. Utriuſque Scriptum editum habetur *in Hiſtor. Congregg. de Auxiliis lib. 4. cap. 1. à col. 589. ad col. 594.*

XIII°. Ibidem *col. 593.* alterius cujuſdam Lemoſiani Operis fit mentio, his verbis: "Erroneas Propoſitiones 55. ſibi à Prædicatoribus affingi Paulo V.
» ſignificarunt Jeſuitæ. Has ſe deteſtari & exſecrari profitebantur, tanquàm a-
» pertos errores in Pelagianis & Semipelagianis prædamnatos; à nullo tamen
» Societatis Authore defendi vel affirmari. Sparſus erat in Urbe rumor, ubi
» Scripti Apologetici exemplaria benè multa apud amicos & familiares diſſe-
» minaverant: nec mediocris Prædicatoribus invidia concitabatur. Machina-
» tionem ex publicâ famâ inaudivit Thomas de Lemos; calamúmque pro ſui
» Ordinis defenſione, ad propulſandam impoſturæ accuſationem acuit. Scripti
» Apologetici verſutiam detexit, quo & ſibi objectos errores Jeſuitæ diſſimu-
» labant; & fictitios, quorum nunquàm accuſati fuerant, ejurabant.

XIV°. Inconcuſſam Tridentini Concilij authoritatem Thomiſtis perpetuò opponebant Jeſuitæ, ipſiúſque de gratiâ & libero arbitrio Decretis eos refragari indefeſſim exprobrabant. Undè Lemoſius irrogatam Ordini injuriam impatienter ſuſtinens, ut calumniantium audaciam validiùs poſſet retundere, à Paulo V. ut in Arcem S. Angeli intromitteretur, vehementiùs expoſtulavit & obtinuit. Ibi ſecretiora Oecumenicæ Synodi Acta diligentiſſimè aſſervata, accuratè pervolvit; & indè Excerpta non pauca deduxit; quæ poſteà in unum collecta propriis adornavit obſervationibus. Hujus Operis Lemoſius ipſe inferiùs ſæpè meminit in Diſputationibus coram Paulo V. Sed R. P. Sery nos hac de re pleniùs docet, in ſuâ Congregationum de divinis Auxiliis Hiſtoriâ. Ibi enim hæc legimus: b "Interéà dilationis hujus occaſionem
b *Lib. 4. cap. 5. col. 608.* " arripuit Thomas de Lemos, ſuis ut rebus opportunè conſuleret. In Arcem
" S. Angeli admitti petiit: Ubi jubente Paulo V. ſecretiora Concilij Triden-
" tini Acta, ejuſque Theologorum privatas lucubrationes per dies aliquos evol-
" vit; multaque ex ijs ad Thomiſticæ ſententiæ defenſionem defloravit, quæ
" utì juſta cauſæ ſuæ præjudicia Pontifici detulit. Extat hoc Opus in collectio-
" ne Lemoſij." Alibì jam de eodem Opere nos plura docuerat idem P. Sery, immò & quoddam circà P. Lainez Jeſuitam expoſuerat Excerptum, his
c *Hiſtor. Congr. l. 1. cap. 1. col. 4.* " utique verbis " c Plurima in cauſæ Thomiſticæ defenſionem jubente Paulo V.
" defloravit Thomas de Lemos anno 1605. ex Actis Concilij Tridentini MSS.
" in Arce S. Angeli aſſervatis. Sed & illud obſervatione digniſſimum, quod
" ibidem in ſextæ Seſſionis Volumine Scriptum perhibet, ijſdem nempè diſ-
" plicuiſſe Theologis (Salmeroni ſcilicet, & P. Lainez) præfati Canonis ver-
" ba: *Liberum arbitrium motum & excitatum à Deo.* Quorum quidem loco,
" quaſi mens ſola, non itèm voluntas humana moveretur à Deo, *mentem à*
" *Deo motam & excitatam*, reponendum judicarunt; non abſque cæterorum
" ſtomacho, & injectâ Pelagianiſmi accuſatione. *Cùm in plenâ Congregatione propo-*

Digitized by Google

proponeretur Patribus Concilij Canon ille quartus : ſi quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum &c. omnibuſque Patribus illa verba placerent ; P. Lainez è Societate ſemèl & iterùm dixit : non placet quòd dicatur : liberum arbitrium à Deo motum & excitatum ; ſed mens mota & excitata ponatur. Quod cùm Patribus Concilij diſplicuiſſet, Epiſcopus quidam dixit : illam ſententiam, quam proponebat P. Lainez, eſſe Pelagianam, nolentem Deum agere & movere hominis arbitrium, ſeu liberam voluntatem, ſed tantùm intellectum & mentem. Idem ſanè Salmeronem cum P. Lainez ſenſiſſe fertur in iiſdem Concilij Actis." Idem factum paucis refert ipſe Lemos in Panopliâ Gratiæ dicens a : "Enim verò ut ex Actis Sacri Concilij Tridentini conſtat, quæ aſſervantur Romæ in Caſtello S. Angeli, quæ & nos vidimus & legimus ; P. Lainez ex Societate in eodem Concilio Tridentino, cùm ageretur de formando Canone 4°. Seſſionis ſextæ, ſuadere prætendit, nullatenùs eſſe dicendum : *liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum* ; quæ ſunt Concilii verba : ſed ; *mentem à Deo motam & excitatam*. Hæc fuit Patris Lainez elocutio non admiſſa.

XV°. Priuſquàm Diſputationes intermiſſas redintegraret Paulus V., Lemoſio præcepit ut quoddam adornaret Scriptum, de quo hæc leguntur apud R. P. Sery :" b Lemoſium vocavit Optimus Pontifex Paulus V. jubens ut intrà ſex dies Quæſtiones ſub Clemente VIII. diſputatas in certas propoſitiones redigeret, quas ex judicio Cenſorum vel damnate, vel definire opus eſſet. Officioſam provinciam lætus & impiger obiit Thomas de Lemos. Attulit ſtatutâ die damnandas Propoſitiones triginta-tres, de viribus arbitrij in naturâ lapsâ, de comparatione gratiæ & liberi arbitrii ad invicem, de prædeſtinatione & gratiâ efficaci, de Calvini erroribus circà efficaciam divinæ gratiæ. Propoſitiones verò in veritates Catholicas conſtituendas dedit numero viginti duas. Addidit Vir eruditus Scripta alia duo, tribus columnis digeſta, quibus extremos Pelagianorum & Calviniſtarum errores repræſentabat ; medias verò Catholicas veritates, quæ Apoſtolicâ Sanctione definiendæ videbantur. Hæc Opera in editâ Lemoſij Panopliâ leguntur, c & extant etiam in Collectaneis MSS. ejuſdem Authoris." Sed ut quid alium hujus rei teſtem, præter Lemoſium, quæritamus ? Nunquid ipſe rem enarrat infrà, antè Congregationem 38. col. 995 ? Sic enim ait : "Tandem in die S. P. N. Dominici, Prædicatoris gratiæ, cauſa hæc pro eadem gratiâ divinâ cœpit magis in Pontificis mente firmari. Me enim illâ die ad ſe vocato Pontifex Summus inſinuavit, ſe velle cauſam determinando, finire citò ; idque præcepit, ut propoſitiones quas hæreticas reputarem, in hac parte ordinarem, & alias quæ per oppoſitum Catholicæ viderentur : eaſque ad ſe adferrem..... Statim die S. Laurentii ejuſdem anni, prædictas propoſitiones, & damnandas, & approbandas detuli, & Pontifici Summo in propriis manibus dedi.

XVI°. Præcedentibus Scriptis aliud de phyſicâ prædeterminatione ſubjunxit P. Lemos, de quo ibidem ſubdit :" Humiliter ſupplicans, ut Scriptum aliud, quod de Phyſicâ Prædeterminatione exhibui, examinari præciperet ; in quo circa vocem *phyſica prædeterminatio*, quia jam de re non dubitabatur, ſed ſolùm de voce ; oſtendi antiquitatem illarum vocum in Eccleſiâ, & neceſſitatem earum." De eodem Lemoſiano Opere plura nos docet R. P. Sery, his verbis : " d Tractatum etiam adornavit de *phyſicæ prædeterminationis* vocabulo ; quod à nonnullis etiam gratiæ ſeipsâ efficacis Defenſoribus, minùs probari inaudiverat, aut certè minùs antiquo uſu videri conſecratum, ut Pontificiæ Definitioni poſſet inſeri. Oſtendit in primis Vir meritiſſimus, phyſicæ prædeterminationis nomen non aliter à Prædicatoribus uſurpari, niſi ut motionem Dei præviam ac veram ſignificent, quâ, non ſuadendo tan-

a *Tom. 1. part. 1. Tract. 6. cap. 1. p. 126. col. 2.*

b *Hiſtor. Congr. l. 4. cap. 3. col. 601.*

c *Tom. 1. part. 1. Tract. 2. cap. 3. à pag. 57. ad p. 61.*

d *Hiſtor. Congr. L. 4. cap. 5. col. 609.*

Digitized by Google

» tùm, alliciendo, invitando, excitando, aut aliter etiam interiùs moraliter
» attrahendo, ſed verè, propriè, realiter, & activè determinando, voluntatem
» applicet & inflectat: quæ duo ſi ſemel à Pontifice definiri libuerit, fruſtrà
» de vocibus litigabitur..... Subjunxit Thomas de Lemos duo illa vocabu-
» la, nec ab Eccleſiæ uſu aliena eſſe, nec ad rei controverſæ ſignificationem
» perperàm uſurpari; Cùm apud Dionyſium Areopagitam, Joannem Damaſ-
» cenum, ac D. Thomam, *prædeterminationis* nomen ſæpiùs occurrat; nec ab-
» ſimili ſenſu προορισμοῦ vocabulum in Paulinis Epiſtolis & Eccleſiæ Græcæ Pa-
» tribus legere liceat; quod æquè prædeterminationis ac prædefinitionis nomi-
» ne reddi poteſt: immò cùm ipſam *phyſicæ* vocem, ad rei cujuſpiam verita-
» tem proprietatémque ſignificandam (quo ſenſu hîc à Thomiſtis accipitur)
» uſurpaverit Concilium Epheſinum, ubi pro definiendâ verâ ac reali in Chriſto
» Domino naturarum unione ità decernitur......... Tertio demùm loco de-
» monſtravit, non ideò, ſi quid novitatis iis terminis ineſſet, Authoribus ſuc-
» cenſendum, quos ad eos uſurpandos, facilior cæterarum vocum abuſus, ip-
» ſaque adverſariorum importunitas, impuliſſet. Quemadmodùm nec Conci-
» liis Oecumenicis ſuccenſemus, quibus pro variâ neceſſitate temporum, *Ho-*
» *moüſion*, *Theotocon*, *Transſubſtantiationem*, aliaque id genus nova vocabula,
» mutuari neceſſe fuit, ut Chriſtianæ fidei veritates explicatiùs ſancirentur.
» Aut certè hanc à Scientiæ-mediæ inventoribus veniam dari poſſe, quos gra-
» vioris culpæ conſcientia, Poëtæ dictum uſurpare cogit: *Scimus, & hanc veniam*
» *petimuſque damuſque viciſſim.* Feliciter omninò ceſſit Lemoſij lucubratio.

XVII°. Vix Bellarminus communi Conſultorum judicio à Paulo V. ſancitum vidit, ut de prolixiori Clementis Scripto quindecim Articulis diſtincto, Jeſuitas inter & Dominicanos nova fieret Diſputatio, ac utrùm perfectam S. Auguſtini mentem feliciter defunctus Papa attigiſſet, in Congregatione inquireretur: cùm pertimeſcens Cardinalis Illuſtriſſimus, ne venerandum tanti Pontificis nomen, aut ipſa per ſe ſe lucubrationis eruditio, Judicum raperet animos; Scriptum aliud, eâdem quidem methodo, ſed adverſo conſilio edidit, quatuordecim duntaxàt articulis diſtinctum; quo congeſtis plurimis S. Auguſtini teſtimoniis, ſententiæ Molinianæ ſyſtema paulò mitiùs & honeſtiùs expoſitum confirmare nitebatur. Hujus Scripti titulos nobis exhi-
» bet R. P. Sery; tùm ſubdit: a" Reſponſionem duntaxàt intra diem alterum
» paravit Thomas de Lemos, quam die 30ª. Septembris anni 1605. obtulit
» Sanctitati Suæ. Sic ad ſingula capita breviter repoſuit, ut in ambiguis ac
» verſatilibus propoſitionibus Auguſtinianum ſenſum à Moliniano ſecerneret.
» Primum, octavum, & nonum Articulos ultrò faſſus eſt, modò pro tollendâ
» æquivocatione adderetur: *Secundùm propoſitum Dei*, *non hominis*. Quo caſu
» nihil ſignificabant aliud, quàm quod Clemens VIII. Capitibus 1°. 4°. 6° 7°.
» & 11°. docuiſſet, &c." Totius Operis Analyſim ibidem exponit P. Sery, quem conſule. Tùm concludit. " Nihil ad hæc Bellarminus; tametſi non
» illum Lemoſij Reſponſio latuerit.

a *Hiſtor. Congr. L. 4. c. 4. coll. 604. & 605.*

XVIII°. Sextus jam excurrebat annus à quo cunctæ de divinis Auxiliis Concertationes erant abſolutæ, cùm PP. Dominicani in Comitiis Generalibus Romæ congregati anno 1612. ſupplicem Paulo V. totius Ordinis nomine obtulerunt Libellum, quo ſupremum litis judicium enixiùs expoſtulabant. Huic Libello ſupplici varias addidêre Theologorum ſui Ordinis lucubrationes. Has inter abſolutiſſima viſa eſt, quam jampridem, anno videlicèt 1608. ediderat Hieronymus Baptiſta de la Nuza; ſed firmiſſimis ejuſdem monimentis plura, eaque graviſſima, adjunxit P. Lemos, noviſque rationum ponderibus obfirmavit. Hic Memorialis Libellus integer exhibetur in Appendice Hiſtoriæ Congregg. de Auxiliis, num. xvi. à col. 253. ad col. 278.

XIX°.

Digitized by Google

XIX°. Dùm autem Summum Pontificem, ut controverſiam dirimeret, ſuúmque hac de re judicium promulgare dignaretur, PP. Prædicatores vehementiùs deprecarentur; Jeſuitæ è contrà, litis judicium & Molinæ damnationem pro eodem reputantes, nullum non movebant lapidem, ut Paulum V. à definitione averterent; nevè in publicum Apoſtolica Sanctio prodiret ultrà modum pertimeſcentes, varia, ſed anonyma, per Urbem Scripta diſſeminabant, quibus ab omni prorsùs Apoſtolico Decreto eſſe abſtinendum, evincere nitebantur. Iis omnibus illicò Reſponſa dedit Lemoſius, & in unum compacta Paulo V. obtulit die 12ª. Julij anni 1612. Quædam hujus Operis Excerpta legere eſt apud P. Sery Lib. 4. Hiſtor. Congregg. cap. 25. coll. 755. & 756.

XX°. Sed cùm inter Jeſuitarum rationes, quibus à promulgandâ Sanctione abſtinendum eſſe inſiſtebant, ea eſſet potiſſima, quòd controverſum gratiæ per ſe efficacis dogma nullatenùs pertineret ad fidem, & cuique Theologo illud vel reſpuere vel amplecti liberum eſſet; iſtud principium præſertim confutare ſtuduit Lemoſius. Undè ſpecialem hac de re inſtituit Tractatum, quem die 22ª. Julij anni 1612. Summo Pontifici dedit. De quo Opere hæc nos docet R. P. Sery: a "Stupendum, inquit Lemos, quòd id etiamnùm obtruderent; quaſi verò oblitterari illa poſſent quæ in diligentiſſimâ decem annorum tractatione ſancita fuerant: ubi uſque adeò quæſtiones illæ fidei ſummam ſpectare cenſebantur, ut Molina illiuſque Defenſores non falſitatis tantùm, ſed & hæreſeos Pelagianæ continuò damnarentur. Stupendum magis, ſubjungebat, quòd id tandem aſſererent, qui totiès in ſolemnibus Congregationibus de fidei ſummâ diſputari conteſtabantur. In quos propterea illud Auguſtini de Cæleſtio meritò caderet: *Perſpicitis id eum egiſſe, hac prælocutione præmiſſâ, ut ſi quid in illo apparuiſſet erroris, non in fide, ſed in quæſtionibus quæ ſunt præter fidem, videretur erraſſe: ubi etſi caſtigandus eſt error, non tamen tanquam hæreſis corrigatur; & qui correptus fuit, ità dicatur erraſſe, ut non tamen hæreticus judicetur. Sed multùm eum iſta fallit opinio.*

a *Lib. 4. cap. 25. col. 756.*

Cætera Lemoſij Opera inedita Editorem prorsùs latuêre, nec de iis quidquam reſcire valuit. Si omnia in manus ejus incidiſſent, ſimùl cum præſenti Libro publici juris feciſſet. Erit fortaſſe tempus quo è tenebris ubi hactenùs latitarunt eruentur.

Non eſt nunc quòd in vindicandâ adversùs Recentiorum calumnias Lemoſij fide multùm laboremus: Eam abundè vindicabit univerſa S. Thomæ Schola, totuſque PP. Prædicatorum Ordo; cujus puram putamque doctrinam egregiè tuitus eſt; cujus nomine haſce Diſputationes habuit: tutam etiam ab omni telo præſtabit Summorum Pontificum Clementis VIII. & Pauli V. authoritas, quibus Doctrina Patris Lemos probata maximè fuit: Vindicabit hujus Operis lectio in quâ nihil à doctrinâ S. Auguſtini & S. Thomæ de Gratiâ alienum, nihil à fide devium; uno verbo nullam è damnatis ab Innocentio X. Propoſitionibus quiſquam deprehendet.

Ex Dominicanorum Monumentis editis Romæ anno 1675. paginâ 619.

"PATER Magiſter Thomas de Lemos, Hiſpanus ex Gallæciâ, pietatis & ſapientiæ jubar ſingulare, maximâ cum Ordinis jacturâ è Mortalium oculis rapitur anno 1629. Auguſti 23. Qui coràm Pontifice Maximo Clemente VIII. nec-non & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, de Auxiliorum divinorum efficaciâ diſputavit. Defuncto autèm Clemente Pontifice, in Ordinis


„ dinis hoſpitium ſe recipiens P. Lemos, ibidem ſtudiis, cunctiſque Chriſtia-„ næ pietatis actibus operam dans, quatuor Volumina de divinâ gratiâ, aliiſ-„ que materiis ſcripſit, in Ordinis Archivo exiſtentia nondùm impreſſa. Tan-„ dem cùm uſque in ſenectam & ſenium dies ſuos protraxiſſet, laboribus frac-„ tus, Octuagenario major, ſuſceptis Eccleſiaſticis Sacramentis, nobis adſtan-„ tibus & orantibus, cùm agonem ſuum Sanctiſſimæ Dei Genitrici, ergà quam „ ſpeciali devotionis affectu ferebatur, commendaſſet, obdormivit in Domi-„ no, confluente Romanâ Curiâ ad ejus exequias, veſtiumque particulas pro „ magno munere efflagitante, prout vidimus; de quo in Mortuario Libro hu-„ jus noſtræ Eccleſiæ S. Mariæ ſuper Minervam, ſic dicitur: *A dì 24. d'Agoſto* „ *il P. M. F. Thomaſſo de Lemos fu ſepolto nella ſepoltura de' Padri dentrò una* „ *caſſa. Cujus memoria vivet in æternum. Prout vidimus.*

Ex Actibus Capituli Generalis Valentiæ celebrati anno 1647. folio 49.

„ PATER F. Thomas de Lemos Sacræ Theologiæ Magiſter, Vir eximiæ „ laudis, inſignem doctrinam cum ſummâ veræ pietatis ſimplicitate con-„ jungens, Romæ per multos annos coram Summis Pontificibus Clemente VIII. „ & Paulo V. atque Eminentiſſimis S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, effi-„ caciam divinæ Gratiæ publicis Diſputationibus acerrimè defendit. In ex-„ tremâ ſenectute lumine oculorum amiſſo, adeò ut ſecum loquentes non „ agnoſceret niſi ex voce, id à Deo gratiæ obtinuit, ut Lectiones Matutinales „ Divini Officii & Miſſam tantùm legere poſſet. Scripſit quinque Tomos de „ Auxiliis, qui Summo Pontifice jubente tranſcripti ſunt, & habentur Romæ „ in Archivo Reverendiſſimi Patris Generalis. Dùm Romæ obiit anno 1629. „ Populus Romanus ad ejus feretrum magno concurſu cucurrit, ejuſque ma-„ nus ac pedes deoſculando veſtium particulas pro Reliquiis cum tantâ im-„ portunitate abſtulerunt tàm viri quàm mulieres, ut bis illius corpus novis „ veſtibus induere neceſſe fuerit. Increbuit tunc vox publica multorum, qui „ ejus interceſſione ſe à Deo beneficia obtinuiſſe profeſſi ſunt.

ACTA

Digitized by Google



ACTA OMNIA

CONGREGATIONUM ET DISPUTATIONUM

IN CONTROVERSIÂ

DE AUXILIIS DIVINÆ GRATIÆ.

PARS PRIMA

Continens duodecim Scripta Clementis Papæ VIII. in quibus referuntur à Summo Pontifice dubia in Congregationibus ac Diſputationibus reſolvenda & elucidanda.

DUBIUM OMNIUM PRIMUM

Datum à Sanctiſſimo Clemente VIII. pro Congregationibus celebrandis coram ſuâ Sanctitate in controverſiâ de divinæ gratiæ efficacitate.

1. Scriptum à Sanctiſſimo ad diſputandum propoſitū. *Hiſt. Congreg. de Auxil. Col. 355. & ſeq. 401. & ſeq.*

ARTICULUS PRIMUS.

QUIS majores vires ad bonum tribuat libero arbitrio, an Sanctus Auguſtinus, an Molina?

ARTICULUS SECUNDUS.

An in Libris S. Auguſtini legatur, conſtitutam eſſe à Deo legem infallibilem cum Chriſto Filio ſuo; ut quoties homo ſolis naturæ viribus fecerit totum quod in ſe eſt, Deus illi tribuat gratiam? Vel id ſit de mente ſancti Auguſtini?

Digitized by Google

DUBIUM SECUNDUM
à Sanctiſſimo per Secretarios Congregationis tranſmiſſum, ſic habet.

2. Scriptum à Sanctiſſimo pro diſputationib⁹ oblatum.

ARTICULUS PRIMUS.

QUis majores vires ad bonum libero arbitrio tribuat, an S. Auguſtinus, an Molina?

Hiſtor. Cõgreg. col. 358. & ſequent. 390. & ſeq. 405. & ſeq. uſque ad 436

Circà iſtum articulum referendæ ſunt cum doctrinâ S. Auguſtini ſequentes propoſitiones Molinæ.

PROPOSITIO PRIMA.

Cum ſolo concurſu generali Dei, abſque alio dono vel auxilio gratiæ, poteſt homo efficere opus bonum morale, quod fini naturali hominis accommodatum, atque comparatione illius ſit verè bonum, ac virtutis opus: non tamen quòd fini ſupernaturali ſit accommodatum, quodque comparatione illius bonum ſimpliciter ac virtutis opus dici queat. ([a] Ità habet quæſt. 14. art. 13. diſp. 5.)

a Edit. Antuerp. 1595. pag. 17.

b Pag. 73.

Et ibid. ([b] *diſp. 19. membr. 2. §. ultimo*) ait: *authores hujus ſententiæ* (ſcilicet quod poſſit reſiſti cuilibet particulari tentationi ſine gratiâ) *conſequenter affirmant, nullum eſſe in ſingulari opus bonum morale merè naturale, quod homo naturâ lapſæ cum ſolo concurſu Dei generali non poſſit efficere: id quod Sotus & Ruardus expreſsè aſſerunt. Etenim ſi difficillimum, quale eſt mortem ſubire, ne mendacium proferat, Anſelmi ſententia poteſt præſtare; majori cum ratione poterit cætera efficere, in quibus minor longè eſt difficultas.*

SECUNDA.

Propoſitis his & explicatis quæ credenda ſunt, adhibitis inſuper argumentis, quæ adferri ſolent, ut homines meritò ſibi perſuadeant, ea revelata eſſe à Deo, & juſſa credi, & denique accedente externâ vocatione ad fidem per concionatores, alioſque Eccleſiæ Miniſtros, in facultate liberi arbitrii eſt, cum ſolo concurſu generali Dei, rebus propoſitis aſſentiri, tanquam à Deo revelatis, actu tamen qui ſit merè naturalis, quique ex parte intellectûs non ſit ſatis ad juſtificationem. ([c] *diſp. 7. §. 1. & 2.*)

c Pag. 22.

Ibid. ([d] *diſp. 8. §. ult.*) *Ex dictis* inquit: *neque enim ob eam cauſam neceſſariò ponendus eſt habitus ſupernaturalis, ut intellectus facilè aſſentiatur contrà intellectûs duritiem, & diſcretè contrà intellectûs errores; nec item ut actus aſſentiendi ſit certus & firmus certitudine & firmitate ex parte credentis. Hæreticus namque poteſt firmiùs illo modo aſſentiri, non ſolùm articulis fidei, ſed etiam ſuis erroribus, quàm multi fideles aſſentiantur per virtutem infuſam veritatibus Catholicis. Sed idcircò neceſſariò conſtituendus eſt, quoniàm ad illos actus eliciendos, ut fini ſupernaturali ſint accommodati, & quales ad ſalutem ſunt neceſſarii &c.*

d Pag. 27. & 28.

TERTIA.

Cum quis edoctus fuerit ſupernaturalem aſſenſum eſſe ad ſalutem neceſſarium, Viribus naturalibus poteſt optare, ità credere, atque etiam conari ex dono atque auxilio ſupernaturali aſſentiri. Denique poteſt petere, ut auxilium illud ſibi donetur, & ad illud recipiendum ſatagere ſe diſponere. Ità ([e] *diſp. 9.*) *hæc omnia ſupponit. Expendatur etiam quod docet* (*diſp. 42. §. quod hæc, & 43. §. ex dictis.*)

e Pag. 28.

QUARTA.

Licet initium fidei, quæ radix & fundamentum eſt juſtificationis, à Deo ſit nullis præcedentibus noſtris meritis, ſed potius demeritis; reliquaque, quæ initium fidei ſequuntur, ordiniſque ſunt ſupernaturalis, à Deo ſint; nihilque proindè habeat juſtus, quo à peccatore, imò ab infideli diſcernatur, de quo ità gloriari poſſit, quaſi illud non acceperit; atque

adeò

Digitized by Google

adeò Deus author ſit, ut vitæ noſtræ ſpiritualis, ità etiam incrementi ipſius: eo tamen modo ſuâ ſapientiâ leges, quibus vitam ſpiritualem, atque ejus incrementum conferret, accommodavit, ut ſicut per gratiam, hominis naturam ex ſe liberam perficiebat, ità etiam & ante receptionem gratiæ, & in ipsâ gratiæ receptione, & poſteà in augmento illius, ſuum locum libero relinqueret arbitrio; quatenùs ipſe ità eſſet author omnium bonorum, omniáque ei accepta referrentur, ut nihilominùs libero arbitrio propria
a Pag. 36. *induſtria & laus ſervaretur.* (a *diſp. 9. §. ut quæ.*)

Quinta.

Negari non poteſt quàm plurium eſſe ſcholaſticorum ſententiam, liberum arbitrium noſtrum cum ſolo concurſu generali Dei elicere poſſe actum non ſolùm attritionis naturalem, id eſt, dolorem de peccatis ex Dei timore, cum propoſito ampliùs non peccandi lethaliter; ſed etiam actum contritionis naturalem, qui idem propoſitum ampliùs non peccandi letha-
b Pag. 43. *liter includat. Ità* (b *diſp. 14. membr. 1. in principio, & §. Ratio verò.*)

Sexta.

Homo ſolis viribus naturalibus & concurſu generali Dei elicere poteſt actum abſolutum merè naturalem dilectionis Dei ſuper omnia, qui ad juſtificationem nequaquàm ſufficiat, & propoſitum abſolutum ſervandi in genere præcepta omnia, præſertim quandò occaſiones, & difficultates omnes abſunt; quod ad attritionem & contritionem, quoàd ſubſtantiam ac-
c Pag. 50. *tûs, ſit ſufficiens.* (c *diſp. 14. memb. 3. §. duo quædam cum §. ſequenti & diſp. 15. §. novum.*)

Septima.

An interim dum rationis judicium non abſorbetur, maneat in libero arbitrio, cum ſolo concurſu generali Dei, libertas ad non conſentiendum in quocunque temporis momento, cuicunque gravi tentationi, & ad ſuperandam quamcunque magnam difficultatem, quam pro ſervandâ in eo ſolo inſtanti lege naturæ, neceſſe ſit vincere; etiamſi eâ de causâ mors ſit toleranda. Ità videlicet ut ſi conſentiat, peccet, eò quòd ſecluſo alio quocunque majori auxilio, in poteſtate ipſius, tametſi non ſine ingenti difficultate, poſitum ſit non tranſgredi tunc legem? (d *diſp. 19. memb. 1.* d Pag. 68.
& m. 2.) *Partem affirmativam nonnullis authoribus adſcribit, eamque amplectitur, ut apparet* (e *memb. 6. §. fortè mirabi-* e Pag. 81.
tur,) *quem addidit in editione Antuerpienſi.*

ARTICULUS SECUNDUS.

AN in Libris ſancti Auguſtini legatur conſtitutam eſſe à Deo legem infallibilem cum Chriſto Filio ſuo, ut quoties homo ſolis naturæ viribus fecerit totum quod in ſe eſt, Deus illi tribuat gratiam? vel id ſit de mente ſancti Auguſtini?

Circà iſtum Articulum

PRIMA PROPOSITIO.

Quotieſcunque liberum arbitrium ex ſuis viribus naturalibus conatur, præſtòve eſt ad conandum totum id, quod ex ſe poteſt, tàm circà ea, quæ fides habet, addiſcenda & amplectenda, quàm circà dolorem de peccatis ac juſtificationem, à Deo conferri gratiam prævenientem, auxilia-vè quibus id faciat, ut oportet ad ſalutem. Non quidem quaſi eo conatu dignus efficiatur talibus auxiliis, ullaque ratione, iſta promereatur; ſed quoniam id obtinuit nobis Chriſtus ob ſua merita, atque inter leges, quas tàm ipſe, quàm Pater Æternus ſtatuerunt, de auxiliis & donis, quæ nobis Chriſtus promeruit, merè gratìs conferendis, una, eaque rationi maximè conſentanea, fuit, ut quotiès ex noſtris viribus naturalibus conaremur facere, quod in nobis eſt, præſtò nobis eſſent auxilia gratiæ, quibus ea ut oportet ad ſalutem efficeremus. (f *Ex diſp. 10. in* f Pag. 21.
principio,) *adjunctis cæteris quæ in eodem paragrapho continentur. Et* (*diſp. 11. §. poſt hanc.*) *Et* (*diſp. 14. memb. 5.*)

Secunda.

At verò quicunque ſordibus lethalium peccatorum infectus, conaretur ex ſuis naturalibus mortem pro Deo ſubire, efficeréque

Digitized by Google

cereque pro oblatâ occaſione quod in ſe eſt, ut formali vel virtuali peccatorum pœnitentiâ veniam conſequeretur, ſanè cùm Deus facienti quod in ſe eſt, paratus de lege ordinariâ ſit ſubvenire ſupernaturali auxilio, reponeretur in gratiâ, eſſetque verè Martyr; non tamen ſolis ſuis viribus, ſed ſupernaturali Dei auxilio præventus & ſuffultus &c. ([a] *diſp. 19. memb. 5. §. ad quartum.*)

a Pag. 78.

Dubium propoſitum à Sanctiſſimo, ſuo proprio nomine ſcriptum, & patribus datum 24. Septembris pro habendâ Congregatione infrà dies 15. anno 1602.

Hiſtoria de Auxil. col. 393. & ſeq. 436. & ſequent. uſq; ad 472.

TERTIUM SCRIPTUM datum à Sanctiſſimo.

AN Molina cum Caſſiano conveniat in ſequentibus concluſionibus? *Prima.*

Quòd homo in naturâ lapſâ habeat naturale judicium ad cognoſcendum bonum & malum, habeatque naturalem facultatem ad utrumque amplectendum abſque eo quod aliquam ponat diſtinctionem.

Secunda.

Quòd gratia illuminans, vocans, & excitans ſufficiat ad ſalutem.

Tertia.

Quòd poſſit homo ex ſolâ facultate naturæ diligere Deum ſuper omnia.

Quarta.

Quòd Deus expectet noſtros conatus, quodque aliquandò Deus nos præveniat. *Quinta.*

Quòd Deus quodammodo occaſiones quærat & expectet, ut datio & elargitio ſuæ gratiæ rationabilis videatur. *Sexta.*

Quòd homo in naturâ lapſâ ſufficientes vires habeat ad reſiſtendum gravibus tentationibus, & ad ſuperanda ſingula difficilia.

Septima.

Quòd eadem ſit expoſitio 1. ad Cor. cap. 10. Caſſiani & Molinæ.

Octava.

Quòd ante receptionem gratiæ ſervanda ſit laus libero arbitrio.

Nona.

Quòd ad donum perſeverantiæ nihil aliud requiratur quàm gratia habitualis, & auxilium ſufficiens.

Decima.

Quòd omnia ab eo dicta de conatu liberi arbitrii, reducantur ad actus neceſſarios ad juſtificationem.

Undecima.

Quòd homini ex naturalibus conanti detur gratia; ità tamen ut conatus illi non ſint meritorii gratiæ, nec ſemper neceſſarii.

Duodecima.

Quòd propter bona opera naturalia detur gratia; & quod tamen utrique eodem modo temperent hanc propoſitionem.

Decima-tertia.

Quòd poſſit homo medicum quærere, & ſanitatem deſiderare.

Decima-quarta.

Quòd nemo illorum velit fateri, prædeſtinationem merè gratuitam aliquorum eſſe, non omnium.

Subſcriptum.

CLEMENS PAPA VIII.

Pro ſecundâ Congregatione.

Fuit datum in principio Octobris 1602.

Hiſtoria de Auxil. col. 394. 472. & ſeq. uſq; ad 475. Item 479. & ſeq. uſq; ad 491.

QUARTUM SCRIPTUM à Sanctiſſimo tranſmiſſum.

AN Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. & can. 5. obſtet iis quæ de attritione & contritione docet Molina?

An ea omnia quæ Molina docet circa actus omnes qui elici poſſunt à libero arbitrio, ſimul cum iis quæ de lege dicit, ea omnia dicat & aſſerat in ordinem & ad effectum juſtificationis? Et an ex iis quæ de libero arbitrio

trio & lege affirmat, reſultet immediata ac proxima vel remota præparatio ad juſtificationem & gratiam?

An quod liberum arbitrium conſideratum ex ſe, ſeparatim à gratiâ, nihil habeat à Deo niſi poſſibilitatem illam, quam Deus tribuit ab initio libero arbitrio, ſit ex ſententiâ expreſſâ S. Auguſtini, aut ex illo colligi poſſit? An potiùs conveniat cum Pelagio, præſertim in loco relato ab Auguſtino l. 3. de grat. Chr. cap. 3. & ſequenti?

Subſcriptum.

CLEMENS PAPA VIII.

Pro proximâ Congregatione.

Fuit datum 12. Junii 1603. & præſcriptũ ut in Congregatione de ipſo ageretur.

Hiſtoria de Auxil. col. 395. 471. & ſeq.

QUINTUM SCRIPTUM à Sanctiſſimo datum.

AN bona opera noſtra moralia necdum bona ex genere & objecto ac ex officio, & nedum ſemotâ omni malâ circumſtantiâ, ſed è contrà, veſtitâ omnibus bonis circumſtantiis, non dicantur bona, nec ſecundùm Deum authorem naturæ & gratiæ, nec ad pietatem pertinere, niſi ſint facta ex motivo fidei & pietatis ſupernaturalis, quamvis facta ſint ſuppoſitâ fide, & intuitu & conſideratione juſtitiæ Dei ſcelera punientis, & beneficiorum Dei miſerentis, & tam cõpioſè præmiantis, & præſertim conſideratione beneficii effuſionis proprii ſanguinis in cruce pro nobis?

Subſcriptum.

CLEMENS PAPA VIII.

Pro proximâ Congregatione.

Datum fuit à Sanctiſſimo, 9. Julii 1603.

Hiſtoria de Auxil. col. 395. & ſeq.

Et in Appendice col. 147. & ſeq.

SEXTUM SCRIPTUM à Sanctiſſimo exhibitum.

Adſit Spiritûs Sancti gratia.

I.

Secundùm S. Auguſtinum datur duplex adjutorium gratiæ divinæ.

S. AUGUSTINUS.

" IPſa adjutoria diſtinguenda ſunt; " aliud eſt adjutorium SINE QUO " aliquid non fit: & aliud eſt adjuto- " rium QUO aliquid fit. a *De corrept. & gr. cap. 12.*

a *Edit. Benedict. S. Mauri num. 34. col. 769. tom. 10.*

" Primo itaque homini, qui in eo " bono, quo factus fuerat rectus, acce- " perat poſſe non peccare, poſſe non " mori, poſſe bonum ipſum non deſe- " rere, datum eſt adjutorium perſeve- " rantiæ, non quo fieret ut perſeveraret, " ſed ſine quo per liberum arbitrium " perſeverare non poſſet. Nunc verò " Sanctis in Regnum Dei per gratiam " Dei prædeſtinatis, non tantùm tale adjutorium perſeverantiæ datur, ſed " tale ut eis perſeverantia ipſa donetur. " Non ſolùm ut ſine iſto dono perſeve- " rantes eſſe non poſſint, verum etiam ut " per hoc donum non niſi perſeveran- " tes ſint, &c. * Fortiſſimo quippe Ada- " mo dimiſit atque permiſit facere quod " vellet, infirmis ſervavit ut, ipſo do- " nante, invictiſſimè quod bonum eſt " vellent, & hoc deſerere invictiſſimè " nollent. *Ibidem.* "

* *Num. 38. col. 771.*

" Tale erat adjutorium quod primus Parens deſereret cum vellet, & in quo " permaneret ſi vellet, non quo fieret " ut vellet. Hæc prima eſt gratia, quæ " data eſt primo Adam; ſed hâc poten- " tior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt " enim quâ fit ut habeat homo juſtitiam " ſi velit: ſecunda ergo plus poteſt, quâ " etiam fit ut velit, & in tantùm velit, " tantoque ardore diligat, ut carnis vo- " luntatem, contraria concupiſcentem, "

Digitized by Google

a Num. 31. col. 167.

" voluntate Spiritûs vincat. a *In eod. libr. cap. 11.*

" Ipſi autem (reprobi) vocati dici " poſſunt, non autem electi, quia non " ſecundùm propoſitum vocati. b *In eod. lib. cap. 13.*

b Num. 39. col. 772.

" Vocat enim Deus prædeſtinatos " multos filios ſuos, ut eos faciat membra prædeſtinati unici Filii ſui, non eâ " vocatione, quâ vocati ſunt qui noluerunt venire ad nuptias, (illâ enim vocatione & c Judæi vocati ſunt, quibus " Chriſtus crucifixus ſcandalum eſt, d & " gentes quibus crucifixus ſtultitia eſt) " ſed eâ vocatione prædeſtinatos vocat, " quam diſtinxit Apoſtolus &c. Sic enim " ait e *ipſis autem vocatis*, ut alios oſtenderet non vocatos: ſciens eſſe quandam certam vocationem eorum, qui " ſecundùm propoſitum vocati ſunt, " quos præſcivit &c. Dixit ergo, f *ſed ex vocante*, non quacunque vocatione, " ſed quâ vocatione fit credens. g *De prædeſt. SS. cap. 16. ſimiliter cap. 17.*

c Luc. 14. 16.
d 1. Cor. 1. 23.
e Ibid. 24.
f Rom. 9. 12.
g Num. 32. col. 811. tom. 10.

II.

Duplex gratia, operans, & cooperans.

S. AUGUSTINUS.

" ET quis iſtam etſi parvam dare cœperat charitatem, niſi ille qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, & operando incipit? Quoniam " ipſe ut velimus operatur incipiens, " quibus volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apoſtolus: " h *certus ſum, quoniam qui operatur in vobis opus ſuum, perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu.* Ut ergò velimus, ſine nobis operatur; cum autem volumus, " & ſic volumus ut faciamus, nobiſcum " cooperatur; tamen ſine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum " volumus, ad bona pietatis opera nihil " valemus. i *De grat. & lib. arbit. cap. 17.*

h Philip. 1. 6.
i Num. 33. col. 735. tom. 10.

III.

Gratia Dei eſt quod quis habeat ſuaſores ad bonum.

S. AUGUSTINUS.

Pſal. 134. 7.

" SUſcitans nubes ab extremo terræ. " Quas nubes? Prædicatores Verbi veritatis ſuæ: de quibus nubibus alio " loco iraſcens vineæ ſuæ dicit: a *mandabo nubibus meis, ne pluant ſuper illam imbrem* &c. De ipſis autem nubibus " quid operatur? *Fulgura in pluviam fecit.* Minas ad miſericordiam flexit, de " terroribus irrigavit. Quomodò de terroribus irrigavit? Quandò tibi minatur Deus per Prophetam, & per Apoſtolum, & times; nonne coruſcatio " terruit te? Sed cum pœnitendo corrigeris, & agnoſcis, hoc miſericordiâ " fieri, in pluviam vertitur fulguris terror. b *in pſal. 134. in expoſitione myſticâ.* "

a Iſai. 5. 6.
b Num. 17. col. 1502 tom. 4.

" Nimis autem occulta Dei gratia " eſt, quâ hominum mentes quodammodò reviviſcunt, ut poſſint à quibuſlibet ejus miniſtris præcepta ſanitatis audire &c. c *In Pſal. 87.* "

c Num. 10. col. 932.

" d *Propterea* inquit, *dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo;* ut oſtenderet eam " ipſam fidem, quâ credit, & ex morte " ſui cordis anima reviviſcit, dari nobis " à Deo. Quantumlibet ergò exiſtant " excellentes verbi Prædicatores, & veritatis etiam per miracula ſuaſores, tanquàm magni medici, agant cum hominibus; ſi mortui ſunt, & gratiâ tuâ " non revixerunt. e *Nunquid mortuis facies mirabilia, aut medici exſuſcitabunt, & hi quos exſuſcitabunt confitebuntur tibi? &c.* f *Ibid.* "

d Joan. 6. 46.
e Pſal. 87. 11.
f Num. 10. col. 932.

IV.

Secundùm Sanctum Auguſtinum datur gratia efficax, immo efficaciſſima, nec tamen per eam læditur libertas humani arbitrii.

S. AUGUSTINUS.

REluctanti enim priùs * aditus divinæ vocationis ipſa Dei gratia " procuratur, ac deinde in illo jàm non " reluctante * Spiritus veritatis accenditur. Verumtamen quæ quiſque agit ſecundùm Deum, miſericordia ejus prævenit eum. g *L. 4. ad Bonif. cap. 6.* "

* Nunc auditus.
* Nunc ſtudium virtutis.
g N. 13. col. 475. tom. 10.

" Oramus non ſolùm pro nolentibus, " verùm etiam pro repugnantibus, & " oppugnantibus. Quid ergò petimus, " niſi ut fiant ex nolentibus volentes, & "

ex

Digitized by Google

” ex repugnantibus conſentientes, & ex oppugnantibus amantes? A quo, niſi ab illo de quo ſcriptum eſt, [a] præparatur voluntas à Domino? [b] *In eod. lib. cap. 9.*

a Prov. 8. b Num. 26. col. 485.

” Sed nos eam gratiam volumus iſte aliquandò fateatur, quâ futuræ gloriæ magnitudo non ſolùm promittitur, verùm etiam creditur & ſperatur; nec ſolùm revelatur ſapientia, verùm etiam & amatur; nec ſuadetur ſolùm omne quod bonum eſt, verùm etiam perſuadetur. &c. Quorum autem ſit fides, & quibus perſuadetur, ut ad Deum veniant, ſatis ipſe demonſtravit ubi ait: [c] *nemo venit ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum.* [d] *Lib. de grat. Chr. c. 10.*

c Joan. 6. 44. d N. 11. col. 235. tom. 10.

” Hæc autem gratia, quâ virtus in infirmitate perficitur, Prædeſtinatos, & ſecundùm propoſitum vocatos ad ſummam perfectionem, glorificationemque [e] perducit. Quâ gratiâ agitur, ut non ſolùm facienda noverimus, verùm etiam ut cognita faciamus; nec ſolùm ut diligenda credamus, verùm etiam ut credita diligamus. [f] *Lib. de Grat. Chriſti c. 12.*

e Rom. 8. 28. f N. 13. col. 236.

” Ut [g] autem de Cælo vocaretur (Paulus) & tam magnâ & efficaciſſimâ vocatione converteretur, gratia Dei erat ſola; quia merita ejus erant magna ſed mala &c. [h] *Lib. de grat. & lib. arb. c. 5.*

g Act. 9. h Num. 12. col. 724 tom. 10.

” Si dixerimus meritum præcedere orationis, ut donum gratiæ conſequatur; impetrando quidèm oratio quidquid impetrat, evidenter donum Dei eſſe oſtendit, ne homo exiſtimet à ſeipſo ſibi eſſe, quod ſi in poteſtate haberetur, non utique poſceretur &c. [i] *Quid enim oremus*, ait Doctor gentium, *ſicut oportet, neſcimus; ſed ipſe Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Quid eſt autem, *interpellat*, niſi interpellare nos facit? Indigentis enim rectiſſimum indicium eſt interpellare gemitibus. Nullius autem rei eſſe indigentem fas eſt credere Spiritum ſanctum. Sed ità dictum eſt, *interpellat*, quia interpellare nos facit, nobiſque interpellandi & gemendi inſpirat affectum: ſicut illud in Evangelio; [a] *non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Neque enim & hoc ità fit de nobis, tanquàm nihil facientibus nobis. Adjutorium igitur Spiritûs ſancti ſic expreſſum eſt, ut ipſe facere diceretur, quod ut faciamus facit. [b] *Epiſt. 105.*

i Rom. 8. 26. a Matth. 10. 20. b Nunc 194. N. 16. Col. 720. tom. 2.

” Quod eſt ergò meritum hominis ante gratiam, quo merito percipiat gratiam, cùm omne bonum meritum noſtrum, non in nobis faciat niſi gratia: & cùm Deus coronat merita noſtra, nihil aliud coronat niſi merita ſua? [c] *Ibidem.*

c N. 19.

” Sed neque ab illo quod originaliter contrahitur, neque ab his quæ unuſquiſque in vitâ propriâ, * vel intelligendo, vel nolendo intelligere, mala congregat, vel etiam inſtructus ex lege, additamento prævaricationis exaggerat, quiſquam liberatur & juſtificatur, niſi gratiâ Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, non ſolùm remiſſione peccatorum, ſed priùs ipſius inſpiratione fidei & timoris Dei, impartito ſalubriter orationis affectu & effectu, donec ſanet omnes languores noſtros, & redimat de corruptione vitam noſtram, & coronet nos in miſeratione & miſericordiâ. [d] *Ibidem.*

* Nunc vel non intelligẽdo. d Num. 30. col. 724.

” Quomodo dicuntur negare liberum voluntatis arbitrium, qui confitentur omnem hominem, quiſquis ſuo corde credit in Deum, nonniſi ſuâ liberâ credere voluntate; cùm potiùs illi oppugnent arbitrium liberum, qui oppugnant Dei gratiam, quâ verè ad bona eligenda & agenda ſit liberum? [e] *Epiſt. 107.*

e Nunc 217. N. 23. col. 807. t. 2.

” Hæc enim voluntas libera, tantò erit liberior, quantò ſanior; tantò autèm ſanior quantò divinæ miſericordiæ gratiæque ſubjectior. [f] *Epiſt. 89.*

f Nunc 157. N. 8. col. 544.

” Neque enim voluntatis arbitrium ideò tollitur, quia juvatur; ſed ideò juvatur, quia non tollitur. [g] *Ibidem.*

g Num. 10. col. 545.

” [h] *Deus eſt enim qui operatur in nobis & velle & operari pro bonâ voluntate;* nos ergò volumus, ſed Deus operatur in nobis & velle: nos ergò operamur, ſed

h Philip. 2. 13.

Digitized by Google

” ſed Deus in nobis operatur & operari ” pro bonâ voluntate. Hoc nobis ex” pedit & credere & docere, hoc eſt ” pium, hoc verum, ut ſit humilis & ” ſubmiſſa confeſſio, & detur totum ” Deo. [a] *De dono perſever. c. 13.*

a Num. 32. col. 838. tom. 10.

V.

Hæc gratia habet ſuam efficaciam ab omnipotentiâ Dei, & à dominio quod ſumma Divina Majeſtas habet in voluntates hominum, ſicut in cætera omnia quæ ſub Cælo ſunt ſecundùm S. Auguſtinum.

S. AUGUSTINUS.

” SCriptura divina, ſi diligenter inſ” piciatur, oſtendit non ſolùm bo” nas hominis voluntates, quas ipſe fa” cit ex malis, & à ſe factas bonas in ” actus bonos & in æternam dirigit vi” tam, ità eſſe in Dei poteſtate, ut eas ” quò voluerit, quandò voluerit faciat ” inclinari, vel ad beneficia quibuſdam ” præſtanda, vel ad pœnas quibuſdam ” ingerendas, ſicut ipſe judicat, occul” tiſſimo quidèm judicio, ſed ſine ullâ ” dubitatione juſtiſſimo. [b] *Lib. de grat.* ” *& lib. arb. c. 20.*

b Num. 41. col. 739. tom. 10.

” Quamvis non negetur Deum ” poſſe, quem velit, etiam nullo homine ” corripiente, corrigere, & ad dolorem ” ſalubrem pœnitentiæ occultiſſimâ & ” potentiſſimâ medicinæ ſuæ poteſtate, ” perducere. Et ſicut non eſt ab ora” tione ceſſandum pro eis quos corrigi ” volumus, etiamſi nullo homine orante ” pro Petro, Dominus reſpexit eum, & ” fecit eum ſuum peccatum flere; ità non ” eſt negligenda correptio, quamvis ” Deus quos voluerit, etiam non cor” reptos, faciat eſſe correctos. [c] *Lib. de* ” *corrept. & grat. c. 5.*

c Num. 8. col. 753. tom. 10.

” Cum autem homines per correp” tionem in viam juſtitiæ ſuæ veniunt, ” ſeu revertuntur, quis operatur in cor” dibus eorum ſalutem, niſi ille qui quo” libet plantante atque rigante, & quo” libet in agris atque arbuſtis operante, ” dat incrementum Deus; cui volenti ” ſalvum facere, nullum hominis reſiſ” tit arbitrium? Sic enim velle & nolle in volentis aut nolentis eſt poteſtate, “ ut divinam voluntatem non impediat, “ nec ſuperet poteſtatem. De his enim “ qui faciunt quæ non vult, facit ipſe “ quæ vult. [a] *L. de correp. & grat. c. 14.* “

a Num. 43. col. 774.

” Non itaque eſt dubitandum, voluntati Dei, quæ [b] *in Cælo & in terrâ* “ *omnia quæcumque voluit fecit*, & quæ “ etiam illa quæ futura ſunt fecit, hu- “ manas voluntates non poſſe reſiſtere, “ quominùs faciat ipſe quod vult; quan- “ dòquidem etiam de ipſis hominum “ voluntatibus, quod vult cum vult, “ facit, &c. [c] *Ibidem.* “

b Pſal. 134. 6.

c Num. 45.

” Qui tamen hoc non facit, niſi per ipſorum hominum voluntates, “ ſine dubio habens humanorum cor- “ dium, quò placeret inclinandorum “ omnipotentiſſimam poteſtatem, &c. “ [d] *Ibidem.* “

d Ibid.

” Quis autem non videat, multò magis eſſe indignationem à contrario “ in lenitatem convertere atque trans- “ ferre, quam cor neutrâ affectione “ præoccupatum, ſed inter utramque “ medium in aliquid declinare? Legant “ ergò & intelligant, intueantur, atque “ fateantur, non lege atque doctrinâ “ ſonante forinſecùs, ſed internâ at- “ que occultâ, mirabili atque ineffa- “ bili poteſtate operari Deum in cordi- “ bus hominum, non ſolùm veras re- “ velationes, ſed etiam bonas volunta- “ tes. [e] *De grat. Chriſt. c. 24.* “

e Num. 25. col. 241 tom. 10.

” Si ergò Dominus Omnipotens, cum voluerit Reges in terrâ conſti- “ tuere, magis habet in poteſtate vo- “ luntates hominum, quàm ipſi ſuas: “ quis alius facit, ut ſalubris ſit correp- “ tio, & fiat in correpti corde correctio, “ ut cæleſti conſtituatur in regno? [f] *De* “ *corrept. & grat. c. 14.* “

f Num. 45. col. 785. tom. 10.

” Si fides, liberi eſt tantummodò arbitrii, nec datur à Deo, propter “ quid ergò pro eis, qui nolunt credere, “ oramus ut credant? Quod prorsùs fa- “ ceremus inaniter, niſi certiſſimè cre- “ deremus, etiam perverſas & fidei “ contrarias voluntates Omnipotentem “ Deum ad credendum poſſe conver- “ tere. Liberum quidem hominis arbi- “ trium pulſatur, ubi dicitur: [g] *Hodiè ſi* “

g Pſal. 94. 8.

vocem

"*vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Sed niſi poſſet etiam Deus duritiem cordis auferre, non diceret per Prophetam: a *auferam ab eis cor lapideum, & dabo eis cor carneum.* b *Lib. de grat. & lib. arb. c. 14.*

a *Ezech. 11. 19.*
b *Num. 29. col. 732. tom. 10.*

"Si ad liberum arbitrium hominis, quod non ſecundùm Dei gratiam, ſed contrà eam defendis, pertinere dicis, ut perſeveret in bono quiſque, vel non perſeveret, non Deo donante, ſi perſeveret, ſed humanâ voluntate faciente; quid moliturus es contrà verba dicentis: c *Rogavi pro te, ne deficiat fides tua?* An audebis dicere, etiam rogante Chriſto ne deficeret fides Petri, defecturam fuiſſe, ſi Petrus eam deficere voluiſſet, hoc eſt, ſi eam perſeverare uſque in finem noluiſſet? Quaſi aliud Petrus ullo modo vellet, quàm pro illo Chriſtus rogaſſet, ut vellet? d *L. de corrept. & grat. c. 8.*

c *Luc. 22. 32.*
d *Num 17. col 759.*

"Tu in te ipſo non facis quod vis, Deus autem noſter e *in Cælo & in Terrâ omnia quæcunque voluit fecit.* Ipſe tibi det gratiam, ut in te ipſo facias quod vis: niſi enim ipſo adjuvante, nec in te facis quod vis. f *In Pſal. 134.*

e *Pſal. 134. 6.*
f *Num. 12. col. 1500. t. 4.*

"Intelligite Deum, quomodò *omnia quæcunque voluit fecit in Cælo & in Terrâ*; ipſe & in vobis faciet quod vultis, ipſo adjuvante voluntatem veſtram implebitis. Sed dum non poteſtis, confitemini; cum poteritis, gratias agite, &c. g *Ibidem.*

g *Ibid.*

"Ergò & in Eccleſiâ ſuâ, & in prædicatoribus ſuis, & in plebibus ſuis, tanquam h *in Cælo & in Terrâ, omnia quæcunque voluit*, fecit. Parum eſt in eis; *in mari, & in omnibus abyſſis, omnia quæcunque voluit, fecit.* Mare ſunt omnes infideles, omnes nondum credentes; & in eis, *omnia quæcunque voluit, fecit.* Et,... qui ſunt abyſſus? Latentia corda mortalium, profundæ cogitationes hominum, &c. Latet cor bonum, latet cor malum: abyſſus eſt in corde bono, & in corde malo; ſed hæc nuda ſunt Deo, quem nihil latet. Conſolatur cor bonum, torquet cor malum. *Omnia* ergò *quæcunque voluit, fecit in Cælo & in Terrâ, in Mari & in omnibus abyſſis.* (a *In Pſal. 134. in expoſ. myſticâ.*)

h *Pſal. 134. 6.*
a *Num. 16. coll. 1501. & 1502.*

"Cogitantes credimus, cogitantes loquimur, cogitantes agimus quidquid agimus; quod autem attinet ad pietatis viam, & verum Dei cultum, b *Non ſumus idonei cogitare aliquid tanquam ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Non enim eſt in poteſtate noſtrâ cor noſtrum, & noſtræ cogitationes. Unde idem qui hoc ait, item dicit Ambroſius: c *Quis autem tàm beatus qui in corde ſuo ſemper aſcendat? Sed hoc ſine divino auxilio quomodo fieri poteſt? Nullo profectò modo. Denique*, inquit, *ſuprà eadem Scriptura dicit:* d *beatus vir cujus eſt auxilium abs te Domine, aſcenſus in corde ejus.* Hoc utique ut diceret, non ſolùm in Litteris ſacris legebat; ſed ſicut de illo viro ſine dubitatione credendum eſt, etiam in corde ſuo ſentiebat Ambroſius. Quod ergò in Sacramentis fidelium dicitur, e *ut ſurſùm corda habeamus ad Dominum*, munus eſt Domini; de quo munere ipſi Domino Deo noſtro gratias agere, à Sacerdote poſt hanc vocem quibus hoc dicitur, admonentur: *& dignum eſt juſtum eſſe*, Reſpondent. Cùm enim non ſit in noſtrâ poteſtate cor noſtrum, ſed divino ſublevetur auxilio, ut aſcendat, f *& quæ ſurſùm ſunt ſapiat; ubi Chriſtus eſt in dexterâ Dei ſedens, non quæ ſuper terram*; cui de hâc tantâ re agendæ ſunt gratiæ, niſi hoc facienti Domino Deo noſtro, qui nos per tale beneficium liberando, de profundo hujus mundi elegit, & prædeſtinavit ante conſtitutionem mundi? g *L. de dono perſever. cap. 13.*

b *2. Cor. 3. 5.*
c *De fugâ ſæculi cap. 1.*
d *Pſal. 86. 6.*
e *In Præfatione ad Canonem Miſſæ.*
f *Coloſſ. 3. 1.*
g *Num. 33. col. 839. tom. 10.*

VI.

Per hanc gratiam ſecundùm Auguſtinum agit Deus Omnipotens in cordibus hominum motum voluntatis eorum, faciendo ex nolentibus volentes, ex repugnantibus conſentientes, ex oppugnantibus amantes.

S. AUGUSTINUS.

QUis autem non videat multò majus eſſe indignationem à contra-

» trario in lenitatem convertere atque
» transferre, quàm cor neutrâ affectione
» præoccupatum, ſed inter utramque
» medium, in aliquid declinare? Legant
» ergo & intelligant, intueantur atque
» fateantur, non lege atque doctrinâ
» inſonante forinſecùs, ſed internâ at-
» que occultâ, mirabili atque ineffabili
» poteſtate operari Deum in cordibus
» hominum, non ſolùm veras revelatio-
a Num. 25. col. 241 tom. 10. » nes, ſed etiam bonas voluntates. [a] *De*
» *grat. Christi cap. 24. ſimiliter cap. 25.*

" Ipſam denique pœnitentiam, quam
» proculdubio voluntas agit, Domini
» miſericordiâ & adjutorio fieri ut aga-
* Nunc 10. » tur, in * nono ejuſdem operis libro
» beatus dicit Ambroſius, ità loquens:
b L. 10. In Luc. N. 89. » [b] *bonæ lacrymæ, quæ culpam lavant:*
» *denique quos Jeſus reſpicit, plorant. Ne-*
» *gavit primò Petrus, & non flevit, quia*
» *non reſpexerat Dominus. Negavit ſe-*
» *cundò, & non flevit, quia adhuc non*
» *reſpexerat Dominus. Negavit & tertiò,*
» *reſpexit Jeſus, & amariſſimè flevit.* Le-
» gant iſti Evangelium, & videant Do-
» minum Jeſum tunc intùs fuiſſe, cùm
» à Sacerdotum Principibus audiretur;
» Apoſtolum verò Petrum foris & deor-
» sùm in atrio cum ſervis ad focum nunc
» ſedentem, nunc ſtantem, ſicut vera-
» ciſſimâ & concordiſſimâ Evangeliſta-
» rum narratione monſtratur. Unde non
» poteſt dici, quòd corporalibus oculis
» eum Dominus viſibiliter admonendo
» reſpexerit. Et ideò quod ſcriptum eſt:
c Luc. 22 61. » [c] *reſpexit eum Dominus;* intùs actum eſt,
» in mente actum eſt, in voluntate actum
» eſt. Miſericordia Domini latenter ſub-
» venit, cor tetigit, memoriam revoca-
» vit, interiore gratiâ ſuâ viſitavit Pe-
» trum, interioris hominis uſque ad ex-
» teriores lacrymas movit & produxit
» affectum. Ecce quemadmodùm Deus
» adjuvando adeſt voluntatibus & ac-
» tionibus noſtris. Ecce quemadmodùm
» & *velle, & operari, operatur in nobis.*
d Num. 49. col. 249. t. 10. » [d] *De gratia Christi cap. 45.*

" Si ergò ità præpararet atque ope-
» raretur Deus hominis voluntatem,
» ut tantummodò legem ſuam atque
» doctrinam libero ejus adhiberet arbi-
» trio, nec vocatione illâ altâ atque
ſecretâ ſic ejus ageret ſenſum, ut eidem «
legi atque doctrinæ accommodaret aſ- «
ſenſum; proculdubio eam legere, «
vel intelligere legendo, vel etiàm ex- «
ponere ac præparare ſufficeret, nec «
opus eſſet orare, ut Deus ad fidem «
ſuam infidelium corda converteret, & «
converſis proficientem perſeverantiam «
ejuſdem gratiæ ſuæ largitate donaret. «
[a] *Epiſt. 107.* « a Nunc 217. n. 5. col. 801. tom. 2.

" Inaniter igitur, & perfunctoriè
potiùs quàm veraciter pro eis, ut doc- «
trinæ, cui adverſantur, credendo con- «
ſentiant, Deo fundimus preces, ſi ad «
ejus non pertinet gratiam, convertere «
ad fidem ſuam ipſi fidei contrarias ho- «
minum voluntates. Inaniter etiam, & «
perfunctoriè potiùs quàm veraciter, «
magnas cum exultatione agimus Deo «
gratias, quandò aliqui eorum credunt, «
ſi hoc in eis ipſe non facit. Non fal- «
lamus homines, nam Deum fallere «
non valemus. Prorsùs non oramus «
Deum, ſed orare nos fingimus, ſi nos «
ipſos, non illum, credimus facere «
quod oramus. Prorsùs non Deo gra- «
tias agimus, ſed nos agere fingimus, »
ſi undè illi gratias agimus, ipſum fa- »
cere non putamus, &c. [b] *Ibidem.* « b Num. 6. & 7.

" Non enim eſt homo bonus ſi no-
lit; ſed gratiâ Dei etiam ad hoc ad- «
juvatur ut velit; quoniam non inani- «
ter ſcriptum eſt: [c] *Deus eſt enim qui* « c Philip. 2. 13.
operatur in nobis & velle, & operari, « Prov. 8.
pro bonâ voluntate, &, *præparatur vo-* «
luntas à Domino. [d] *L. 1. ad Bonifac. c. 18.* « d Num. 36. col. 427. t. 10.

" Jam ſequentia commemorare quid
opus eſt, ubi Deum compleviſſe, quod «
illa rogaverat, divina Scriptura teſta- «
tur, [e] operando in corde Regis? Quid « e Eſther. 16.
aliud quàm voluntatem, quâ juſſit, & «
factum eſt, &c. qui cor Regis, ante- «
quàm mulieris poſcentis ſermonem «
audiſſet, occultiſſimâ & efficaciſſimâ «
poteſtate convertit, & tranſtulit ab «
indignatione ad lenitatem; hoc eſt, «
de voluntate lædendi, ad voluntatem «
favendi? [f] *L. 1. ad Bonif. cap. 20.* « f Num. 38. col. 428.

" Quibus meritis bonæ voluntatis
Deus illum (Saulum) ab his malis «
ad bona, mirabili & repentinâ voca- « g Num. 37. col. 427.
tione convertit? [g] *L. 1. ad Bonif. c. 19.* «

Quàm

" Quàm multi inimici Chriſti quotidiè ſubitò, Dei occultâ gratiâ trahuntur ad Chriſtum? &c. Trahitur ergò miris modis ut velit, ab illo qui novit intùs in ipſis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed ut volentes ex nolentibus fiant. [a] *Ibidem.*

a *Ibidem*

" Oramus non ſolùm pro nolentibus, verùm etiam pro repugnantibus & oppugnantibus. Quid ergò petimus, niſi ut fiant ex nolentibus volentes, ex repugnantibus conſentientes, ex oppugnantibus amantes? A quo, niſi ab illo de quo ſcriptum eſt: [b] *præparatur voluntas à Deo?* [c] *L. 4. ad Bonif. cap. 9.*

b *Prov. 8. juxtà* LXX. c *Num. 26. col. 485.*

" Dixit Dominus ad Jeſum Nave: [d] *Non poterunt Filii Iſraël ſubſiſtere à facie inimicorum ſuorum.* Quid eſt, *non poterunt ſubſiſtere?* Quarè non ſubſiſtebant per liberum arbitrium, ſed per timorem turbatâ voluntate fugiebant; niſi quia Deus dominatur & voluntatibus hominum, & quod vult in formidinem convertit iratus? Nunquid non hoſtes Iſraëlitarum adversùs populum Dei, quem ducebat Jeſus Nave, ſuâ voluntate pugnarunt? Et tamen dicit Scriptura: [e] *Quia per Dominum factum eſt confortari cor eorum, ut obviam irent ad Iſraël ad bellum, ut exterminarentur.* [f] *De grat. & lib. arb. cap. 20.*

d *Joſue 7. 12.* e *Joſue 11. 20.* f *Num. 41. col. 739. t. 10*

" Agit omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos ipſe agere voluerit, quià omninò injuſtè aliquid velle non novit, &c. [g] *Ibid. cap. 21.*

g *Num. 42. col. 741.*

" Quomodò virtus Dei alios juvat in bello, dando eis fiduciam; alios immiſſo timore vertit in fugam; niſi quia ille, [h] qui *in Cælo & in Terrâ omnia quæcunque voluit fecit*, etiam in cordibus hominum operatur? &c. [i] *Ibidem.*

h *Pſal. 134. 6.* i *Ibidem.*

" Non enim hoc non ex animo, aut non ex bonâ voluntate fecerunt corde pacifico; & tamen hoc in eis egit, qui in cordibus hominum quod voluerit operatur. &c. [x] *De corrept. & grat. c. 14.*

x *Num. 45. col. 775. t. 10*

" Ac per hoc Dominus Omnipotens, qui erat cum illo, (Davide) [a] adduxit iſtos ut eum Regem conſtituerent. Et quomodò adduxit? Nunquid corporalibus ullis vinculis alligavit? Intùs egit, corda tenuit, corda movit, eoſque voluntatibus eorum, quas ipſe in illis operatus eſt, traxit. &c. [b] *Ibidem.*

a *1. Paralip. 12.* b *Ibidem*

VII.

Hanc gratiam efficacem ſecundùm S. Auguſtinum infundit Deus in cordibus noſtris per operationem Spiritûs Sancti innumerabilibus & occultiſſimis modis.

S. AUGUSTINUS.

Certum eſt enim nos mandata ſervare, ſi volumus; ſed quia [c] *præparatur voluntas à Domino*, ab illo petendum eſt, ut tantùm velimus, quantùm ſufficit, ut volendo faciamus. Certum eſt nos velle cùm volumus; ſed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum eſt, quod paulò antè poſui: *præparatur voluntas à Domino:* De quo dictum eſt: [d] *à Domino greſſus hominis dirigentur, & viam ejus volet.* De quo dictum eſt: [e] *Deus eſt qui operatur in nobis & velle.* Certum eſt nos facere, cum facimus, ſed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit: [f] *faciam ut in juſtificationibus meis ambuletis, & judicia mea obſervetis & faciatis.* Cùm dicit, *faciam ut faciatis*; quid aliud dicit, niſi, [g] *auferam à vobis cor lapideum*, undè non faciebatis; & *dabo cor carneum*, undè faciatis? [h] *Lib. de grat. & lib. arb. cap. 16.*

c *Prov. 8. ſecundùm* LXX. d *Pſal. 36. 23.* e *Philip. 2. 13.* f *Ezech. 36. 27.* g *Idem* ℣. *26.* h *Num. 32. col. 735. t. 10.*

" His & talibus teſtimoniis divinorum eloquiorum, quæ omnia commemorare nimis longum eſt, ſatis, quantùm exiſtimo, manifeſtatur, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, ſivè ad bona pro ſuâ miſericordiâ, ſivè ad mala pro meritis eorum; judicio utique ſuo, aliquandò aperto, aliquandò occulto, ſemper autem juſto. [i] *Ibid. cap. 21.*

i *Num. 43. col. 742.*

Digitized by Google

" Si autem potens eſt, ſivè per Angelos vel bonos vel malos, ſivè quocunque alio modo operari, etiàm in cordibus malorum pro meritis eorum, quorum malitiam non ipſe fecit, ſed aut originaliter tracta eſt ab ipſo Adam, aut crevit per propriam voluntatem; quid mirum eſt ſi per Spiritum ſanctum operatur in cordibus electorum ſuorum bona, qui operatus eſt, ut ipſa corda eſſent ex malis bona? [a] *Ibidem.*

a *Ibidem*

" Hæc gratia ſi doctrina dicenda eſt, certè ſic dicatur, ut altiùs, & interiùs eam Deus cum ineffabili ſuavitate credatur infundere, non ſolùm per eos qui plantant, & rigant extrinſecùs, ſed etiam per ſeipſum, qui incrementum ſuum miniſtrat occultus: ità ut non oſtendat tantummodò veritatem, verùm etiam impertiat charitatem. Sic enim docet Deus eos, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt, ſimul donans, & quid agant ſcire, & quod ſciunt agere. [b] *De grat. Chriſti cap. 13.*

b *Num. 14. col. 236. t. 10*

" Legant ergò & intelligant, intueantur atque fateantur, non lege atque doctrinâ inſonante forinſecùs, ſed internâ, atque occultâ, mirabili atque ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum, non ſolùm veras revelationes; ſed etiam bonas voluntates. [c] *Ibid. cap. 24.*

c *Num. 25. col. 241.*

" Quoniàm de quibus ſcriptum eſt: [d] *quotquot enim ſpiritu Dei aguntur, hi filii ſunt Dei*; profectò ut agant quod bonum eſt, ab illo aguntur qui bonus eſt. Quomodò dicit Pelagius, quod benè loqui poſſumus, Dei eſt; quod benè loquimur, noſtrum eſt; cùm dicat Dominus: [e] *Spiritus Patris veſtri eſt qui loquitur in vobis.* &c. [f] *De grat. Chriſti cap. 25.*

d *Rom. 8. 14.*
e *Matth. 10. 29.*
f *N. 26. col. 242.*

" Quamvis non negetur, Deum poſſe quandò velit, etiam nullo homine corripiente, corrigere, & ad dolorem ſalubrem pœnitentiæ occultiſſimâ & potentiſſimâ medicinæ ſuæ poteſtate perducere. [g] *De corrept. & grat. cap. 5.*

g *Num. 8 col. 753. t. 10.*

" Tunc autem correptione proficit homo, cum miſeretur atque adjuvat, qui facit quos voluerit, etiam ſine correptione proficere. Sed quare iſte ſic, ille aliter, atque alii aliter diverſis & innumerabilibus modis vocentur, ut reformentur? Abſit, ut dicamus judicium luti eſſe debere, ſed figuli. [a] *Ibidem.* "

a *Col. ſeq.*

" Noſtrum eſt enim credere & velle; illius autem, dare credentibus & volentibus facultatem benè operandi per Spiritum ſanctum, per quem charitas diffunditur in cordibus noſtris. Verum eſt quidem; ſed eâdem regulâ, & utrumque ipſius eſt, quia ipſe præparat voluntatem; & utrumque noſtrum, quia non fit, niſi volentibus nobis. [b] *De Prædeſt. Sanctor. cap. 3.* "

b *Num. 7. col. 794. t. 10.*

" Credere vel non credere non eſt in arbitrio voluntatis humanæ; ſed in electis præparatur voluntas à Domino. [c] *De Prædeſt. Sanctor. cap. 5.* "

c *Num. 10. col. 798.*

" Non enim poſcerentur à Deo, quæ præcipit fieri, niſi ab illo donaretur, ut fierent. [d] *Ibid. cap. 14.* "

d *Num. 27. col. 808.*

" Agit quippè [e] Deus quod vult in cordibus hominum, vel adjuvando, vel inclinando, ut etiam per eos impleatur, quod manus ejus & conſilium prædeſtinavit fieri. Fruſtrà itaque etiam illud, quod Regnorum [f] & [g] Paralipomenorum Scripturâ teſte probavimus, cùm Deus vult fieri, quod nonniſi volentibus hominibus oportuit fieri, inclinavit eorum corda, ut hoc velint, eo ſcilicet inclinante, qui in nobis mirabili modo & ineffabili operatur & velle, ad cauſam de quâ differimus, non pertinere dixerunt. &c. [h] *Ibid. cap. 20.* "

e *Act. 4. 28.*
f *1. Reg. 10. 25.*
g *1. Paral. 2. 18*
h *Num. 41. & 42. col. 817.*

" Hæc itaque gratia, quæ occultè humanis cordibus divinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur. &c. [i] *Ibid. cap. 8.* "

i *Num. 13. col. 799.*

" Quandò enim cum ſpiritu Dei operante, ſpiritus hominis cooperatur, tunc quod Deus juſſit impletur: & hoc non fit, niſi credendo in eum qui juſtificat impium. Quam fidem non habuit generatio prava & amaricans: & ideò de illâ dictum eſt: [x] *Non eſt creditus cum Deo ſpiritus ejus.* Multò enim hoc expreſſiùs dictum eſt, ad ſignificandam gratiam Dei, quæ non ſolùm operatur

x *Pſal. 77. 8.*

Digitized by Google

» operatur remiſſionem peccatorum, ſed » etiam cooperantem ſibi facit hominis » ſpiritum in opere bonorum factorum. » a *In Pſal.* 77.

a Num. 8. col. 821 tom. 4.

VIII.

Hæc gratia Dei efficax ſecreta eſt ſecundùm ſanctum Auguſtinum.

S. AUGUSTINUS.

b Joan. 6. 45.

» SI enim b omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit; profectò » omnis qui non venit, non audivit à » Patre, nec didicit: Nam ſi audiviſſet » & didiciſſet, veniret. &c. Valdè re» mota eſt à ſenſibus carnis hæc ſchola, » in quâ Pater auditur, & docet ut ve» niatur ad Filium. c *De Prædeſt. Sanctor.* » *cap.* 8.

c Num. 13. col. 799. t. 10.

" Valdè, inquam, remota eſt à ſen» ſibus carnis hæc Schola, in quâ Deus » auditur & docet. Multos enim ve» nire videmus ad Filium, quia multos » videmus credere in Chriſtum: Sed » ubi, aut quomodò à Patre audierint » hoc, & didicerint, non videmus. Ni» mirum gratia iſta ſecreta eſt; gratiam » verò eſſe quis ambigat? d *Ibidem.*

d Ibidem.

" Quantæ enim gentes credendo » venerunt? Quanti fundi, quanta loca » deſerta modò veniunt? Veniunt indè » neſcio quanti, credere volunt, & di» cimus eis, quid vultis? Reſpondent, » noſſe gloriam Dei. Credite, Fratres, » mirari nos, & gaudere ad talem vo» cem ruſticanorum. Veniunt, neſcio » undè, excitati à neſcio quo. Quid » dicam, à neſcio quo? Immò ſcio à » quo, e *quia nemo venit*, inquit, *ad me*, » *niſi quem Pater traxerit.* Veniunt ſu» bitò de ſilvâ, de deſerto, de remo» tiſſimis & arduis montibus ad Eccle» ſiam, & hanc vocem habent plerique, » & penè omnes eorum, ut videamus » verè intùs docentem Deum. f *In Pſal.* » *134. in expoſ. myſt.*

e Joan. 6. 44.

f Num. 22. col. 1506. t. 4.

" Nimis enim occulta Dei gratia » eſt, quâ hominum mentes quodam» modò reviviſcunt, ut poſſint à qui» buſlibet ejus miniſtris præcepta ſani» tatis audire. g *In Pſal.* 87.

g Num. 10. col. 932. t. 4.

IX.

Hæc gratia efficax ſecundùm ſanctum Auguſtinum eſt prævia, non pediſſequa; datur enim, non quia volumus, ſed ut velimus: atque ideò per ipſam efficit Deus nedùm ut operemur, ſed etiam ut velimus.

S. AUGUSTINUS.

QUæſtio quæ inter nos agitur, eſt « utrùm hæc gratia præcedat, an « ſubſequatur hominis voluntatem: hoc « eſt, ut planiùs id eloquar, utrùm ideò « nobis datur, quia volumus, an per « ipſam Deus etiam hoc efficiat ut ve- « limus. a *Epiſt.* 107. «

a Nunc 217. N. 17. col. 805. t. 2.

" Quomodò Deus exſpectat volunta- tes hominum, ut præveniant eum qui- « bus det gratiam; cum gratias, ei, non « immeritò, agamus de iis, quibus non « ei credentibus, & ejus doctrinam vo- « luntate impiâ perſequentibus, miſeri- « cordiam prærogavit; eoſque ad ſeip- « ſum potentiſſimâ facilitate convertit, « ac volentes ex nolentibus fecit? Ut « quid inde ei gratias agimus, ſi hoc « ipſe non fecit? Ut quid tantò magis « eum magnificamus, quantò magis no- « lebant credere, quos crediſſe gau- « demus, ſi gratiâ divinâ voluntas in me- « liùs non mutatur humana? b *Ibidem.* «

b Num. 24. col. 807.

" Quomodò autèm eum magnifi- cum prædicabant, ſi magnum illud « factum de Pauli converſione ipſe non « fecerat?.... Nempe manifeſtum eſt, « ex illis duodecim ſententiis, quas perti- « nere ad Catholicam Fidem negare non « ſineris, non ſolùm omnibus, verùm « etiam ſingulis id confici, ut confitea- « mur gratiâ Dei præveniri hominum « voluntates, & per hanc eas præparari « potiùs, quàm propter earum meritum « dari. c *Ibidem.* «

c Num. 24. & 25.

" Hæc & alia teſtimonia divina, quæ commemorare longum eſt, oſten- « dunt Deum gratiâ ſuâ auferre infide- « libus cor lapideum, & prævenire in « hominibus bonarum merita volunta- « tum; ità ut voluntas per antecedentem « gratiam præparetur, non ut gratia me- « rito voluntatis antecedente donetur. « Hoc & gratiarum actio indicat quod « oratio; oratio pro infidelibus, gra- «

a Num. 28. col. 808.
» tiarum actio pro fidelibus. [a] *Ibidem.*

" Oportet ſine dubitatione fatearis, » voluntates hominum Dei gratiâ præ- » veniri, & ut bonum velint homines, » quod nolebant, Deum facere, qui ro- » gatur ut faciat, & cui nos novimus » agere gratias dignum & juſtum eſſe » cum fecerit. b *Ibidem.*

b Num. 30. col. 809.

" Cum ergò fides impetrat juſtifica- » tionem, ſicut unicuique Deus parti- » tus eſt etiam ipſius menſuram fidei, » non gratiam Dei aliquid meriti præ- » cedit humani, ſed ipſa gratia meretur » augeri, ut aucta mereatur perfici, co- » mitante non ducente, pediſſequâ non » præviâ voluntate. [c] *Epiſt. 106.*

c Nunc 186. N. 10. col. 667.

" Sed ſi vocatio iſta ità eſt effectrix » bonæ voluntatis, ut omnis eam voca- » tus ſequatur &c. d *L. 1. ad Simpl. q. 2.*

d Num. 13. col. 95. t. 6.

" Si autem ſic intelligerent, quod » dictum eſt, ſi *volueritis;* ut etiam bo- » nam voluntatem ipſam illum præpa- » rare confiterentur, de quo ſcriptum » eſt: [e] *præparatur voluntas à Domino;* » tanquam Catholici uterentur hoc teſ- » timonio, & non ſolùm hæreſim vete- » rem Manichæorum vincerent, ſed no- » vam Pelagianorum contererent * &c. » Sed intelligerent & confiterentur etiam » ipſum bonum propoſitum, quod con- » ſequens adjuvat gratia, non eſſe po- » tuiſſe in homine, ſi non præcederet » gratia. Quomodò enim eſt hominis » bonum propoſitum ſine miſerante priùs » Domino; cùm ipſa ſit bona voluntas » quæ præparatur à Deo? [f] *L. 4. ad Bo-* » *nif. cap. 6.*

e Prover. 8.

* Nunc non conderent.

f Num. 12. & 13. col. 475.

" Reluctanti enim priùs aditus * di- » vinæ vocationis ipſâ Dei gratiâ pro- » curatur, ac deindè in illo jam non re- » luctante Spiritus * virtutis accenditur. » Verumtamen in omnibus quæ quiſque » agit ſecundùm Deum, miſericordia » ejus prævenit eum. *Ibidem.*

* Nunc auditus.

* Nunc Studium virtutis.

" Poſtremò nec propoſitum bonum, » nec ſtudium virtutis, nec mentes bo- » nas ſine gratiâ Dei incipere & eſſe in » hominibus confitetur, (Cyprianus) » cum dicit: *In nullo gloriandum, quan-* » *dò noſtrum nihil ſit.* g *Eodem lib. cap. 9.* » *Similiter docuit lib. 2. ad Bonif. cap. 8.* » *9. & 10.*

g Num. 26. col. 484. t. 10.

" Prævenit ergò & fidem gratia; alio- quìn ſi fides eam prævenit, procul dubio « prævenit & voluntas; quoniam fides « ſine voluntate non poteſt eſſe. Si autem « gratia prævenit fidem quoniam præve- « nit voluntatem; profectò prævenit om- « nem obedientiam, prævenit etiam cha- « ritatem, quâ unâ Deo veraciter & ſua- « viter obeditur; & hæc omnia gratia in « eo cui datur, & cujus hæc omnia præ- « venit, operatur. a *L. de dono perſev. cap. 16.* «

a Num. 41. col. 844. t. 10.

" Quid aliud dicit? b *Sicut ros Her-* *mon qui deſcendit ſuper montem Syon.* « Hoc voluit intelligi, Fratres mei, gra- « tiam Dei eſſe, quod Fratres habitant « in unum; non ex ſuis viribus, non ex « ſuis meritis: ſed ex illius dono, ſed « ex illius gratiâ, ſicut ros de Cælo. « Non enim terra ſibi pluit, aut non « quidquid genuerit areſcit, niſi pluvia « de Cælo deſcendat. Dicit quodam in « loco in Pſalmo: c *Pluviam voluntariam* « *ſegregans Deus hæreditati tuæ.* Quare « dixit voluntariam? Quia non meritis « noſtris, ſed ejus voluntate. Quid enim « boni meruimus peccatores? Quid boni « meruimus iniqui? ..... Quiſquis naſci- « tur, Adam naſcitur, damnatus de « damnato, & addidit malè vivendo « ſuper Adam. Quid ergò boni meruit « Adam? Et tamen miſericors amavit, « & ſponſus dilexit, non pulchram, ſed « ut faceret pulchram. Ergò gratiam « Dei dixit rorem Hermon &c. Ergo « lumen exaltatum, Chriſtus. Indè eſt « ros Hermon. Sed quicunque vultis « habitare in unum, optate rorem iſtum, « compluimini indè. Alioquin non po- « teritis tenere quod profitemini, nec « profiteri audere poteritis, niſi ille in- « tonuerit; nec permanere poteritis, « niſi ejus ſagina non deſit vobis; ipſa « enim ſagina deſcendit ſuper montem « Syon. d *In Pſal. 132.* «

b Pſal. 132. 3.

c Pſal. 67. 10.

d Num. 10. & 11. col. 1489 & 1490 tom. 4.

X.

Effectus hujus gratiæ efficacis ſecundùm S. Auguſtinum eſt certus & infallibilis.

S. AUGUSTINUS.

NOn ſolùm enim dixit: e *Sine* « *me nihil poteſtis facere,* verùm « etiam

e Joan. 15. 5. & 16.

Digitized by Google

» etiam dixit : *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.* Quibus verbis, eis non ſolùm juſtitiam, verùm etiam in illâ perſeverantiam ſe dediſſe monſtravit. Chriſto enim ſic eos ponente, ut eant, & fructum aferant, & fructus eorum maneat, quis audeat dicere, forſitan non manebit? [a] *Sine pœnitentiâ enim ſunt dona & vocatio Dei ;* Sed vocatio eorum, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt. Pro eis ergò interpellante Chriſto ne deficiat fides eorum, ſine dubio non deficiet uſque in finem : ac per hoc perſeverabit uſque in finem : Neque eam niſi manentem vitæ hujus finis inveniet. [b] *De corrept. & grat. cap. 12.*

a Rom. 11. 29.

b Num. 34. col. 769. t. 10.

" Tantùm quippè Spiritu ſancto accenditur voluntas eorum, ut ideò poſſint, quia ſic volunt ; ideò ſic velint, quia Deus operatur ut velint. Nam ſi in tantâ infirmitate vitæ hujus, (in quâ tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat) ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei, ſine quo perſeverare non poſſent, manerent, ſi vellent, nec Deus operaretur in eis ut vellent ; inter tot & tantas tentationes, infirmitate ſuâ voluntas ipſa ſuccumberet, & ideò perſeverare non poſſent, quia deficientes infirmitate nec vellent ; aut non ità vellent infirmitate voluntatis, ut poſſent. Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur ; & ideò, quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliquâ vinceretur. [c] *Ibidem.*

c Num. 38. col. 771.

" Infirmis ſervavit (Deus) ut ipſo donante, invictiſſimè quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere invictiſſimè nollent. [d] *Ibidem.*

d Ibidem

" Quandò Deus docet, non per legis litteram, ſed per Spiritûs Sancti gratiam ; ità docet, ut quod quiſque didicerit, non tantùm cognoſcendo videat, ſed etiam volendo appetat, agendóque perficiat. Et iſto divino docendi modo, etiam ipſa voluntas, & ipſa operatio, non ſolùm volendi & operandi naturalis poſſibilitas adjuvatur. Si enim ſolum poſſe noſtrum hâc gratiâ juvaretur, ita diceret Dominus ; omnis qui audivit à Patre, & didicit, poteſt venire ad me. Non autem ità dixit, ſed : *Omnis*, inquit, *qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* Venire poſſe, in naturâ poſuit Pelagius, vel etiam ut modò dicere cœpit, in gratiâ, qualem-libet illam ſentiat, quâ ipſa, ut dicit, poſſibilitas adjuvatur ; venire autem jam in voluntate & opere eſt. Non eſt autem conſequens, ut qui poteſt venire, etiam veniat, niſi id voluerit atque fecerit : Sed omnis qui didicit à Patre, non ſolùm poteſt venire ; ſed etiam venit. Ubi jam & poſſibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus eſt. [a] *De grat. Chriſti cap. 14.* «

a Num. 15. col. 237. t. 10

" [b] *Ego dixi in abundantiâ meâ, non movebor in æternum :* Putaverat enim ſuum fuiſſe bonum, quod ei ſic abundabat, ut non moveretur ; ſed ut oſtenderetur illi, cujus eſſet illud bonum de quo tanquàm ſuo cœperat gloriari, paululùm gratiâ Dei deſerente admonitus dicit ; *Domine, in voluntate tuâ præſtitiſti decori meo virtutem ; avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.* Ideò neceſſarium eſt homini, ut gratiâ Dei, non ſolùm juſtificetur impius, id eſt, ex impio fiat juſtus, cum redduntur ei bona pro malis ; ſed etiam cum fuerit jam juſtificatus ex fide, ambulet cum illo gratia, & incumbat ſuper ipſam, ne cadat. Propter hoc ſcriptum eſt in Canticis Canticorum de ipſâ Eccleſiâ : [c] *Quæ eſt iſta quæ aſcendit dealbata, incumbens ſuper fratruelem ſuum ?* Dealbata eſt enim, quæ per ſeipſam alba eſſe non poteſt. Et à quo dealbata eſt ? niſi ab illo qui per Prophetam dicit : &c. Quandò ergò dealbata eſt, nihil boni merebatur : jam verò alba facta, benè ambulat ; ſed ſi ſuper eum à quo dealbata eſt, perſeveranter incumbat. &c. [d] *De grat. & lib. arb. cap. 6.* «

b Pſal. 29. 7. & 8.

c Cantic. 8. 5.

d Num. 13. col. 725. t. 10.

" Quomodò enim poteſt amitti, per quod fit ut non amittatur etiam quod

poſſet

a Num. 10. col. 827. » poſſet amitti, &c ? a *De dono perſev. c. 6.*
" Imperavit autem Deus, ut ei San-
b Matth. 6. 13. » cti ejus dicant orantes : b *Ne inferas*
» *nos in tentationem*. Quiſquis igitur ex-
» auditur hoc poſcens, non infertur in
» contumaciæ tentationem, quâ poſſit,
» vel dignus ſit perſeverantiam ſanctita-
» tis amittere. At enim voluntate ſuâ
» quiſque deſerit Deum, ut meritò de-
» ſeratur à Deo. Quis hoc negaverit ?
» Sed ideò petimus, ne inferamur in ten-
» tationem, ut hoc non fiat. Et ſi ex-
» audimur, utique non fit, quia Deus
c Ibidem » non permittit ut fiat. c *Ibidem.*

" Ut enim non dicam, quàm ſit
» poſſibile Deo, averſas & adverſas in
» fidem ſuam hominum convertere vo-
» luntates, & in eorum cordibus ope-
» rari, ut nullis adverſitatibus cedant,
» nec ab ipſo aliquâ ſuperati tentatione
d Num. 22. col. 831. t. 10. » diſcedant &c. d *De dono perſev. cap. 9.*

XI.

Hæc gratia efficax ſecundùm S. Auguſtinum non inducit fatum; nec efficit propterea Deum acceptorem perſonarum; nec tollit prædicationem & correptionem: ſed cum libertate humanæ voluntatis optimè conſiſtit.

S. AUGUSTINUS.

» Nunquid homines Dei, qui hæc
» ſcripſerunt, immò ipſe Spiritus
» Dei, quo authore per eos ea conſcrip-
» ta ſunt, oppugnavit liberum hominis
» arbitrium ? Abſit. Sed omnipotentis
» in omnibus & judicium juſtiſſimum,
» & auxilium Dei miſericordiſſimum
e Num. 38. col. 428. t. 10. » commendavit. e *L. 1. ad Bonif. cap. 20.*
" Nec ſub nomine gratiæ fatum aſ-
» ſerimus, quia nullis hominum meri-
f Num. 9. col. 436. » tis gratiam dicimus antecedi &c. f *L.*
» *2. ad Bonif. cap. 5.*
" Nunquid ſub nomine gratiæ fatum
» aſſerit (Cyprianus,) quamvis dicat : *in*
» *nullo gloriandum, quandò noſtrum nihil*
g Num. 26. col. 484. » *ſit?* &c. g *L. 4. ad Bonif. cap. 9.*
" Nunquid quoniàm hæc dicit vir
» tantus Ambroſius, & gratiam Dei, ſicut
» filio promiſſionis congruit, gratâ pietate
h Num. 30. col. 489. » commendat, ideò deſtruit liberum ar-
» bitrium ? &c. h *In eodem Libro cap. 11.*

" Atque ut oſtenderet liberum ar-
bitrium, mox addidit : a *Et gratia ejus* « a 1. Cor. 15. 10.
in me vacua non fuit, ſed plùs omnibus «
illis laboravi. Hoc enim liberum arbi- «
trium hominis exhortatur & in aliis, «
quibus dicit : b *rogamus ne in vacuum* « b 2. Cor. 6. 1.
gratiam Dei ſuſcipiatis. Ut quid enim «
eos rogat, ſi gratiam ſic ſuſceperunt, «
ut propriam perderent voluntatem ? «
c *L. de grat. & lib. arb. cap. 5.* « c Num. 12. col. 724. t. 10.
" Semper eſt autem in nobis volun-
tas libera, ſed non ſemper eſt bona : «
aut enim à juſtitiâ libera eſt, quandò «
ſervit peccato, & tunc eſt mala; aut «
à peccato libera eſt, quandò ſervit «
juſtitiæ, & tunc eſt bona. Gratia verò «
Dei ſemper eſt bona, & per hanc fit «
ut ſit homo bonæ voluntatis, qui priùs «
fuit voluntatis malæ. d *Ibid. cap. 15.* « d Num. 31. col. 734.
" Satis me diſputaſſe arbitror ad-
versùs eos, qui gratiam Dei vehemen- «
ter oppugnant, quâ voluntas humana «
non tollitur, ſed ex malâ mutatur in «
bonam, & cum bona fuerit adjuvatur, «
&c. e *Ibid. cap. 20.* « e Num. 41. col. 739.
" Quis autem non videat, & venire
quemquam, & non venire arbitrio vo- «
luntatis ? Sed hoc arbitrium poteſt eſſe «
ſolum, ſi non venit; non autem poteſt «
niſi adjutum eſſe, ſi venit : & ſic adju- «
tum, ut non ſolùm quid faciendum ſit, «
ſciat, ſed quod ſcierit, etiam faciat. « f Num. 15. col. 237.
f *L. de grat. Chriſti cap. 14.* «
" Et g *Spiritus Dominus induit Ama-* g 1. Par. 12. 18.
ſaï Principem inter triginta; & dixit : «
Tui ſumus, David, & tecum futuri, «
Fili Jeſſe..... Nunquid iſte poſſet ad- «
verſari voluntati Dei, & non potiùs «
ejus facere voluntatem, qui in ejus «
corde operatus eſt per Spiritum ſuum, «
quo indutus eſt, ut hoc vellet, dice- «
ret, & faceret ? Itèm paulò poſt ait «
eadem Scriptura : h *Omnes hi viri bel-* « h Ibid. 38.
latores dirigentes aciem, corde pacifico «
venerunt in Hebron, ut conſtituerent David «
ſuper omnem Iſraël. Suâ voluntate uti- «
que iſti conſtituerunt Regem David. «
Quis non videat ? Quis hoc neget ? «
Non enim hoc non ex animo, aut «
non ex bonâ voluntate fecerunt corde «
pacifico; & tamen hoc in eis egit, qui «
in cordibus hominum quod voluerit, «
operatur

Digitized by Google

operatur &c. [a] *De correp. & gr. cap. 14.*

[a] Num. 45. col. 775. tom. 10.

" Quandò rogavit ergò, ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, niſi ut haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, invictiſſimam, perſeverantiſſimam voluntatem? Ecce quemadmodùm ſecundùm gratiam Dei, non contrà eam, libertas defenditur voluntatis. Voluntas quippe humana non libertate conſequitur gratiam, ſed gratiâ potiùs libertatem; & ut perſeveret, delectabilem perpetuitatem, & inſuperabilem fortitudinem. [b] *De correpṫ. & grat. cap. 8.*

[b] Num. 27. col. 759.

" Neque velle poſſumus, niſi vocemur: & cùm poſt vocationem voluerimus, non ſufficit voluntas noſtra, & curſus noſter, niſi Deus & vires currentibus præbeat; & perducat quò vocat. [c] *De Prædeſt. Sanct. cap. 3.*

[c] Num. 7. col. 793. tom. 10.

" Quod enim putant ſibi auferri liberum arbitrium, ſi nec ipſam bonam voluntatem ſine adjutorio Dei hominem habere conſenſerint: non intelligunt, non ſe firmare humanum arbitrium, ſed impellere ut per inania feratur, non in Domino tanquam in ſtabili petrâ collocetur. [d] *Epiſt. 105.*

[d] Nunc 194. n. 3. col. 716. tom. 2.

" Sic & Dei gratia non negatur, ſed ſine ullis humanis præcedentibus meritis vera monſtratur; & liberum ità defenditur, ut humilitate ſolidetur, non elatione præcipitetur arbitrium: & qui gloriatur; non in homine, vel quolibet alio, vel ſeipſo, ſed in Domino glorietur. [e] *Epiſt. 107.*

[e] Nunc 217. n. 8. col. 802. tom. 2.

" Proindè arbitrium voluntatis humanæ nequaquàm deſtruimus, quandò Dei gratiam, quâ ipſum adjuvatur arbitrium, non ſuperbiâ negamus ingratâ, ſed gratâ potiùs pietate prædicamus. Noſtrum enim eſt velle; ſed voluntas ipſa etiàm admonetur ut ſurgat, & ſanatur ut valeat, & dilatatur ut capiat, & impletur ut habeat. &c. [f] *De bono Viduitatis cap. 17.*

[f] Num. 21. col. 380. t. 6.

" Nec ideò (Beati) liberum arbitrium non habebunt, quià peccata eos delectare non poterunt: Magis quippè erit liberum, à delectatione peccandi, uſque ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum. Nam primum liberum arbitrium, quod homini datum eſt quandò primùm creatus eſt rectus, potuit non peccare, ſed potuit & peccare: hoc autèm noviſſimum eò potentius erit, quò peccare non poterit. Verùm hoc quoque Dei munere, non ſuæ poſſibilitate naturæ; &c. Servandi autem erunt gradus divini muneris, ut primum liberum daretur arbitrium, quo non peccare poſſet homo; noviſſimum quo peccare non poſſet: atque illud ad comparandum meritum, hoc ad recipiendum præmium pertineret. Sed quià peccavit iſta natura, cùm peccare potuit, largiore gratiâ liberatur, ut ad eam perducatur libertatem, in quâ peccare non poſſit. [a] *L. 22. de civitate Dei cap. 30.*

[a] Num. 5. col. 700. t. 7.

XII.

Hæc gratia efficax cur uni detur, & non alteri, occultioris judicii Dei eſt.

S. AUGUSTINUS.

Quare autem velit illos convertere, illos pro averſione punire; quamquàm & in beneficio retribuendo, nemo juſtè reprehendat miſericordem, & in vindictâ exercendâ, nemo juſtè apprehendat veracem, ſicut in illis Evangelicis operariis, [b] aliis placitam mercedem reddentem, aliis etiam non placitam largientem, nullus juſtè culpaverit, conſilium tamen occultioris juſtitiæ penès ipſum eſt. [c] *L. 2. de peccat. merit. cap. 18.*

[b] Matth. 20. 9.

[c] Num. 32. col. 56. t. 10.

" Sed cur, inquit, gratia Dei non ſecundùm hominum merita datur? Reſpondeo, quoniam Deus miſericors eſt. Cur ergò, inquit, non omnibus? Et hìc Reſpondeo quoniàm Deus judex juſtus eſt: ac per hoc, & gratìs ab eo datur gratia, & juſto ejus in aliis judicio demonſtratur, quid eis, quibus datur, conferat gratia. &c. [d] *De dono perſev. cap. 8.*

[d] Num. 16. col. 829. t. 10.

" Ex duobus itaque parvulis, originali peccato pariter obſtrictis, cur iſte aſſumatur, ille relinquatur; & ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iſte ità vocetur, ut vocantem ſequatur, ille autem aut non vocetur,

C aut

Digitized by Google

» aut non ità vocetur; inſcrutabilia ſunt judicia Dei. Ex duobus autem piis, cur huic donetur perſeverantia uſque in finem, illi autem non detur; inſcrutabiliora ſunt judicia Dei. a *Ibidem cap. 9.*

[a Num. 21. col. 831.]

" Sed quare illos potiùs quàm illos? Iterùm atque iterùm dicimus, nec nos piget: [b] *O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo?* [c] *Inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus;* & hoc adjiciamus: [d] *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris.* e *L. de dono perſev. cap. 12.*

[b Rom. 9. 20. c Rom. 11. 33. d Eccliсi. 3. 22. e Num. 30. col. 837.]

" Etiàm quomodò illa diſpenſet, faciens alios ſecundùm meritum vaſa iræ, alios ſecundùm gratiam vaſa miſericordiæ; [f] *quis cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit?* &c. g *L. 1. ad Bonif. cap. 20.*

[f Rom. 11. 34. g Num. 38. col. 428. to. 10.]

XIII.

Hæc Dei gratia neceſſaria eſt ad ſingulos actus.

S. AUGUSTINUS.

" Quòd gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, (quod Fides vera & Catholica ſemper tenet Eccleſia) puſillos cum magnis à morte primi hominis ad vitam ſecundi hominis transfert; non ſolùm peccata delendo, verùm etiàm ad non peccandum, juſtèque vivendum, eos qui jàm uti poſſunt voluntatis arbitrio, ſic adjuvando, ut niſi adjuvet, nihil pietatis atque juſtitiæ, ſive in opere, ſive etiam in ipsâ voluntate, habere poſſimus. [h] *Epiſt. 106.*

[h Nunc 186. n. 3. col. 665. t. 2.]

" Præter illa enim, quæ quoquomodò potuit, auſus eſt (Pelagius) qualicunque ratione defendere, objecta quædam ſunt, quæ niſi remotâ omni tergiverſatione anathematizaſſet, ipſe anathematizatus exiſſet. Objectum eſt enim eum dicere, &c. Et gratiam Dei atque adjutorium non ad ſingulos actus dari, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege atque doctrinâ. i *Ibidem.*

[i Num. 32. col. 674.]

" Fateatur gratiam Dei & adjutorium etiam ad ſingulos actus dari; eamque non dari ſecundùm merita noſtra, ut vera ſit gratia, id eſt, gratìs data per ejus miſericordiam, qui dixit: [a] *Miſerebor cui miſertus ero, & miſericordiam præſtabo cui miſericors fuero.* [b] *Ibidem.*

[a Exod. 33. 19. b Num. 33.]

" Scimus gratiam Dei nec parvulis, nec majoribus, ſecundùm merita noſtra dari. Scimus majoribus ad ſingulos actus dari. Scimus non omnibus hominibus dari; & quibus datur, non ſolùm ſecundùm operum merita non dari, ſed nec ſecundùm merita voluntatis eorum, quibus datur; quod maximè apparet in parvulis. Scimus eis quibus datur, miſericordiâ Dei gratuitâ dari. Scimus eis quibus non datur, juſto judicio Dei non dari. [c] *Epiſt. 107.*

[c Nunc 217. n. 16. col. 804. t. 2.]

XIV.

Hæc gratia nullis meritis noſtris redditur, ſed gratuitâ bonitate donatur; nullum enim noſtrum bonum meritum illam antecedit.

S. AUGUSTINUS.

" Quòd autem perſonarum acceptorem Deum ſe credere exiſtimant, ſi credant quod ſine ullis præcedentibus meritis, cujus vult miſeretur, & quos dignatur vocat, & quem vult religioſum facit; parùm attendunt quòd debita reddatur pœna damnato, indebita gratia liberato; ut nec ille ſe indignum queratur, nec dignum ſe iſte glorietur; atque ibi potiùs acceptionem nullam fieri perſonarum, ubi una eadem maſſa damnationis & offenſionis involvit, ut liberatus de non liberato diſcat, quòd etiam ſibi ſupplicium conveniret, niſi gratia ſubveniret. Si autem gratia, utique nullis meritis reddita, ſed gratuitâ bonitate donata. [d] *Epiſt. 105.*

[d Nunc 194. n. 4. col. 716. tom. 2.]

" Nolunt autem ut ſit ipſi (Deo) gloria in juſtificandis impiis gratuitâ gratiâ, qui ejus ignorantes juſtitiam, ſuam volunt conſtituere: vel jam conclamantium religioſorum & piorum vocibus preſſi, ità ſe fatentur ad habendam ſeu faciendam juſtitiam divinitùs adjuvari, ut ſui præcedat aliquid meriti, quaſi priores volentes dare, ut retribuatur eis ab illo, de quo dictum

eſt:

Digitized by Google

» eſt : [a] *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Et ſuo putantes præire merito, illum de quo audiunt, aut potiùs audire nolunt : *Quoniam ex ipſo, & in ipſo, & per ipſum ſunt omnia.* &c. Et ideò percipiendæ hujus gratiæ, merita nulla præcedunt, quoniam meritis impii, non gratia, ſed pœna debetur. Nec iſta eſſet gratia, ſi non daretur gratuita, ſed debita redderetur. [b] *Ibidem.*

” Quærimus autem meritum miſericordiæ, nec invenimus, quia nullum eſt, ne gratia evacuetur, ſi non gratis donatur, ſed meritis redditur. Si enim dixerimus fidem præceſſiſſe, in quâ eſſet meritum gratiæ, quid meriti habebat homo ante fidem, ut reciperet? [c] *Quid enim habet quod non accepit?* &c. Si dixerimus meritum præcedere orationis, ut donum gratiæ conſequatur: impetrando quidem oratio quidquid impetrat, evidenter donum Dei eſſe oſtendit, ne homo exiſtimet à ſeipſo ſibi eſſe; quòd ſi in poteſtate haberetur, non utique poſceretur. Verumtamen ne ſaltèm orationis putarentur præcedere merita, quibus non gratuita daretur gratia, ſed jam nec gratia eſſet, quià debita redderetur, etiàm ipſa oratio inter gratiæ munera reperitur. [d] *Ibidem.*

” Quod eſt ergò meritum hominis ante gratiam, quo percipiat gratiam? cùm omne bonum meritum noſtrum, non in nobis faciat niſi gratia: & cùm Deus coronat merita noſtra, nihil aliud coronet quàm munera ſua. [e] *Ibidem.*

” Calumniaris me dicere, nihil ſtudii exſpectari ab humanâ voluntate debere; contrà illud Evangelii, quo ait Dominus: [f] *Petite & accipietis*; &c. Ibi enim vos, ut video, ponere jam cœpiſtis merita, gratiam præcedentia, quod eſt, petere, quærere, pulſare: ut his meritis debita illa reddatur, ac ſic gratia inaniter nuncupetur; tanquàm gratia nulla præceſſerit, & cor tetigerit, ut beatificum bonum peteretur à Deo, ut quæreretur Deus, ut pulſaretur ad Deum: fruſtràque ſit ſcriptum: [g] *Miſericordia ejus præveniet me.* Fruſtrà etiam nos pro inimicis jubeat orare, ſi non eſt ejus, averſa & adverſa corda convertere. [a] *Contrà Julianum Pelag. L. 4. cap. 8.*

a Rom. 11. 35.
b Num. 6. & 7. col. 717.
c 1. Cor. 4. 7.
d Num. 14. 15. 16. coll. 719. & 720.
e Num. 19.
f Matth. 7. 7.
g Pſal. 58. 11.

” Fortaſſis ergò ipſi eo modo ſaltem ſervant locum gratiæ, ut ſine illâ putent hominem poſſe habere boni, ſed imperfecti cupiditatem; perfecti autem non faciliùs per illam poſſe, ſed niſi per illam omninò non poſſe. Verùm & ſic gratiam Dei dicunt ſecundùm merita noſtra dari; quod in Oriente Pelagius Eccleſiaſticis geſtis damnari timendo damnavit. Si enim ſine Dei gratiâ per nos incipit cupiditas boni; ipſum cœptum erit meritum, cui tanquam ex debito gratiæ Dei veniat adjutorium; ac ſic gratia Dei non gratis donabitur, ſed ſecundùm meritum noſtrum dabitur. &c. [b] *L. 2. ad Bonif. capp. 8. & 10.*

” Et ipſum igitur initium fidei noſtræ, ex quo, niſi ex ipſo eſt? Neque enim hoc excepto, ex ipſo ſunt cætera; ſed [c] *ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Quis autem dicat eum qui jam cœpit credere, ab illo in quem credidit, nihil mereri? Undè fit, ut jam merenti, cætera dicantur addi retributione divinâ; ac per hoc gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari. Quod objectum ſibi Pelagius, ne damnaretur ipſe, damnavit. [d] *De Prædeſt. Sanct. cap. 2.*

XV.

Donum perſeverantiæ eſt ſingulare quoddam Dei donum, non omnibus commune, per quod fit, ut perſeveret in bono quiſque uſque in finem.

S. AUGUSTINUS.

NAtura humana, etiamſi in illâ integritate, in quâ condita eſt, permaneret, nullo modo ſeipſam Creatore ſuo non adjuvante, ſervaret. Cùm igitur ſine Dei gratiâ ſalutem non poſſit cuſtodire, quam accepit; quomodò ſine Dei gratiâ poſſet reparare, quod perdidit? [e] *Epiſt. 106.*

” Cur non permitteret, ut ab illo (Angelo malo) primus Homo, qui rectus, hoc eſt, bonæ voluntatis creatus

a Num. 40. col. 605. 10.
b Num. 18. col. 448.
c Rom. 11. 35.
d Num. 4. col. 791.
e Num. 186. & 37. col. 676.

cus

Digitized by Google

» tus fuerat, tentaretur? quandò quidèm » ſic erat inſtitutus, ut ſi de adjutorio » Dei fideret, bonus homo malum An- » gelum vinceret; ſi autem Creatorem » atque adjutorem Deum, ſuperbè ſibi » placendo, deſereret, vinceretur: Me- » ritum bonum habens in adjutâ divini- » tùs voluntate rectâ, malum verò in de- » ſerente Deum voluntate perversâ: quia » & ipſum confidere de adjutorio Dei, » non quidèm poſſet ſine adjutorio Dei; » nec tamen ideò ab his divinæ gratiæ » beneficiis ſibi placendo recedere non » habebat in poteſtate, &c. Benè vivere » ſine adjutorio Dei, etiam in Paradiſo, » non erat in poteſtate: erat autem in » poteſtate malè vivere, ſed beatitudine » non permanſurâ, & pœnâ juſtiſſimâ » ſecuturâ. [a] *L. 14. de Civit. Dei cap. 27.*

a Col. 377. tom. 7.

" Bina iſta quid inter ſe differant, » diligenter & vigilanter intuendum eſt, » poſſe non peccare, & non poſſe pecca- » re; poſſe non mori, & non poſſe mori; » bonum poſſe non deſerere, & bonum » non poſſe deſerere. Potuit enim non » peccare primus Homo, potuit non » mori, potuit bonum non deſerere. » Nunquid dicturi ſumus, non potuit » peccare, qui tale habebat liberum ar- » bitrium? Aut non potuit mori, cui » dictum eſt: [b] *Si peccaveris morte morie- » ris?* Aut non potuit bonum deſerere, » cùm hoc peccando deſeruerit, & ideò » mortuus ſit? Prima ergo libertas vo- » luntatis erat, poſſe non peccare; no- » viſſima erit multò major, non poſſe » peccare. Prima immortalitas erat, » poſſe non mori; noviſſima erit multò » major, non poſſe mori. Prima erat » perſeverantiæ poteſtas, bonum poſſe » non deſerere; noviſſima erit felicitas » perſeverantiæ, bonum non poſſe deſe- » rere. [c] *De corrept. & grat. cap. 12.*

b Gen. 2. 17.

c Num. 33. col. 768. to. 10.

" Itemque ipſa adjutoria diſtinguen- » da ſunt &c. Primo itaque Homini, qui » in eo bono quo factus fuerat rectus, » acceperat poſſe non peccare, poſſe » non mori, poſſe bonum non deſerere, » datum eſt adjutorium perſeverantiæ, » non quo fieret ut perſeveraret, ſed ſine » quo per liberum arbitrium perſeverare » non poſſet. Nunc verò Sanctis in Re- gnum Dei per gratiam Dei prædeſtina- « tis, non tantùm tale adjutorium per- « ſeverantiæ datur, ſed tale ut eis per- « ſeverantia ipſa donetur; non ſolùm ut « ſine iſto dono perſeverantes eſſe non « poſſint, verùm etiam ut per hoc donum « nonniſi perſeverantes ſint. Non ſolùm « enim dixit: *Sine me nihil poteſtis facere;* « verùm etiam dixit: *Non vos me elegiſtis,* « *ſed ego elegi vos, & poſui vos ut eatis,* « *& fructum afferatis, & fructus veſter* « *maneat.* Quibus verbis eis non ſolùm « juſtitiam, verùm etiam in illâ perſeve- « rantiam ſe dediſſe, monſtravit. Chriſto « enim ſic eos ponente, ut eant, & fruc- « tum afferant, & fructus eorum maneat, « quis audeat dicere, forſitan non ma- « nebit? *Sine pœnitentiâ enim ſunt dona* « *& vocatio Dei;* ſed vocatio eorum qui « ſecundùm propoſitum vocati ſunt. [a] *De* « *corrept. & grat. cap. 12.* «

a Num. 34. col. 769.

" Ac per hoc nec de ipsâ perſeve- rantiâ boni, voluit Deus Sanctos ſuos « in viribus ſuis, ſed in ipſo gloriari; qui « eis non ſolùm dat adjutorium, quale « primo homini dedit, ſine quo non poſ- « ſint perſeverare ſi velint, ſed in eis etiam « operatur & velle. Ut quoniam non per- « ſeverabunt, niſi poſſint & velint, perſe- « verandi eis poſſibilitas & voluntas di- « vinæ gratiæ largitate donetur. Tantùm « quippè Spiritu ſancto accenditur vo- « luntas eorum, ut ideò poſſint, quià ſic « volunt; ideò ſic velint, quià Deus ope- « ratur ut velint. Nam ſi in tantâ infir- « mitate vitæ hujus, (in quâ tamen in- « firmitate, propter elationem reprimen- « dam, perfici virtutem oportebat,) ip- « ſis relinqueretur voluntas ſua, ut in ad- » jutorio Dei, ſine quo perſeverare non « poſſent, manerent ſi vellent, nec Deus « in eis operaretur ut vellent: inter tot & « tantas tentationes infirmitate ſuâ vo- « luntas ipſa ſuccumberet, & ideò per- « ſeverare non poſſent, quia deficientes « infirmitate, nec vellent, aut non ità vel- « lent infirmitate voluntatis, ut poſſent. « Subventum eſt igitur infirmitati volun- « tatis humanæ, ut divinâ gratiâ inde- « clinabiliter & inſuperabiliter ageretur; « & ideò quamvis infirma, non tamen « deficeret, neque adverſitate aliquâ vin- « ceretur

Digitized by Google

» ceretur &c. Fortiſſimo quippè dimiſit
» atque permiſit facere quod vellet; in-
» firmis ſervavit, ut ipſo donante invic-
» tiſſimè quod bonum eſt vellent, & hoc
a Num. 38. col. 771. » deſerere invictiſſimè nollent. [a] *Ibidem.*
" Jam verò cum dicunt Sancti :
b Matth. 6. 13. » [b] *Et ne nos inferas in tentationem, ſed*
» *libera nos à malo, Amen*: quid aliud,
» quàm ut in ſanctitate perſeverent, pre-
» cantur? Nam profectò conceſſo ſibi
» iſto Dei dono...... ne inferantur in
» tentationem, nemo Sanctorum eſt qui
» non teneat uſque in finem perſeveran-
» tiam ſanctitatis : neque enim quiſquam
» in propoſito Chriſtianitatis perſevera-
» re deſiſtit, niſi in tentationem primitùs
» inferatur. Si ergò concedatur ei quod
» orat, ut non inferatur in tentationem;
» in ſanctificatione utique, quam Deo
» donante percepit, Deo donante per-
c Num. 9 col. 826. tom. 10. » ſiſtit. [c] *De dono perſev. cap. 5.*
" Perſeverantiam uſque in finem
» quoniam non habet quiſquam, niſi qui
» perſeveraverit uſque in finem; multi
» eam poſſunt habere, nullus amittere.
d Ibidem num. 10. » [d] *Ibidem cap. 6.*
"Quomodò enim poteſt amitti, per
» quod fit ut non amittatur etiam quod
e Ibidem » poſſet amitti? [e] *Ibidem.*
" Potens ergò eſt, & à malo in bo-
» num flectere voluntates, & in lapſum
» pronas convertere, ac dirigere in ſibi
f Num. 12. col. 827. » placitum greſſum &c. [f] *Ibidem.*
" Poſt caſum autem hominis non-
» niſi ad gratiam ſuam Deus voluit per-
» tinere, ut homo accedat ad eum, ne-
» que niſi ad gratiam ſuam voluit per-
» tinere, ut homo non recedat ab eo.
» Hanc gratiam poſuit in illo, in quo
g Ephes. 1. 11. » [g] *ſortem conſecuti ſumus, prædeſtinati*
» *ſecundùm propoſitum ejus qui univerſa*
» *operatur*: ac per hoc ſicut operatur ut
» accedamus, ſic operatur ne diſceda-
» mus. Propter quod ei per Prophetam
h Pſal. 79. 18. » dictum eſt: [h] *Fiat manus tua ſuper virum*
» *dexteræ tuæ, & ſuper Filium hominis*
» *quem confirmaſti tibi, & non diſcedemus*
i Num. 13. & 14 col. 828. » *à te.* [i] *De dono perſev. cap. 7.*
" Cum ergò ſit ſuper eum manus
» Dei, ut non diſcedamus à Deo, ad nos
» utique pervenit opus Dei, (hoc eſt
» enim manus Dei:) quo opere Dei fit
ut ſimus in Chriſto permanentes cum «
Deo; non ſicut in Adam, diſcedentes «
à Deo. [a] *Ibidem.* « a Ibidem
" Prorſùs in hâc re non operoſas diſ-
putationes exſpectet Eccleſia; ſed at- «
tendat quotidianas orationes ſuas. «
Orat ut increduli credant; Deus ergò «
convertit eos ad fidem. Orat, ut cre- «
dentes perſeverent; Deus ergò donat «
perſeverantiam uſque in finem. [b] *Ibid.* « b Ibid. num. 15.
" Ex duobus autem piis, cur huic
donetur perſeverantia uſque in finem, «
illi autem non; inſcrutabiliora ſunt «
judicia Dei. Illud tamen fidelibus de- «
bet eſſe certiſſimum, hunc eſſe ex præ- «
deſtinatis, illum non eſſe. Nam [c] *ſi* « c 1 Joan. 2. 19.
fuiſſent ex nobis, ait unus prædeſtina- «
torum, qui de pectore Domini biberat «
hoc ſecretum, *manſiſſent utique nobiſ-* «
cum. [d] *De dono perſev. cap. 9.* « d Num. 21. col. 831.
" Ut enim non dicam quàm ſit poſ-
ſibile Deo averſas & adverſas in fidem «
ſuam hominum convertere voluntates, «
& in eorum cordibus operari, ut nul- «
lis adverſitatibus cedant, nec ab ipſo, «
aliquâ ſuperati tentatione, diſcedant. «
[e] *Ibidem & cap. 11.* « e Ibid. num. 22.
" An quiſquam dicere audebit,
Deum non præſciſſe quibus eſſet da- «
turus ut crederent? Aut quos daturus «
eſſet Filio ſuo, [f] ut ex eis non perderet « f Joan. 18. 9.
quemquam? Quæ utique ſi præſcivit, «
profectò beneficia ſua, quibus nos di- «
gnatur liberare, præſcivit. Hæc præ- «
deſtinatio Sanctorum nihil aliud eſt «
quàm præſcientia ſcilicet & præpara- «
tio beneficiorum Dei, quibus certiſſi- «
mè liberantur, quicunque liberantur. «
Cæteri autem ubi niſi in maſsâ perdi- «
tionis juſto divino judicio relinquun- «
tur? Ubi Tyrii relicti ſunt & Sydonii, «
qui etiam credere potuerunt, ſi mira «
illa Chriſti ſigna vidiſſent. Sed quo- «
niam ut crederent, non erat eis datum, «
etiam undè crederent eſt negatum. «
Ex quo apparet habere quoſdam in ipſo «
ingenio divinum naturaliter munus in- «
telligentiæ, quo moveantur ad fidem «
ſi congrua ſuis mentibus, vel audiant «
verba, vel ſigna conſpiciant: & tamen, «
ſi Dei altiore judicio, à perditionis maſ- «
sâ non ſunt gratiæ prædeſtinatione diſ- «

 creti,

Digitized by Google

creti, nec ipſa eis adhibentur vel dicta divina, vel facta, per quæ poſſent credere, ſi audirent utique talia, vel viderent. In eâdem perditionis maſsâ relicti ſunt etiam Judæi, qui non potuerunt credere factis in conſpectu ſuo, tam magnis clariſque virtutibus &c. Sed nec illis profuit quòd poterant credere, quia prædeſtinati non erant ab eo cujus a *inſcrutabilia ſunt judicia, & inveſtigabiles viæ*: Nec iſtis obfuiſſet quòd non poterant credere, ſi ità prædeſtinati eſſent, ut eos cæcos Deus illuminaret, & induratis cor lapideum vellet auferre, &c. Audiunt enim hæc, & faciunt, quibus datum eſt; non autem faciunt, ſive audiant, ſive non audiant, quibus non datum eſt. b *L. de dono perſeverantiæ cap. 14.*

a Rom. 11. 33.

b Num. 35. col. 839.

" c *A Domino greſſus ejus diriguntur, & viam ejus volet.* Non dixit, & viam ejus diſcet, aut tenebit, aut ambulabit, aut aliquid ejuſmodi, quòd poſſet dicere à Domino quidem dari; ſed homini jam volenti; ut ſcilicet beneficium Dei quo greſſus hominis dirigit, ut viam ejus diſcat, teneat, gradiatur, ſuâ homo voluntate præcedat, & hoc Dei donum præcedente ſuâ voluntate mereatur. Sed ideò dixit: *à Domino greſſus hominis diriguntur, & viam ejus volet;* ut intelligeremus ipſam voluntatem bonam, quâ incipimus velle credere, (quoniam Dei via quid eſt, niſi fides recta?) illius eſſe donum, qui greſſus noſtros propterea dirigit primitùs ut velimus. Non enim ait Scriptura: *à Domino greſſus hominis diriguntur*, quià viam ejus voluit; ſed *diriguntur*, inquit, *& volet.* Non igitur quià voluit, diriguntur; ſed quià diriguntur, volet. Hìc tu rurſùs fortaſsè dicturus es, hoc fieri à Domino, dùm doctrina ejus legitur, vel auditur, ſi homo veritati, quam legit vel audit, ſuâ conſentiat voluntate &c. Cui ſi conſentit, inquis, (quod in ejus libero arbitrio conſtitutum eſt) rectè utique dicuntur dirigi greſſus ejus, ut viam ejus velit, cujus doctrinam, ſuaſione præcedente, ſubſequente conſentione ſectatur; quod libertate naturali, ſi vult, facit, pro eo quod fecerit, præmium vel ſupplicium recepturus. Hæc eſt illa Pelagianorum mala, malè diffamata, meritòque reprobata, & ab ipſo etiam Pelagio timente damnari, in Orientalium Epiſcoporum judicio damnata ſententia, quâ dicunt gratiam Dei non ad ſingulos actus dari, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege atque doctrinâ. a *Epiſt. 107.*

c Pſal. 36. 23.

" Sed neque ab illo quòd originaliter contrahitur, neque ab his quæ unuſquiſque in vitâ propriâ, * vel intelligendo, vel nolendo intelligere, mala congregat, &c. quiſquam liberatur & juſtificatur, niſi gratiâ Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, non ſolùm remiſſione peccatorum, ſed priùs ipſius inſpiratione fidei, & timoris Dei, impartito ſalubriter orationis affectu & effectu, donec ſanet omnes languores noſtros, & redimat de corruptione vitam noſtram, & b *coronet nos in miſeratione & miſericordiâ.* Verùm ipſi qui perſonarum acceptorem fieri exiſtimant Deum, ſi in unâ eâdemque causâ, ſuper alios veniat miſericordia ejus, ſuper alios verò maneat ira ejus, nempè totas vires argumentationis humanæ in parvulis perdunt &c. quid hìc dicturi ſunt, qui ut gratia dari poſſit, nonnulla præcedere humana merita contendunt, ne ſit perſonarum acceptor Deus? &c. Sinant Filium hominis in quâlibet ætate quærere, & c *ſalvum facere quod perierat*: Nec de inſcrutabilibus judiciis ejus audeant judicare, cur in unâ eâdemque causâ ſuper alium veniat miſericordia ejus, ſuper alium maneat ira ejus. d *Epiſt. 105.*

a Nunc 217. n. 3. & 4. col. 800. 10. 2.

* Nunc vel non intelligendo.

b Pſal. 102. 5.

c Luc. 19. 10.

d Nunc 194. mem. 30. 31. 32. & 33. coll. 724. & 725. 1185

Subſcriptum.

An iſta ſit Doctrina ſancti Auguſtini in materiâ Gratiæ?

CLEMENS PAPA VIII.

Pro proximâ Congregatione.

SEPTIMUM

Scriptum hoc per manus Secretariorum traditum eſt à Pontifice ſummo omnibus Cenſoribus diſputandum ante aliud de propoſitionibus S. Auguſtini priùs traditum 3. Julii. Hoc autem datū fuit die S. Jacobi 25. Julii 1603.

Vide Hiſt. Congreg. de Auxil. col. 397. 491. & ſequentibus.

SEPTIMUM SCRIPTUM
à Sanctiſſimo exhibitum.

QUid intelligit Molina, dum dicit, quòd in actibus elicitis ex ſolâ facultate naturali, reſpicientibus fidem, ſpem, & charitatem in Deum, Deus inſerit ſe, & elevat, & facit ſupernaturales? An ſcilicet intelligat, quod Deus elevet illoſmet actus, ex ſolâ naturali facultate factos, & faciat ſupernaturales? An verò quòd poſt habitis illis actibus ex facultate naturali factis, elevet potentiam ipſam, ut alios actus faciat, nedùm naturales, ſed etiam ſupernaturales?

Et an in hoc ſecundo ſenſu, ſtante doctrinâ Molinæ, hanc elevationem Deus faciat intuitu & contemplatione actuum ex ſolâ naturali facultate elicitorum?

Et an, & quid ampliùs tribuat Deus actibus factis & elicitis ex ſolâ facultate naturali, quandò ſe inſerit, quià jam facti ſunt à credente in Deum, à ſperante in Deum, ab amante Deum ſuper omnia?

Et ſi Deus elevat potentiam, ut actus ſupernaturales novos faciat, cùm jam potentiâ & facultate naturali poſſit credere, ſperare, amare, dolere de peccatis, cum propoſito & deliberatione ampliùs non peccandi, & potiùs ſubire mortem quàm offendere Deum, & in ſummâ conteri & atteri propter Deum? An verò per iſtam inſertionem aliquid ampliùs aſſequatur potentia, quàm ut faciliùs hæc omnia facere poſſit?

Quid ſit ſupernaturalitas, quam ſecundùm Molinam aſſequitur potentia, vel aſſequuntur actus, ex potentiâ naturali facti boni, tùm ratione objecti, tùm officii, nullâ malâ circumſtantiâ veſtiti, ſed omnibus bonis circumſtantiis, & in ſummâ facti à credente in Deum, à ſperante in Deum, ab amante Deum, à dolente illum offendiſſe, cum deliberatione eum ampliùs non offendendi, quandò Deus ſe illis inſerit, & eos elevat?

Subſcriptum.

CLEMENS PAPA VIII.

Pro ſecundâ Congregatione.

Datum fuit 30. Novembris 1603. & præceptū ut diſputaretur ante illas propoſitiones de efficaciâ gratiæ ex S. Auguſt. ſelectas.

V. Hiſt. de Auxiliis col. 398. 497. & ſeq. uſque ad 512.

OCTAVUM SCRIPTUM
cum dubiis à Sanctiſſimo datum.

AN ſit de expreſſâ ſancti Auguſtini ſententiâ, aut ſaltem de ejus mente, vel potiùs contrà ipſius doctrinam, quòd interna Dei vocatio ad fidem, licet donum Dei ſit, multùm tamen pendeat à libero arbitrio ejus, qui vocatur? Item, quòd interna excitatio fidelis ad pœnitentiam, quàm maximè pendeat à Miniſtris Eccleſiæ, atque libero arbitrio?

Item, quòd dum ſumus in viâ, ſemper in manu liberi arbitrii noſtri poſita ſit noſtra ſalus; perque nos ipſos ſtet, quòd ad Deum non convertamur?

Item, quòd Deus leges ordinarias donorum ſuorum adultis diſtribuendorum, magnâ ex parte uſui liberi arbitrii accommodavit?

Item, an Deus effectualiter exigat ab homine, ut priùs faciat quod in ſe eſt, antequàm fidem donet? Quamvis enim Deus fidem non conferat propter illa quæ antecedunt, nihilominùs illam concedere non ſoleat, niſi illa antecedant: ut dicit Molina.

Pro primâ Congregatione, in quâ ambæ partes de iſtis omnibus diſputent; quià diſputatum ſuper omnibus iſtis, volumus unicâ Congregatione concludere.

Subſcriptum.

CLEMENS PAPA VIII.

NONUM

Hoc Scriptum miſit Sãctiſſimus per Secretarios Congregationis 29. Decembris 1603.

V. Hiſt. de Auxil. col. 398. 512. & ſeq. 515. & ſeq.

NONUM SCRIPTUM à Sanctiſſimo tranſmiſſum.

PRæſuppoſito quòd actus eliciti à libero arbitrio, ex facultate naturali, credendi in Deum, ſperandi in Deum, diligendi Deum ſuper omnia, pœnitend depeccatis, cum propoſito & deliberatione ampliùs non peccandi, ſuperandi nedùm minores, ſed graves tentationes, vel ſaltem cohibendi conſenſum ne gravibus tentationibus ſuccumbat; & quòd omnes illi actus ſint eliciti, nedùm ſemotâ omni malâ circumſtantiâ, ſed veſtiti omni bonâ circumſtantiâ, tàm ratione objecti quàm officii; & quòd ſint eliciti intuitu & contemplatione omnipotentiæ Dei punientis ſcelera, & præmiantis virtutes; & quòd iſti actus ſint nedùm naturales, ſed etiam quòad ſubſtantiam ipſorum actuum, ſecundùm Molinam, ſint ſupernaturales: an ſint prout ad ſalutem oportet, ſuppoſitâ lege, quòd facienti quod in ſe eſt, Deus det gratiam?

Item, in quo differant motivum pietatis Chriſtianæ, & motivum quo actus fiunt intuitu & contemplatione bonitatis & juſtitiæ Dei; cùm ij actus fiant ex timore & amore Dei, etiã ſuper omnia?

Præſuppoſito quòd in viâ Molinæ liberum arbitrium & gratia ſint duæ cauſæ partiales, & quòd liberum arbitrium ſeparatìm conſideratum nihil habeat à gratiâ niſi poſſibilitatem naturalem, quam Deus à ſuâ creatione ei dedit; à ſe autem habeat ut poſſit aſſentiri omnibus myſteriis fidei revelatis, tanquàm à Deo revelatis, & quià à Deo revelata ſunt; & ſic quòd poſſit credere, & ſperare, & Deum amare ſuper omnia, atteri, & conteri de peccatis commiſſis, cum propoſito ampliùs non peccandi; poſſitque nedùm minores, ſed etiam graves tentationes ſuperare, vel ſaltem cohibere conſenſum, ne gravibus tentationibus aſſentiatur, martyrium ſubire, & in ſummâ omnia bona exercere, non ſolùm bona ratione objecti & officii, ſed quæ ſint bona ex omnibus circumſtantiis; & hæc omnia facere ex intuitu & conſideratione bonitatis & juſtitiæ Dei præmiantis & punientis, & ſic ex timore & amore Dei: à gratiâ autem habeat motivum, videlicet quòd hæc fiant ex motivo pietatis Chriſtianæ: quænam ex iſtis duabus cauſis partialibus in juſtificatione noſtrâ præponderet; ſuppoſitâ præſertim lege, quòd facienti quod in ſe eſt, Deus dat gratiam; ac ſuppoſitâ opinione Molinæ, quòd liberum arbitrium determinat ipſam gratiam, eamque, cùm vult, poſſit reſpuere, & vanam reddere?

Subſcriptum.

CLEMENS PAPA VIII.

Tranſmiſſum eſt hoc dubium à Sanctiſſimo 11. Maii 1604.

V. Hiſtor. de Congreg. de Aux. col. 399. & 519. uſque ad 529.

DECIMUM SCRIPTUM à Sanctiſſimo ſignatum & miſſum.

AN quandò intellectus proponit voluntati Deum amandũ, & colendum, ut ſummè bonum, & ſummè juſtum; præmiantem virtutem præmio vitæ æternæ, & propterea ſummè amandum, quia pro nobis vitam & ſanguinem profudit; & ſcelera punientem æternâ damnatione: poſſit dici quòd proponat eum, tanquàm objectum naturale tantùm, an etiam ſupernaturale, aut tanquàm indifferens ad actum naturalem & ſupernaturalem?

Et an hoc modo dicatur proponere tanquàm rem ad fidem pertinentem, & ſic tanquàm objectum fidei?

Subſcriptum.

CLEMENS PAPA VIII.

Pro proximâ Congregatione.

UNDECI-

Hoc dubiũ tranſmiſſum eſt à Sanctiſſimo per Secretarios Congregat. die 15. Julii 1604.

V. Hiſtor. Congregat. col. 400. & 533. uſque ad 548.

UNDECIMUM SCRIPTUM à Sanctiſſimo tranſmiſſum.

AN ſit ſententia ſancti Auguſtini, quòd ante decretum abſolutum divinæ voluntatis detur in Deo cognitio certa & infallibilis contingibilium dependentium à causâ liberâ, qualem Molina per Scientiam-mediam Deo tribuit?

Subſcriptum.

CLEMENS PAPA VIII.

Pro proximâ Congregatione.

Datum fuit hoc dubium per Secretarios Congr. die 4. Nov. 1604.

V. Hiſtor. Congregat. col. 400. & 548. uſque ad 559.

DUODECIMUM SCRIPTUM tranſmiſſum à Sanctiſſimo cum dubiis diſputandis.

AN, in præſenti diſputatione, in quâ tractatur, an Deus ante decretum prædeſtinationis, habeat ſcientiam futurorum contingibilium dependentium à causâ liberâ, ſtatuendum ſit, unicum eſſe decretum Dei, in quo decernat velle ſalvare Petrum? An verò ſubjiciendum ſit aliud, in quo ſua divina Majeſtas decernat conditionaliter, velle ſalvare Petrum, ponendo illum in tali & tali ordine rerum; dandóque illi talia & talia auxilia, quibus ſi Petrus, ex innatâ ſuâ libertate, conſentiat, & benè utatur præfatis auxiliis, ſalvabitur? Et an prædictus bonus uſus dictorum auxiliorum, proveniat ex ſolâ innatâ libertate; an verò à gratiâ Dei, quâ facit ut homo benè utatur dictis auxiliis? Et, quæ ex iſtis ſit ſententia ſancti Auguſtini, & Ludovici Molinæ?

Subſcriptum.

CLEMENS PAPA VIII.

Pro Proximâ Congregatione.

Omnia iſta duodecim Scripta, dubia prædicta continentia, data fuere, & ordinata à Clemente VIII. Nam à Paulo V. aliud fuit ſcriptum & dubium propoſitum de Phyſicâ Prædeterminatione; quod & ſuo loco dicetur: atque iſtud per novem fuit diſputationes ventilatum.

Hæc non ſunt in Mss. exarata propriâ manu R. P. Lemos.

D ACTA

Digitized by Google



ACTA OMNIA

CONGREGATIONUM ET DISPUTATIONUM IN CONTROVERSIÂ DE AUXILIIS DIVINÆ GRATIÆ.

PARS SECUNDA

Continens XXXVII. Congregationes ſeu Diſputationes habitas coram SS. PP. Clemente VIII. inter Patres Prædicatores & Jeſuitas ſuper causâ de divinis Auxiliis controverſâ.

Sunt etiam in hoc volumine Congregationes aliæ, quæ ſub Paulo V. Pontif. max. celebratæ ſunt; ſuntq; omnes ſub utroque Pōtif. Congregationes diſputationum habitæ numero 47.

CONGREGATIO PRIMA SUB CLEMENTE VIII.

In quâ examinatum fuit primum Dubium à Summo Pontifice propoſitum, ſed nihil fuit concluſum. Referuntur duæ Reſponſiones à RR. PP. Dominicanis ſcripto traditæ ad primum & ſecundum Dubium, deindè Reſcriptum PP. Jeſuitarum maximum, cui inſerta eſt Reſponſio PP. Dominicanorum.

DUBIUM PRIMUM.

» QUIS majores vires libero » arbitrio tribuat ad bonum, » an Sanctus Auguſtinus, « an Molina?

DUBIUM SECUNDUM.

" An legatur in Libris S. Auguſtini conſtitutam eſſe legem infallibilem à « Deo, cum Chriſto Filio ſuo, ut quo- « ties homo ſolis naturæ viribus fecerit « totum quod in ſe eſt, Deus tribuat « gratiam? Vel id ſit de mente ſancti « Auguſtini? «

Hæc dubia ſignata ſunt à ſanctiſſimo Domino noſtro Clemente

Papa

Digitized by Google

Papa VIII. pro primâ Congregatione coram ſuâ Sanctitate celebrandâ: ſignata ſunt autem menſe Februarii 1602.

Similiter deputati ſunt Aſſiſtentes cum ſuâ Sanctitate Cardinales duo
Cardinalis Burgheſius. Et Cardinalis Arragonius.
Cenſores Theologi nominati ſunt ſequentes:
Dominus Archiepiſcopus Armachanus.
Dominus Epiſcopus de Nardo.
Dominus Epiſcopus de Sanctâ Agathâ Franciſcanus.
Dominus Epiſcopus de monte Piloſo Servita.
Dominus Epiſcopus Aquilenſis.
Frater Joannes Raba Procurator Generalis Ordinis S. Franciſci.
F. Anſelmus Monopoli Procurator Generalis Capucinorum, qui fuit poſteà Cardinalis.
F. Piombino Procurator Generalis Ordinis S. Auguſtini.
Regens de la Tranſpontina Carmelitanus. * (* Bovius.)
F. Palentienus Ordinis S. Franciſci.
F. Gregorius Nuñez Ordinis Sancti Auguſtini.
Prior S. Pauli Ordinis S. Benedicti.* (* Anaſtaſius Brixienſis.)
Dominus Ludovicus Creil Doctor Sorbonenſis.
Dominus le Boſſu Doctor Sorbonenſis Ordinis S. Benedicti.

Adſtiterunt etiam Generalis Ordinis S. Dominici cum Socio, & Generalis Jeſuitarum cum Socio.

DUBIUM PRIMUM.

" Quis majores vires ad bonum libero arbitrio tribuat, an ſanctus Auguſtinus, an Molina?

RESPONSIO
FRATRUM PRÆDICATORUM.

Ad Dubium à Sanctiſſimo Domino noſtro propoſitum (*quis majores vires libero arbitrio tribuat an ſanctus Auguſtinus, an Molina?*) ſub correctione Sanctitatis veſtræ, cui omnia humiliter ſubjicio, ex collatione dictorum utrinque, poterit reſponderi, quod licet multa cumulari poſſint, quædam ſed inſigniora recenſebuntur.

MOLINA.

I°. Molina dicit, quòd habet homo per vires naturæ cum ſolo concurſu generali Dei aſſentiri myſteriis ſupernaturalibus ſibi propoſitis & explicatis, tanquam à Deo revelatis, ac tamen merè naturali. (*In concordiâ q. 14. art. 13. diſp. 7. §. ut ergo, & §. pars affirmans. Edit. Olyſſipp. pag. 29. Antuerp. verò pag. 22.*)

Inſuper affirmat non requiri habitum fidei ſupernaturalem ad certitudinem aſſensûs fidei, quià poteſt hæreticus majori certitudine ex parte credentis aſſentiri ſuis erroribus, quàm alius Catholicus veritatibus per fidem infuſam; ſed ideò requiritur habitus fidei, ut ſit ſupernaturalis, & prout ad ſalutem oportet. (*Ibidem diſp. 8. §. ex dictis. Edit. Ant. pag. 27.*)

S. AUGUSTINUS.

Sed contrà eſt quòd S. Auguſtinus poſtquàm ex Apoſtolo probavit, [a] *quòd non ſumus idonei cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis*, ſic dicit: quod pertinet ad Religionem atque pietatem (de quâ loquebatur Apoſtolus,) ſi non ſumus idonei cogitare aliquid quaſi ex nobis ipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt; profectò non ſumus idonei credere aliquid quaſi ex nobis ipſis, quòd ſine cogitatione non poſſumus; ſed ſufficientia noſtra, quâ credere incipiamus, ex Deo eſt. ([b] De Prædeſt. Sanct. cap. 2.)

[a] 2. Corint. 3. 5.
[b] Num. 5. col. 792. tom. 10.

Et iterùm: & ipſum igitur fidei noſtræ initium, ex quo, niſi ex ipſo eſt? Neque enim hoc excepto, ex ipſo ſunt cætera; ſed ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. (Quod totis capp. 2. 3. & 4. cum ſequentibus, multis Sanctorum teſtimoniis confirmatur. Et item lib. de dono perſever. capp. 7. & 10.

MOLINA.

II°. Loquens Molina de Deo, & libero arbitrio, dicit: uſum liberi arbitrii, quo adultus liberè ad Fidem, Spem, Charitatem, & primam gratiam ſe diſponit,

 ſive

ſive poſt acceptam juſtitiam, liberè exercet ſingula opera, quibus incrementum gratiæ & vitæ æternæ promeretur, à peccatis abſtinet, difficultates ſuperat, tentationibus reſiſtit, habere duas cauſas partiales, & à quâlibet earum, tanquam à parte unius cauſæ integræ pendere. Quod & alibi magis explicans dicit, quòd ſe habent non ſecùs ac cùm duo trahunt navem. (*In concord. q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. membr. 8. §. ex his omnibus. Edit. Olyſſ. pag. 450. Antuerp. 351.*)

S. AUGUSTINUS.

Sed contrà eſt quòd S. Auguſtinus
a *Num. 6. col. 793. tom. 10.* ([a] eodem capite 2. de prædeſt. Sanctor.) hanc condemnat doctrinam, dicens: cur autem non totum tribuatur homini, ut qui potuit ſibi inſtituere quod non habebat, ipſe quod inſtituit, augeat, omninò non video; niſi quia reſiſti non poteſt divinis maniſeſtiſſimis teſtimoniis, quibus & fides, unde & pietas exordium ſumit, donum Dei eſſe monſtratur. Quale
b *Rom. 12. 3.* eſt illud: quòd [b] *unicuique Deus partitus eſt menſuram fidei.* Et illud. [c] *pax*
c *Epheſ. 6. 23.* *fratribus & charitas cum fide à Deo Patre & Domino Jeſu Chriſto.* &c. Nolens ergò his tàm claris teſtimoniis repugnare, & tamen volens à ſeipſo ſibi eſſe quòd credit, quaſi componat cum Deo, ut partem fidei ſibi vindicet, atque illi partem relinquat, & quod elatius eſt, primam tollit ipſe, ſequentem dat illi; & in eo quod dicit eſſe amborum, priorem ſe facit, poſteriorem Deum.

MOLINA.

III°. Dicit Molina quòd hominibus, qui ad filiorum Dei dignitatem nondum pervenerunt, eatenùs facta eſt poteſtas ut filii Dei fiant, quatenùs ſi quantùm in ſe eſt conentur, præſtò illis aderit Deus, ut fidem & gratiam conſequantur, ne deſiderio ſuo fraudentur. Quare eâ ratione in poteſtate eorum eſt, ut filii Dei fiant. (*Diſp. eâdem. 1.*)

S. AUGUSTINUS.

Sed contrà eſt, quòd S. Auguſtinus ex Ambroſio docet; non itaque in hominum, ſed in Dei poteſtate eſſe filios Dei fieri: ab ipſo quippè accipiunt ea, qui dat cordi humano cogitationes pias, per quas habent fidem, quæ per dilectionem operatur; ad quod bonum ſumendum & tenendum, & in eo perſeveranter uſque in finem perficiendum, a *non ſumus idonei cogitare* a *2. Cor. 3. 5.*
aliquid quaſi ex nobis ipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt; in cujus poteſtate eſt, cor noſtrum & cogitationes noſtræ. (b L. de dono perſever. cap. 8.) Et b *Num. 20. col. 831. to. 10.*
alibi: datur ergò poteſtas ut filii Dei fiant qui credunt in eum, cùm hoc ipſum datur, ut credant in eum.. ([c] contrà duas Epiſt. Lib. 1. cap. 2.) c *Num. 5. col. 413. tom. 10.*

MOLINA.

IV°. Dicit Molina quòd interim, dum judicium rationis non abſorbetur, manet in eodem arbitrio cum ſolo concurſu generali Dei, libertas ad non conſentiendum, in quocunque temporis momento, cuicunque gravi tentationi, & ad ſuperandam quamcunque magnam difficultatem, quam pro ſervandâ in eo ſolo inſtanti lege naturæ neceſſe ſit vincere, etiamſi eâ de causâ mors ſit toleranda: ità videlicet, ut ſi conſentiat peccet, eo quòd ſecluſo quocunque alio majore auxilio, in poteſtate ipſius, tametſi non ſine ingenti difficultate, poſitum ſit non tranſgredi tunc legem. (*In concord. q. 14. art. 13. diſp. 19. memb. 1. in principio. Hoc dicit Molina ex propriâ ſententiâ, ut patet ex totâ diſputatione, ſed præcipuè ex §. fortè mirabitur, addito in 2. editione Antuerpienſi.*)

S. AUGUSTINUS.

Sed contrà eſt. Sanctus Auguſtinus contrà Pelagium, aſſerentem hominem faciliùs per Dei gratiam nequam ſpiritui reſiſtere, ſic dicit: ut quid enim interpoſuit hoc verbum, id eſt, *faciliùs*? An verò non erat integer ſenſus, ut nequam ſpiritui, Sancti Spiritûs auxilio reſiſtamus? Sed quantum detrimentum hoc additamento fecerit, quis non intelligat? Volens itaque credi, tantas eſſe naturæ vires, quas extollendo

tollendo præcipitat, ut etiam ſine auxilio Spiritûs Sancti, & ſi minùs facilè, tamen aliquo modo ſpiritui nequam reſiſtatur. (a L. de grat. Chriſti cap. 27.) Et alibi (b Epiſt. 106.) contrà Pelagium dicit: fateatur quandò contrà tentationes concupiſcentiaſque illicitas dimicamus, quamvìs & illìc habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illâ, ſed ex Dei adjutorio noſtram provenire victoriam. Non enim aliter verum erit quod Apoſtolus aït: c *non volentis nec currentis, ſed miſerentis eſt Dei.*

a *Col.* 243. *tom.* 10.
b *Nunc* 186. *num* 33. *col.* 674. *to.* 2.
c *Rom.* 9. 16.

MOLINA.

V°. Dicit Molina, quòd arbitrium ab innatâ libertate ſuâ habet quòd conſentiat, & non conſentiat Deo vocanti: ut ſic ſuus locus relinquatur libero arbitrio, & ei laus ſervetur. (In concord. q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 6. §. Certè, & §. Præterea, & §. Item.) Et alibi dicit: quòd ſi liberum arbitrium, ut patet, conſentiat divino auxilio, faciet illud efficax: ſi verò non conſentiat, reddet illud inefficax. (Ibidem, in editione Olyſſ. pag. 425. & 426. In Antuerp. verò 326. & 327. §. nonnulli, & §. certè.) Et iterùm dicit: quòd auxilium efficax ſumitur ab effectu, qui ſimul ab arbitrii libertate dependet. Et tandem dicit: quòd conſentiente jam noſtro libero arbitrio gratiæ excitanti, ipſa gratia excitans ſit adjuvans, & cooperans. (Ibidem. q. 14. art. 13. diſp. 28. §. ex dictis edit. Olyſſ. pag. 229. Antu. verò diſp. 40. pag. 164.)

S. AUGUSTINUS.

Sed contrà eſt, quòd S. Auguſtinus ſic dicit: (d L. de dono perſev. cap. 1.) quolibet tamen modo homini dicatur verbum Dei, proculdubio qui ſic audit, ut illi obediat, donum Dei eſt. Et iterùm: (e L. de grat. & lib. arb. cap. 16.) Certum eſt nos velle, cùm volumus; ſed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum eſt, f *præparatur voluntas à Domino*..... Certum eſt nos facere, cùm facimus; ſed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit: g *faciam ut in juſtificationibus meis ambuletis.* Et iterùm: (a Epiſt. 107. ad Vitalem) profectò ſi hæc dicis, noſtris orationibus contradicis. Et tandem loquens de adjutorio prævenientis gratiæ dicit: (b L. de grat. Chriſti cap. 23.) magnum profectò adjutorium divinæ gratiæ, ut cor noſtrum quò voluerit Deus, ipſe inclinet. Et contrà Julianum aït: dixiſti in bono opere à Dei gratiâ ſemper adjuvari; tanquàm ſuâ voluntate nullâ Dei gratiâ bonum opus aggreſſus, in ipſo jam opere divinitùs adjuvetur. (c L. 1. contrà duas Epiſtolas. cap. 19.)

d *Hunc locum inveni re non potui.*
e *Tom.* 10. *num.* 33. *col.* 734.
f *Proverb.* 8. *ſecundùm* LXX.
g *Ezech.* 36. 27.

a *Nunc* 217. *num.* 1. *col.* 799. *tom.* 2.
b *Tom* 10. *col.* 240.
c *Tom.* 10. *num.* 37. *col.* 427.

MOLINA.

VI°. Molina dicit: de duobus eodem modo affectis, æqualiterquè ad fidem vocatis, pro ſolâ eorum libertate poſſe evenire, ut unus amplectatur fidem, alter verò eam contemnat. Hìnc infert non eſſe dubitandum multos torqueri apud inferos, qui multò majoribus auxiliis ad ſalutem à Deo donati ſunt, quàm multi qui in Cælo divino aſpectu fruuntur: ſed quòd ij cum majoribus auxiliis prædeſtinati, & ſalvi non fuerint; illi verò cum minoribus prædeſtinati, & ſalvi fuerunt, non aliundè fuit, niſi quià illi pro innatâ libertate noluerint ità uti ſuo arbitrio ut ſalvarentur; hi verò maximè. (In concord. q. 14. art. 13. diſp. 12. §. Ex dictis.)

S. AUGUSTINUS.

Sed contrà eſt, quòd S. Auguſtinus dicit: (d L. de prædeſt. Sanctor. cap. 5.) Nunquid per hæc dona, quæ omnibus communia ſunt hominibus, diſcernuntur homines ab hominibus? Hìc autem priùs dixit: e *Quis enim te diſcernit?* Et deindè addidit: *Quid habes quod non accepiſti?* Poſſet quippè dicere homo inflatus adverſùs alterum, diſcernit me fides mea, juſtitia mea, vel ſi quid aliud. Talibus occurrens cogitationibus bonus Doctor, f *Quid autem habes*, inquit, *quod non accepiſti?* à quo, niſi ab illo qui te diſcernit ab alio, cui non donavit, quod donavit tibi? *Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Et iterùm: (g Ibidem cap. 6.)

d *Tom.* 10. *num.* 10. *col.* 797.
e 1. *Cor.* 4. 6.
f *Ibid.*
g *Col.* 798.

multi audiunt verbum veritatis ; ſed alii credunt, alii non credunt. Volunt ergò iſti credere, nolunt autem illi. Quis hoc ignoret ? Quis hoc neget ? Sed cùm aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas à Domino ; diſcernendum eſt utiquè quid veniat de miſericordiâ ejus, quid de judicio.

MOLINA.

Ultimò dicit : à cooperatione arbitrii fuit dependens, quòd prædeſtinatio cujuſcunque adulti ſortiretur rationem prædeſtinationis, vel retineret ſolùm rationem providentiæ. (In concord. q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 9. §. 8. concluſio.) Et poſteà dicit, quòd Deus conſtituit aliqua propter circumſtantias & uſum prævìſum. Et poſt pauca ait ; quòd ſicut unum peccatum permitti ſolet in pœnam alterius ; ſic propter eleemoſinas, & alia opera moraliter bona facta ab exiſtente in lethali peccato, conſuevit Deus opitulari citiùs ac magìs uni quàm alteri, ut à peccato reſurgat. (Ibid. §. illud adde.) Et iterùm concludit, quòd ſacratiſſimis animabus Chriſti Domini, & beatiſſimæ Virginis, non ſolùm Deus excellentiora dona conferre decreverit, ſed etiam eaſdem prævidiſſe meliùs quàm cæteras, pro ſuâ innatâ libertate, uſuras ſuo arbitrio ; eâque ratione in tantam dignitatem potiùs quàm cæteras electas fuiſſe. (Ibidem §. illud etiam immediatè ſequenti.)

S. AUGUSTINUS.

Sed contrà eſt, ut ab ultimo incipiam, quòd dicit ſanctus Auguſtinus : (a L. de prædeſt. Sanctor. cap. 15.) eſt etiam præclariſſimum lumen prædeſtinationis & gratiæ, ipſe Salvator, ipſe Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus ; qui ut hoc eſſet, quibus tandèm ſuis, vel operum, vel fidei, præcedentibus meritis, natura humana, quæ in illo eſt, comparavit ? Reſpondeatur, quæſo : ille homo, ut à Verbo Patri coæterno in unitatem perſonæ aſſumptus, Filius Dei unigenitus eſſet, undè hoc meruit ? Et alibi : (b In Enchirid. cap. 36.) quid enìm natura humana in homine Chriſto meruit, ut in Unitatem Perſonæ unici Filii Dei ſingulariter eſſet aſſumpta ? Quæ bona voluntas ? Quæ bona opera præceſsêre, quibus mereretur iſte homo, ut una fieret Perſona cum Deo ? (Et iterum) ſicut prædeſtinatus eſt ille unus, ut caput noſtrum eſſet ; ità multi prædeſtinati ſumus, ut membra ejus eſſemus. Humana hìc merita conticeſcant. (Et iterùm :) quiſquis in capite noſtro præcedentia merita illius generationis invenerit, ipſe in membris ejus præcedentia merita multiplicatæ generationis inquirat. (a Et concludens ait :) unde naturæ humanæ tanta gloria, nullis præcedentibus meritis ſine dubitatione gratuita, niſi quia magna hìc & ſola Dei gratia fideliter & ſobriè conſiderantibus evidenter oſtenditur, ut intelligant homines per eandem gratiam ſe juſtificari à peccatis, per quam factum eſt ut homo Chriſtus nullum habere poſſet peccatum ?

a *Tom.* 10. *num.* 30. *col.* 809.

b *Tom.* 6. *num.* 11. *col.* 210.

a *Num.* 11. *col.* 210.

Ex quibus ad dubium propoſitum videtur reſpondendum nedum tribuere Molinam majores vires libero arbitrio ad bonum ; ſed etiam ut illius vires extollat, id negare gratiæ, quod Sancto Auguſtino omninò tribuendum eſſe ſemper aſſeruit.

b Habita fuit hæc prima Congregatio coram Sanctiſſimo, de illo Dubio primo generali : *Quis majores vires* &c. Et F. Didacus Alvarez diſputavit ; & in iſtâ Congregatione nihil omninò concluſum fuit, aut reſolutum.

b Habita fuit iſta Cõgregatio feriâ quâdam quartâ in tertiâ ſeptimanâ Quadrageſimæ anni 1602. cujus diei in particulari memoriam non habeo, quià tunc nec diſputavi.

Unde Sanctiſſimus pro ſecundâ Congregatione ſub illo priore dubio ; *quis majores vires* &c. Subintulit in particulari quaſdam propoſitiones, nempè novem ſuprà poſitas in ſecundo ſcripto à Pontifice tranſmiſſo, conferendas ex doctrinâ Molinæ cum doctrinâ ſancti Auguſtini : ſimulque præcepit Sanctiſſimus Generali Ordinis S. Dominici per Internuncium Reverendum admodùm Anſelmum de Monopoli, qui tunc ejus Prædicator exiſtebat, ut pro aliis Congregationibus, Generalis Ordinis S. Dominici diſputantem introduceret F. Thomam de Lemos, quod

V. Hiſtor. Congregat. de Auxiliis col. 351. *& ſeq. item* 401. *& ſeq. uſque ad* 410.

&

& factum fuit, ut ex ſerie Congregationum fiet manifeſtum.

Unum in iſtâ primâ Congregatione fuit publicum, quòd Generalis Jeſuitarum in publico ſuo Collegio, eâdem Congregationis die, ipsâ finitâ, omnibus convocatis, ſummâ animi lætitiâ laudes P. Gregorii de Valentiâ decantabat, & inter illas illud dicebat: [a] *Tu gloria Jeruſalem, tu lætitia Iſraël, tu honorificentia populi noſtri.* Sed gaudium illorum fuit adinſtar puncti: quia Dominus Majeſtatis cauſam ſuam propriam defendens in ſecundâ Congregatione & omnibus ſequentibus fecit eos lugere & contriſtari, & Defenſores atque Prædicatores gratiæ Dei, mœrore affectos ex primâ illâ diſputatione, ſummâ lætitiâ recreavit, ſumens ad hoc, ut ſolet Deus, minimum inſtrumentum, ut totum Deo detur, nec glorietur homo in ſapientiâ ſuâ.

[a] *Judith. 15. 10.*

RESPONSIO
FRATRUM PRÆDICATORUM

Data Sanctiſſimo Domino noſtro Clementi VIII. ad ſecundum Scriptum.

ARTICULUS PRIMUS.

„ QUis majores vires ad bonum libero arbitrio tribuat an Molina, „ an ſanctus Auguſtinus &c.

Circa iſtum Articulum conferendæ ſunt cum doctrinâ ſancti Auguſtini ſequentes Propoſitiones Molinæ; quæ ſcilicet habentur in ſecundo Scripto Clementis VIII. Igitur.

In Mss. hìc rursùs inſeritur ex integro ſecundumScriptũ Clementis VIII. ſed conſulendũ eſt ubi ſuprà.

Ad dubium à Sanctiſſimo Domino noſtro, primo loco propoſitum, *quis majores vires* &c. Sub correctione Sanctitatis veſtræ, cui omnia humiliter ſubjicio, ex collatione dictorum utriuſque poterit reſponderi.

MOLINA.

I°. Dicit Molina: (q. 14. art. 13. diſp. 5. edit. Antuerp. pag. 17.) cum ſolo concurſu Dei generali, abſque alio dono vel auxilio gratiæ, poteſt homo efficere opus bonum morale, quod fini naturali hominis accommodatum, atque comparatione illius ſit verè bonum, ac virtutis opus; non tamen quod fini ſupernaturali ſit accommodatum, quodque comparatione illius bonum ſimpliciter, ac virtutis opus dici queat.

Et iterùm ait: diſp. 19. membr. 2. §. ultimo, Edit. Antuerp. pag. 73. Authores hujus ſententiæ (videlicet quòd poſſit reſiſti cuilibet particulari tentationi ſine gratiâ) conſequenter affirmant nullum eſſe in ſingulari opus bonum morale merè naturale; quod homo naturæ lapſæ, cum ſolo concurſu Dei generali non poſſit efficere: id quod Sotus & Ruardus aſſerunt. Etenim ſi difficillimum, quale eſt mortem ſubire, ne mendacium proferat, Anſelmi ſententia poteſt præſtare; majori cum ratione poterit cætera efficere, in quibus longè minor eſt difficultas.

S. AUGUSTINUS.

Sed contrà eſt ad primum locum, quòd ſanctus Auguſtinus dicit: ([a] L. 4. contrà Julian. cap. 8. in fine) nos enim ea quæ videntur opera bona, dicimus non eſſe vera bona ſine fide; quoniàm opera verè bona neceſſe eſt Deo placere, [b] cui ſine fide quia impoſſibile eſt placere, profectò quod verè opus bonum eſt, ſine fide non poteſt eſſe. Et iterùm: ([c] Ibid. cap. 3.) abſit ut ſit in aliquo vera virtus, niſi fuerit juſtus; abſit ut ſit juſtus verè, niſi vivat ex fide: [d] *juſtus enim ex fide vivit.*

Ad ſecundum locum, contrarium omninò docet ſanctus Auguſtinus: ([e] ſuper Pſal. 115. explicans illud, *omnis*

[a] *Tom. 10. num. 51. col. 609.*
[b] *Hebr. 11. 6.*
[c] *Num. 17. col. 593.*
[d] Rom. 1. 17.
[e] *Tom. 4. Num. 3. col. 1270.*

Digitized by Google

is homo mendax.) Loquens enim de iis, qui patiuntur mortem ne mendacium proferant, ait: benè ergo iſte videt in pavore ſuo omnem hominem eſſe mendacem; quià & illi qui nullo pavore evaneſcunt, nè perſequentibus cedendo mentiantur, muneribus Dei tales ſunt, non viribus ſuis. Et iterùm: (a Serm. 8. de Sanctis, qui eſt in natali S. Vincent.) merces diſcernit Martyrem à duritiâ ſceleratorum: par eſt pœna, ſed diſpar eſt cauſa. Diſcreta eſt cauſa ejus, quia pro veritate, pro juſtitiâ &c. uſque, ab ipſo enim patientia mea. Idem dicit L. de patientiâ.

a *Nunc ſer. 274. col. 1109.*

MOLINA.

II°. Sic dicit Molina: (diſp. 7. §. 1. & 2. edit. Antu. pag. 22.) propoſitis his, & explicatis quæ credenda ſunt, adhibitis inſuper argumentis, quæ afferri ſolent, ut meritò homines ſibi perſuadeant, ea revelata eſſe à Deo, & juſſa credi, & denique accedente externâ vocatione ad fidem per Concionatores, alioſque Eccleſiæ miniſtros, in facultate liberi arbitrii eſt, cum ſolo concurſu generali Dei, rebus propoſitis aſſentiri, tanquàm à Deo revelatis, actu tamen qui ſit merè naturalis, quique ex parte intellectûs non ſit ſatis ad juſtificationem.

Et alio loco inquit: (diſp. 8. §. Ex dictis. edit. Antuerp. pagg. 27. & 28.) Nec enim ob eam cauſam neceſſariò ponendus eſt habitus ſupernaturalis, ut intellectus facilè aſſentiatur contrà intellectûs duritiem, & diſcretè contrà intellectûs errores; neque itèm ut actus aſſentiendi ſit certus & firmus certitudine & firmitate ex parte credentis. Hæreticus enim poteſt firmiùs illo modo aſſentiri, non ſolùm articulis fidei, ſed etiam ſuis erroribus, quàm multi fidelium aſſentiantur per fidem infuſam veritatibus Catholicis. Sed idcircò conſtituendus eſt, quoniam ad illos actus eliciendos, ut fini ſupernaturali ſint accommodati, & quales ſunt ad ſalutem neceſſarii.

S. AUGUSTINUS.

Primo loco contrarium docet ſanctus Auguſtinus: (a L. de prædeſt. Sanctor. cap. 2.) Loquens enim contrà Semipelagianos, qui fidem imperfectam eodem prorsùs modo quo Molina in hoc actu merè naturali conſtituebant, ait: & ipſum igitur initium fidei noſtræ, ex quo, niſi ex ipſo eſt? Neque enim hoc excepto ex ipſo ſunt cætera; ſed b *ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Quis autem dicat eum qui jam cœpit credere, ab illo in quem credidit nihil mereri?

a *Tom. 10. num. 4. col. 791.*

b *Rom. 11. 35.*

Ad ſecundum locum, ſed contrà eſt quod dicit ſanctus Auguſtinus: (c L. de prædeſt. Sanct. cap. 2.) cur autem non totum tribuatur homini, ut qui potuit ſibi inſtituere quod non habebat, ipſe quod inſtituit, augeat, omninò non video: niſi quià reſiſti non poteſt divinis manifeſtiſſimis teſtimoniis, quibus & fides, undè pietatis exordium ſumit, donum Dei eſſe monſtratur. Quale eſt illud: quòd d *unicuique Deus partitus eſt menſuram fidei.* Et illud: e *pax fratribus tuis, & charitas cum fide à Deo Patre & Domino Jeſu Chriſto.* Et cætera talia. Nolens ergò his tàm claris teſtimoniis repugnare, & tamen volens à ſeipſo ſibi eſſe quòd credit homo, quaſi componat cum Deo, ut partem fidei ſibi vindicet, atque illi partem relinquat. Et quod eſt elatius, primam tollit ipſe, ſequentem dat illi; & in eo quod dicit eſſe amborum, priorem ſe facit, poſteriorem Deum.

c *Tom. 10. num 6. col. 793.*

d *Rom. 12. 3.*

e *Epheſ. 6. 23.*

MOLINA.

III°. Dicit: cùm quis edoctus fuerit ſupernaturalem aſſenſum eſſe ad ſalutem neceſſarium, viribus naturalibus poteſt optare, ità credere, atque etiam conari ex dono & ex auxilio Dei ſupernaturali aſſentiri. Denique poteſt petere, ut auxilium illud ſibi donetur, & ad illud recipiendum ſatagere ſe diſponere. Hæc omnia ſupponit Molina (Ibidem diſp. 9.) Videantur etiam quæ dicit (diſp. 42. §. quod hac. Et diſp. 43. §. ex dictis.)

S. AUGUSTINUS.

Sed contrà eſt quòd S. Auguſtinus

contrà

a *Tom. 10. num. 41. col. 605.*

contrà Julianum (a L. 4. cap. 8.) ait: ibì enim vos, ut video, ponere jàm cœpiſtis merita gratiam præcedentia, quod eſt, petere, quærere, pulſare; ut his meritis debita illa reddatur, & ſic gratia inaniter nuncupetur: tanquàm gratia nulla præceſſerit, & cor tetigerit, ut beatificum bonum peteretur à Deo, ut quæreretur Deus, & pulſaretur ad Deum; fruſtràque ſit ſcriptum: b *miſericordia ejus præveniet me.* Et iterùm: (c L. 2. contrà duas Epiſt. Pelagian. cap. 8.) Si enim ſine Dei gratiâ per nos incepit cupiditas boni; ipſum cœptum erit meritum, cui tanquàm ex debito gratiæ veniat adjutorium. &c. Itèm: (d de corrept. & grat. cap. 1.) deſiderare auxilium gratiæ, initium gratiæ eſt.

b *Pſal. 58. 11.*

c *Tom. 10. num. 18. col. 443.*

d *Tom. 10. num. 2. col. 751.*

MOLINA.

IV°. Dicit Molina: (diſp. 9. §. ut quæ. edit. Antu. pag. 30.) Licet initium fidei, quæ radix & fundamentum eſt juſtificationis, à Deo ſit nullis præcedentibus noſtris meritis, ſed potiùs demeritis; reliquaque quæ initium fidei ſequuntur, ordiniſque ſunt ſupernaturalis, à Deo ſint; nihilque proindè habeat juſtus, quo à peccatore, immò ab infideli diſcernatur, de quo ità gloriari poſſit, quaſi illud non acceperit; atque adeò Deus author ſit, ut vitæ noſtræ ſpiritualis, ità etiam incrementi ipſius: eo tamen modo ſuâ ſapientiâ leges, quibus vitam ſpiritualem, atque ejus incrementum conferret, accommodavit, ut ſicut per gratiam, hominis naturam ex ſe liberam perficiebat, ità etiam & ante receptionem gratiæ, & in ipſâ gratiæ receptione, & poſteà in augmento illius, ſuum locum libero relinqueret arbitrio; quatenùs ipſe ità eſſet author omnium bonorum, omniaque ei accepta referrentur, ut nihilominùs libero arbitrio propria induſtria & laus ſervaretur.

S. AUGUSTINUS.

e *Tom. 10. num. 12. col. 799.*

Contrarium dicit ſanctus Auguſtinus: (e de prædeſt. Sanct. cap. 7.) quidquid igitur, & antequàm in Chriſtum crederet, & cùm crederet, & cùm crediidiſſet, benè operatus eſt Cornelius, totum Deo dandum eſt, ne fortè quis extollatur. Et iterùm: (a L. 2. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 18.) Laborant, inquit, homines invenire in noſtrâ voluntate, quid boni ſit noſtrum, quod nobis non ſit ex Deo; & quomodò inveniri poſſit, ignoro. Ait enim Apoſtolus: b *Quid enim habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Et iterùm ait: (c L. de dono perſever. cap. 14.) Si in nullo gloriandum, quandò noſtrum nihil ſit, profectò nec de obedientiâ perſeverantiſſimâ gloriandum eſt. Et iterùm ſic concludit: (d L. 1. retract. cap. 9.) & quià omnia bona, ſicut dictum eſt, & magna, & media, & minima ex Deo ſunt; ſequitur ut ex Deo ſit & bonus uſus liberæ voluntatis, quæ virtus eſt, & in magnis numeratur bonis.

a *Tom. 10. num. 28. col. 55.*

b *1. Cor. 4. 7.*

c *Tom. 10. num. 36. col. 841.*

d *Num. 6. col. 15. t. 1.*

MOLINA.

V°. Dicit Molina: (diſp. 14. memb. 1. in principio. & §. Ratio verò. Edit. Antuerp. pag. 43.) negari non poteſt quàm plurium eſſe Scholaſticorum ſententiam, liberum arbitrium noſtrum cum ſolo concurſu generali Dei elicere poſſe actum non ſolùm attritionis naturalem, id eſt, dolorem de peccatis ex Dei timore; cum propoſito ampliùs non peccandi lethaliter: ſed etiam actum contritionis naturalem, qui idem propoſitum ampliùs non peccandi lethaliter, includat.

S. AUGUSTINUS.

Sed contrà eſt, quòd ſanctus Auguſtinus adverſùs Julianum dicit: (e L. 5. cap. 4.) quantamlibet enim præbeat patientiam; (ſcilicet Deus) niſi ipſe dederit, quis agit pœnitentiam? An oblitus es quod idem ipſe Doctor ait: f *Nè fortè det illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à Diaboli laqueis?* Et iterùm: (g L. 2. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 18.) Quòd à Deo nos avertimus, noſtrum eſt, & hæc eſt voluntas mala: quòd verò ad Deum nos convertimus, niſi ipſo excitante non poſſumus. Et alio loco: (h Epiſt. nempè 106.) etiam ipſam

e *Tom. 10. num. 14. col. 635.*

f *2. Timot. 2. 25.*

g *Tom. 10. num. 31. col. 56.*

h *Nunc 189. num. 33. col. 675. tom. 2.*

ſam

Digitized by Google

ſam pœnitentiam, donum Dei dicit Apoſtolus, ubi ait de quibuſdam: a *Ne fortè det illis Deus pœnitentiam.*

a 2. Timot. 2. 25.

MOLINA.

VI°. Dicit: (diſp. 14. memb. 1. §. duo quædam. cum §. ſequenti & diſp. 15. §. novum. Edit. Antuerp. pag. 50.) homo ſolis viribus naturalibus & concurſu generali Dei elicere poteſt actum abſolutum merè naturalem dilectionis Dei ſuper omnia, qui ad juſtificationem nequaquàm ſufficiat, & propoſitum abſolutum ſervandi in genere præcepta omnia, præſertim quandò occaſiones, & difficultates omnes abſunt; quod ad attritionem & contritionẽ, quò ad ſubſtantiam actûs, ſit ſufficiens.

S. AUGUSTINUS.

Contrarium docet S. Auguſtinus: (b L. 4. contrà Julian. cap. 3. in fine) amor Dei quo pervenitur ad Deum, non eſt niſi à Deo Patre per Jeſum Chriſtum Spiritu Sancto. Per hunc amorem Creatoris, benè quiſque utitur creaturis. Et iterùm: (c L. 2. contrà duas Epiſt. Pelagian. cap. 9.) Charitas ex Deo eſt, nec initium ejus ex nobis, & perfectio ejus ex Deo: ſed ſi Charitas ex Deo eſt, tota nobis ex Deo eſt. Et alibi: (d L. de grat. & lib. arb. cap. 18.) Undè eſt in hominibus charitas Dei & Proximi, niſi ex Deo? Nam ſi non eſt ex Deo, ſed ex hominibus, vicerunt Pelagiani; ſi autèm eſt ex Deo, vicimus Pelagianos.

b Tom. 10. num. 33. col. 602.

c Tom. 10. num. 21. col. 445.

d Tom. 10. num. 37. col. 737.

MOLINA.

VII°. Dicit: (diſp. 19. memb. 1. & 2. Edit. Antuerp. pag. 68. & memb. 6. §. fortè mirabitur. pag. 81.) Aninterìm dùm rationis judicium non abſorbetur, maneat in libero arbitrio, cum ſolo concurſu generali Dei, libertas ad non conſentiendum in quocunque temporis momento, cuicunque gravi tentationi, & ad ſuperandam quamcunque magnam difficultatem, quam pro ſervandâ in eo ſolo inſtanti lege naturæ, neceſſe ſit vincere; etiam-ſi eâ de causâ mors ſit toleranda. Ita videlicet ut ſi conſentiat, peccet, eò quòd ſecluſo alio quocunque majori auxilio, in poteſtate ipſius, tametſi non ſine ingenti difficultate, poſitum ſit, non tranſgredi tunc legem. Itèm partem affirmativam nonnullis authoribus adſcribit, eamque amplectitur, ut apparet (ex membr. 6. ejuſdem diſp. 19. §. fortè mirabitur. Edit. Antuerp. addito pag. 81.)

S. AUGUSTINUS.

Sed contrarium dicit S. Auguſtinus, (a L. de grat. Chriſti cap. 27.) adversùs Pelagium aſſerentem, faciliùs nos nequam ſpiritui, Sancti Spiritûs auxilio reſiſtere: Ut quid enim hoc verbum, ait, interpoſuit; id eſt, *faciliùs?* An verò non erat integer ſenſus, ut nequam ſpiritui, Sancti Spiritûs auxilio reſiſtamus? Sed quantum detrimentum hoc additamento fecerit, quis non intelligat? Volens utique credi tantas eſſe naturæ vires, quas extollendo præcipitat; ut etiàm ſine auxilio Spiritûs Sancti, etſi minùs facilè, tamen aliquo modo nequam ſpiritui reſiſtatur. Itèm contrà eundem Pelagium dicit: (b Epiſt. 106.) fateatur quandò contrà tentationes, concupiſcentiaſque illicitas dimicamus, quamvis & illìc habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illâ, ſed ex adjutorio Dei noſtram provenire victoriam.

a Tom. 10. num. 29. col. 243.

b Nunc 186 num. 33. col. 674. tom. 2.

Ex quibus omnibus ad Dubium propoſitum videtur reſpondendum, Molinam nedùm tribuere majores vires libero arbitrio ad bonum; ſed etiam ut illius vires extollat, id negare gratiæ: quod S. Auguſtinus eidem gratiæ omninò tribuendum eſſe, ſemper aſſeruit.

ARTICULUS SECUNDUS.

« An in libris ſancti Auguſtini legatur conſtitutam eſſe à Deo legem infallibilem cum Chriſto Filio ſuo, ut quoties homo ſolis naturæ viribus fecerit totum quod in ſe eſt, Deus illi tribuat gratiam; vel id ſit de mente ſancti Auguſtini? »

RESPONSIO

FRATRUM PRÆDICATORUM.

Duo capita in hoc ſecundo Dubio proponuntur, & ad utrumque ſub correctione

rectione Sanctitatis veſtræ dicendum videtur, nec legi in Libris ſancti Auguſtini ſimilem legem, nec etiam de mente ipſius haberi; ut conſtabit apertiùs referendo verba Molinæ nobis propoſita, & illa quæ in contrarium docet ſanctus Auguſtinus.

MOLINA.

I°. Dicit Molina: (diſp. 10. in principio, adjunctis cæteris quæ in eodem §. continentur. Et diſp. 11. §. poſt hanc. Et diſp. 14. memb. 5. In edit. Antuerp. pag. 31. &c.) quotieſcunque liberum arbitrium ex ſuis viribus naturalibus conatur, præſtò-vè eſt ad conandum totum id, quod ex ſe poteſt, tàm circà ea, quæ fides habet addiſcenda & amplectenda, quàm circà dolorem de peccatis ac juſtificationem, à Deo conferri gratiam prævenientem, auxilia-vè quibus id faciat ut oportet ad ſalutem. Non quidèm quaſi eo conatu dignus efficiatur talibus auxiliis, ullâque ratione iſta promereatur; ſed quoniam id obtinuit nobis Chriſtus ob ſua merita, atque inter leges, quas tàm ipſe quàm Pater æternus ſtatuerunt de auxiliis & donis, quæ nobis Chriſtus promeruit, merè gratìs conferendis, una, eaque rationi maximè conſentanea, fuit, ut quotiès ex noſtris viribus naturalibus conaremur facere, quod in nobis eſt, præſtò nobis eſſent auxilia gratiæ, quibus ea ut oportet ad ſalutem efficeremus.

S. AUGUSTINUS.

Contrarium dicit ſanctus Auguſtinus contrà Julianum. Ait enim: (a L. 1. contrà duas Epiſt. Pelag. cap. 19.) dixiſti, in bono opere à Dei gratiâ ſemper adjuvari: tanquàm ſuâ voluntate, nullâ Dei gratiâ bonum opus aggreſſus, in ipſo jam opere divinitùs adjuvetur, pro meritis videlicet voluntatis bonæ. Et alibi: (b L. 4. contrà Julian. cap. 8.) Ibi enim vos, ut video, ponere jam cœpiſtis merita gratiam præcedentia, quod eſt petere, quærere, pulſare; ut his meritis debita illa reddatur. Et iterùm (c L. 2. contrà duas Epiſt. Pelag. cap. 8.) ſi ſine Dei gratiâ per nos incepit cupiditas boni; ipſum cœptum erit meritum, cui tanquàm ex debito gratiæ veniat adjutorium; ac ſic gratia Dei non gratìs donabitur, ſed merito noſtro dabitur. Dominus autèm, ut reſponderet futuro Pelagio, non ait: ſine me difficilè poteſtis facere: ſed ait: a *ſine me nihil poteſtis facere.* Et ut reſponderet futuris etiàm iſtis, in eâdem ipſâ Evangelicâ ſententiâ, non ait: ſine me nihil poteſtis perficere; ſed, *facere.* In quâ doctrinâ ſancti Auguſtini eſt totus ipſe (b in Epiſt. 107. ad Vitalem) quòd videlicet non præcedit voluntas humana gratiam divinam.

a *Tom. 10. num. 37. col. 427.*
b *Tom. 10. num. 41. col. 605.*
c *Tom. 10. num. 18. col. 443.*
a *Joan. 15. 5.*
b *Nunc 217. col. 799. tom. 2.*

MOLINA.

II°. Dicit Molina: (diſp. 19. memb. 5. §. ad quartum. Edit. Antuerp. pag. 78.) at verò quicunque ſordibus lethalium peccatorum infectus, conaretur ex ſuis naturalibus viribus mortem pro Deo ſubire, efficeréque pro oblatâ occaſione quod in ſe eſt, ut formali vel virtuali peccatorum pœnitentiâ veniam conſequeretur, ſanè cùm Deus facienti quod in ſe eſt, paratus de lege ordinariâ ſit ſubvenire ſupernaturali auxilio, reponeretur in gratiâ, eſſetque verè Martyr: non tamen ſolis ſuis viribus, ſed ſupernaturali Dei auxilio præventus & ſuffultus. &c.

S. AUGUSTINUS.

Contrarium docet S. Auguſtinus: (c L. de patientiâ in fine) ſi quis autèm, ait, non habens charitatem, quæ pertinet ad unitatem Spiritûs, & vinculum pacis, quo Eccleſia Catholica congregata connectitur, in aliquo Schiſmate conſtitutus, nè Chriſtum neget, patitur tribulationes, anguſtias, famem, nuditatem, perſecutionem, pericula, carceres, vincula, tormenta, gladium, vel flammas, vel beſtias, vel ipſam crucem, timore gehennarum, & ignis æterni. Nullo modo iſta culpanda ſunt; immò verò, & hæc laudanda patientia eſt. Non enim dicere poterimus, meliùs ei fuiſſet, ut Chriſtum negando nihil eorum pateretur, quæ paſſus eſt confitendo: ſed exiſtimandum eſt fortaſsìs tolerabilius ei futurum judicium, quàm ſi Chriſtum negando cuncta illa vitaret

c *Tom. 6. num. 23. col. 543.*

Digitized by Google

vitaret: ut illud quod ait Apoſtolus: a *Si tradidero Corpus meum ut ardeam, charitatem autèm non habeam, nihil mihi prodeſt*, nihil prodeſſe intelligatur ad Regnum Cælorum obtinendum, non ad extremi judicii tolerabilius ſupplicium ſubeundum.

a 1. Cor 13. 3.

Ex his patet reſponſio ad omnia quæ proponuntur in ſecundo Articulo.

Hæc Reſponſio Fratrum Prædicatorum data fuit Sanctiſſimo quam ego F. Thomas de Lemos, divinâ gratiâ adjutus per octo Congregationes & diſputationes cum P. Gregorio de Valentiâ ſuſtinui & defendi, à divinâ gratiâ defenſus & adjutus: quæ proindè ſemper victrix ſtetit contrà eos qui eam impugnabant, ut ex ſerie Congregationum, quæ ſequuntur, conſtat apertè.

Hæc Reſponſio ad iſta octo capita modò relata, data fuit Sanctiſſimo Domino noſtro antè diſputationem ſecundam, in quâ Ego F. Thomas incœpi diſputationes iſtas intrare. Patres autem Societatis ſimiliter Scriptum longiſſimum protulerunt, & Sanctiſſimo dederunt in defenſionem octo illarum propoſitionum, quæ ex Molinâ deſumptæ, & ex juſſu Sanctiſſimi cum Doctrinâ ſancti Auguſtini conferendæ erant. Quod ipſorum Scriptum modò ſequitur cum Reſponſione FF. Prædicatorum.

MONITUM EDITORIS

Circà duo Reſcripta ſequentia.

I°. Cùm inter primam Seſſionem, quæ fuit coràm Clemente VIII. celebrata die 20. Martii anni 1602. uſque ad ſecundam Seſſionem, quæ fuit 8. die Julii 1602. celebrata, intervallum trium menſium cum dimidio interfuerit, plura per hoc tempus contradictoria Scripta, inter PP. Dominicanos & Jeſuitas ab utrâque parte data fuerint, in hoc ultimo contradictorio Scripto præcipuè laboratum eſt.

II°. In hoc autem Reſcripto PP. Jeſuitarum pro defenſione opinionum Molinæ, illi Patres juxtà mandatum Sanctiſſimi diei 28. Aprilis anni 1602. citant ſolùm ſeu indicant loca ſancti Auguſtini, quæ ad ipſorum cauſam conferre videbantur. Huic autem Reſcripto PP. Dominicani per aliud Reſcriptum breviter reſponderunt.

III°. Horum duorum Reſcriptorum exacta copia labore cujuſdam curioſi Collectoris facta reperta eſt, quæ duo præſtat admodùm utilia. Primum eſt, quòd ſingula loca ſancti Auguſtini à PP. Jeſuitis ſolùm citata & indicata, in integrum exhibeat. Alterum eſt, quòd aliud PP. Dominicanorum Reſcriptum primo quaſi inſertum, & ad quemcunque articulum correſpondentem apponat, reſponſione brevi cuilibet illorum locorum ab ipſis datâ.

IV°. Quandoquidem ex hâc collectione locorum & reſponſione ſubſequenti iis factâ, multùm utilitatis ad judicium aptæ aut ineptæ applicationis, vel ad judicium aptæ vel ineptæ reſponſionis faciendum oriatur: ideò hanc copiam privati hominis, quicunque ſit, labore adauctam ſequi in hâc exhibitione Reſcriptorum magìs conducere viſum fuit, quàm ordinem in Mss. Originali R. P. de Lemos.

V°. In hoc ergò Originali Scripto Jeſuitarum, duo tantùm priora verba cujuſlibet loci citati referebantur, deinde ultima ejuſdem loci verba; quæ ſic ad diſcrimen majori caractere exhibentur in prædictâ copiâ.

Digitized by Google

RESPONSIO

JESUITARUM PRO DEFENSIONE Molinæ cum Reſponſione R. Patris Thomæ de Lemos ſimul inſertis.

RESPONSIO

Jeſuitarum Sanctiſſimo data in defenſionem aliquarum Propoſitionum Molinæ, quas eſſe ſancti Auguſtini hujuſmodi teſtimoniis probare laborabant.

BEATISSIME PATER

ARticulus nobis propoſitus fuit hic: quis majores vires ad bonum libero arbitrio tribuat, an ſanctus Auguſtinus, an Molina?

Reſponſum noſtrum ad iſtum articulum fuit, & eſt hoc: non majores vires ad bonum tribuit libero arbitrio Molina, quàm ſanctus Auguſtinus; nullas enim vires conceſſit Molina libero arbitrio, quas illi negaverit ſanctus Auguſtinus. Et omnes vires quas libero arbitrio negavit S. Auguſtinus, negavit etiam & Molina.

Propoſitiones autem expendendas & conferendas cum doctrinâ ſancti Auguſtini, prout ipſas formalibus verbis ipſius Molinæ, nunc proferemus, non contrarias, ſed conſentaneas eſſe doctrinæ ſancti Auguſtini, ac proindè in eâ contineri: ità ut ſint de mente ſancti Auguſtini, & poſſint ex eis quæ ille aſſeruit, inferri; defendemus, reſpondendo ad ea quæ contrà objiciuntur, & expendendo atque conferendo ſequentia loca ſancti Auguſtini.

RESCRIPTUM

FRatris Thomæ de Lemos, reſpondens, & in univerſali, & in particulari ad omnia à Jeſuitis allegata.

Non obſtant quæ in defenſionem primæ propoſitionis Molinæ adducuntur ex S. Auguſtino: ut patet expendendo omnia. In quatuor Capita illa ordinantur. In I. capite expenduntur ſexdecim loca ſancti Auguſtini, in quibus dixit hominem ſolis naturæ viribus poſſe facere aliqua opera moralia bona. Ad quæ omnia, antequam in particulari illa expendamus, Reſpondeo dicendum, ſanctum Auguſtinum tantùm docere poſſe hominem ſine gratiâ facere opus ſeu officium virtutis moralis, non tamen ex verâ virtute morali, ſeu propter finem illius; ut ipſe ſanctus Doctor manifeſtè dicit, tractando non obiter, ſed ex profeſſò materiam hanc. (L. 4. contrà Julianum cap. 3.) At verò Molina dicit: hominem ſine gratiâ poſſe facere opus morale, quod ſit verè bonum, fini naturali accommodatum, ac virtutis opus, ſicut poterat facere homo qui ſine peccato originali in puris naturalibus conderetur.

In II. capite ordinantur alia ſex vel ſeptem loca ſancti Auguſtini, ut probent opus bonum morale eſſe opus moralis ſeu civilis virtutis. Ad quod Reſpondeo dicendum 1°. eâdem ſolutione S. Auguſtini modò datâ, ſæpè hominem facere officium & opus virtutis, non tamen ex verâ virtute, ſed aliundè. Id quod etiam omnes Philoſophi ſine contradictione dixerunt. 2°. Dicendum, illa loca, etiam ut defenſores Molinæ dicunt, ſolùm probare, poſſe hominem habere civilem virtutem, & politicam, pertinentem ad exteriorem hominem, & politicam gubernantem, ut exempla S. Auguſtini manifeſtant: non autem moralem virtutem in ordine ad interiorem hominem. At verò Molina vult hominem lapſum ità poſſe abundare veris virtutibus moralibus, ſicut homo qui ſine peccato originali in puris naturalibus eſſet conditus.

In III. capite diſtribuuntur alia undecim

Digitized by Google

decim loca ſancti Auguſtini, ad probandum quòd ipſe tantùm neget poſſe hominem habere ſine gratiâ veras virtutes ſecundùm pietatem, vel prout ad ſalutem oportet. Ad quod Reſpondeo dicendum, S. Auguſtinum contrà Pelagianos & Semipelagianos negaſſe, poſſe eſſe ſine gratiâ in homine veras virtutes morales acquiſitas rectificantes rationem in ordine ad finem naturalem ſibi proportionatum: has enim ſolùm in homine ſine gratiâ conſtituebant Pelagiani, quos convincit ſanctus Auguſtinus, quòd ſi illæ virtutes eſſent in tali homine, operaretur ex illis ſecundùm pietatem, & prout ad ſalutem oportet, in quantùm Deus juſtus illos juſtitiâ naturali non condemnaret; ſed eis daret abſque dubio gratiam & gloriam, etiamſi Chriſtus illam ipſis non mereretur. Unde concludit, quòd ſi ſic dicatur, Chriſtus gratìs mortuus eſſet.

In IV. capite ordinantur alia ſexdecim ſancti Auguſtini loca, ad probandum ex mente ſancti Doctoris, quòd fides eſt initium pietatis, quòd ante fidem nullus eſt actus pertinens ad pietatem. Ad hoc Reſpondeo dicendum, ſancto Auguſtino fidem præcipuè eſſe initium ſalutis, & fundamentum pietatis dixiſſe; & ſimiliter ante fidem dicit pertinere ad pietatem cogitare de ſalute, & de fide habendâ, ut planè docuit Apoſtolus, & ipſe ſanctus Auguſtinus explicat (L. de prædeſtinat. Sanct. cap. 2.) Et (cap. 7.) dicit, quòd Cornelius, quidquid ante fidem habuit, diſponens videlicet ad ipſam, erat Dei donum. Unde contrà Pelagianos & Semipelagianos convincit, quòd ſi in homine ſine gratiâ inveniantur illa opera naturalia, quibus vel fides, vel gratia detur, illa pertinent ad pietatem, & ſunt prout ad ſalutem oportet ſine gratiâ, quod eſt contrà fidem. Hæc autem opera, hoc modo prorsùs ſtatuit Molina; ut ex dicendis fiet manifeſtum. Vide Concord. Mol. (1. p. q. 23. art. 4. & 5. memb. 9. in principio,) ubi dicit de pueris ſine baptiſmo decedentibus, quòd habent beatitudinem naturalem.

JESUITÆ.

§. I.

Loca S. Auguſtini expendenda circà primam Molinæ Propoſitionem.

1. ([a] Tom. 3. L. de Spir. & Litt. cap. 27.) Si autem hi qui naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt, nondùm ſunt habendi in numero eorum, quos Chriſti juſtificat gratia; ſed in eorum potiùs, quorum etiàm impiorum, nec Deum verum veraciter juſtèque colentium, quædam tamèn facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ ſecundùm juſtitiæ regulam, non ſolùm vituperare non poſſumus, verùm etiàm meritò rectèque laudamus: Quamquàm ſi diſcutiatur quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ juſtitiæ debitam laudem defenſionem-vè mereantur. Verumtamèn quià non uſque adeò in animâ humanâ imago Dei terrenorum affectuum labe detrita eſt, ut nulla in eâ velut lineamenta extrema remanſerint; undè meritò dici poſſit etiàm in ipsâ impietate vitæ ſuæ facere aliqua legis, vel ſapere; ſi hoc eſt quod dictum eſt, quià [b] *gentes quæ legem non habent*, hoc eſt, legem Dei, *naturaliter quæ legis ſunt faciunt*; & quià hujuſmodi homines *ipſi ſibi lex ſunt*, & *ſcriptum opus legis habent in cordibus ſuis*, id eſt, non omni modo deletum eſt, quod ibì per imaginem Dei, cùm crearentur, impreſſum eſt; etiàm ſic illa differentia non perturbabitur, quâ diſtat à Vetere Teſtamentum Novum, eò quòd per Novum ſcribitur lex Dei in corde fidelium, quæ per Vetus in tabulis ſcripta eſt. Hoc enìm illìc ſcribitur per renovationem, quod non omni modo deletum eſt per vetuſtatem.

([c] Et paulò poſt.) Nam & ipſi homines erant, & virtus illa naturæ inerat eis, quâ legitimum aliquid anima rationalis & ſentit, & facit: ſed pietas quæ in aliam vitam transfert beatam & æternam, legem habet immaculatam, convertentem animas, ut ex illo lumine renoventur, fiatque in eis quod dicitur: [d] *Signatum eſt ſuper nos*

[a] *Tom. 10. num. 48. col. 111.*

[b] *Rom. 2. 14.*

[c] *Ibidem.*

[d] *Pſal. 4. 7.*

Digitized by Google

nos lumen vultûs tui Domine. Undè & averſi obſoleſcere meruerunt; renovari autem niſi gratiâ Chriſti, hoc eſt, niſi Mediatoris interceſſione non poſſint. a *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus, qui dedit ſemetipſum Redemptionem pro omnibus*. A cujus gratiâ ſi alieni ſunt illi, de quibus agimus, qui ſecundùm illum modum, de quo ſuperiùs ſatis diximus, b *Naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt*; quid eis proderunt *excuſantes cogitationes, in die quâ judicabit Deus occulta hominum*, niſi fortè ut mitiùs puniantur? Sicut enim non impediunt à vitâ æternâ juſtum quædam peccata venialia, ſine quibus hæc vita non ducitur: ſic ad ſalutem æternam nihil proſunt impio aliqua bona opera, ſine quibus difficillimè vita cujuſlibet peſſimi hominis invenitur.

a 1. Timot. 2. 5.

b Rom. 2. 14.

(c Et paulò poſt.) Quid ergò hinc Apoſtolus efficere voluit, quòd jactantiam cohibens Judæorum, cùm dixiſſet: d *Non auditores legis juſti ſunt apud Deum; ſed factores legis juſtificabuntur*; continuò ſubjecit de his, qui *legem non habentes, naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt*: ſi non illi ſunt intelligendi, qui pertinent ad gratiam Mediatoris; ſed illi potiùs, qui cùm Deum verum verâ pietate non colant, habent tamen quædam opera bona in vitâ impiâ?

c Ibid. n. 49. col. 112.

d Rom. 2. 13.

(e Et paulò poſt.) Quòd quantulacunque legis opera naturaliter inſita non invenirentur in eis, qui legem non acceperunt, niſi ex reliquiis imaginis Dei.

e Ibidem.

(Et infrà.) Sed quodlibet horum accipiatur, conſtat gratiam Dei promiſſam eſſe Teſtamento novo etiam per f Prophetam: eandemque gratiam in eo definitam, ut ſcribantur leges Dei in cordibus hominum, perveniantque ad eam cognitionem Dei, ubi non docebit unuſquiſque civem ſuum, vel fratrem ſuum dicens: cognoſce Deum, quià omnes cognoſcent eum à minore uſque ad majorem eorum. Hoc donum Spiritûs Sancti eſt, g quo diffunditur charitas in cordibus noſtris; charitas non quælibet, ſed a charitas Dei de corde puro, & conſcientiâ bonâ, &c.

f Jerem. 31. 33.

g Rom. 5. 5.

a 1. Tim. 1. 5.

PRÆDICATORES.

Nihil tale dicit hìc S. Auguſtinus quale prætendunt Jeſuitæ; ſed ſolùm quòd homo ſine gratiâ poteſt facere aliqua opera bona moralia ex objecto, ſive ex genere, non autem ex verâ virtute morali; ſicut poterat homo ſi in puris naturalibus conderetur, ut planè dicit Molina.

JESUITÆ.

2. (Tom. 7. Lib. 4. contrà Julian. cap. 3.) b Sed ad hoc eos in die judicij cogitationes ſuæ defendent, ut tolerabiliùs puniantur, quia naturaliter, quæ legis ſunt, utcunque fecerunt, ſcriptum habentes in cordibus opus legis hactenùs, ut aliis non facerent quod perpeti nollent.

b Tom. 10. n. 25. col. 598.

(Et infrà.) c Si Gentilis qui non vivit ex fide, nudum operuerit, ægri vulnera foverit, divitias honeſtæ amicitiæ impenderit, ad teſtimonium falſum nec tormentis potuerit impelli; quæro abs te, utrum hæc opera bona benè faciat, an malè?

c Tom. 10. n. 30. col. 600.

PRÆDICATORES.

In primis verbis ſolùm dicit S. Auguſtinus, quòd nullo modo Gentilis habet aliquam veram virtutem. Undè contrarium probat.

In ſecundis verbis tantùm dicit, quòd Gentilis facit aliqua bona moralia, ſed malè. Ergò non ex virtute, ut Molina dicit.

JESUITÆ.

3. (Tom. 7. L. 3. * Hypognoſticon) Eſſe fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem judicium rationis, non per quod ſit idoneum, quæ ad Deum pertinent, ſine Deo aut inchoare, aut certè peragere: ſed tantùm in operibus vitæ præſentis, tàm bonis, quàm etiam malis. Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur, id eſt, velle laborare in agro, velle manducare & bibere, velle habere amicum, velle habere indumenta, velle fabricare domum, uxorem velle ducere,

* Hoc opus non eſt D. Auguſt. ſed ſpurii. Vide Appendic. tom. 10. oper. S. Aug. à Benedictinis; initio. Hæc verba legimus in Appendice, tomi 10. & 4. col. 14.

cere, pecora nutrire, artem diſcere diverſarum rerum bonarum, velle quidquid bonum ad præſentem pertinet vitam.

PRÆDICATORES.

In iſto loco non dicit S. Auguſtinus, in infideli eſſe opus verè bonum, fini naturali accommodatum, quod ſit opus virtutis moralis: ſed tantùm virtutes quaſdam civiles pertinentes ad hominem exteriorem, & politicam gubernationem, in homine ſine gratiâ conſtituit, ut omnia ejus exempla declarant.

JESUITÆ.

a Tom. 8. part. 2. n. 21. col. 953. 4. (a Tom. 4. in expoſ. Ep. ad Galatas cap. 3. paulò antè medium) Nam eſt iſta quædam in operibus legis juſtitia, (quandò ſine ſuo præmio relicta non eſt;) ut qui fecerit ea, vivat in eis. Undè & ad Romanos dicit: b *Si enim Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non ad Deum.* Aliud eſt ergò, non juſtificari: aliud, non juſtificari apud Deum. Qui omninò non juſtificatur, nec illa ſervat, quæ temporale habent præmium, nec illa quæ æternum: qui autem in operibus legis juſtificatur, non apud Deum juſtificatur; quià temporalem indè exſpectat viſibilemque mercedem. Sed tamen, eſt etiam iſta, ut dixi, quædam, ut ſic dicam, terrena carnaliſque juſtitia. Nam & ipſe Apoſtolus eam juſtitiam vocat, cùm alibì dicit: c *Secundùm juſtitiam quæ in lege eſt, converſatus ſine querelâ.*

b Rom. 4. 2.

c Philipp. 3. 6.

PRÆDICATORES.

Solùm dicit ſanctus Auguſtinus ibì, quòd facientes ſine gratiâ aliqua opera legis, licèt habeant aliqualem juſtitiam, non tamen apud Deum: nec dicit quòd illa opera faciant ex verâ virtute morali.

JESUITÆ.

d Tom. 10. p. 41. col. 186. 5. (d Tom. 7. Lib. de perfect. juſtit. cap. 19.) Videte tamen, obſecro, quale ſit. Ideò volenti & currenti miſericordiam Dei non eſſe neceſſariam, quæ illum etiam prævenit, ut curreret, quià de quodam aït Apoſtolus: a *Quod vult faciat.* Ibì ut arbitror, ubì ſequitur, & dicit: *Non peccat, ſi nubat.* Quaſi pro magno habendum ſit, velle nubere, ubì de adjutorio divinæ miſericordiæ operoſiùs diſputatur.

a 1. Cor. 7. 36.

PRÆDICATORES.

Ibi tantùm dicit ſanctus Auguſtinus, poſſe hominem nubere ſine adjutorio gratiæ, & nihil aliud.

JESUITÆ.

6. (b Tom. 5. Lib. 5. de civit. Dei cap. 18.) Si Marculus Regulus, nè crudeliſſimos hoſtes jurando falleret, ad eos ab ipsâ Româ reverſus eſt, quoniàm ſicut Romanis, eum tenere volentibus, reſpondiſſe fertur, poſteàquàm Afris ſervierat, dignitatem illic honeſti civis habere non poſſet: eumque Carthaginenſes, quoniàm contrà eos in Romano Senatu egerat, graviſſimis ſuppliciis necaverunt. Qui cruciatus non ſunt pro fide illius patriæ contemnendi, ad cujus beatitudinem fides ipſa perducit? Aut c quid retribuetur Domino pro omnibus quæ retribuit, ſi pro fide, quæ illi debetur, talia fuerit homo paſſus, qualia pro fide, quam pernicioſiſſimis inimicis debebat, paſſus eſt Regulus?

b Tom. 7. n. 2. col. 144.

c Pſal. 115. 12.

(d Et paulò poſt.) Aut quid ſe magnum feciſſe prædicabit, quòd nullo præmio mundi hujus fuerit ab æternæ illius patriæ ſocietate ſeductus, cùm Fabricium didicerit tantis muneribus Pyrrhi Regis Epirotarum, promiſsâ etiam parte Regni, à Romanâ civitate non potuiſſe divelli; ibique in ſuâ paupertate privatum manere maluiſſe?

d Col. 131.

(e Et paulò poſt.) Nonnè omnes Chriſtiani, qui excellentiore propoſito divitias ſuas communes faciunt, ſecundùm id quod ſcriptum eſt in Actis Apoſtolorum, f ut diſtribuatur unicuique, ſicut cuique opus eſt; & nemo dicat aliquid proprium, ſed ſint illis omnia communia: intelligunt ſe nullâ ob hoc ventilari oportere jactantiâ, id faciendo pro obtinendâ ſocietate Angelorum, cùm penè tale aliquid fecerint

e Ibidem.

f Act. 2. 45 & 4. 32.

Digitized by Google

rint illi pro conſervandâ gloriâ Romanorum? Hæc, & alia, ſi quæ hujuſmodi reperiuntur in Litteris eorum, quandò ſic innoteſcerent, quandò tantâ famâ prædicarentur, niſi Romanum Imperium longè latèque porrectum, magnificis ſucceſſibus augeretur? Proinde per illud Imperium tàm latum, tàmque diuturnum, virorumque horum virtutibus præclarum atque glorioſum, & illorum intentioni merces quam quærebant, eſt reddita, & nobis propoſita neceſſariæ commonitionis exempla: ut ſi virtutes, quarum iſtæ utcunque ſunt ſimiles, quas iſti pro civitatis terrenæ gloriâ tenuerunt, pro Dei glorioſiſſimâ civitate non tenuerimus, pudore pungamur; ſi tenuerimus, ſuperbiâ non extollamur.

a Num. 3. col. 136. (a Et infrà.) Ut hi qui qualibuſcunque virtutibus terrenam gloriam quæſierunt, & adquiſierunt, vincerent eos, qui magnis vitiis datorem veræ gloriæ & civitatis æternæ occiderunt atque reſpuerunt.

PRÆDICATORES.

Nihil tale dicit in hoc loco ſanctus Auguſtinus ac Molina. Immò dicit feciſſe Romanos opera magna ex inani amore laudis humanæ, ſine verâ virtute. Quod ibi expreſſè docet.

JESUITÆ.

b Nunc 138 tom. 2. n. 17. col. 417. 7. (Tomo 2. Epiſt. 5. b ad Marcellinum non longè à fine.) Ut quamdiù inde peregrinamur, feramus eos, ſi corrigere non valemus, qui vitiis impunitis volunt ſtare Rempublicam, quam primi Romani conſtituerunt, auxeruntque virtutibus, etſi non habentes veram pietatem ergà Deum verum, quæ illos etiàm in æternam civitatem poſſet ſalubri Religione perducere; cuſtodientes tamen quandam ſui generis probitatem, quæ poſſet terrenæ civitati conſtituendæ, augendæ, conſervandæque ſufficere. Deus enim ſic oſtendit in opulentiſſimo & præclaro imperio Romanorum, quantùm valerent civiles, etiam ſine verâ Religione, virtutes; ut intelligeretur hâc additâ, fieri homines cives alterius civitatis, cujus Rex veritas, cujus Lex charitas, cujus modus æternitas.

PRÆDICATORES.

Ibì ſolùm dicit ſanctus Auguſtinus, fuiſſe in Romanis virtutes, quæ poſſent terrere, civitati reſtituendæ, augendæque ſufficere. Sed hoc quid habet commune cum virtutibus moralibus rectificantibus interiorem hominem reſpectu finis naturalis?

JESUITÆ.

8. (Tom. 2. Epiſt. 99. a ad Evodium non longè ab initio.) Multos etiàm quorum Litteras non habemus, ſed in illorum Litteris didicimus, ſecundùm quemdam modum laudabiles vitas, ut, excepto Dei cultu, in quo erraverunt colentes vana, quæ publicè colenda fuerant inſtituta, & creaturæ potiùs quàm Creatori ſervientes, in cæteris moribus parcimoniæ, continentiæ, caſtitatis, ſobrietatis, mortis pro patriæ ſalute contemptûs, ſervatæque fidei non ſolùm civibus, verùm & hoſtibus, imitandi meritò proponantur. a Nunc 164. tom. 2. num. 4. col. 574.

PRÆDICATORES.

Ibì ſanctus Auguſtinus totum dicit contrarium. Nam ſolùm dicit, quòd ſine gratiâ gentiles habuerunt caſtitatem, & alia ſimilia opera ad faſtum inanem humanæ laudis. Quod multotiès de ipſis Romanis dicit, quòd non habuerunt veras virtutes.

JESUITÆ.

9. (b Tom. 5. L. 5. de civitate Deì cap. 15.) Quibus ergò non erat Deus daturus vitam æternam cum ſanctis Angelis ſuis in civitate ſuâ cæleſti, ad cujus ſocietatem pietas vera perducit, quæ non exhibet ſervitutem Religionis (quam latriam Græci vocant) niſi uni vero Deo; ſi neque hanc eis terrenam gloriam excellentiſſimi imperii concederet, non redderetur merces bonis artibus eorum, id eſt virtutibus, quibus ad tantam gloriam pervenire nitebantur. De talibus enim, qui propter hoc boni aliquid facere viden- b Tom. 7. col. 131.

tur, ut glorificentur ab hominibus, etiam Dominus aït: [a] *Amen dico vobis, perceperunt mercedem ſuam.* Sic & iſti privatas res ſuas pro re communi, id eſt, Republicâ, & pro ejus ærario contempſerunt, avaritiæ reſtiterunt, conſuluerunt patriæ conſilio libero; neque delicto ſecundùm ſuas leges, neque libidini obnoxii; ſed his omnibus artibus tanquàm verâ viâ niſi ſunt ad honores, imperium, gloriam; honorati ſunt in omnibus ferè gentibus; imperii ſui leges impoſuerunt multis gentibus; hodiéque Litteris & hiſtoriâ glorioſi ſunt penè in omnibus gentibus. Non eſt quòd de ſummi & veri Dei juſtitiâ conquerantur: *Perceperunt mercedem ſuam.*

a *Math. 6. 2.*

PRÆDICATORES.

Ibì ſolùm dicit ſanctus Auguſtinus, quòd Deus virtutibus Romanorum, quas operabantur per inanem gloriam, dedit idipſum præmium, nempè mundi gloriam.

JESUITÆ.

10. ([b] Tom. 10. Serm. 15. de verbis Apoſtoli, paulò ante medium) Lege Dei propoſitâ quiſquis tumuerit, & ſuis viribus eam implere ſe poſſe putaverit, & fecerit quod lex jubet, non amando juſtitiam, ſed timendo pœnam; fuit quidem ex juſtitiâ quæ ex lege eſt, homo ſine querelâ; non furatur, non adulterat, non dicit falſum teſtimonium, non facit homicidium, non concupiſcit rem Proximi ſui: Poteſt hoc, poteſt fortaſsìs. Undè? Timore pœnæ.

([c] Et aliquantò inferiùs.) Gentes autèm quæ non ſectabantur juſtitiam, quæ ex lege eſt, quaſi propriam ſuam, quæ fit de timore pœnæ, non de amore juſtitiæ.

([d] Et paulò inferiùs.) Ex lege quidèm, ſed ſuâ. Quid eſt, ex lege? Quia in mandatis legis. Quid eſt, de ſuâ? Tanquàm de viribus ſuis. Amor deerat, amor juſtitiæ, amor charitatis Chriſti.

b *Tom. 5. ſerm. 169. num. 8. col. 812.*
c *Num. 9. col. 813.*
d *Ibidem.*

PRÆDICATORES.

Ibì ſolùm dicit ſanctus Auguſtinus, aliquos timore pœnæ non concupiſcere malum. Quanquam, ait, qui timore pœnæ non concupiſcunt, puto quòd concupiſcunt. Ex quo loco, undè infertur quòd veras habeant Gentiles virtutes morales, debet inferri contrarium.

JESUITÆ.

11. ([a] Tom. 8. præfat. in Pſal. 31. paulò poſt initium.) Talis itaque cogitatio præcipitat hominem; quâ quiſque teritur, ſi ſe in audaciam quandam præſumptionis erexerit, & de ſuis viribus juſtitiâque præſumpſerit, & propoſuerit animo implere juſtitiam, & omnia quæ præcipiuntur in lege, ità facere, ut in nullo offendat, atque in poteſtate ſuâ ſe habere vitam ſuam, ut omninò nuſquàm labatur, nuſquàm deficiat, nuſquàm titubet, nuſquàm caliget; ſibíque hoc tribuat, & potentatui voluntatis ſuæ: etiam-ſi fortè impleverit omnia, quæ juſta videntur coràm oculis hominum, ità ut nihil inveniatur in vitâ ejus, quod poſſit reprehendi ab hominibus, ipſam præſumptionem, jactationemque ſuperbiæ damnat Deus.

([b] Et infrà non longè à fine.) Jactet etiàm impius opera ſua, & dicat: do pauperibus, nihil alicui aufero, non uxorem alienam concupiſco, non quemquam occido, nulli fraudem facio. Depoſitum apud me, nullo teſte, repræſento. Hæc omnia dicat. Quæro utrùm pius ſit, an impius? Et quomodò ſum impius, inquit, iſta faciens? Quomodò illi, de quibus dictum eſt: [c] *Et ſervierunt creaturæ potiùs quàm Creatori, qui eſt benedictus in ſæcula.* Ecce quomodò es impius.

([d] Et paulò poſt.) Moveas licèt in bonis operibus lacertos, & videaris navim optimè gubernare, in ſaxa feſtinas. Quid ſi quod ſperandum eſt ſperas, id eſt, vitam æternam; ſed non à Domino Deo per Jeſum Chriſtum, per quem ſolùm datur vita æterna; ſed putas te poſſe ad vitam æternam pervenire per militiam Cæli, per Solem & Lunam, per poteſtates aëris & Maris & Terræ, & Syderum? Impius es.

a *Tom. 4. enarrat. 2. num. 1. col. 170.*
b *Num. 6. col. 174.*
c *Rom. 1. 25.*
d *Ibidem.*

Sed

Digitized by Google

Sed crede in eum qui juſtificat impium, ut poſſint & bona opera tua, eſſe opera bona. Nam nec bona illa appellaverim, quamdiù non de radice bonâ procedunt.

PRÆDICATORES.

Ibi ſolùm dicit ſanctus Auguſtinus, quòd licèt fortè homo poſſit ſine gratiâ implere omnia coràm oculis hominum, nihil reprehenſibile faciendo in oculis hominum; ipſam præſumptionem, jactationemque ſuperiùs damnat Deus. Undè anteà illum ſic operantem vocat impium. Ergò non habet veram virtutem.

JESUITÆ.

a Tom. 4. num. 7. col. 882. 12. (a Tom. 8. enarrat. in Pſal. 83. paulò antè medium.) Dicimus autem, Fratres, quod noſtis. Quanti videntur præter Eccleſiam bona operari! Quàm multi etiam Pagani paſcunt eſurientem, veſtiunt nudum, ſuſcipiunt hoſpitem, viſitant ægrotum, conſolantur incluſum! Quàm multi hæc faciunt! Quaſi videtur parere Turtur; ſed non ſibi invenit nidum. Quàm multa multi hæretici non in Eccleſiâ operantur, non in nido pullos ponunt! Conculcabuntur, & conterentur; non ſervabuntur, non cuſtodientur. In hujus enim carnis operatricis perſonâ poſita eſt quædam mulier ab Apoſtolo Paulo cum aït: b *Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta eſt.* b 1. Timot. 2. 14.

PRÆDICATORES.

In iſto loco dicit ſanctus Auguſtinus, multos extrà Eccleſiam videri bona operari, videlicet eſurientes paſcendo, veſtiendo nudos &c. Non tamen dicit, quòd ex verâ virtute morali hæc faciant.

JESUITÆ.

c Tom. 4. num. 4. col. 1296. 13. (c Tom. 8. enarrat. in Pſal. 118. concione 8. ſub finem.) Videtur quippè quàm ſint utiles atque ſalubres, atque ideò poteſt earum deſiderium concupiſci. Sæpè enim quid agendum ſit, videmus, nec agimus: quià non delectat ut agamus, & concupimus ut delectet. Prævolat intellectus, & tardè ſequitur, & aliquandò non ſequitur humanus atque infirmus affectus.

PRÆDICATORES.

In iſto loco ſolùm dicit ſanctus Auguſtinus, hominem poſſe deſiderare juſtificationes Dei, & concupiſcere opera juſta: ſed non dicit illud deſiderium haberi naturæ viribus. Immò loquitur de homine juſtificato per gratiam, qualis David erat.

JESUITÆ.

14. (a Tom. 7. L. 3. contrà duas epiſt. Pelag. cap. 7.) Putant enim ſe arbitrii ſui viribus implere legem jubentem, & iſtâ implicati ſuperbiâ, ad gratiam non convertuntur juvantem. Sic eos littera occidit; aut apertè etiàm ſibi reos, non faciendo quod præcipit, aut putando ſe facere, quod ſpiritali, quæ ex Deo eſt, non faciunt charitate. Ità remanent aut apertè iniqui, aut fallaciter juſti; in apertâ iniquitate evidenter eliſi, in fallaci juſtitiâ inſipienter elati. Ac per hoc miro quodam modo, ſed tamèn vero juſtitiam legis non implet juſtitia quæ in lege eſt, vel ex lege, ſed quæ in Spiritu gratiæ. Juſtitia quippè legis impletur in eis, ſicut ſcriptum eſt: b qui non ſecundùm carnem ambulant, ſed ſecundùm Spiritum. Secundùm juſtitiam verò quæ in lege eſt, ſe fuiſſe ſine querelâ in carne, non in Spiritu, dicit Apoſtolus: c & juſtitiam quæ ex lege eſt, ſuam dicit fuiſſe, non Dei. a Tom. 10. num. 20. col. 461. b Rom. 8. 4. c Philipp. 3. 6.

PRÆDICATORES.

Ibi dicit ſanctus Auguſtinus, eos qui operantur ſine charitate remanere apertè iniquos, vel fallaciter juſtos: non ergò dicit quòd habeant veras morales virtutes, in quibus non eſt iniquitas, vel fallacia juſtitiæ. Ut ipſe docet (L. 4. contrà Julianum.)

JESUITÆ.

15. (d Tom. 1. L. 1. Retract. cap. 23. ſub initium.) Dixi hominem deſcribi adhuc ſub lege, nondùm ſub gratiâ conſtitutum, benè facere volentem, ſed victum concupiſcentiâ carnis, malè facientem. d Tom. 1. col. 34.

PRÆDICATORES.

Totum contrarium dicitur in iſto loco; quòd videlicet homo concupiſcentiâ carnis victus, malè operatur: à cujus concupiſcentiæ dominatu non liberat niſi gratia Dei.

JESUITÆ,

a Nunc 117. tom. 2. num. 10. col. 803.

16. (Tom. 2. Epiſt. 107. a ad Vitalem, paulò ante medium.) Itaque aliquos eorum, per quos ampliùs decipere affectat, ſinit habere nonnulla velut opera bona, in quibus laudantur per quaſque gentes, præcipuèque in gente Romanâ, qui præclarè glorioſiſſimèque vixerunt.

PRÆDICATORES.

Solùm dicit ſanctus Auguſtinus, quòd videntur gentiles habere velut aliqua opera bona, quibus ait glorioſiſſimè vixiſſe Romanos; non tamen ait eos habuiſſe veras virtutes morales.

JESUITÆ.

§. II.

Item expendemus loca ex quibus apparet apud S. Auguſtinum, bonum opus morale eſſe opus moralis ſeu civilis virtutis.

b Tom. 1. num. 50. col. 607.

17. (b Tom. 1. L. 2. de lib. arb. cap. 19.) Virtutibus nemo malè utitur: cæteris autem bonis, id eſt, mediis & minimis, non ſolùm benè, ſed etiàm malè quiſque uti poteſt. Et ideò virtute nemo malè utitur, quià opus virtutis eſt bonus uſus iſtorum, quibus etiàm non benè uti poſſumus. Adjunctis his, quæ paulò inferiùs dicit Verſu: Noli ergò mirari; & his etiam quæ dixerat (c cap. 18. non longè ab initio.) Quæ duo tamen, id eſt, Deum eſſe, & omnia bona ex ipſo eſſe, quanquàm inconcuſsâ fide etiàm anteà tenerentur, ſic tamèn tractata ſunt, ut hoc quoque tertium, inter bona eſſe numerandam liberam voluntatem, maniſeſtiſſimè appareat.

c Num. 47 col. 606.

PRÆDICATORES.

Expenduntur loca ſecundi capitis, quòd videlicet homo operetur iſta opera bona moraliter ex virtute morali.

In primo loco totum contrarium docet ſanctus Auguſtinus; quòd videlicet ſine charitate nulla eſt vera virtus in homine. Et in capite 18. præmiſerat, omnia bona etiam minima à Deo eſſe.

JESUITÆ.

18. (a Tom. 4. L. 83. quæſt. q. 31.) Virtus eſt animi habitus naturæ modo atque rationi conſentaneus. Quare omnibus ejus partibus cognitis, tota vis erit ſimplicis honeſtatis conſiderata. Habet igitur partes quatuor, prudentiam, juſtitiam, fortitudinem, temperantiam. Prudentia eſt rerum bonarum & malarum, & neutrarum ſcientia. Partes ejus, memoria, intelligentia, providentia. Memoria eſt per quam animus repetit illa quæ fuerunt. Intelligentia, per quam ea perſpicit quæ ſunt. Providentia, per quam futurum aliquid videtur, antequàm factum eſt. Juſtitia eſt habitus animi, communi utilitate conſervata, ſuam cuique tribuens dignitatem. Ejus initium eſt à naturâ profectum; deindè quædam in conſuetudinem ex utilitatis ratione venerunt: poſteà res & à naturâ profectas, & conſuetudine probatas, legum metus & Religio ſanxerunt.

a Tom. 6. num. 1. col. 9.

PRÆDICATORES.

Ibi ſolùm dicit ſanctus Auguſtinus, initium juſtitiæ haberi à naturâ, quià videlicet & virtutes ſunt conformes naturæ, & rationi naturali benè ordinatæ. Ex quo, undè colligitur quòd virtutes veræ in infideli, qui deordinatur à fine naturali?

JESUITÆ.

19. (Tom. 2. Epiſt. 5. b ad Marcellinum.) Deus enim ſic oſtendit in opulentiſſimo & præclaro imperio Romanorum, quantùm valerent civiles, etiàm ſine verâ Religione virtutes.

b Nunc 138 tom. 2. n. 17. col. 417.

PRÆDICATORES.

Jàm patet ad iſtum locum reſponſio, ex reſponſione ad ſeptimum locum primò inductum.

Digitized by Google

ductum. Eſt enim idem prorſus, nec ſine ſuperfluitate multiplicatur.

JESUITÆ.

a Tom. 7. n. 3. col. 135. 20. (a Tom. 5. L. 5. de civit. Dei cap. 18.) Proindè per illud imperium tàm latum, tàmque diuturnum, virorumque tantorum virtutibus præclarum, atque glorioſum, & illorum intentioni merces, quam quærebant, eſt reddita, & nobis propoſita neceſſariæ commonitionis exempla: ut ſi virtutes, quarum iſtæ utcunque ſunt ſimiles, quas iſti pro civitatis terrenæ gloriâ tenuerunt, pro Dei glorioſiſſimâ civitate non tenuerimus, pudore pungamur; ſi tenuerimus, ſuperbiâ non extollamur.

b Col. 136. (b Et infrà.) Ut hi qui qualibuſcunque virtutibus, terrenam gloriam quæſierũt, & adquiſierũt, vincerent eos qui magnis vitiis datorem veræ gloriæ & civitatis æternæ occiderunt atque reſpuerunt.

c Col. 131. Itèm, (c eodem libro cap. 15.) ſi neque hanc eis terrenam gloriam excellentiſſimi imperii concederet, non redderetur merces bonis artibus eorum, id eſt, virtutibus, quibus ad tantam gloriam pervenire nitebantur.

PRÆDICATORES.

Ibì tantùm dicit ſanctus Auguſtinus, virtutes Romanorum non veras; ſed utcunque fuiſſe ſimiles veris virtutibus. Et præmiſerat in principio, quòd propter laudem humanam omnia opera illa faciebant. Et quòd attinet ad caput 15. jam patet intelligentia hujus loci ex reſponſione ad nonum locum primò inductum.

JESUITÆ.

§. III.

Itèm expendemus ad ejuſdem propoſitionis defenſionem loca S. Auguſtini, ex quibus conſtat ipſum tantummodò negare, poſſe fieri abſque gratiâ opera pietatis, & verarum virtutum ſecundùm pietatem.

d Tom. 10. num. 33. col. 602. 21. (d Tom. 7. L. 4. contrà Julian. cap. 3.) Aut ergò intellige quod ait Dominus: e *Si oculus tuus nequam eſt, totum corpus tuum tenebroſum erit; ſi autem oculus tuus ſimplex eſt, totum corpus tuum lucidum erit.* Et hunc oculum agnoſce intentionem, quâ facit quiſque quod facit: & per hoc diſce eum, qui non facit opera bona intentione fidei bonæ, hoc eſt, ejus quæ per dilectionem operatur, totum quaſi corpus, quod illis, velut membris, operibus conſtat, tenebroſum eſſe, hoc eſt, plenum nigredine peccatorum. Aut certè, quoniàm ſaltèm concedis opera infidelium quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad ſalutem ſempiternam Regnumque perducere: ſcito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, ſinè Dei gratiâ quæ datur per unum Mediatorem Dei & hominum, nemini poſſe conferri; per quod ſolum homo poteſt ad æternum Dei donum, Regnumque perduci. Omnia proindè cætera, quæ videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi virtutes veræ, videantur opera bona, & ſine ullo facta peccato. Quòd ad me pertinet, hoc ſcio, quià non ea facit voluntas bona. Voluntas quippè infidelis atque impia, non eſt bona.

e Matth. 6. 22.

PRÆDICATORES.

Expenduntur loca pro tertio capite, quòd videlicet ſolùm neget S. Auguſtinus virtutes veras ad pietatem pertinentes.

Ibì ſanctus Auguſtinus præmiſerat, quòd ſi homo habet ex ſe virtutes morales, illæ ſunt prout ad ſalutem oportet: undè per hoc convincuntur Molinæ defenſores.

JESUITÆ.

22. (a Tom. 7. L. de grat. & lib. arb. cap. 4. in initio) Ut ad vitam piam, & bonam converſationem, cui merces æterna debetur, adjutorio & gratiæ Dei locus non relinquatur. (b Ibid. cap. 17. paulò poſt initium.) Tamèn ſine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. a Tom. 10. num. 6. col. 721. b Num. 33. col. 735.

23. (c Tom. 7. L. de prædeſt. Sanct. cap. 2.) Quòd ergò pertinet ad Religionem atque pietatem, de quâ lo- c Tom. 10. num. 5. col. 792.

 quebatur

Digitized by Google

a 2. Cor. 3. 5. quebatur Apoſtolus: [a] Si *non ſumus idonei cogitare aliquid quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*: profectò non ſumus idonei credere aliquid quaſi ex nobiſmetipſis, quod ſine cogitatione non poſſumus; ſed ſufficientia noſtra, quâ credere incipiamus, ex Deo eſt.

PRÆDICATORES.

His ipſis ſancti Auguſtini locis convincuntur Molinæ defenſores. Jàm enim dictum eſt, & ibi patet, virtutes morales, ſi in homine à ſancto Auguſtino collocentur, pertinere ad pietatem, quià Deus illas non damnabit.

JESUITÆ.

b Tom. 10. num. 33. col. 839. 24. ([b] Tom. 7. L. de dono perſev. cap. 13.) Quod autèm attinet ad pietatis viam, & verum Dei cultum, [c] *non ſumus idonei cogitare aliquid tanquàm ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.*

c 2. Cor. 3. 5.

PRÆDICATORES.

Itèm reſpondetur illas virtutes morales, ſi ſine gratiâ in homine collocentur, operari ſecundùm pietatem ratione jam factâ.

JESUITÆ.

25. (Tom. 7. L. 4. contrà duas Epiſt. Pelagian. cap. 6. [d]) *Verumtamen* &c. Tom. 2. Epiſt. 106. [e] ad Paulinum. *Quòd gratia Dei* &c. uſque ad hæc verba, *habere poſſimus.* Tom. 7. L. 3. Hypognoſticon [f] cap. 4. *Et eſſe fatemur* &c. Et cap. 10. [g] initio, uſque ad illud, *Catholicus eſt.* Tom. 2. Epiſt. 46. [h] ad Valentinum. *Neque liberum arbitrium,* uſque ad hæc verba, *non poſſumus.* [i] Tom. 7. L. 2. contrà duas Epiſt. Pelag. cap. 5. *Ad benè autèm pièque vivendum* &c. Tom. 3. [k] ex lib. de Eccleſ. dogmatibus cap. 44. *Quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ.* &c.

d Num. 13. col. 475. t. 10.
e Nunc 186. to. 2. n. 3. col. 664.
f Non eſt D. Aug. in appendic. t. 10. num. col.
g Ibidem. col. 20.
h Nunc 214. to. 2. num. 2. col. 791.
i To. 10. n. 9. col. 436.
k Append. t. 8. col. 75 Hic liber eſt Gennadii Maſſilienſis.

PRÆDICATORES.

Quià hæc quæ adducunt loca, nihil omninò probant, ideò omittuntur. Omnibus enim dicendum ſanctum Auguſtinum docere. id quod pertinet ad pietatem & ſalutem non poſſe fieri ſine gratiâ. At verò illa opera naturæ quæ conſtituit Molina, velit, nolit, convincitur, quòd ponat illa fieri ab homine ſecundùm pietatem, & prout expedit ad ſalutem.

JESUITÆ.

§. IV.

Item expendemus loca ex quibus conſtat apud Auguſtinum actus pietatis eſſe primò fidem, à quâ incipit vera pietas, & aliàs actus ex fide.

26. ([a] Tom. 7. L. de prædeſt. Sanct. cap. 2.) Fides, undè pietatis exordium ſumitur, donum Dei eſſe monſtratur. ([b] Itèm cap. 7.) Ex fide autèm ideò dicit juſtificari hominem, non ex operibus; quià ipſa prima datur, ex quâ impetrentur cætera, quæ propriè opera nuncupantur, in quibus juſtè vivitur.

a Tom. 10. num. 6. col. 793.
b Num. 12. col. 798.

PRÆDICATORES.

Expenduntur jam loca in capite quarto ordinata, probantia nullum eſſe actum pietatis ſine fide.

Dicit in utróque loco ſanctus Auguſtinus fidem eſſe ſalutis & pietatis initium, quià videlicet eſt perfectum principium pietatis. Sed ipſe in illo eodem loco (cap. 7.) docuit quòd quidquid boni operatus eſt Cornelius antè fidem, fuit Dei donum, quià illud etiam pertinebat aliquâ ratione, & ad fidem & ad pietatem.

JESUITÆ.

27. ([c] Itèm cap. 10.) Quoniam non ſunt bona opera [d] niſi ex fide (*juſtus* [e] enim *ex fide vivit*: &, *omne quod non eſt ex fide peccatum eſt*; &, [f] *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*) nihilominùs ut impleat quod promiſit Deus, in hominum eſt poteſtate.

c Tom. 10. n. 20. col. 804.
d Habac. 2. 4.
e Rom. 14. 23.
f Hebr. 11. 6.

PRÆDICATORES.

Tantùm intendit ibi S. Auguſtinus, quòd opera bona, id eſt, meritoria non ſunt ſine fide; quod de fide eſt. Non autem intendit quòd cogitare de habendâ fide ante ipſam fidem, non ſit opus pietatis, licet meritorium, quià id expreſsè docuerat (cap. 2.) ex Apoſtolo.

JESUITÆ

Digitized by Google

JESUITÆ.

a Nunc 194 tom. 2. num. 9. col. 718.

28. (Tom. 2. Epiſt. 105. a) Reſtat igitur ut ipſam fidem, undè omnis juſtitia ſumit exordium; propter quod dicitur ad Eccleſiam in Cantico Canticorum: b *venies & pertranſies ab initio fidei*: reſtat, inquam, ut ipſam fidem non humano, quod iſti extollunt, tribuamus arbitrio, nec ullis præcedentibus meritis, quoniam indè incipiunt bona, quæcunque ſunt merita; ſed gratuitum Dei donum eſſe fateamur, ſi gratiam veram, id eſt, ſine meritis cogitamus.

b Cant. 4. ſer. LXX.

PRÆDICATORES.

Idem hìc ſicut ſuperiori loco dicit S. Auguſtinus, quòd non ſunt opera meritoria ſine fide.

JESUITÆ.

c Nunc 217 tom. 2. num. 3. col. 800.

29. (Tom. 2. Epiſt. 107. c ſub initium) Dei via quid eſt, niſi fides recta?

PRÆDICATORES.

Veriſſimum eſt hoc. Sed quidquid pertinet ut detur fides, vel obtineatur etiam inchoativè, pertinet ad viam Dei, & ad ipſam fidem, & opus pietatis eſt. Quod opus pietatis ſtatuit Molina ante fidem ex ſolâ naturâ.

JESUITÆ.

d Tom. 10. n. 22. col. 97.

30. (d Tom. 3. L. de Spirit. & Litterâ, cap. 13.) Quod operum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat. Illa dicit: e *non concupiſces*; iſta dicit: f *cùm ſcirem quià nemo poteſt eſſe continens niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire cujus eſſet hoc donum; adij Dominum, & deprecatus ſum.* Ipſa eſt illa ſapientia quæ pietas vocatur, quâ colitur Pater luminum, à g quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum.

e Exod. 20. 17. f Sap. 8. 21. g Jacob. 1. 17.

PRÆDICATORES.

Jàm dictum eſt ex S. Auguſtino, quòd ſi homo haberet veras virtutes, placeret Deo, & ex conſequenti jàm eſſet fidelis. Undè ex viribus naturæ illas habere non poteſt.

JESUITÆ.

31. (a Tom. 7. Lib. 4. contrà Julian. cap. 3.) Sed abſit ut ſit in aliquo vera virtus, niſi fuerit juſtus. Abſit autem ut ſit juſtus verè, niſi vivat ex fide. b *Juſtus enim ex fide vivit.*

a Tom. 10. n. 17. col. 593. b Rom. 1. 17.

32. (c Tom. 7. Lib. de perfect. juſtit. poſt ultimam ratiocinationem.) Quandoquidèm initium corrigendi cor, fides eſt, ſicut ſcriptum eſt: d *venies, & pertranſibis ab initio fidei* &c.

c Tom. 10. n. 41. col. 187. d Cant. 4. ſer. LXX.

PRÆDICATORES.

Hæc loca totaliter probant contrarium. Dicit enim ſanctus Auguſtinus in primo, quòd non poſſit eſſe homo juſtus ſine fide, nec poſſit virtutes veras, per quas ſit juſtus juſtitiâ naturali, habere ſine fide. Immò per hoc convincit contrà Julianum, & ex conſequenti contrà Molinam. In ſecundo loco veriſſimè locutus eſt S. Auguſtinus. Sed Molina præter fidem, in infidelibus conſtituit veras virtutes corrigentes cor. Undè expreſsè hoc loco damnatur.

JESUITÆ.

33. (e Tom. 7. Lib. de grat. Chriſti cap. 31.) Nempè ergò illud undè incipit omne, quod meritò accipere dicimur, ſine merito accipimus, id eſt, ipſam fidem.

e Tom. 10. n. 34. col. 245.

PRÆDICATORES.

Solùm ibì dicit S. Auguſtinus, quòd omne opus meritorium incipit à fide. Ad quod propoſitum ergò hoc adducitur?

JESUITÆ.

34. (f Tom. 7. Lib. 3. contrà duas Epiſt. Pelag. cap. 5.) Quæ licèt ſine operibus neminem ſalvat, (ipſa enim eſt non reproba fides, quæ per dilectionem operatur) tamen per ipſam etiam peccata ſolvuntur; quià juſtus ex fide vivit: ſine ipſâ verò, etiam quæ videntur bona opera, in peccata vertuntur. (g Et paulò infrà.) Pietate ipſius fidei continuò deleretur.

f Tom. 10. n. 14. col. 457. g Ibid. n. 15.

PRÆDICATORES.

Hoc loco ſolùm dicit ſanctus Auguſtinus;

nus, ſine fide non eſſe opera pertinentia ad ſalutem, ità quòd Deo placeant. At verò Molina ponit virtutes morales Deo placentes ſine fide in infidelibus.

JESUITÆ.

a Tom. 10. n. 23. col. 463.

35. (Eodem Libro cap. 7.) a Quamobrem qui ſecundùm juſtitiam quæ in lege eſt ſine fide gratiæ Chriſti vivit, ſicut Apoſtolus ſine querelâ ſe vixiſſe commemorat, nullam veram putandus eſt habere juſtitiam; non quià lex vera & ſancta non eſt; ſed quià obedire velle litteræ jubenti ſine vivificante ſpiritu Dei, veluti ex viribus liberi arbitrij, juſtitia vera non eſt.

PRÆDICATORES.

Solùm ibì dicit S. Doctor, quòd ſine fide nemo habet veram juſtitiam: undè convincitur contrà Molinam, quòd ſine fide nec habeat veram virtutem. Juſtitia enìm vera virtus eſt.

JESUITÆ.

b Tom. 4. n. 6. enarrat. 2. col. 174. in fine.

36. (b Tom. 8. præfat. in Pſal. 31.) Sed crede in eum qui juſtificat impium, ut poſſint & opera bona tua, eſſe opera bona; nam nec bona illa appellaverim, quamdiù non de radice bonâ procedunt &c. (c Et paulò infrà.) Etſi bona videatur facere, tamen quià facit ſine fide, nec bona vocanda ſunt.

c Num. 7. col. 175.

PRÆDICATORES.

Totum contrarium dicit: aït enìm S. Auguſtinus, quòd ſine fide nulla ſunt opera bona. Et tamen Molina vult ſine fide eſſe opera bona, & ad pietatem convincitur quòd pertineant; ut dictum eſt.

JESUITÆ.

d Tom. 4. enarr. 1. ℣. 4. col. 186.

37. (d Tom. 8. enarrat. in Pſal. 32.) Cùm in ipsâ fide ſint omnia opera quæ diligit Deus.

PRÆDICATORES.

Iſte locus damnat ſicut & cætera Molinam ipſum: dicit enìm in illo ſanctus Auguſtinus, nè quiſquam putet ſe meritis operum ad fidem perveniſſe, quòd cum fide ſunt opera bona, quæ diligit Deus. Contrarium autem dicit Molina; vult enìm operibus ad fidem veniri.

JESUITÆ.

38. (Tom. 10. Lib. 50. homil. 17. a) Ideò initium eſt à fide. Sed quali fide? Quam definivit Apoſtolus b: *Neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides.* Dic, quæ fides? Quæ per dilectionem operatur.

a Nunc ſer. 168. n. 2. col. 805. to. 5

b Gal. 5. 6.

PRÆDICATORES.

Damnat Molinam, qui ponit initium ſalutis in operibus naturæ; & tamen S. Auguſtinus ſolùm in fide dicit eſſe boni & pij operis initium.

JESUITÆ.

39. (c Tom. 8. ſuper Pſal. 134. in expoſit. myſticâ circà illud: *qui percuſſit primogenita.*) Primitias enìm habemus ipſam fidem, undè incipimus. Eccleſiæ quippè dictum eſt: & venies & pertranſibis ab initio fidei; Et, nemo incipit benè vivere, niſi à fide.

c Tom. 4. n. 18. col. 1502.

40. (Tom. 10. Serm. 38.* de temp. qui eſt trigeſimus in Appendice de diverſis) Fides namque eſt bonorum omnium fundamentum. Fides eſt humanæ ſalutis initium.

* Non eſt D. Auguſt. ſed Alcuini.

PRÆDICATORES.

In primo loco ſolùm dicit S. Auguſtinus, quòd qui non habent fidem, nec habent primogenita. Molina autèm vult quòd infideles ſine fide habeant primogenitas illas veras virtutes morales. Idem dicit S. Auguſtinus in Sermone 38. de tempore ſuprà citato.

JESUITÆ.

§. V.

Loca S. Auguſtini expendenda circà Propoſitionem ſecundam.

Expendemus 1°. pro defenſione hujus propoſitionis loca, ex quibus conſtat agnoviſſe Auguſtinum aſſenſum naturalem fidei acquiſitæ circà revelata, & qualis eſt in hæreticis & dæmonibus. Ut

41. (d Tom. 6. contrà Epiſt. Manichæi, quam vocat Fundamenti cap. 4.)

d Tom. 8. num. 5. col. 153.

Digitized by Google

4.) Tenet conſenſio populorum atque gentium; tenet authoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata &c.

PRÆDICATORES.

Expenduntur loca ſancti Auguſtini pro ſecundâ propoſitione Molinæ, quibus Jeſuitæ docent agnoviſſe ſanctum Doctorem aſſenſum naturalem fidei acquiſitæ circà revelata, qualis eſt in hæreticis vel Dæmonibus.

Nihil tale dicit ſanctus Auguſtinus hoc loco, ſed tantùm dicit, quòd enim in Eccleſiâ tenet conſenſio populorum & gentium, & authoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta &c. Quid hìc pro Molinâ?

JESUITÆ.

a Tom. 8. num. 6. col. 154. 42. (a Et cap. 5. ejuſdem. epiſt.) Ego verò Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoveret authoritas. Quibus ergò obtemperavi dicentibus: Credite Evangelio: cur eis non obtemperem dicentibus mihi: noli credere Manichæis? Elige quid velis. Si dixeris, crede Catholicis; ipſi me monent ut nullam fidem accommodem vobis. Quapropter non poſſum illis credens, niſi tibi non credere.
b Ibidem. (b Et paulò infrà.) Quapropter ſi nihil manifeſtum de Manichæi Apoſtolatu in Evangelio reperitur, Catholicis potiùs credam quàm tibi.

PRÆDICATORES.

Nihil tale dicit ſanctus Auguſtinus, ſed ſolùm quòd credidit Evangelio, cui non crediſſet, niſi Eccleſiæ authoritas illum moveret. Undè loquitur de fide ſupernaturali auxilio divino habitâ manifeſtè.

JESUITÆ.

c Tom. 8. n. 81. col. 65. 43. (c Tom. 6. L. de utilitate credendi cap. 14.) Sine paululùm mecum ipſe conſiderem (quoniam Chriſtum ipſum, quomodò apparere hominibus voluit, qui iſtis etiàm vulgaribus oculis viſus eſſe prædicatur, ego non vidi) quibus de illo crediderim, ut ad te jàm tali fide præſtructus accedam. Nullis me videó crediſſe, niſi populorum atque gentium confirmatæ opinioni, ac famæ admodùm celeberrimæ. Hos autèm populos Eccleſiæ Catholicæ myſteria uſquequaque occupaſſe. Cur non igitur apud eos potiſſimùm diligentiſſimè requiram, quid Chriſtus præceperit, quorum authoritate commotus, Chriſtum aliquid utile præcipiſſe, jam credidi? (Et paulò infrà.) Hoc ego credidi, ut dixi, famæ celebritate, conſenſione, vetuſtate roboratæ. (Et ſuprà.) Quid quòd omnes Hæretici Chriſtianos credere hortantur?

PRÆDICATORES.

Nihil tale dicit ſanctus Auguſtinus, ſed ſolùm aït, quòd credidit, fide videlicet ſupernaturali. De ipsâ enim apertè ibì loquitur, motus tot populis, quos divina myſteria occuparunt. Quam fidem ſæpiùs docet eſſe Dei donum. Undè mirum eſt quòd iſta loca adducantur.

JESUITÆ.

44. (a Tom. 7. L. 1. contrà Creſcon. grammatic. cap. 29.) Nempè in unitate Eccleſiæ Dæmones non ſunt; nec tamen ideò poſſumus dicere, aliud eſſe quod credunt, cum & Domino Jeſu Chriſto dixerint: *Quid nobis & tibi eſt, Fili Dei?* (Et paulò infrà.) Unus eſt Deus, una fides, unum baptiſma, una incorrupta Catholica Eccleſia; non in quâ ſolâ unus Deus colitur; ſed in quâ ſolâ unus Deus piè colitur: nec in quâ ſolâ una fides retinetur; ſed in quâ ſolâ una fides cum charitate retinetur: nec in quâ ſolâ unus baptiſmus habetur; ſed in quâ ſolâ unus baptiſmus ſalubriter habetur. (c Et cap. 30.) Vide ergò nos quàm probabilem rationem ſequamur, qui ea quæ Schiſmatici aut Hæretici corruperunt, cùm ad nos indè veniunt, corrigimus; quæ verò, ſicut acceperunt, tenuerunt, agnoſcimus & probamus.

a Tom. 9. num. 24. col. 405.
b Marc. 1. 24.
c Num. 25. col. 406.

PRÆDICATORES.

Ibì dicit ſanctus Auguſtinus, quòd Dæmones

Dæmones credunt & contremiſcunt, qui tamèn ſunt extrà Eccleſiam. Et ſimiliter Schiſmaticus credit, & tamen eſt extrà Eccleſiam. Sed prima fides eſt coacta; ſecundi autèm non credunt propter divinam revelationem, nec credunt revelatis tanquàm revelatis, ut Molina dicit.

JESUITÆ.

a *Tom. 6. num. 2. col. 198.* 45. ([a] Tom. 3. in Enchirid. cap. 8.) Deniquè, ut ait Apoſtolus Jacobus: b *Jacob. 2. 19.* [b] *Et Dæmones credunt & contremiſcunt;* nec tamèn ſperant, vel amant; ſed potiùs quod ſperamus & amamus credendo, venturum eſſe formidant. Propter quòd Apoſtolus Paulus, c *Gal. 5. 6.* [c] fidem quæ per dilectionem operatur, approbat, atque commendat.

PRÆDICATORES.

In primâ parte ſolùm dicit ſanctus Auguſtinus, quòd fides & eſt bonarum & malarum rerum; ſpes autèm ſolùm bonarum, quià fides credit Infernum. In ſecundâ parte dicit, quòd Apoſtolus Jacobus dicat quòd Dæmones credunt, fide coactâ, non verò voluntariâ, ut ipſe dicit, quæ ad propoſitum non facit.

JESUITÆ.

d *Col. 196.* 46. ([d] Eodem libro cap. 5.) Nequè hòc ideò negandum eſt proprium fundamentum eſſe Fidei Catholicæ, quià putari poteſt aliquibus hæreticis hoc nobiſcum eſſe commune, &c.

PRÆDICATORES.

Nihil tale dicit ſanctus Auguſtinus. Loquitur enim de fide divinâ, quæ divino habetur adjutorio.

JESUITÆ.

e *Tom. 9. num. 172. col. 265.* 47. ([e] Tom. 7. L. 2. contrà Epiſt. Petiliani cap. 77.) His enim nos Apoſtolicis verbis, commendantibus eminentiam charitatis, vobis ſolenius oſtendere, quomodò non proſit hominibus, quamvis in eis ſint vel Sacramenta, vel Fides, ubi charitas non eſt; ut cùm ad Catholicam unitatem venitis, intelligatis quid vobis conferatur, & quantum ſit quod minùs habebatis. (Et paulò poſt.) Atque ità videatis ſine illâ vos nihil eſſe, etſi baptiſmum & fidem teneatis, & per illam etiàm montes transferre poſſitis.

PRÆDICATORES.

Solùm dicit ſanctus Auguſtinus, quòd fides ſine unitate & charitate Eccleſiæ, etiamſi per illam montes transferantur, nihil valet ad meritum.

JESUITÆ.

48. ([a] Tom. 7. L. 1. de Bapt. contrà Donat. cap. 8.) Quid ergò prodeſt a *Tom. 9. num. 11. col. 86.* homini vel ſola fides, vel ſanum fortaſsè ſolùm fidei Sacramentum, ubi lethali vulnere ſchiſmatis perempta eſt ſanitas charitatis, per cujus ſolius peremptionem, etiàm illâ integrâ trahuntur ad mortem?

PRÆDICATORES.

Vocat ibì ſanctus Auguſtinus ſanam fidem, quæ eſt de reliquis quæ à Schiſmatico non negantur: non tamen dicit, quòd per illam credat revelata, ut revelata ſunt. Vel loquitur de puro Schiſmatico non hæretico.

JESUITÆ.

49. ([b] Eodem Libro cap. 9.) Si fidem, b *Ibidem num. 13.* ſicut Dæmonia confeſſa ſunt Chriſtum; neque enim non credebant cum dicerent: [c] *Quid nobis & tibi eſt Fili Dei?* c *Marc. 1. 24.* *ſcimus qui ſis*: ſi diſpertiant ipſi etiàm ſubſtantiam ſuam pauperibus, ſicut multi, non ſolùm in Catholicâ, ſed in diverſis hæreſibus faciunt. Si aliquâ ingruente perſecutione tradant ad flammas nobiſcum corpus ſuum pro fide quam pariter confitentur.

PRÆDICATORES.

In iſto loco & ſuperioribus quibus S. Auguſtinus pugnat contrà Schiſmaticos, hoc intendit, quòd etiamſi habeant fidem, ità ut montes transferant, charitatem autem & unitatem non habuerint, nihil illis prodeſt. Per hòc non dicit, vel eos habere fidem divinam, cùm ſint Schiſmatici; & Hæretici; vel habere certitudinem de omnibus revelatis prout revelata ſunt: ſed ſolùm

Digitized by Google

ſolùm dicit id quod Paulus, quòd etiamſi illam haberent, nihil eis ſine unitate prodeſſet.

JESUITÆ.

a Tom. 8. num. 32. col. 990. 50. (a Tom. 3. L. 15. de Trinit. cap. 18.) Sine charitate quippè fides poteſt quidem eſſe, ſed non & prodeſſe. Propter quod & Apoſtolus Paulus: b Gal. 5. 6. b *In Chriſto*, inquit, *Jeſu, neque circumciſio, neque præputium aliquid valet; ſed fides quæ per dilectionem operatur.* Sic eam diſcernens ab eâ fide, quâ & Dæmones credunt, & contremiſcunt.

PRÆDICATORES.

Ibì ſolùm dicit ſanctus Auguſtinus, quòd fides ſine charitate nihil prodeſt, ut ait Apoſtolus. Ibì etiàm dicit quòd Dæmones credunt & contremiſcunt, videlicet coactè.

JESUITÆ.

c Tom. 5. ſerm. 158. col. 763. & ſer. 168. col. 805. 51. (Tom. 10. c Serm. 16. de verbis Apoſtoli paulò poſt medium. & L. 50. Homill. Homil. 17.) Sed fides debet eſſe Chriſtianorum, non Dæmonum. Nam ſicut dicit Jacobus Apoſtolus: d Jacob. 2. 19. d & *Dæmones credunt & contremiſcunt.* Et Dæmones dixerunt Chriſto, tu es Filius Dei. Confitebantur Dæmones quod non credebant homines.

PRÆDICATORES.

Ibì dicit ſanctus Auguſtinus fidem ſine charitate nihil prodeſſe. Ibì dicit quòd Dæmones credunt timendo, homines amando, & ſic una fides diſtinguitur ab aliâ.

JESUITÆ.

e Nunc ſer. 168. to. 5. num. 2. col. 805. 52. (Tom. 10. L. 50. Homill. e Homil. 17.) Sed fides debet eſſe Chriſtianorum, non Dæmonum.

PRÆDICATORES.

Hìc ſanctus Auguſtinus dicit eſſe diſcernendam fidem Dæmonum à fide Sanctorum. Illi timore credunt, iſti amore.

JESUITÆ.

f Tom. 3. part. 2. n. 53. (f Tom. 9. tract. 10. in Epiſt. 1. B. Joannis) Quod dixerunt Dæmones, 1. col. 894. hoc dixit & Petrus. Cùm Dominus quæreret, quis eſſet, & quem illum dicerent homines, reſponderunt illi Diſcipuli: a *Alii dicunt te Joannem Baptiſtam, alii Eliam, alii Jeremiam, aut unum ex Prophetis.* a Matth. 16. 14. *Et ille: vos autem quem me eſſe dicitis? Reſpondit Petrus, & ait: tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Et audiunt à Domino: *Beatus es Simon Barjona, quià non revelavit tibi Caro & Sanguis, ſed Pater meus qui eſt in Cœlis.* Videte, quæ laudes proſequantur hanc fidem. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Quid eſt, ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam? Super hanc fidem, ſuper id quod dictum eſt: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi. Super hanc Petram*, inquit, *fundabo Eccleſiam meam.* Magna laus. Ergò dicit Petrus: *tu es Chriſtus Filius Dei vivi*: dicunt & Dæmones, ſcimus qui ſis, Filius Dei, & Sanctus Dei. Hoc Petrus, hoc & Dæmones. Eadem verba, non idem animus. (Et paulò poſt.) Qui credit, propria quædam fides eſt; non quomodò cum multis. Itaque, Fratres, nemo hæreticorum dicat vobis, & nos credimus. Ideò enim de Dæmonibus exemplum propoſui, nè gaudeatis ad verba credentium, ſed exploretis facta viventium.

PRÆDICATORES.

Nihil aliud dicit S. Auguſtinus, quàm quòd fides ſine charitate nihil prodeſt.

JESUITÆ.

54. (Tom. 10. Serm. b 50. de verbis b Nunc ſer. Domini.) Si ſciero omnia Sacramenta, 138. tom. 5. & habuero omnem Prophetiam & fi- num. 2. col. dem, ità ut montes transferam, chari- 672. tatem autem non habeam, nihil ſum. Magna ergò res eſt, poſtremò fides transferens. Illa quidèm magna ſunt; ſed ſi ego hæc ſine charitate habeam, inquit, c non illa, ſed ego nihil ſum. c 1. Cor. 13. Sed adhuc iſtos non tetigit, qui falsò Martyrii nomine in paſſionibus gloriantur. Audite ut eos tangat, immò ut transfodiat. Si diſtribuero, inquit,

omnia mea pauperibus, & tradidero corpus meum ut ardeam: jàm ipſi ſunt. &c.

PRÆDICATORES.

Ibì nihil tale dicit ſanctus Auguſtinus. Solùm ait quòd fides, etiàm quâ montes transferuntur, quæ abſque dubio eſt donum Dei, ſine charitate nihil valet.

JESUITÆ,

55. (a Serm. 61. de verbis Domini) Sed multùm intereſt, utrùm quiſque credat ipſum eſſe Chriſtum, & utrùm credat in Chriſtum. Nam ipſum eſſe Chriſtum, & Dæmones crediderunt; nec tamèn in Chriſtum Dæmones crediderunt.

a *Nunc ſer. 144. num. 2. to. 5. col. 693.*

PRÆDICATORES.

Ibì ſolùm dicit ſanctus Auguſtinus Dæmones credere Chriſtum, non autèm credere in Chriſtum, ſicut homines qui habent fidem, ſpem, & charitatem.

JESUITÆ.

56. (Item tom. 10. Serm. quodam 14. b pro feſto omnium Sanctorum ad finem tomi.) Plaudis tibi de fide. Attendis enim multos impios æſtimare multos eſſe Deos, & tamèn tibi gaudes credendo quòd unus eſt Deus. Benè facis: & Dæmones credunt, & contremiſcunt. Numquid & ij Deum videbunt, qui immundo ſunt corde? Quis autem immundos corde non dicat ſpiritus immundos? Et tamèn credunt, & contremiſcunt. Diſcernenda eſt fides noſtra à fide Dæmonum.

b *Non eſt S. Aug. nec editus fuit à Benedictinis.*

PRÆDICATORES.

Nihil tale dicitur ibì, ſed ſolùm quòd fides ſine operibus nihil prodeſt. Nec eſt plaudendum de illâ, quia Dæmones credunt, & contremiſcunt.

JESUITÆ.

57. (c Tom. 4. L. de fide & operibus cap. 16.) Miror autèm ſi laudaret in eâ fidem ſine operibus, id eſt, fidem non talem quæ per dilectionem jàm poſſit operari, ſed fidem mortuam; & quod Jacobus dicere minimè dubitavit, a fidem non Chriſtianorum, ſed Dæmonum.

c *Tom. 6. n. 30. col. 182.*

a *Jacob. 2. 19.*

PRÆDICATORES.

Solùm dicit ſanctus Auguſtinus, quòd Dominus non laudavit fidem Chananeæ, niſi eſſet ſimul cum operibus, ità ut poſſet per dilectionem operari.

JESUITÆ.

58. (b Item Tom. 4. L. de octo quæſt. Dulcitii q. 1.) Quid breviùs, veriùs, vehementiùſque dici potuit, cùm in Evangelio legamus hoc dixiſſe Dæmonia, cùm Chriſtum Filium Dei confiterentur, & ab illo corriperentur, quod in Petri confeſſione laudatum eſt?

b *Tom. 6. num. 2. col. 122.*

PRÆDICATORES.

Nihil aliud ibì dicit ſanctus Auguſtinus, niſi quòd fides ſine operibus mortua eſt, & nihil prodeſt; ſicut nec prodeſt fides Dæmonum. Undè præcedentia octodecim loca, nec omnia ſimul, nec aliquod illorum dicit poſſe hominem naturæ viribus aſſentiri certò omnibus myſteriis fidei, ſicutì à Deo revelatis. Quarè ſunt omnia extrà rem.

JESUITÆ.

§. VI.

Itèm expendemus pro defenſione ejuſdem ſecundæ propoſitionis, loca ex quibus apparet Auguſtinum, nonniſi ad fidem Chriſtianam & Catholicam, & prout ad ſalutem oportet requirere auxilium gratiæ. Ut

59. (c Tom. 7. L. de prædeſt. Sanct. cap. 2.) Priùs itaque fidem quâ Chriſtiani ſumus, donum Dei eſſe debemus oſtendere; ſi tamèn diligentiùs id facere poſſumus, quàm in voluminibus tot tantiſque jam fecimus. (d Et eodem Lib. cap. 5.) Illud verò quod putant de hâc fide non poſſe dici; e *quid enim habes quod non accepiſti?* quià in eâdem naturâ remanſit, licet vitiatâ, quæ priùs ſana ac perfecta donata ſit: nihil ad id quod volunt valere intelligitur, ſi cur hoc Apoſtolus dixerit cogitetur

c *Tom. 10. num. 3. col. 791.*

d *Num. 9. col. 796.*

e *1. Cor. 4. 7.*

gitetur: agebat enim, nè quiſquam glorietur in homine.

Tom. 10. col. 822. 60. (Eod. Tom. L. de dono perſev. cap. 2.) Quòd ſi non ſit, quomodò verum eſt quod Apoſtolus ait: a *vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut credatis in eum, verùmetiam ut patiamini pro eo?* Horum quippè unum pertinet ad initium, alterum ad finem. Utrumque tamèn eſt Dei donum, quià utrumque dictum eſt eſſe donatum, ſicut & ſuperiùs jam diximus. Quid enim eſt initium veriùs Chriſtiano, quàm credere in Chriſtum?

a Philipp. 1. 29.

b Nunc 194. t. 2. num. 18. col. 720. 61. (Tom. 2. epiſt. b 105.) Ità ſinè Spiritu fidei non eſt rectè quiſpiam crediturus, nec ſine Spiritu orationis ſalubriter oraturus.

c Tom. 6. num. 21. col. 177. 62. (c Tom. 4. L. de fide & oper. cap. 14.) Sicut etiàm ipſe Paulus, non qualemlibet fidem, quâ in Deum creditur, ſed eam ſalubrem planèque Evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt: d *Et fides*, inquit, *quæ per dilectionem operatur.* Undè illam fidem, quæ ſufficere ad ſalutem quibuſdam videtur, ità nihil prodeſſe aſſeverat, ut dicat: e *Si habeam omnem fidem, ità ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum.*

d Gal. 5. 6.

e 1. Cor. 13. 2.

f Nunc 214. to. 2. n. 4. col. 792. 63. (Item tom. 2. epiſt. f 46.) Propter quod ego in hâc epiſtolâ, quæ ad vos pervenit, probavi per teſtimonia ſanctarum Scripturarum, quæ ibi poteſtis inſpicere, & bona opera noſtra, & pias orationes, & rectam fidem, nullo modo in nobis eſſe potuiſſe, nisì hæc acciperemus ab illo, de quo dicit Apoſtolus Jacobus: g *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſùm eſt, deſcendens à Patre luminum.*

g Jacob. 1. 17.

h Tom. 10. n. 14. col. 456. 64. (h Tom. 7. L. 3. contrà duas Epiſt. Pelag. cap. 5.) Noſtra fides, hoc eſt, Catholica fides juſtos ab injuſtis, non operum, ſed ipsâ fidei lege diſcernit, quià: i *Juſtus ex fide vivit.*

i Rom. 1. 17.

k Nunc ſer. 168. tom. 5. num. 2. col. 805. 65. (Tom. 10. L. 50. Homill. k Homil. 17.) Sed quali fide? Quam definivit Apoſtolus: l *Neque Circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides.* Dic, quæ fides? *Quæ per dilectionem operatur.* Hanc Dæmones non habent fidem, quæ per dilectionem operatur: ſed ſoli Servi Dei, ſoli Sancti Dei, ſoli fide Filii Abrahæ, ſoli Filii dilectionis.

l Gal. 5. 6.

66. (a Tom. 3. L. 15. de Trinitate cap. 18.) Sic eam diſcernens ab illâ fide, quâ & Dæmones credunt & contremiſcunt. Dilectio igitur quæ ex Deo eſt, & Deus eſt, propriè Spiritus ſanctus eſt, per quem diffunditur b in cordibus noſtris Dei charitas. a Tom. 8. num. 32. col. 990. b Rom. 5. 5.

67. (c Tom. 9. tract. 10. in 1. Epiſt. B. Joan.) Qui credit, propria quædam fides eſt; non quomodò cum multis. Itaque, Fratres, nemo hæreticorum dicat vobis, & nos credimus. Ideò enim de Dæmonibus exemplum propoſui, ne gaudeatis ad verba credentium, ſed exploretis facta viventium. c Tom. 3. part. 2. n. 1. col. 894.

PRÆDICATORES.

Expenduntur alia loca, in quibus dicunt Jeſuitæ à ſancto Auguſtino non requiri auxilium gratiæ, niſi ad fidem Chriſtianam, & quæ ſit prout ad ſalutem oportet.

Reſpondemus dicendum in his omnibus locis requirere ſanctum Auguſtinum auxilium gratiæ ad Fidem Catholicam & Chriſtianam. Sed Fidem Catholicam & Chriſtianam vocat aſſenſum certum, quo recipiuntur omnia revelata, ut patet ex multis locis ſancti Auguſtini. Cùm ergò Molina hunc tribuat homini ex ipſo homine, convincitur cum Pelagianis & Semipelagianis conſtituere ex facultate naturæ fidem quâ Chriſtiani ſumus. Nec enim aliâ ratione ipſi id aſſerebant, niſi ut aſſerit Molina.

JESUITÆ.

§. VII.

Itèm expendemus loca ex quibus apparet agnoviſſe Auguſtinum firmitatem quoque aſſenſûs naturalis, etiàm uſque ad mortis contemptum. Ut

68. (d Tom. 7. L. 1. de Bapt. contrà Donat. cap. 9.) Si diſpertiant etiàm ipſi ſubſtantiam ſuam pauperibus, ſicut multi, non ſolùm in Catholicâ, d Tom. 9. n. 12. col. 86.

Digitized by Google

ſed in diverſis hæreſibus faciunt. Si aliquâ ingruente perſecutione tradant ad flammas nobiſcum corpus ſuum pro fide quam pariter confitentur; tamèn quià ſeparati hæc agunt, non ſufferentes invicèm in dilectione, neque ſtudentes a ſervare unitatem Spiritûs in vinculo pacis, charitatem utique non habendo, etiàm cum illis omnibus quæ nihil eis proſunt, ad æternam ſalutem pervenire non poſſunt. Sed videntur ſibi argutiſſimè quærere, utrùm generet filios baptiſmus Chriſti in parte Donati, an non generet? ut ſi conſenſerimus quòd generet, ſuam eſſe aſſeverent Eccleſiam Matrem, quæ filios potuit de Chriſti baptiſmate generare, & quia unam oportet eſſe Eccleſiam, ex hoc jàm noſtram non eſſe Eccleſiam criminentur.

a Eph. 4. 2.

69. (b Tom. 10. Serm. 50. de verb. Dom.) Nam & apud Hæreticos, qui propter iniquitates & errores ſuos aliquid moleſtiarum perpeſſi fuerunt, nomine Martyrii ſe jactant, ut hoc pallio dealbati faciliùs furentur, quià lupi ſunt. Si autèm vultis ſcire in quo numero habendi ſunt, Paſtorem bonum, Paulum Apoſtolum audite; quoniàm non omnes qui corpora ſua in paſſione etiàm ignibus tradunt, æſtimandi ſunt ſanguinem fudiſſe pro ovibus, ſed potiùs contrà oves. c *Si linguis*, inquit, *hominum loquar & Angelorum, charitatem autèm non habeam, factus ſum velut æramentum ſonans, aut cymbalum tinniens. Si ſciero omnia Sacramenta. &c.*

b Tom. 5. ſerm. 138. num. 2. col. 672.

c 1. Cor. 13. 1.

PRÆDICATORES.

Expenduntur alia loca, in quibus dicunt ſanctum Auguſtinum docere, poſſe hominem habere aſſenſum naturalem ità certum, ut moriatur.

In utróque præcedenti loco tantùm docet ſanctus Auguſtinus, quòd apud hæreticos, qui propter iniquitates & errores ſuos aliquid moleſtiarum perpeſſi fuerunt, nomine Martyrum ſe jactitant. Hoc ad quid adducitur ad probandum, poſſe habere hominem aſſenſum certum ex ſe de omnibus revelatis, & pro illo mori?

JESUITÆ.

70. (Tom. 2. Epiſt. 50. a ad Bonif.) Hanc legem ſi qui contempſerint, & id quod fuerat conſtitutum meritò perpeſſi ſunt, debuerunt dicere quod iſti dicunt, ſe juſtos eſſe; quia ex lege Regis perſecutionem patiebantur: quod utique dicerent, ſi ità inſanirent, ſicuti iſti inſaniunt, qui dividunt membra Chriſti, & exſufflant Sacramenta Chriſti, & de perſecutione gloriantur; quià prohibentur iſta facere legibus Imperatorum, quas conſtituerunt pro unitate Chriſti: & jactant fallaciter innocentiam ſuam, & quam non poſſunt à Domino accipere, ab hominibus quærunt Martyrum gloriam. Veri autèm Martyres ſunt illi, de quibus Dominus ait: b *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam.* Non ergò qui propter iniquitatem, & propter Chriſtianæ unitatis impiam diviſionem; ſed qui propter juſtitiam perſecutionem patiuntur, hi Martyres veri ſunt.

a Nunc 185 to. 2. num. 8. col. 646.

b Matth. 5. 10.

PRÆDICATORES.

Solùm ibi dicit ſanctus Auguſtinus: non ergò qui propter iniquitatem, & propter Chriſtianæ unitatis impiam diviſionem, ſed qui propter juſtitiam perſecutionem patiuntur, hi Martyres veri ſunt.

JESUITÆ.

71. (Tom. 2. epiſt. 117. c ad Nebridium.) Sed non arbitror occultum tibi eſſe, ſi falſis opinionibus tantò quiſque inſeritur magis, quantò magis in eis familiariùſque volutatur, multò id faciliùs in rebus veris animo accidere.

c Nunc 4. tom. 2. n. 1. col. 6.

PRÆDICATORES.

Ibì tantùm dicit ſanctus Auguſtinus, quòd ſi homines inſeruntur falſis opinionibus, quantò magis veris.

JESUITÆ.

72. (d Tom. 4. L. 1. de Serm. Domini in monte cap. 10.) Nam multi hæretici non habentes altare, id eſt,

d Tom. 3. part. 2. n. 27. col. 176.

veram

Digitized by Google

veram fidem, blaſphemias pro laude dixerunt, terrenis videlicet opinionibus aggravati, votum ſuum tanquàm in terram projicientes. Sed debet eſſe ſana etiàm offerentis intentio. Et prætereà cùm tale aliquid oblaturi ſumus, in corde noſtro, id eſt, in interiore
a 1. Cor. 3. 17. Dei templo: a *Templum enim Dei ſanctum eſt*, inquit, *quod eſtis vos*: &, in interiore homine habitare Chriſtum
b Ephef. 3. 17. b per fidem in cordibus veſtris. &c.

PRÆDICATORES.

Ibì ſolùm dicit, S. Auguſtinus, quòd multi hæretici nomine Chriſtiano animas decipientes, multa talia patiuntur. Non dicit quòd pro bono poſſint ex ſeipſis pati. Undè omnia loca ſunt omninò extrà rem.

JESUITÆ.

§. VIII.

Loca ſancti Auguſtini expendenda circà propoſitionem tertiam. Expendemus primò pro defenſione hujus propoſitionis Loca ſancti Auguſtini, ex quibus apparet Auguſtinum agnoviſſe hujuſmodi actus naturales circà objecta pertinentia ad ſalutem. Ut

c Tom. 4. ſerm. 8. n. 1. col. 1296 73. (c Tom. 8. enar. in Pſal. 118.) Nam quid ſunt juſtificationes, niſi opera juſta, non verba? Ac per hoc poſſunt infirmitate animæ non deſiderari, & ratione mentis, ubi videtur quippè quàm ſint utiles atque ſalubres, & ideò poteſt earum deſiderium concupiſci. Sæpè enim quid agendum ſit videmus, nec agimus: quià non delectat ut agamus, & concupimus ut delectet. Prævolat intellectus; & tardè ſequitur, & aliquandò non ſequitur humanus, atque infirmus affectus. Ideò ergò deſiderare concupiſcebat, quæ bona eſſe cernebat: cupiens eorum habere delectationem, quorum potuit videre rationem. Non autèm ait,
d Pſal. 118. 20. concupiſcit, ſed d *concupivit anima mea deſiderare juſtificationes tuas*. Fortaſsè quippè erat talis iſte incola in terrâ, qui jam pervenerat ad id quod concupiverat; jàmque deſiderabat eas, quarum ſe deſiderium aliquandò concupiſſe commemorat. Si autèm jam deſiderabat, cur non habebat? Non enim aliquid impedit, quominùs habeantur juſtificationes Dei, niſi quià non deſiderantur; dum non in eas charitas fervet, quarum claritas lucet: an habebat eas, atque faciebat? Nam paulò poſt dicit.... a *ſervus autem tuus exercebatur in juſtificationibus tuis*. Sed a Ibid. ℣. 23. quibus quaſi... gradibus ad eas perveniatur, oſtendit. Priùs eſt enim ut videatur quàm ſint utiles & honeſtæ, deindè ut earum deſiderium concupiſcatur: poſtremò ut proficiente lumine atque ſanitate, delectet & earum operatio, quarũ ſola ratio delectabat.

PRÆDICATORES.

Expenduntur loca S. Auguſtini circà tertiam propoſitionem, ex quibus dicunt Jeſuitæ apparere S. Auguſtinum agnoviſſe hujuſmodi actus naturales circà objecta pertinentia ad ſalutem.

Loquitur ibì S. Auguſtinus de deſiderio hominis adjuti à divinâ gratiâ, ut patet ex contextu, & ex fine, undè nihil ad rem.

JESUITÆ.

74. (b Tom. 1. L. 4. confeſſ. cap. 15.) Ità errores & falſæ opiniones vitam contaminant, ſi rationalis mens ipſa vitioſa eſt: qualis in me tunc erat, neſciente alio lumine illam illuſtrandam eſſe, ut ſit particeps veritatis, quia non eſt ipſa natura veritatis. b Tom. 1. num. 25. col. 105. ultim. lin.
c *Quoniàm tu illuminabis lucernam meam Domine Deus meus, illuminabis tenebras meas*: d & *de plenitudine tuâ nos omnes accepimus*. Es enim tu *lumen verum*, e *quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; quia f *non eſt in te tranſmutatio, nec momenti obumbratio*. Sed ego conabar ad te &c. c Pſal. 17. 29. d Joan. 1. 16. e Idem ℣. 9. f Jac. 1. 17.

PRÆDICATORES.

Loquitur expreſsè S. Auguſtinus de petente à Deo, ſed adjuto à divinâ gratiâ: undè non eſt ad propoſitum; ſed facit pro contrario.

JESUITÆ.

75. (g Tom. 4. in expoſit. quarumdam g Tom. 3. part. 2. col. 910.

dam propoſitionum ex Epiſt. ad Roman. propoſit. 44.) Nunc enim homo deſcribitur ſub lege poſitus ante gratiam. Tunc enim peccatis vincitur, dùm viribus ſuis juſtè vivere conatur ſine adjutorio liberantis gratiæ Dei.

PRÆDICATORES.

Dicit S. Auguſtinus, quòd jacens in peccato, qui per ſe ſurgere non poteſt, petat gratiam quæ condonet peccata : at verò iſta petitio intelligatur ex divino auxilio facta, ut milliès ſe explicavit in aliis locis.

JESUITÆ.

a Tom. 4. n. 5. col. 496.

76. (a Tom. 8. enarrat. in pſal. 53.) Nam & in delictis dicitur quidam rogaſſe Deum, & non eſt exauditus bono ſuo. Deſideria enim ſæcularia incitaverant illum ad orandum, & in tribulationibus temporalibus poſitus optaverat, ut tranſirent tribulationes temporales. (Et paulò infrà) Si Doctor gentium Paulus Apoſtolus dicit : b *quid enim oremus ſicut oportet neſcimus*; quantò magìs nos? Qui tamen cùm ſibi videretur ipſe prudenter orare, ut ab eo auferretur ſtimulus carnis, c Angelus ſatanæ, qui eum colaphizabat, ne in magnitudine revelationum extolleretur, quid audivit à Domino? Nunquid factum eſt quod volebat? Non; ut fieret quod expediebat.

b Rom. 8. 26.

c 2. Cor. 12. 8.

PRÆDICATORES.

Ibì ſolùm dicit S. Auguſtinus, quòd homo multotiès petat auxilium ſuum à Domino; ſed præventus uno auxilio petit efficaciùs.

JESUITÆ.

d Tom. 1. n. 17. col. 151.

77. (d Tom. 1. L. 8. confeſſ. cap. 7.) At ego adoleſcens miſer, valdè miſer, in exordio ipſius adoleſcentiæ etiàm petieram à te caſtitatem, & dixeram; da mihi caſtitatem & continentiam, ſed noli modò. Timebam enim ne citò exaudires, & citò ſanares à morbo concupiſcentiæ, quam malebam expleri, quàm exſtingui.

PRÆDICATORES.

Loquitur ibì S. Auguſtinus de deſiderio ſalutis, quod habebat à principio ſuæ converſionis, quem hoc habuiſſe à Deo nulli dubium.

JESUITÆ.

78. (a Ibid. L. 7. confeſſ. cap. 17.) jàm verò inviſibilia tua per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpexi; ſed aciem figere non valui, & repercuſſâ infirmitate redditus ſolitis; non mecum ferebam niſi amantem memoriã, & quaſi olfacta deſiderantem, quæ comedere nondùm poſſem.

a Tom. 1. n. 23. col. 142.

PRÆDICATORES.

Ibì loquitur expreſsè S. Auguſtinus de deſiderio quod habebat rerum divinarum, & æternitatis : à quâ dicit quòd ſæpiùs non poterat figere aciem. At verò ex principio capitis apparet, à Deo ſe habuiſſe illud deſiderium.

JESUITÆ.

79. (b Item L. 5. confeſſ. cap. 10.) Cùm enim conaretur animus meus recurrere in Catholicam fidem, repercutiebar, quià non erat Catholica Fides quam eſſe arbitrabar.

d Tom. 1. n. 20. col. 116.

PRÆDICATORES.

Nihil tale ibì dicit S. Auguſtinus, ſed loquitur de deſiderio ex Deo habito.

JESUITÆ.

80. (c Tom 8. præfat. in Pſal. 31.) Quid ſi quod ſperandum eſt, ſperas, id eſt, vitam æternam, ſed non à Domino Deo per Jeſum Chriſtum, per quem ſolum datur vita æterna; ſed putas te ad vitam æternam poſſe pervenire per militiam cœli, per ſolem & lunam, per poteſtates aëris, & maris, & terræ, & ſyderum? impius es.

c Tom. 4. enarrat. 2. num. 6. col. 174.

PRÆDICATORES.

Nihil tale dicit S. Auguſtinus, ſed ſolùm quòd poteſt homo, & tenetur ſperare æterna pro bonis operibus, non autem temporalia : At verò non dicit quòd viribus

ſolius

Digitized by Google

ſolius naturæ id ſperat; immò manifeſtè præſupponit id homines ſperare ex virtute ſpei ſupernaturali.

JESUITÆ.

a *Tom. 10. num. 19. col. 594.*

81. (a Tom. 7. L. 4. contrà Julian. Cap. 3.) Neque enim omnes homines naturali inſtinctu immortales & beati eſſe vellemus, niſi eſſe poſſemus; ſed hoc ſummum bonum præſtari hominibus non poteſt, niſi per Chriſtum, & hunc crucifixum, cujus morte mors vincitur, cujus vulneribus natura noſtra ſanatur.

PRÆDICATORES.

Nihil tale dicit S. Auguſtinus.

JESUITÆ.

b *Tom. 7. col. 376.*

82. (b Tom. 5. L. 14. de civit. Dei cap. 25.) Sed etiàm ipſe juſtus non vivit ut vult, niſi eò pervenerit, ubi mori, falli, offendi omninò non poſſit: eique ſit certum, ſemper ità futurum: Hoc enìm natura expetit; nec plenè atque perfectè beata erit, niſi adepta quod expetit.

PRÆDICATORES.

In hoc loco ſolùm dicit S. Auguſtinus, quòd per legem admonetur homo implorare gratiam Salvatoris: non autem ait, quòd viribus ſuis implorat.

JESUITÆ.

c *Tom. 1. num. 53. col. 631.*

83. (c Tom. 1. L. 3. de Lib. arb. cap. 19.) Hìc occurrit illa quæſtio, quam inter ſe murmurantes homines rodere conſueverunt, qui quodlibet aliud in peccando, quàm ſe accuſare parati ſunt. Dicunt enim, ſi Adam & Eva peccaverunt, quid nos miſeri fecimus, ut cum ignorantiæ cœcitate, & difficultatis cruciatibus naſceremur, & primò erraremus, neſcientes quid nobis eſſet faciendum? Deindè ubi nobis inciperent aperiri præcepta juſtitiæ, vellemus ea facere, & renitente carnalis concupiſcentiæ neſcio quâ neceſſitate, non valeremus? Quibus breviter reſpondetur ut quieſcant, & adversùs Deum murmurare deſiſtant. Rectè enim fortè quererentur, ſi erroris & libidinis nullus hominum victor exiſteret: cùm verò ubique ſit præſens, qui multis modis per creaturam ſibi Domino ſervientem averſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem exhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem: non tibi deputatur ad culpam, quòd invitus ignoras, ſed quòd negligis quærere quod ignoras; neque illud, quòd vulnerata membra non colligis, ſed quòd volentem ſanare contemnis. Iſta tua propria peccata ſunt. Nulli enim hominum ablatum eſt ſcire * utiliter quærere, quod inutiliter ignorat, & humiliter confitendam eſſe imbecillitatem, ut quærenti & confitenti ille ſubveniat, qui nec errat dùm ſubvenit, nec laborat.

* *Nunc utiliter quæri, quod inutiliter ignoratur.*

PRÆDICATORES.

Solùm dicit ibi S. Auguſtinus, quòd cùm homini ſine gratiâ aperiuntur præcepta, velit illa; ſed renitente concupiſcentiâ non facit: ubi velleïtatem ſolùm conſtituit, non actum abſolutum qualem Molina.

JESUITÆ.

a *Tom. 10. n. 81. col. 162.*

84. (a Tom. 7. L. de nat. & grat. cap. 67.) Illa enìm eſt peccati pœna juſtiſſima, ut amittat quiſque quo benè uti noluit, cùm ſine ullâ poſſet difficultate, ſi vellet. Id eſt autèm, ut qui ſciens rectè non facit, amittat ſcire quid ſit rectum; & qui rectè facere, cùm poſſet, noluit, amittat poſſe, cùm velit.

PRÆDICATORES.

Hìc ſolùm dicit ſanctus Auguſtinus, quòd qui rectum facere, cùm poſſet noluit, amittat poſſe cùm velit; id eſt, cùm velit velleïtate: nam voluntas abſoluta per naturam non eſt de eo quod ſola natura non poteſt.

Digitized by Google

JESUITÆ.

§. IX.

Itèm expendemus loca Auguſtini, ex quibus apparet quòd quaſi de induſtriâ noluerit negare actum naturalem deſiderii, & voluntatis, & petitionis merè moralis, ſed ſolùm ſpiritualis & piæ. Ut

85. (Tom. 2. epiſt. a 46. ad Valentinum.) Propter quod ego in hâc Epiſtolâ, quæ ad vos pervenit, probavi per teſtimonia ſanctarum Scripturarum, quæ ibi poteſtis inſpicere, & bona opera noſtra, & pias orationes, & rectam fidem nullo modo in nobis eſſe potuiſſe, niſi hæc acceperimus ab illo, de quo dicit Apoſtolus Jacobus: b *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſursùm eſt, deſcendens à Patre luminum.*

a *Nunc 214. num. 4. col. 792. tom. 2.*

b *Jacob. 1. 17.*

PRÆDICATORES.

Expenduntur loca in quibus dicunt Jeſuitæ, ſanctum Auguſtinum quaſi de induſtriâ noluiſſe negare naturalem actum deſiderii & voluntatis & petitionis merè naturalis, ſed ſolùm ſpiritualis & piæ.

Ibì ſolùm docet ſanctus Doctor, quòd bona opera, & piæ orationes, & recta fides habentur ex Deo. In quo damnatur Molina, qui omnia hæc ponit ex homine haberi.

JESUITÆ.

86. (Tom. 7. c L. de nat. & grat. cap. 68.) Ibi, *ac per hoc*, uſque *retribuetur ei.*

c *Hic locus falsò citatur.*

PRÆDICATORES.

Verba citata ibi non reperiuntur, ſed tantùm docet ſanctus Auguſtinus homines exhortandos ad bonas actiones, & pias orationes. Ex hoc autèm non infertur quòd poſſit deſiderare res ſupernaturales viribus ſuis, ut dicit Molina in tertiâ propoſitione.

JESUITÆ.

87. (Tom. d 7. L. de grat. & lib. arb. cap. 14.) Cùm ergò in his convicti fuerint, ad hoc ſe convertunt, ut quocunque modo conentur oſtendere gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari. Dicunt enim: a etſi non datur ſecundùm merita bonorum operum, quia per ipſam benè operamur; tamèn ſecundùm merita bonæ voluntatis datur; quià bona voluntas, inquiunt, præcedit orantis, quam præceſſit voluntas credentis, ut ſecundùm hæc merita, gratia ſequatur exaudientis Dei. (b Et infrà.) Ergò Spiritus gratiæ facit ut habeamus fidem, ut per fidem impetremus orando, ut poſſimus facere quod jubemur. Ideò ipſe Apoſtolus aſſiduè legi præponit fidem, quoniàm quod lex jubet, facere non valemus, niſi per fidem rogando, impetremus, ut facere valeamus.

d *Tom. 10. num. 27. col. 732.*

a *Perfugiū Pelagianorum.*

b *Ibidem.*

PRÆDICATORES.

Solùm dicit ſanctus Auguſtinus, Pelagianos dare gratiam ſecundùm priorem voluntatem hominis, naturâ ſuâ credentem & orantem. In quo damnatur Molina, qui idem omninò cum Pelagianis dicit.

JESUITÆ.

88. (Tom. c 7. L. 4. contrà Julian. cap. 8.) Calumniaris me dicere, nihil ſtudii exſpectari ab humanâ voluntate debere, contrà illud Evangelicum quo ait Dominus: d *Petite, & accipietis; quærite & invenietis; pulſate, & aperietur vobis: Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulſanti aperietur.* Ibì enim vos, ut video, ponere jam cœpiſtis merita gratiam præcedentia, quod eſt, petere, quærere, pulſare; ut his meritis debita illa reddatur, ac ſic gratia inaniter nuncupetur; tanquàm gratia nulla præceſſerit, & cor tetigerit, ut beatificum bonum peteretur à Deo, ut quæreretur Deus, ut pulſaretur ad Deum: fruſtràque ſit ſcriptum: e *Miſericordia ejus præveniet me.*

c *Tom. 10. n. 41. col. 605.*

d *Matth. 7. 7.*

e *Pſal. 58. 11.*

PRÆDICATORES.

Ibì damnando Julianum qui dicebat dari gratiam petentibus &c. Sanctus

Auguſtinus

Digitized by Google

Auguſtinus damnat Molinam, qui idem omninò dicit, quòd facienti quod in ſe eſt Deus dat gratiam.

JESUITÆ.

a Tom. 10. num. 64. col. 856.

89. (Tom. a 7. L. de dono perſever. cap. 23.) Præſertìm, *quoniam quid oremus ſicut oportet, neſcimus; ſed ipſe Spiritus*, ait Apoſtolus, b *interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus? Qui enim ſcrutatur corda, ſcit quid ſapiat Spiritus, quià ſecundùm Deum interpellat pro Sanctis.* Quid eſt, *ipſe Spiritus interpellat*, niſi interpellare facit *gemitibus inenarrabilibus*, ſed veracibus?

b Rom. 8. 26.

PRÆDICATORES.

In toto hoc capite ex profeſſo damnat, gratiam dari petentibus, pulſantibus ex naturâ; in quo damnatur Molina.

JESUITÆ.

c Tom. 10. n. 23. col. 446.

90. (Tom. c 7. L. 2. contrà duas epiſt. Pelag. cap. 10.) Nec omninò incipit homo ex malo in bonum per initium fidei commutari, niſi hoc in illo agat indebita & gratuita miſericordia Dei. De quâ ſuam cogitationem recolens quidam, ſicut legimus in Pſalmis: *Nunquid obliviſcetur*, inquit, d *miſereri Deus, aut continebit in irâ ſuâ miſerationes ſuas? Et dixi, nunc cœpi; hæc mutatio dexteræ Excelſi.*

d Pſal. 76. 11. & 12.

PRÆDICATORES.

Ibì damnatur Molina qui initium fidei & boni operis conſtituit ex nobis; quod ibi damnat ſanctus Auguſtinus.

JESUITÆ.

§. X.

Itèm expendemus loca, ex quibus conſtat nec Auguſtinum negaſſe naturalem actum cogitationis poſſe haberi de rebus ſupernaturalibus ſine gratiâ; ſed actum cogitationis piæ.

e Tom. 10. num. 5. col. 792.

91. (Tom. e 7. L. de prædeſt. Sanct. cap. 2.) Quanquàm & ipſum credere, nihil aliud eſt, quàm cum aſſenſione cogitare. Non enim omnis qui cogitat, credit, cùm ideò cogitent pleríque, ne credant: ſed cogitat omnis qui credit, credendo cogitat, & cogitando credit. Quod ergò pertinet ad religionem & pietatem, de quâ loquebatur Apoſtolus: Si a *non ſumus idonei cogitare aliquid quaſì ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt:* profectò non ſumus idonei credere aliquid quaſi ex nobiſmetipſis, quod ſine cogitatione non poſſumus, ſed ſufficientia noſtra, quâ credere incipiamus, ex Deo eſt.

a 2. Cor. 3. 5.

PRÆDICATORES.

Expenduntur loca ex quibus Jeſuitæ conſtare dicunt ſanctum Auguſtinum non negaſſe naturalem actum cogitationis poſſe haberi de rebus ſupernaturalibus ſine gratiâ, ſed actum cogitationis piæ.

Ibì convincit ſanctus Auguſtinus, non ſolùm credere, ſicut Molina conſtituit, ſed cogitare quid ſit credendum, eſſe Dei donum. Unde totaliter Molina damnatur.

JESUITÆ.

92. (Eodem b libro cap. 8.) Neque enim audientes Evangelium à non audientibus, ſed credentes à non credentibus diſcernebat, qui dicebat: c *Nemo venit ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo.*

b Tom. 10. num. 15. col. 801.

c Joan. 6. 66.

PRÆDICATORES.

Solùm dicit ſanctus Auguſtinus, quòd omnis qui audit à Patre, venit ad Chriſtum. Hoc autèm ut quid inducitur, quia eſt extrà dubium.

JESUITÆ.

93. (Item d eod. lib. cap. 19.) Sed quià hoc vanum & inane non eſt, profectò Deus, cui de hoc opere gratias agit, ipſe fecit; ut cùm percepiſſent ab Apoſtolo verbum auditûs Dei, exciperent illud non ut verbum hominum, ſed ſicut eſt verè, verbum Dei.

d Tom. 10. n. 39. col. 816.

PRÆDICATORES.

In toto hoc capite convincit ſanctus Auguſtinus, fidei initium eſſe donum Dei. Undè Paulus agit gratias pro his qui

Digitized by Google

qui crediderunt, in quo damnatur Molina.

JESUITÆ.

a Ibidem. 94. (Item a cap. 20.) Quomodò aperitur oſtium verbi, niſi cùm ſenſus aperitur audientis ut credat, & initio fidei facto, ea quæ ad ædificandam ſalubrem doctrinam prædicantur, & diſputantur, admittat : nè per infidelitatem, corde clauſo, ea quæ dicuntur, improbet, ac repellat?

PRÆDICATORES.

Hìc ſolùm aſſerit Divus Auguſtinus, quòd Deus aperit oſtium fidei, id eſt, dat initium fidei. Ubi damnatur Molina qui contrarium dicit.

JESUITÆ.

b Nunc 217 num. 11. col. 803. 95. (Tom. 2. epiſt. b 107.) Opus eſt hoc gratiæ, quam qui accipiunt, doctrinæ ſalutari Scripturarum ſanctarum, etſi fuerunt inimici, fiunt amici: non opus ejuſdem doctrinæ, quam qui audiunt & legunt ſine gratiâ Dei, pejores ejus efficiuntur inimici. (c Et paulò inferiùs) Non ergò gratiam dicamus eſſe doctrinam, ſed agnoſcamus gratiam quæ facit prodeſſe doctrinam : quæ gratia ſi deſit, videmus etiam obeſſe doctrinam.

c Ibid. num. 12.

PRÆDICATORES.

Ibì dicit ſanctus Auguſtinus, opus gratiæ eſſe, ut prædicato Evangelio credat & aſſentiatur, aliàs fit magis inimicus. Ubi damnatur Molina, qui totum contrarium dicit.

JESUITÆ.

d Tom. 10. num. 20. col. 831. 96. (Tom. d 7. L. de dono perſever. cap. 8.) Ab ipſo quippè accipiunt eam, qui dat cordi humano cogitationes pias, per quas habeat fidem, e quæ operetur per dilectionem : ad quod bonum ſumendum & tenendum, & in eo perſeveranter uſque ad finem proficiendum, f *non ſumus idonei cogitare aliquid quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt : in cujus eſt poteſtate cor noſtrum & cogitationes noſtræ.*

e Gal. 5. 6.

f 2. Cor. 3. 5.

PRÆDICATORES.

Ibì dicit ſanctus Auguſtinus, quòd cogitationes, & piæ actiones, & fides ſunt à Deo ; quæ omnia Molina vult eſſe ex homine. Undè damnatur ibì.

JESUITÆ.

97. Pertinent etiam ad hanc propoſitionem tertiam loca circà primam propoſitionem citata.

PRÆDICATORES.

In omnibus iſtis locis jam adductis damnatur Molina, quià ponit hominem viribus naturæ piè operari, & prout ad ſalutem oportet.

JESUITÆ.

§. XI.

Loca S. Auguſtini expendenda circa propoſitionem quartam. Expendemus primò pro defenſione hujus propoſitionis loca ſancti Auguſtini, ex quibus conſtat ſemper habere ſuum locum liberum arbitrium, ſeu propriam voluntatem hominis. Ut

98. (Tom. a 7. L. de grat. & lib. arb. cap. 2.) Neque cùm aliquid ſecundùm Deum operatur, alienet hoc à propriâ voluntate. Quandò enim volens facit, tunc dicendum eſt opus bonum, tunc ſperanda eſt boni operis merces ab eo, de quo dictum eſt: b *Qui reddet unicuique ſecundùm opera ſua.* a Tom. 10. num. 4. col. 720.

b Matth. 16. 27.

PRÆDICATORES.

Expenduntur loca ſancti Auguſtini pro quartâ propoſitione, ex quibus conſtare dicunt Jeſuitæ, ſemper habere ſuum locum liberum arbitrium, ſeu propriam voluntatem hominis.

Tantùm ibì docet S. Auguſtinus eſſe hominem liberi arbitrii, quod de fide eſt. Quid indè inferunt? Non autèm ait eſſe eo modo quo ponit Molina in quartâ propoſitione. Immò hoc damnat à capite 5°.

JESUITÆ.

99. (Tom. 7. L. c de prædeſt. & grat. c Hic liber

non eſt D. Auguſt. ſed ſuſpecti authoris Semipelagianiſmum redolentis. Legatur ejus Præfatio in Appendice tom. 10. col. 50. & citatus locus col. 54.

grat. cap. 9.) Nè verò rursùs homo in ultimam fœcem deſidiæ reſolutus, arduum virtutis iter, & quamvis adjuvante gratiâ Dei, non niſi labore gradiendum, inerti ſibi crederet poſſe deferri, & nullius laboris induſtriam, ſtudio ſui profectûs adhiberet; ità inter ſe atque homines Deus tempora officiáque diſtribuens ordinavit, ut vocatione ipſius bonorum principia ſumeremus: vocati autèm atque illuminati, vias mandatorum ejus rationis ingenitæ intelligentiâ noſceremus, & eas libero vel eligeremus, vel relinqueremus arbitrio. Quas tamèn ſi ipſius fulti adjutorio, continuâ devotione ſequeremur, in fine rursùs non repugnantem mandatis ſuis, ſubjectam in nobis obedientiam coronaret.

PRÆDICATORES.

Idem omninò dicit, quòd homo eſt liberi arbitrii, non tamèn eo modo quo dicit Molina in quartâ propoſitione.

JESUITÆ.

a Nunc 153 n. 12. col. 528.

100. (Tom. 2. epiſt. a 54. ad Macedonium.) Illius enim Spiritu boni fiunt, quicunque boni fiunt; cujus capax creata eſt noſtra natura per propriam voluntatem. Pertinet ergò ad nos, ut boni ſimus, accipere & habere quod dat, qui de ſuo bonus eſt.

PRÆDICATORES.

Ibì ſolùm dicit ſanctus Auguſtinus, quòd illius Spiritu boni ſumus, cujus capax creata eſt natura per voluntatem propriam; & quòd noſtrum eſt accipere, & habere quod Deus dat. Ex hoc ſenſus Molinæ nullo modo deducitur.

JESUITÆ.

b Tom. 6. col. 208.

101. (b Tom. 3. in Enchirid. cap. 32.) Cùm procul dubio, ſi homo ejus ætatis eſt, ut ratione jam utatur, non poſſit credere, ſperare, diligere, niſi velit, nec pervenire ad palmam ſupernæ vocationis Dei, niſi voluntate cucurrerit.

PRÆDICATORES.

Ibì dicit ſanctus Auguſtinus hominem velle ſuâ voluntate; ſed præparatur voluntas à Domino, qui operatur & velle. Et ibì expreſsè excludit & damnat modum quo Molina conſtituit hominem concurrere libero arbitrio.

JESUITÆ.

a Tom. 10. num. 60. col. 120.

102. (a Tom. 3. L. de Spiritu & litt. cap. 34.) Attendat, & videat, non ideò tantùm iſtam voluntatem divino muneri tribuendam, quià ex libero arbitrio eſt, quod nobis naturaliter concreatum eſt. Verùm etiàm quòd viſorum ſuaſionibus agit Deus, ut velimus, & ut credamus; ſivè extrinſecùs per Evangelicas exhortationes, ubì & mandata legis aliquid agunt, ſi ad hoc admonent hominem infirmitatis ſuæ, ut ad gratiam juſtificantem credendo confugiat; ſivè intrinſecùs, ubì nemo habet in poteſtate quid ei veniat in mentem; ſed conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt. His ergò modis quandò Deus agit cum animâ rationali, ut ei credat, neque enim credere poteſt quodlibet libero arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio vel vocatio cui credat; profectò & ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus b miſericordia ejus præveniet nos: conſentire autèm vocationi Dei, vel ab eâ diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt. Quæ res non ſolùm non infirmat quod dictum eſt: c *Quid enim habes quod non accepiſti?* verùm etiam confirmat. Accipere quippè & habere anima non poteſt dona, de quibus hoc audit, niſì conſentiendo: ac per hoc quòd habeat, & quòd accipiat, Dei eſt: accipere autèm & habere utique accipientis & habentis eſt.

b Pſal. 58.

c 1. Cor. 4. 7.

PRÆDICATORES.

Dicit ibì S. Auguſtinus, quòd Deus ſuaſionibus agit; conſentire autèm & non conſentire propriæ voluntatis eſt. Sed ſtatim dicit: jàm ſi ad illam profunditatem ſecundam &c. ubì reſolvit quæſtionem.

JESUITÆ.

d Tom. 4.

103. (d Tom. 8. enarrat. in Pſal. 78.

circà

Digitized by Google

num. 12. col. 846. circà illud : *adjuva nos Deus ſalutaris noſter.*) Cum verò adjuvari nos vult, nec ingratus eſt gratiæ, nec tollit liberum arbitrium. Qui enim adjuvatur, etiàm per ſe ipſum aliquid agit.

PRÆDICATORES.

Ibì ſic dicit ſanctus Auguſtinus : qui enim adjuvatur, per ſeipſum aliquid agit; quià eſt liberi arbitrii per ſe agere ; ſed intelligit adjutum & motum à Deo.

JESUITÆ.

a Tom. 10. n. 6. col. 43.

104. (a Tom. 7. L. 2. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 5.) Nec ideò tamèn de hâc re ſolis votis agendum eſt, ut non ſubinferatur adnitendo etiàm noſtræ efficaciâ voluntatis. Adjutor enim noſter Deus dicitur; b nec adjuvari poteſt, niſi qui etiàm aliquid ſpontè conatur. Quià non ſicut in lapidibus inſenſatis, aut ſicut in eis in quorum naturâ rationem voluntatemque non condidit, ſalutem noſtram Deus operatur in nobis.

b Pſal. 61. 9.

PRÆDICATORES.

Idèm dicit ſanctus Auguſtinus quod in loco ſuperiori.

JESUITÆ.

c Nunc 169 tom. 5. n. 13. col. 815.

105. (Tom. 10. Serm. 15. c de verbis Apoſtoli.) Sed totum ex Deo : non tamèn quaſi dormientes, non quaſi ut non conemur, non quaſi ut non velimus. Sine voluntate tuâ non erit in te juſtitia Dei. Voluntas quidèm non eſt niſì tua, juſtitia non eſt niſì Dei. Eſſe poteſt juſtitia Dei ſine voluntate tuâ, ſed in te eſſe* non poteſt niſì per voluntatem tuam.

* Nunc legitur non poteſt præter voluntatem tuam

PRÆDICATORES.

Nihil aliud dicit ſanctus Auguſtinus, niſi quòd homo adjutus à Deo operatur per liberum arbitrium, non autèm ad modum quo Molina ſtatuit naturas partiales.

JESUITÆ.

d Tom. 10. num. 15. col. 237.

106. (d Tom. 7. L. de grat. Chriſti cap. 14.) Quis autèm non videat, & venire quemquam & non venire arbitrio voluntatis ? Sed hoc arbitrium poteſt eſſe ſolum, ſi non venit ; non autem poteſt niſi adjutum eſſe, ſi venit.

PRÆDICATORES.

Patet ſolutio ex verbis ſequentibus, ubi dicit ſanctus Auguſtinus : & ſic adjutum ut non ſolùm quid faciendum ſit ſciat, ſed quid ſcierit etiàm faciat. Quibus verbis damnatur Molina.

JESUITÆ.

107. (a Tom. 4. in expoſ. quarumdam propoſit. ex epiſt. ad Rom. propoſ. 44.) liberum autèm arbitrium habet, ut credat Liberatori, & accipiat gratiam, ut jam illo qui eam donat liberante & adjuvante non peccet. a Tom. 3. part. 2. col. 910.

PRÆDICATORES.

Solùm dicit ſanctus Auguſtinus : in libero autèm arbitrio habet, ſcilicet homo, ut credat liberè, & accipiat gratiam ; ſed hoc non eſt, quòd ex ſe applicetur & moveatur ad bonum.

JESUITÆ.

108. (b Tom. 7. L. de grat. & lib. arb. cap. 4.) Itaque ut hoc verbum, quod non ab omnibus capitur, ab aliquibus capiatur, & Dei donum eſt, & liberum arbitrium. b Tom. 10. num. 7. col. 722.

PRÆDICATORES.

Solùm ibi dicit ſanctus Auguſtinus : ut hoc verbum quod non ab omnibus capitur ab aliquibus capiatur, Dei donum eſt, & liberi arbitrii : non autèm ſicut duæ cauſæ partiales concurrentes, ut ait Molina.

JESUITÆ.

109. (Tom 3. ex lib. c de Eccleſiaſt. Dogmat. cap. 21.) Manet itaque ad quærendam ſalutem arbitrii libertas, id eſt, rationalis voluntas, ſed admonente priùs Deo & invitante ad ſalutem, ut vel eligat, vel ſequatur, vel agat occaſione ſalutis, hoc eſt, inſpiratione Dei. Ut autem conſequatur quod eligit, vel quod ſequitur, vel quod

c Hic Liber eſt Gennadii Maſſilienſis. In appendice tom. 8. col. 77.

Digitized by Google

quod occaſione agit, Dei eſſe liberè confitemur. Initium ergò ſalutis noſtræ Deo miſerante habemus; ut acquieſcamus ſalutiferæ inſpirationi, noſtræ poteſtatis eſt: ut adipiſcamur quod acquieſcendo admonitioni cupimus, divini eſt muneris: ut non labamur in adepto ſalutis munere, ſollicitudinis noſtræ eſt, & cæleſtis pariter adjutorij.

PRÆDICATORES.

Ex immediatè antecedentibus & ſubſequentibus, ſatis declarat quomodò maneat arbitrii libertas ad quærendam juſtitiam, videlicet inſpirante priùs Deo, quem ſequitur arbitrium.

JESUITÆ.

110. (a Tom. 9. tract. 4. in Epiſt. 1. B. Joan. poſt medium) Videte quemadmodum non abſtulit liberum arbitrium, ut diceret, caſtificat ſeipſum. Quis nos caſtificat, niſi Deus? Sed Deus te nolentem non caſtificat. Ergò quòd adjungis voluntatem tuam Deo, caſtificas teipſum. Caſtificas te, non de te, ſed de illo qui venit ut habitet in te.

a *Tom. 3. part. 2. n. 7. col. 854.*

PRÆDICATORES.

Solùm dicit ibi S. Auguſtinus, quòd non abſtulit liberum arbitrium Apoſtolus, ſed quòd liberè conſentit; non autèm ad modum quo ponit Molina in quartâ propoſitione.

JESUITÆ.

111. (Tom. 2. epiſt. b 107.) Quomodò dicuntur negare liberum voluntatis arbitrium, qui confitentur omnem hominem, quiſquis ſuo corde credit in Deum, non niſi ſuâ liberâ credere voluntate; cùm potiùs illi oppugnent liberum arbitrium, qui oppugnant Dei gratiam, quâ verè ad bona eligenda & agenda fit liberum?

b *Nunc 217 num. 23. col. 807.*

PRÆDICATORES.

Hìc apertè damnat S. Auguſtinus ſententiam Molinæ dicentis, negari arbitrium, ſi à gratiâ efficaciter moveatur.

JESUITÆ.

112. (a Tom. 6. L. 2. de actis cum Felice Manichæo cap. 8.) Non eſt ergò indignum ut Deus dicat: b *Ite in ignem æternum*, eis qui ejus miſericordiam per liberum arbitrium reſpuerunt; & dicat: c *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum*, eis qui per liberum arbitrium fidem ejus ſuſceperunt, peccata ſua confeſſi ſunt, pœnitentiam egerunt, diſplicuerunt ſibi quales fuerunt, & quales per eum facti ſunt illi placuerunt.

a *Tom. 8. col. 491.*
b *Matth. 25. 41.*
c *Idem ✝. 34.*

PRÆDICATORES.

Solùm dicit hominem per liberum arbitrium, adjutum tamèn à Deo, pœnitere.

JESUITÆ.

113. (d Tom. 4. L. 1. ad Simplic. q. 2.) Ut velimus enìm, & ſuum eſſe voluit, & noſtrum: ſuum vocando, noſtrum ſequendo.

d *Tom. 6. n. 10. col. 94.*

PRÆDICATORES.

Ibì dicit ſanctus Auguſtinus, ut velimus, eum & ſuum voluit eſſe, & noſtrum: ſuum, quià ad id movet; noſtrum quia liberè conſentimus. Quid hæc ad Molinam?

JESUITÆ.

114. (e Tom. 4. L. de bono viduitatis cap. 17.) Proindè arbitrium voluntatis humanæ nequaquàm deſtruimus, quandò Dei gratiam, quâ ipſum adjuvatur arbitrium, non ſuperbiâ negamus ingratâ, ſed gratâ potiùs pietate prædicamus. Noſtrum enim eſt velle; ſed voluntas ipſa etiàm admonetur ut ſurgat, & ſanatur ut valeat, & dilatatur ut capiat, & impletur ut habeat: nam ſi nos non vellemus, nec nos utique acciperemus ea quæ dantur, nec nos haberemus.

e *Tom. 6. num. 21. col. 380.*

PRÆDICATORES.

Solùm dicit ſanctus Auguſtinus, quòd noſtrum eſt velle, ſed voluntas ipſa movetur ut ſurgat, ſanatur ut valeat, dilatatur ut capiat, & impletur ut habeat. Cujus totum contrarium Molina dicit in quartâ propoſitione.

JESUITÆ.

Digitized by Google

JESUITÆ.

a Tom. 7. col. 305.

115. (a Tom. 5. L. 12. de civit. Dei cap. 6.) Nam ut hoc quoque impedimentum ab ipſâ quæſtione tollatur, ſi eâdem tentatione ambo tententur, & unus ei cedat atque conſentiat, alter, idem qui fuerat, perſeveret: quid aliud apparet, niſi unum voluiſſe, alterum noluiſſe à caſtitate deficere? Undè niſi propriâ voluntate, ubi eadem fuerat in utroque corporis & animi affectio? Amborum oculis pariter viſa eſt eadem pulchritudo; ambobus pariter inſtitit occulta tentatio.

PRÆDICATORES.

Solùm dicit ſanctus Auguſtinus, quòd qui non conſentit in peccatum, non conſentit quià non vult: ſed alibì ſæpiùs dicit, quòd ut non velit peccare in tentatione poſitus, voluntate Dei ſtat qui ſtat, & voluntate ſuâ cadit qui cadit.

Omnia iſta decem & octo loca ſancti Auguſtini ſolùm probant eſſe hominem liberi arbitrii, & liberè conſentire & operari, tamèn cùm benè vult & operatur, Deus eſt qui operatur & velle. Undè non probant arbitrii hominis proprium locum & induſtriam, ità ut illam effectivè à Deo non recipiat, ut vult Molina in ſuâ quartâ propoſitione.

JESUITÆ.

§. XII.

Loca ſancti Auguſtini expendenda circà propoſitionem quintam. Expendemus etiam loca ſancti Auguſtini, quibus apparet quod agnoverit etiàm naturalem pœnitentiam juxtà dictamen legis naturalis. Ut

b Tom. 7. col. 557.

116. (b Tom. 5. L. 19. de civit. Dei cap. 13.) Et ipſe dolor teſtimonium eſt boni adempti, & boni relicti. Niſi enìm bonum relictum eſſet, bonum amiſſum dolere non poſſet. Nam qui peccat, pejor eſt, ſi lætatur in damno æquitatis. Qui verò cruciatur, ſi indè nihil adquirat boni, dolet damnum ſalutis. Et quoniàm æquitas & ſalus utrumque bonum eſt, bonique amiſſione dolendum eſt, potiùs quàm lætandum, (ſi tamèn non ſit compenſatio melioris, melior eſt autem animi æquitas, quàm corporis ſanitas) profectò convenientiùs injuſtus dolet in ſupplicio, quàm lætatus eſt in delicto. Sicut ergò lætitia deſerti boni in peccato teſtis eſt voluntatis malæ; ità dolor amiſſi boni in ſupplicio teſtis eſt naturæ bonæ. Qui enìm dolet amiſſam naturæ ſuæ pacem, ex aliquibus reliquiis pacis id dolet, quibus fit, ut ſibi amica natura ſit.

PRÆDICATORES.

Expenduntur loca ſancti Auguſtini circà propoſitionem quintam Molinæ, ex quibus Jeſuitæ dicunt apparere quòd agnoverit etiàm naturalem pœnitentiam, juxtà dictamen legis naturalis.

In iſto loco ſolùm dicit ſanctus Auguſtinus quòd homo ex naturâ poſſit dolere de amicâ pace perditâ per peccatum; non tamèn dicit, quòd poſſit dolere propter Deum ſummè dilectum, ſed alio dolore imperfectiſſimo.

JESUITÆ.

117. (a Tom. 8. enarrat. in Pſal. 53.) Nonnè tunc ingemiſcent? Nonnè tunc ſerâ pœnitentiâ torquebuntur, & dicent: b *Quid nobis profuit ſuperbia, & divitiarum jactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tanquàm umbra.* O Ziphæi ad ſiniſtram ſtantes, ſerò pœnitet vos in umbrâ floruiſſe! Quarè David, quem prodebatis inter vos latere, non agnoſcebatis? Tunc enìm ſi corrigeremini, dolor iſte infructuoſus non eſſet; eſt enìm dolor fructuoſus, eſt & infructuoſus.

a Tom. 4. num. 3. col. 494.

b Sap. 5. 8.

PRÆDICATORES.

In iſto loco apertè damnat Molinam ſanctus Auguſtinus: dicit enim illum dolorem quem Molina conſtituit eſſe fructuoſum; dicit, inquam, naturæ viribus non haberi.

JESUITÆ.

118. (c Tom. 8. enarrat. in Pſal. 32. concione primâ circà finem.) Erit & tunc

c Tom. 4. enarrat. 2. num. 10. col. 194.

tunc pœnitentia, ſed jàm infructuoſa. Dicent intrà ſe pœnitentiam agentes, & præ anguſtiâ ſpiritûs gementes : (Certè iſta ſcripta ſunt a in Libro Sapientiæ.) *Quid nobis profuit ſuperbia &c.*

a Sap. 5. 3.

PRÆDICATORES.

Nihil tale dicit ſanctus Auguſtinus ; ſed ſolùm quòd poſt hanc vitam erit pœnitentia infructuoſa, in hâc vitâ autem fructuoſa : ſed non dicit quòd viribus naturæ habeatur.

JESUITÆ.

119. (b Tom. 3. Lib. de Spiritu & Litt. cap. 28.) Si hoc eſt, quod dictum eſt, quià c *gentes quæ legem non habent*, hoc eſt, legem Dei, *naturaliter quæ legis ſunt faciunt*, & quià hujuſmodi homines *ipſi ſibi ſunt lex*, & *ſcriptum opus legis habent in cordibus ſuis*, id eſt, non omni modo deletum eſt ; quod ibì per imaginem Dei, dùm crearentur, impreſſum eſt. (d Et ſub finem capitis.) Sed quodlibet horum accipiatur, conſtat gratiam Dei promiſſam eſſe Teſtamento Novo etiam per Prophetam e : Eandemque gratiam in eo definitam, ut ſcribantur leges Dei f in cordibus hominum.... Hoc donum Spiritûs Sancti eſt, quo diffunditur charitas in cordibus noſtris : charitas non quælibet, ſed g *charitas Dei de corde puro, & conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ.*

b Tom. 10. n. 48. col. 111.
c Rom. 2. 14.
d Num. 49. col. 112.
e Jerem. 31. 33.
f Rom. 5. 5.
g 1. ad Tim. 1. 5.

PRÆDICATORES.

Nihil omninò, nec verbum quidem agit ſanctus Auguſtinus ibì de contritione, attritione, vel pœnitentiâ : ſed tantùm dicit ſine gratiâ hominem poſſe facere aliqua opera moralia. Undè falſò citatur.

JESUITÆ.

120. (h Tom. 7. Lib. 4. contrà Julian. cap. 3.) Aut ſi fidem non habent Chriſti, profectò nec juſti ſunt, nec Deo placent, cui ſine fide placere impoſſibile ſit. Sed ad hoc eos in die judicij cogitationes ſuæ defendent, ut tolerabiliùs puniantur, quià naturaliter quæ legis ſunt, utcunque fecerunt.

h Tom. 10. n. 25. col. 597.

PRÆDICATORES.

Nihil tale ibì, vel de pœnitentiâ, vel de contritione, vel de attritione dicitur. Undè falsò allegatur.

JESUITÆ.

121. (Tom. 10. Serm. a 15. dè verbis Apoſt.) Lege Dei propoſitâ quiſquis tumuerit, & ſuis viribus eam implere ſe poſſe putaverit, & fecerit quod lex jubet.

a Nunc 169 tom. 5. n. 8. col. 812.

PRÆDICATORES.

De contritione naturali nihil dicit ibì S. Auguſtinus. Immò illam omninò expreſsè negat : ſed ſolùm dicit quòd timore pœnæ aliquis non peccat : peccaret tamen ſi pœna eſſet. Immò extrà dubium adducitur hic locus.

JESUITÆ.

122. (b Tom. 8. enarrat. in Pſal. 31.) Et propoſuerit animo implere juſtitiam, & omnia quæ præcipiuntur in lege, ità facere, ut in nullo offendat, atque in poteſtate ſuâ ſe habere vitam ſuam ; ut omninò nuſquàm labatur, nuſquàm deficiat, nuſquàm titubet, nuſquàm caliget, ſibique hoc tribuat & potentatui voluntatis ſuæ ; etiàmſi fortè impleverit omnia, quæ juſta videntur coràm oculis hominum, ità ut nihil inveniatur in vitâ ejus, quod poſſit reprehendi ab hominibus, ipſam præſumptionem jactationemque ſuperbiæ damnat Deus.

b Tom. 4. enarr. 2. n. 1. col. 170.

PRÆDICATORES.

Nec ibì verbum de pœnitentiâ, attritione, & multò minùs de contritione naturali loquitur ſanctus Auguſtinus. Undè falſò citatur.

JESUITÆ.

§. XIII.

Itèm expendemus, ad ejuſdem Propoſitionis quintæ defenſionem, Auguſtini loca, ex quibus apparet quòd ſolum requirat auxilium gratiæ ad pœnitentiam ſalutarem & piam ex fide, qualem exigit Scriptura. Ut

Digitized by Google

a Tom. 10. n. 49. col. 249.

123. (a Tom. 7. Lib. de grat. Chriſti cap. 45.) Ipſam deniquè pœnitentiam, quam procùldubio voluntas agit, Domini miſericordiâ & adjutorio fieri ut agatur, in * decimo ejuſdem operis Libro beatus dicit Ambroſius ità loquens; Bonæ lacrymæ quæ culpam lavant.

* Nunc in nono.

PRÆDICATORES.

Expenduntur loca S. Auguſtini, ex quibus Jeſuitæ dicunt apparere, quòd ſolùm requirat auxilium gratiæ ad pœnitentiam ſalutarem & piam ex fide.

Pœnitentiam quà quis dolet de peccato commiſſo propter Deum, dicit eſſe Dei donum, & ex Ambroſio probat ſanctus Auguſtinus: & hanc omnem vocat piam & ſalutarem. Undè per hoc damnatur Molina, & Defenſores ejus.

JESUITÆ.

b Tom. 10. num. 7. col. 763.

124. (b Tom. 7. Lib. de correptione & gratiâ cap. 5.) Non enìm aliquid proficit, niſi cùm facit ut peccati ſui quemquam pœniteat. Et quis hoc dat, niſi qui reſpexit c Apoſtolum Petrum negantem, & fecit flentem? Undè & Apoſtolus Paulus, poſteaquàm dixit, cum modeſtiâ corripiendos eſſe diverſa ſentientes, protinùs addit: d *Nequandò det eis Deus pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à Diaboli laqueis.*

c Matth. 26. 75.

d 2. ad Tim. 2. 25.

PRÆDICATORES.

Hic locus expugnat Molinam, & Defenſores, quià pro certo dicit ſanctus Auguſtinus, quòd pœnitere & dolere de peccatis eſt donum Dei.

JESUITÆ.

e Nunc 186 n. 33. col. 675.

125. (Tom. 2. Epiſt. e 106. versùs finem.) Fateatur ſecundùm gratiam & miſericordiam Dei veniam pœnitentibus dari, non ſecundùm merita eorum; quandòquidem etiam pœnitentiam donum Dei dixit Apoſtolus, ubi aït de quibuſdam: f *Nè fortè det illis Deus pœnitentiam.*

f 2. ad Tim. 2. 25.

PRÆDICATORES.

In hoc loco damnatur quinta propoſitio Molinæ, quâ ſic pœnitentia ab homine homini tribuitur, ut ipſum perfectè in Deum authorem convertat, cum quâ converſione peccatum eſſe non poteſt.

JESUITÆ.

126. (Tom. 7. Lib. 3. * Hypognoſticon cap. 9.) Quem, ſicut dixit Apoſtolus, benignitas Dei ſalvandum ad pœnitentiam adduxerit; ſecundùm quòd iterùm ad Timotheum dicit: a *Ne fortè det illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à Diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem,* & b *cibaverit eum pane lacrymarum, potumque dederit ei in lacrymis & menſurâ.* Mundat ſe ab hujuſmodi vaſis; quià cum Dei miſericordiâ ſe præveniente, agit & ipſe ſatis per liberum arbitrium, ut emundetur. Solâ autem voluntate ſuâ ſi præſumat, mundari non poteſt; immò nec ex corde pœnitere compellitur; quià Petrum niſi Dominus reſpexiſſet, c nunquàm pœnitentiâ motus amarè fleviſſet. Pœnitentia ergò res eſt optima & perfecta, quæ defectos revocat ad perfectum. Sed d *omne datum optimum,* Jacobus inquit Apoſtolus, *& omne donum perfectum de ſursùm eſt, deſcendens à Patre luminum.*

* Hic Liber non eſt D. Aug. in Appendic. tom. 10. col. 20.

a 2. ad Tim. 2. 25.

b Pſal. 79. 6.

c Matth. 26. 75.

d Jacob. 1. 17.

PRÆDICATORES.

Ibì probat pœnitentiam quâ homo dolet de peccatis eſſe donum Dei: undè per hoc ſententia Molinæ, & Defenſorum ejus damnatur.

JESUITÆ.

127. (e Tom. 8. enarrat. in Pſal. 118. concione 27.) Quis enìm facit mandata tua ſicut facienda ſunt, id eſt, ex fide quæ per f dilectionem operatur; niſi in ejus corde per Spiritum g Sanctum ipſa dilectio diffundatur?

e Tom. 4. num. 3. col. 1350.

f Gal. 5. 6.

g Rom. 5. 5.

PRÆDICATORES.

Ibì non agit S. Auguſtinus de contritione vel pœnitentiâ: ſed ſolùm aït; quòd nemo facit mandata Dei ex fide ex ſe, ſed ex Deo.

JESUITÆ.

Digitized by Google

JESUITÆ.

128. (a Tom. 7. Lib. 2. de peccator. merit. & remiſſ. cap. 5.) Juſta autem agere, vel juſtitiæ præceptum omni ex parte implere non poſſumus, niſi adjuvemur à Deo.

a Tom. 10. col. 42.

PRÆDICATORES.

Ibi nihil in particulari de contritione habet S. Auguſtinus. Solùm dicit quòd juſta facere ſine Deo non poſſumus; & quòd Deus nos ad ſe convertit: in quo quintam propoſitionem Molinæ damnat.

JESUITÆ.

Pertinent etiam ad hanc Propoſitionem quintam Molinæ loca citata ad primam, & citanda circà ſextam.

PRÆDICATORES.

Omnia iſta loca potiùs ſententiam Molinæ ac Defenſorum ejus damnant.

JESUITÆ.

§. XIV.

Loca S. Auguſtini expendenda circà Propoſitionem ſextam. Expendenmus primò pro defenſione hujus propoſitionis, loca S. Auguſtini ex quibus apparet, quòd agnoverit naturalem affectum amoris Dei ſuper omnia: Itèmque propoſitum juxtà præceptum legis naturalis. Ut

129. (Tom. 10. Serm. * 124. de tempore) Ibi, per ſolum enim &c.

* Non eſt D. Aug.

PRÆDICATORES.

Expenduntur loca S. Auguſtini circà propoſitionem ſextam Molinæ, ex quibus apparere dicunt Jeſuitæ quòd hic Sanctus agnoverit naturalem affectum amoris Dei ſuper omnia, itèmque propoſitum juxtà præceptum legis naturalis.

Totum hunc Sermonem citatum legi, & tale nihil invenio, undè falsò citatur. Agit iſte Sermo de Petri negatione.

JESUITÆ.

130. (Tom. 10. Serm. b 127. de tempore.) Videte, Fratres, reſponſionem diſcipuli, & intelligite dilectionis eſſe quod dixit. Sed quià per ſolum amoris ſui ſtudium, non addito etiam adjutorio Domini, voluit eſſe promiſſum, ſtare non potuit per hominem, quod ſub Divinitate pendebat, fuit quidèm in voluntate, ſed non fuit in virtute; ſicut ipſe Dominus dicit: a *Spiritus promptus eſt, caro autem infirma.* Et iterum: b *ſine me nihil poteſtis facere.* Uſque ad mortem promiſit, & in timore negavit.

b Non eſt S. Aug. in Ap. Tom, 5. ſer. 149. n. 8. col. 2631. — a Matth. 26. 41. — b Joan. 15. 5.

PRÆDICATORES.

Verba ſunt de Petro, quià per ſolum ſui amoris ſtudium, non addito etiam adjutorio Domini, voluit eſſe promiſſum, ſtare non potuit. Sed non dicit S. Auguſtinus quòd illud ſtudium amoris habuerit ſine Deo; ſed quòd promiſit ſe perſeveraturum, non fidendo in Dei adjutorio; & illa parva charitas, ut dicit idem Doctor (Lib. de grat. & libero arbitrio) ſibi fuerat data à Deo.

JESUITÆ.

131. (c Tom. 3. Lib. de Spirit. & Litt. cap. 28.) Si hoc eſt quod dictum eſt, quià *gentes* d *quæ legem non habent*, hoc eſt, legem Dei, *naturaliter quæ legis ſunt faciunt*, & quià hujuſmodi homines *ipſi ſibi ſunt lex, & ſcriptum opus legis habent in cordibus ſuis*, id eſt, non omni modo deletum eſt, quod ibi per imaginem Dei, cùm crearentur, impreſſum eſt. (Et e infrà) ſed quodlibet horum accipiatur, conſtat gratiam Dei promiſſam eſſe Teſtamento Novo &c. Hoc donum Spiritûs Sancti eſt, quo diffunditur f charitas in cordibus noſtris. Charitas non quælibet, ſed charitas g Dei de corde puro &c.

c Tom. 10. n. 48. col. 111. — d Rom. 2. 14. — e Num. 49. col. 112. — f Rom. 5. 5. — g 1. Tim. 1. 5.

PRÆDICATORES.

In primis verbis nihil omninò tale dicit ſanctus Auguſtinus. In ſecundis autem dicit, quòd per Spiritum ſanctum diffunditur in cordibus noſtris charitas, non qualibet, ſed de corde puro, conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ, id eſt non charitas quomodolibet imperfectè diligens

velleitate Deum, ſed actu perfecto ſuper omnia: Hæc eſt de corde puro &c.

JESUITÆ.

a Tom. 10. n. 25. col. 397.

132. (a Tom. 7. L. 4. contrà Julian. cap. 3.) Aut ſi fidem non habent Chriſti, profectò nec juſti ſunt, nec Deo placent, cui ſine fide placere impoſſibile ſit. Sed ad hoc eos in die judicij cogitationes ſuæ defendent, ut tolerabiliùs puniantur, quià naturaliter quæ legis ſunt utcunque fecerunt.

PRÆDICATORES.

Nihil tale ibi dicit ſanctus Auguſtinus. Immò nec illa verba in illo ſunt capite.

JESUITÆ.

b Tom. 4. enarr. 2. n. 1. col. 170.

133. (b Tom. 8. præf. in Pſal. 31.) Et propoſuerit animo implere juſtitiam, & omnia quæ præcipiuntur in lege, ità facere ut in nullo offendat, atque in poteſtate ſuâ ſe habere vitam ſuam, ut omninò nuſquàm labatur, nuſquàm deficiat, nuſquàm titubet, nuſquàm caliget, ſibique hoc tribuat, & potentatui voluntatis ſuæ: etiamſi fortè impleverit omnia quæ juſta videntur &c.

PRÆDICATORES.

Ibi dicit S. Auguſtinus, quòd ſi propoſuerit animo ſervare omnia quæ in lege præcipiuntur, per ſe, eſt ſuperbus & elatus in tali præſumptione. Non ergò dicit quòd poteſt diligere Deum ſuper omnia; qui abſque dubio eſt actus laudabilis.

JESUITÆ.

c Nunc ſer. 169. tom. 5. num. 8. col. 812.

134. (Tom. 10. Serm. c 15. de verbis Apoſt.) Lege Dei propoſitâ quiſquis tumuerit, & ſuis viribus eam implere ſe poſſe putaverit, & fecerit quod lex jubet &c.

PRÆDICATORES.

Contrarium dicit ibi expreſſè S. Auguſtinus; quòd videlicet lege Dei propoſitâ quicunque eam ſuis viribus implere putaverit, & fecerit, quod lex jubet, non amando juſtitiam, ſed timendo pœnam, fuit ſecundùm juſtitiam quæ ex lege eſt, ſine querelâ. Quomodò ergò adducitur hic locus pro dilectione Dei ſuper omnia, in quo totum contrarium dicitur?

Ex omnibus igitur iſtis locis conſtat non dixiſſe S. Auguſtinum poſſe hominem naturæ ſolius viribus diligere Deum ſuper omnia naturali dilectione: ſed omninò contrarium.

JESUITÆ.

§. XV.

Itèm expendemus loca ſancti Auguſtini ex quibus apparet quòd non requirat auxilium gratiæ ad quamlibet dilectionem, ſed ad dilectionem charitatis ſalutaris, & piæ ex fide. Ut

a Tom. 10. n. 49. col. 112. b Rom. 5. 5. c 1. ad Tim. 1. 5. d 1. Cor. 13. 12.

135. (a Tom. 3. Lib. de Spirit. & Litt. cap. 28.) Hoc donum Spiritûs Sancti eſt, quo *diffunditur* b *charitas in cordibus noſtris*. Charitas non quælibet, ſed *charitas* c *Dei de corde puro, & conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ*, ex quâ juſtus in hâc peregrinatione vivens, ad ſpeciem quoque perducitur poſt ſpeculum & ænigmata, & quidquid erat ex parte, d ut facie ad faciem cognoſcat, ſicut & cognitus eſt.

PRÆDICATORES.

Expenduntur loca ſancti Auguſtini, ex quibus apparere dicunt Jeſuitæ, ipſum non requirere auxilium gratiæ ad quamlibet dilectionem Dei, ſed ad dilectionem charitatis ſalutaris, & piæ ex fide.

Verba ſunt ſancti Auguſtini, quòd per Spiritum S. diffunditur in cordibus noſtris charitas, non quælibet, ſed de corde puro, conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ, id eſt non charitas quæ diligit Deum, ſed non ſuper omnia, vel quæ diligit Deum ſuper omnia propter bona temporalia, qui eſt amor concupiſcentiæ. Hæc charitas quià non eſt de corde puro, non infunditur à Deo: at verò charitas Dei ſuper omnia, abſoluta, eſt de corde puro. Undè eſt donum Dei.

JESUITÆ.

e Tom. 10.

136. (e Tom. 7. Lib. 3. contrà duas Epiſt.

n. 20. col. 461. Epiſt. Pelag. cap. 7.) Spiritali, quæ ex Deo eſt, non faciunt charitate.

PRÆDICATORES.

Ibì ſic dicit S. Auguſtinus, quòd qui putant ſuis viribus implere legem jubentem, non faciunt ſpirituali charitate, quæ ex Deo eſt, id eſt, non faciunt ex dilectione Dei naturali ſuper omnia, licet id putent. Undè potiùs damnatur in hoc Molina.

JESUITÆ.

a Tom. 10. num. 40. col. 738. 137. (a Tom. 7. L. de grat. & lib. arb. cap. 19.) Si veram, id eſt, chriſtianam dilectionem haberent, ſcirent & undè haberent.

PRÆDICATORES.

Locus iſte expugnat Molinam ac Defenſores ejus : illis enim dicimus verba hujus loci : & in Pelagianis tenebræ dicunt; dilectio ex nobis eſt; quam ſi veram, id eſt, chriſtianam dilectionem haberent, ſcirent undè haberent.

JESUITÆ.

b Num. 34. col. 736. c 1. Tim. 1. 5. 138. (b Eodem lib. cap. 17.) Et adjungens, qualis charitas? c *de corde*, inquit, *puro, & conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ.*

PRÆDICATORES.

Verba ſunt : qualis charitas? de corde, inquit, puro &c. id eſt, charitas quæ diligit Deum abſolutè ſuper omnia, quæque ex Deo debet eſſe.

JESUITÆ.

d Tom. 1. num. 1. col. 84. 139. (d Tom. 1. L. 1. retract. cap. 23.) Undè quidèm jam evertitur hæreſis Pelagiana, quæ vult, non ex Deo nobis, ſed ex nobis eſſe charitatem quâ benè ac piè vivimus.

PRÆDICATORES.

Iſte locus damnat ſententiam Defenſorum Molinæ apertè. Verba S. Auguſtini ſunt : undè quidèm jam evertitur hæreſis Pelagiana, quæ vult non ex Deo nobis, ſed ex nobis eſſe charitatem, naturalem videlicet, quam Molina & iſti ponunt. Nec enim illi ſupernaturalem ex nobis conſtituerunt.

JESUITÆ.

140. (a Tom. 7. L. de nat. & grat. cap. 69. in fine) Duræ ſunt timori, leves amori &c. (juncto cap. 70. ſequenti.) a Tom. 10. num. 83. col. 164.

PRÆDICATORES.

Ibì damnatur ſententia Molinæ, ſicut ſuperiori loco. Videatur.

JESUITÆ.

141. (b Tom. 7. L. 4. contrà Julian. cap. 3. in fine) Amor autèm Dei quo pervenitur ad Deum, non eſt niſi à Deo Patre per Jeſum Chriſtum cum Spiritu Sancto. b Tom. 10. num. 33. col. 602.

PRÆDICATORES.

In iſto loco damnatur ſententia Molinæ, ponente dilectionem Dei ſuper omnia; quia per illam pervenitur ad Deum, velit nolit.

JESUITÆ.

142. (Tom. 2. epiſt. c 105.) Nec habet quiſquam virtutem veram, charitatem ſinceram, continentiam religioſam, niſi per ſpiritum virtutis, & charitatis, & continentiæ. c Nunc 194. num. 18. col. 720.

PRÆDICATORES.

Hic locus cum Pelagianis damnat Molinam ponentem in homine charitatem Dei ſuper omnia, & ex conſequenti ſinceram.

JESUITÆ.

143. (d Tom. 8. enarr. in pſal. 118. concione 27.) Quis enim facit mandata tua ſicut facienda ſunt, id eſt, ex fide quæ per dilectionem Dei e operatur, niſi ejus in corde per Spiritum ſanctum ipſa f dilectio diffundatur? d Tom. 4. num. 3. col. 1350. e Gal. 5. 6. f Rom. 5. 5.

PRÆDICATORES.

Verba S. Auguſtini ſunt : Quis enim facit mandata tua ſicut facienda ſunt, id eſt, ex fide quæ per dilectionem Dei operatur, niſi ejus in corde per Spiritum ſanctum ipſa dilectio diffundatur? At verò Molina vult, quòd dilectio diffundatur in

Digitized by Google

in corde ex homine, ſivè poſtquàm habet ſemel fidem, ſivè antè illam. Quod utrumque damnatur hìc ab Auguſtino.

JESUITÆ.

a Tom. 10. col. 42.

144. (a Tom. 7. L. 2. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 5. initio.) Juſta autem agere, vel juſtitiæ præceptum omni ex parte implere non poſſumus, niſi adjuvemur à Deo.

Pertinent etiam ad hanc ſextam propoſitionem Molinæ loca citata circà propoſitionem primam.

PRÆDICATORES.

Nihil dicit ibì S. Auguſtinus de charitate vel dilectione; ſed ſolùm quòd ſine gratiæ Dei adjutorio, non facit homo juſta, nec legem ſervat. Undè omnia iſta præcedentia loca damnant Molinam & ejus Defenſores, qui eodem modo ſicut Pelagiani dilectionem Dei naturalem ſuper omnia homini ex homine tribuunt.

JESUITÆ.

§. XVI.

Loca S. Auguſtini expendenda circà Propoſitionem ſeptimam. Expendemus primò pro defenſione hujus propoſitionis Molinæ, loca S. Auguſtini ex quibus conſtat ex nullâ tentatione cogi poſſe naturam ipſã voluntatis per ſe ſpectatam. Ut.

b Tom. 3. part. 1. col. 537.

145. (b Tom. 4. Q. 24. in Numeros) An etiàm rectè poſſit dici peccatum eſſe nolentis, quod facere compellitur: nàm & hoc contrà voluntatem facere dici ſolet. Sed utique vult propter quod facit, cùm vult vivere: ſi ſcilicet quiſquam niſi fecerit, mortem minetur. Vult ergò facere, quià vult vivere; & ideò non per ſeipſum appetendo, ut falſum juret, ſed ut falſum jurando vivat. Quòd ſi ità eſt, neſcio utrùm iſta poſſint dici peccata nolentium, qualia hìc dicuntur expianda.

PRÆDICATORES.

Expenduntur loca S. Auguſtini circà ſeptimam propoſitionem Molinæ, ex quibus conſtare dicunt Jeſuitæ à nullâ tentatione cogi poſſe naturam ipſam voluntatis per ſe ſpectatam.

Quis unquàm Jeſuitis dixit, quòd anima cogatur, ut hoc adducant?

JESUITÆ.

146. (a Tom. 3. L. de Spirit. & litt. cap. 31.) Quanquàm ſi ſubtiliùs advertamus, etiàm quod quiſque invitus facere cogitur, ſi facit, voluntate facit: ſed quià mallet aliud, ideò invitus, hoc eſt, nolens, facere dicitur. Malo quippè aliquo facere compellitur, quod volens evitare, vel à ſe removere, facit quod cogitur. Nam ſi tanta voluntas ſit, ut malit hoc non facere, quàm illud non pati; cogenti proculdubio reſiſtit, nec facit: ac per hoc, ſi facit; non quidem plenâ & liberâ voluntate, ſed tamen non facit niſi voluntate.

a Tom. 10. num. 52. col. 115.

PRÆDICATORES.

Dicit S. Auguſtinus ibì, quòd voluntas liberæ poteſtatis eſt, & in nullo caſu cogitur. Quid hinc? An nos dicimus illam cogi?

JESUITÆ.

147. (b Tom. 5. L. 21. de civit. Dei cap. 16.) Nàm ſi lex jubens adſit, & Spiritus juvans deſit, per ipſam prohibitionem deſiderio creſcente atque vincente peccati, etiàm reatus prævaricationis accedit.

b Tom. 7. col. 636.

PRÆDICATORES.

Nihil tale ibì dicitur. Sed gratìs quod dicatur damus; id enim omnes libenter fatemur.

JESUITÆ.

148. (c Tom. 1. L. 3. de lib. arb. cap. 16.) Cùm ergò peccat, quod debet, facit. Quòd ſi ſcelus eſt dicere, neminem natura ſua cogit, ut peccet. Sed nec aliena.

c Tom. 1. num. 46. col. 629.

PRÆDICATORES.

Ibì ſic dicitur: neminem natura ſua cogit ut peccet. Quid contrà nos?

JESUITÆ.

Digitized by Google

JESUITÆ.

a Tom. 10 num. 9. col. 436.

149. (a Tom. 7. L. 2. contrà duas epiſt. Pelag. cap. 5.) Peccato Adæ arbitrium liberum de hominum naturâ periiſſe non dicimus; ſed ad peccandum valere in hominibus ſubditis Diabolo; ad benè autem pièque vivendum non valere, niſi ipſa voluntas hominis Dei gratiâ fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, ſermonis, cogitationis adjuta.

PRÆDICATORES.

Iſte locus damnat Molinam & ſuos, qui ſimul opponunt nobis quòd dicamus cogi liberum arbitrium, ſicut Pelagiani oppoſuerunt Auguſtino; (ut conſtat ex 1. lib. contrà duas Epiſt. Pelag. cap. 2.) quibus reſpondemus, ſicut Auguſtinus in hoc libro cap. 5.

JESUITÆ.

b Tom. 3. part. 2. n. 54. col. 179

150. (b Tom. 4. de Serm. Dom. in monte L. 1. cap. 12.) Non enim cogit qui ſuadet. Et omnes naturæ in ordine ſuo gradibus ſuis pulchræ ſunt: ſed in ſuperioribus in quibus rationalis animus ordinatus eſt, ad inferiora non eſt declinandum. Nec quiſquam hoc facere cogitur; & ideò ſi fecerit, juſtâ Dei lege punitur; non enìm hoc committit invitus.

PRÆDICATORES.

Idem nos ſecundùm fidem fatemur, arbitrium non cogi; & quòd hoc nobis imponatur, id ferre non poſſumus.

JESUITÆ.

c Tom. 1. n. 27. col. 756 Vide Retract. L. 1. cap. 13. n. 5. col. 19.

151. (c Tom. 1. L. de verâ Relig. cap. 14.) Nunc verò peccatum uſque adeò voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium: & hoc quidèm ita manifeſtum eſt, ut nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat. Quare aut negandum eſt peccatum committi, aut fatendum eſt voluntate committi.

PRÆDICATORES.

Jam dictum eſt & Pelagianos & Molinam & ſuos vocare coactionem illam quam debebant appellare libertatem. Ex his omnibus hoc §. expoſitis ſequitur manifeſtè eodem prorsùs modo arguere contrà nos Molinam & ſuos, ſicut Pelagiani contrà ſanctum Auguſtinum. Et quià dicimus liberum arbitrium per ſe ſuperare tentationes non poſſe ſine gratiâ, inferunt quòd cogitur arbitrium, pro eodem reputantes arbitrium liberum, & ſufficiens ſe ſolo ad ſuperandas tentationes.

JESUITÆ.

§. XVII.

Itèm expendemus pro expoſitione hujus ſeptimæ Propoſitionis Molinæ, loca ſancti Auguſtini, ex quibus apparet quid Auguſtinus putavit fieri poſſe, & quid aliqui fecerunt in gravibus difficultatibus aut tentationibus, interdùm etiàm contemptâ morte. Ut

152. (a Tom. 1. L. 4. confeſſ. cap. 2.) Recolo etiàm, cùm mihi Theatrici certaminis certamen mirè placuiſſet, mandaſſe mihi neſcio quem Haruſpicem, quid ei dare mercedis vellem, ut vincerem. Me autem fœda illa Sacramenta deteſtatum & abominatum reſpondiſſe, nec ſi corona illa eſſet immortaliter aurea, muſcàm pro victoriâ meâ necari me ſinere. Necaturus enìm ille erat in ſacrificiis ſuis animantia, & illis honoribus, invitaturus mihi ſuffragatura Dæmonia videbatur. Sed hoc quoque malum non ex tuâ caſtitate repudiavi Deus cordis mei. Non enim amare te noveram, qui niſi fulgores corporeos, cogitare non noveram. Talibus enim figmentis ſuſpirans anima, nónne fornicatur b abs te, & fidit in falſis, & paſcit c ventos? Sed videlicet ſacrificari pro me nollem Dæmonibus, quibus me illâ ſuperſtitione ipſe ſacrificabam.

a Tom. 1. num. 3. col. 97.

b Pſal. 72.

c Oſea 12.

PRÆDICATORES.

Expenduntur loca ſancti Auguſtini ex quibus dicunt Jeſuitæ apparere quid ipſe putavit fieri poſſe, & quid aliqui fecerunt in gravibus difficultatibus aut tentationibus,

Digitized by Google

nibus, interdùm etiàm morte contemptâ.

Non fuit tàm gravis tentatio illa, de quâ hìc loquitur ſanctus Auguſtinus, quià ferè nulla tentatio erat, ut illud opus naturæ viribus non poſſet fieri. Et mirum eſt quòd iſta adducantur.

JESUITÆ.

a Tom. 10. num. 30. col. 600.

153. (a Tom. 7. L. 4. contrà Julian. cap. 3.) Si Gentilis, inquis, nudum operuerit, nunquid quià non eſt ex fide, peccatum eſt? Prorsùs in quantum non èſt ex fide, peccatum eſt; non quià per ſe ipſum factum, quod eſt nudum operire, peccatum eſt: ſed de tali opere non in Domino gloriari, ſolus impius negat eſſe peccatum. Quod ut intelligas, quamvis jàm ſatis indè fuerit diſputatum; tamèn quià magna res eſt, adhuc pauliſper auſculta. Eccè eadem commemoro, quæ ipſe poſuiſti: ſi Gentilis, qui non vivit ex fide, nudum operuerit, periclitantem liberaverit, ægri vulnera foverit, divitias honeſtæ amicitiæ impenderit, ad teſtimonium falſum nec tormentis potuerit impelli. (Et b ſuprà eod. cap.) Cognovimus quoſdam irruptione barbaricâ, ad ea prodenda quæ habebant, nullis hoſtium tormentis potuiſſe compelli.

b Num. 19. col. 595.

PRÆDICATORES.

Dicit ſanctus Auguſtinus, quòd Gentilis tormentis non poteſt aliquandò compelli ut falſum dicat; quæ eſt magna tentatio. Reſpondetur illos propter mundi gloriam, & laudis cupiditatem idfeciſſe; undè peccatis peccata vincebant: quòd ſæpè refert Auguſtinus. Hoc autem non eſt vincere tentationem, ſed alteri ſuccumbere peccando. Undè hoc eſt extrà dubium.

JESUITÆ.

c Nunc ſer. 138. tom. 5. col. 672.

154. (Tom. 10. Serm. 50. c de verb. Dom. cap. 2.) Sed adhuc iſtos non tetigit, qui falſo Martyrii nomine in paſſionibus gloriantur. Audite ut eos tangat, immò ut transfodiat. d *Si diſtribuero*, inquit, *omnia mea pauperibus, & tradidero corpus meum ut ardeam:* jàm ipſi ſunt. Sed vide quid ſequitur: *charitatem autèm non habeam, nihil mihi prodeſt.* Ecce venitur ad paſſionem, ecce venitur & ad ſanguinis effuſionem, venitur & ad corporis incenſionem: & tamèn nihil prodeſt, quià charitas deeſt.

d 1. Cor. 13. 1.

PRÆDICATORES.

Ibì dicit ſanctus Auguſtinus quòd hæretici propter ſuos errores moleſtias patiuntur, & ſe Martyres vocant. Quis dubitat quòd pro erroribus poſſint ex ſe mori: non autèm pro ſuperandâ tentatione benè operando, de quo hìc agimus?

JESUITÆ.

155. (a Tom. 6. L. 1. contrà epiſt. Parmen. capp. 7. & 8.) Dicit Donatiſtas capitalem ſententiam toleraſſe.

a Tom. 9. col. 18. & 19.

PRÆDICATORES.

Dicit ſanctus Auguſtinus, ipſos pro ſuis erroribus tormenta paſſos fuiſſe ab Imperatore. Quid indè? Poſſunt hæretici ut quotidiè videmus, pro hæreſi mori: pro ſuperandâ autèm tentatione non peccando, ſine Deo non poſſunt.

JESUITÆ.

156. (b Tom. 5. L. 5. de civit. Dei cap. 15.) Sic & iſti privatas res ſuas pro re communi, hoc eſt, Republicâ, & pro ejus ærario contempſerunt, avaritiæ reſtiterunt, conſuluerunt patriæ conſilio libero: nequè delicto ſecundùm ſuas leges, nequè libidini obnoxii: ſed his omnibus artibus tanquàm verâ viâ niſi ſunt ad honores, imperium, gloriam.

b Tom. 7. col. 131.

PRÆDICATORES.

Dicit ibì ſanctus Auguſtinus, quòd propter gloriæ humanæ cupiditatem, quæ vitium eſt, ut præmiſerat, Romani contemnebant bona ſua, conſuluerunt patriæ, neque libidini obnoxii erant. Sed quid hoc ad vincendas piè tentationes?

JESUITÆ.

157. (c Itèm eod. Lib. cap. 18.) Quid ergò magnum eſt pro illâ æternâ cæleſtique

c Tom. 7. num. 1. col. 133.

Digitized by Google

cæleſtique patriâ, cuncta ſæculi hujus quantumlibet jucunda blandimenta contemnere, ſi pro hâc temporali atque terrenâ, filios potuit Brutus & occidere, quod illa facere neminem cogit? Sed certè difficilius eſt filios interimere, quàm quod pro iſtâ faciendum eſt, ea quæ filiis congreganda videbantur atque ſervanda, vel donare pauperibus, vel ſi exiſtat tentatio quæ id pro fide atque juſtitiâ fieri compellat, amittere. (Et a infrà.) Quis regno cælorum imputaturus eſt merita ſua, ſi pro illo non unam manum, neque hoc ſibi ultrò faciens, ſed perſequente aliquo patiens, totum flammis corpus impenderit? ſi Curtius armatus equo concito in abruptum hiatum terræ ſe præcipitem dedit. (Et b iterùm) Si Marcus Regulus, ne crudeliſſimos hoſtes jurando falleret, ad eos ab ipsâ Româ reverſus eſt, quoniàm ſicut Romanis eum tenere volentibus reſpondiſſe fertur, poſteaquàm Afris ſervierat, dignitatem illìc honeſti civis habere non poſſet; eumque Carthaginenſes, quoniàm contrà eos in Romano Senatu egerat, graviſſimis ſuppliciis necaverunt: qui cruciatus non ſunt pro fide illius patriæ contemnendi, ad cujus beatitudinem fides ipſa perducit? Aut c quid retribuetur Domino pro omnibus quæ retribuit, ſi pro fide quæ illi debetur, talia fuerit homo paſſus, qualia pro fide, quam perniciosiſſimis inimicis debebat, paſſus eſt Regulus? (Et d adhuc infrà) Aut quid ſe magnum feciſſe prædicabit, quòd nullo præmio mundi hujus fuerit ab æternæ illius patriæ ſocietate ſeductus, cùm Fabricium didicerit tantis muneribus Pyrrhi Regis Epirotarum, promiſsâ etiàm quartâ parte regni, à Romanâ civitate non potuiſſe divelli, ibique in ſuâ paupertate privatum manere maluiſſe?

a Num. 2. col. 134.

b Ibidem.

c Pſal. 115. 12.

d Col. 135.

PRÆDICATORES.

In primo loco ſanctus Auguſtinus dicit Brutum pro temporali & terrenâ gloriâ & laude filios intereniſſe. De Marco Regulo dicit, quòd propter cupiditatem laudis ſervando juramentum tormenta paſſus eſt; & ſimilia plura dicit. Sed omnia iſta ſunt totaliter extrà Dubium. Peccatis enim iſta peccata majora vincebant, dit Auguſtinus. Undè non tentationem ſuperabant, ſed in aliam incidebant.

Undè omnia iſta loca ſunt omninò extrà Dubium: ſolùm enim procedit, an aliquis poſitus in tentatione magnâ, poſſit illi reſiſtere ſine Dei adjutorio, ità ut benè faciat, & ſine peccato, operans ex verâ virtute morali, & propter finem virtutis tentationem vincat.

JESUITÆ.

§. XVIII.

Itèm expendemus loca ſancti Auguſtini, ex quibus apparet quòd tantùm neget poſſe ſine gratiâ ſuperari tentationes omnes aut plures, vel etiam vinci meritoriè aliquam. Ut

158. (a Tom. 5. Lib. 21. de civit. Dei cap. 16.) Neque enim id fit veraciter atque ſinceriter, niſi veræ delectatione juſtitiæ. Hæc eſt autem in fide Chriſti. (Et infrà) Tunc itaque victa vitia deputanda ſunt, cùm Dei amore vincuntur, quem niſi Deus ipſe non donat, nec aliter niſi per Mediatorem Dei & hominum hominem Jeſum Chriſtum, qui factus eſt particeps mortalitatis noſtræ, ut nos participes faceret Divinitatis ſuæ.

a Tom. 7. col. 616.

PRÆDICATORES.

Expenduntur loca ex quibus apparere dicunt Jeſuitæ, quòd ſanctus Auguſtinus tantùm neget poſſe ſine gratiâ ſuperari tentationes omnes, aut plures, vel etiam vinci meritoriè aliquam.

In iſto loco apertè damnatur Molina. Nàm in primo loco dicitur, quòd vitia non vincuntur veraciter & ſincerè niſi delectatione juſtitiæ. In ſecundis verbis dicitur, quòd tunc vitia victa ſunt veraciter & ſincerè, cùm ex Dei amore vincuntur, qui niſi ex Deo non habetur. Cujus totum contrarium dicit Molina.

JESUITÆ.

159. (Tom. 2. Epiſt. b 94. ad Hilarium,

b Num. 170.

tom. 2. n. 1. col. 629.

a Hæc ſunt verba Pelagianorum quæ refert & impugnat Aug. dicens: *cùm ſint hæc inimica gratiæ Dei &c.*

larium) a Cavendis autem futuris vincendiſque peccatis, omnibuſque tentationibus virtute ſuperandis, ſine ullo deinceps adjutorio gratiæ Dei naturali poſſibilitate humanam ſufficere voluntatem.

PRÆDICATORES.

Verba ſunt : Cavendis autem futuris, vincendiſque peccatis, omnibuſque tentationibus virtute ſuperandis, ſine ullo deinceps adjutorio gratiæ Dei, naturali poſſibilitate humanam ſufficere voluntatem. Sermo eſt de omnibus tentationibus, non ſolùm collectivè, ſed etiam diviſivè ſumptis. Undè damnatur.

JESUITÆ.

b *Tom. 10. n. 22. col. 831.*

c *1. Cor. 10 13.*

160. (b Tom. 7. Lib. de dono perſever. cap. 9.) Ut enim non dicam, quàm ſit poſſibile Deo, averſas & adverſas in fidem ſuam hominum convertere voluntates, & in eorum cordibus operari, ut nullis adverſitatibus cedant, nec ab ipſo aliquâ ſuperati tentatione diſcedant : cùm poſſit, & quod aït Apoſtolus, c facere ut non eos permittat tentari ſuprà id quod poſſunt.

PRÆDICATORES.

Ibi ſolùm dicit ſanctus Auguſtinus poſſibile eſſe Deo, ità operari in cordibus hominum, ut nullâ ſuperati tentatione ab ipſo diſcedant. Sed hoc quid ad probandum poſſe hominem ſine Dei adjutorio tentationem quamlibet propriâ virtute vincere?

JESUITÆ.

d *Tom. 10. n. 28. & 29. col. 243.*

e *Hæc ſunt verba Pelagij.*

161. (Tom. 7. Lib. de grat. Chriſti d capp. 27. & 28.) Volens utique credi tantas eſſe naturæ vires, quas extollendo præcipitat, ut etiam ſine auxilio Spiritûs Sancti, etſi minùs facilè, tamen aliquo modo nequam ſpiritui reſiſtatur. Itèm in Libro pro libero arbitrio. e Cùm autèm tàm forte, inquit, tàm firmum ad non peccandum liberum in nobis habeamus arbitrium, quod generaliter naturæ humanæ Creator inſeruit, rursùs pro ejus inæſtimabili benignitate, quotidiano ipſius munimur auxilio. Quid opus eſt hoc auxilio, ſi tàm forte, tàm firmum eſt ad non peccandum liberum arbitrium? Sed etiam hìc vult intelligi ad hoc eſſe auxilium, ut faciliùs fiat per gratiam, quod etſi minùs facilè, tamèn putat fieri præter gratiam.

PRÆDICATORES.

Uterque locus apertè damnat Molinam, qui propriâ virtute & Dei amore naturali ſuperare dicit poſſe hominem per liberum arbitrium quamlibet gravem tentationem ſine Dei adjutorio.

JESUITÆ.

162. (Tom. 2. Epiſt. a 106. ad Paulinum) b Et victoriam noſtram non ex Dei adjutorio eſſe, ſed ex libero arbitrio.

a *Nunc 186 tom. 2. n. 32. col. 674*

b Eſt ſententia Pelagianorum quam ut nos anathematiſaretur, anathematiſavit Pelagius.

PRÆDICATORES.

Damnat Molinam, quià ut patet ex loco ſancti Auguſtini, tunc victa ſunt vitia, tunc victoriam reportamus, cùm delectatione juſtitiæ & amore Dei illa vincimus.

JESUITÆ.

163. (c Tom. 7. Lib. de corrept. & grat. cap. 12.) Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur; & ideò, quamvìs infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliquâ vinceretur.

c *Tom. 10. n. 38. col. 771.*

PRÆDICATORES.

Iſte locus totus pro nobis eſt contrà Molinam, ut apertè patet.

JESUITÆ.

164. (d Tom. 7. Lib. de perfectione juſtitiæ, ratiocinatione 3.) Parùmque eſſe ad non peccandum voluntatis arbitrium, niſi adjuta ſanetur gratiâ Dei e per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.

d *Tom. 10. num. 3. col. 168.*

e *Eph. 2. 8.*

PRÆDICATORES.

Damnatur Molina in hoc loco, qui ſic habet:

habet: parùmque eſſe ad non peccandum voluntatis arbitrium, niſi adjuta ſanetur gratiâ Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum; cujus contrarium dicit Molina, quòd ſcilicet per ſe poteſt ſtare, & non peccare conſentiendo tentationi.

Undè omnia iſta loca potiùs contrarium probant, & Molinam ſuoſque Defenſores damnant.

ARTICULUS SECUNDUS.

An in Libris ſancti Auguſtini legatur conſtitutam eſſe à Deo Legem infallibilem cum Chriſto Filio ſuo, ut quotiès homo ſolis naturæ viribus fecerit totum quod in ſe eſt, Deus illi tribuat gratiam, vel id ſit de mente ſancti Auguſtini?

Reſponderunt ſub his verbis. Non quidèm legimus in Libris ſancti Auguſtini totidèm verbis hanc legem; ſed nec legimus locum in quo eam neget; nec putamus eſſe contrà mentem illius, tùm quià multi & graves Doctores, qui ſe Diſcipulos & Sectatores ſancti Auguſtini profitentur, eam ſententiam tenent, quos ſuo tempore proferemus: modò enim id non agitur. Tùm etiàm quià habemus loca ipſiuſmet Auguſtini, ex quibus non obſcurè apparebit eſſe conſonam menti illius.

JESUITÆ.

§. I.

Loca ſancti Auguſtini expendenda circà Propoſitionem primam Articuli ſecundi. Expendemus primò loca ex quibus appareat ſententiam hanc non eſſe contrà ſanctum Auguſtinum, ſed potiùs de ejus mente. Ut

a Tom. 1. n. 56. col. 632. 170. ([a] Tom. 1. L. 3. de lib. arb. cap. 20.) Non enìm ante omne meritum boni operis parùm eſt accepiſſe naturale judicium, quo ſapientiam præponat errori, & quietem difficultati, ut ad hæc non naſcendo, ſed ſtudendo perveniat. Quòd ſi agere noluerit, peccati rea jure tenebitur, tanquàm quæ non benè uſa ſit eâ facultate, quam accepit.

PRÆDICATORES.

Expenduntur loca ſancti Auguſtini circà propoſitionem primam Molinæ Articuli ſecundi, ex quibus dicunt Jeſuitæ apparere ſententiam hanc non eſſe contrà ſanctum Auguſtinum, ſed potiùs de ejus mente.

Solùm ibì dicit ſanctus Auguſtinus, quòd non eſt parùm per judicium naturale ſine meritis acceptum ſapientiam præponere errori, & quietem difficultati, quòd ſi facere noluerit, rea erit peccati. Ex hoc ubì infertur, quòd Deus det gratiam ſic optanti? Immò (L. 1. Retract. cap. 9.) dicitur id poſſe liberum arbitrium adjutum gratiâ. Ubì omnia hæc ex libris de libero arbitrio ſunt vel retractata vel explicata.

JESUITÆ.

171. (a Tom. 5. L. 19. de civit. Dei cap. 13.) Deus ergò naturarum omnium ſapientiſſimus Conditor, & juſtiſſimus Ordinator, qui terrenorum ornamentorum maximum inſtituit mortale genus humanum, dedit hominibus quædam bona huic vitæ congrua, id eſt, pacem temporalem pro modulo mortalis vitæ in ipsâ ſalute & incolumitate ac ſocietate ſui generis: & quæcunque huic paci vel tuendæ vel recuperandæ neceſſaria ſunt, ſicut ea quæ aptè ac convenienter adjacent ſenſibus, lux iſta viſibilis, auræ ſpirabiles, aquæ potabiles, & quidquid ad alendum, tegendum, curandum, ornandúque corpus congruit: eo pacto æquiſſimo, ut quicúque mortalis talibus bonis paci mortalium accommodatis, rectè uſus fuerit, accipiat ampliora atque meliora, ipſam ſcilicet immortalitatis pacem, eique convenientem gloriam & honorem in vitâ æternâ ad fruendum Deo, & proximo in Deo: qui autèm perperàm, nec illa accipiat, & hæc amittat.

a Tom. 7. num. 2. col. 558.

PRÆDICATORES.

Ibì dicit ſanctus Auguſtinus, quòd qui benè uſus fuerit omnibus bonis naturalibus ſibi

ſibi datis, ex pacto æquiſſimo Dei recipiet ampliora & meliora, videlicet immortalitatis gloriam. Sed nullo modo dicit, quòd poſſit homo his benè uti ex ſolâ naturâ, ſed tantùm divino adjutorio.

JESUITÆ.

a Tom. 10. num. 26. col. 54.

172. (a Tom. 7. L. 2. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 17.) Cùm voluntate humanâ, gratiâ adjuvante divinâ, ſine peccato in hâc vitâ poſſit homo eſſe, cur non ſit? poſſem facillimè ac veraciſſimè reſpondere, quià homines nolunt: ſed ſi ex me quæritur, quare nolunt? imus in longum: verumtamèn etiàm hoc ſine præjudicio diligentioris inquiſitionis breviter dicam. Nolunt homines facere quod juſtum eſt, ſivè quià latet an juſtum ſit, ſivè quià non delectat. Tantò enim quidquam vehementiùs volumus, quantò rectiùs quàm bonum ſit novimus, eòque delectamur ardentiùs. Ignorantia & infirmitas vitia ſunt, quæ impediunt voluntatem, nè moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abſtinendum. Vt autèm innoteſcat quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates: quâ ut non adjuventur, in ipſis itidèm cauſa eſt, non in Deo.

PRÆDICATORES.

Solùm dicit ibì ſanctus Auguſtinus, quòd divina gratia adjuvet hominum voluntates ut non peccent, à quâ ſi non adjuvantur, in ipſis cauſa eſt: & intelligit ſaltèm propter peccatum originale, ut ſæpiùs dixit alibì ſanctus Doctor, vel propter actualia alia, vel quià reſiſtunt. Quæ omnia contradicunt huic, quòd homo faciat viribus naturæ quod in ſe eſt, ut ſic ei gratia detur.

JESUITÆ.

b Tom. 10. num. 62. col. 121.

173. (b Tom. 3. L. de Spirit. & Litt. cap. 35.) Movit te certè, quemadmodùm dictum fuerit, fieri poſſe, ut ſit homo ſine peccato, ſi voluntas ejus non deſit, ope adjuvante divinâ.

PRÆDICATORES.

Nihil tale dicit ſanctus Auguſtinus, ſed ſolùm quòd homo poteſt eſſe ſine peccato, ſi voluntas ejus non deſit, gratiâ adjuvante divinâ, à quâ adjuvetur ut bona ſit; ut ibì dicit.

JESUITÆ.

174. (a Itèm eod. Lib. cap. 36.) Sed ſi dici poteſt quædam juſtitia minor huic vitæ competens, quâ b juſtus ex fide vivit, quamvis peregrinus à Domino, & ideò per fidem ambulans, c nondùm per ſpeciem; non abſurdè dicitur etiàm ad iſtam pertinere ne peccet: neque enìm, ſi eſſe nondùm poteſt tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenæ perfectæque debetur, jam culpæ deputandum eſt.

a Tom. 10. num. 65. col. 123. b Rom. 1. 17. c 2. Cor. 5. 7.

PRÆDICATORES.

Nihil tale dicit ſanctus Auguſtinus, quià loquitur de juſtitiâ quæ habetur per fidem, quæ minor eſt juſtitiâ perfectâ, quæ habetur per claram cognitionem patriæ.

JESUITÆ.

d Tom. 1. num. 53. col. 631.

175. (d Tom. 1. L. 3. de lib. arb. cap. 19.) Hìc occurrit illa quæſtio, quam inter ſe murmurantes homines rodere conſueverunt, qui quodlibet aliud in peccando quàm ſe accuſare parati ſunt. Dicunt enìm, ſi Adam & Eva peccaverunt, quid nos miſeri fecimus, ut cum ignorantiæ cœcitate, & difficultatis cruciatibus naſceremur, & primò erraremus, neſcientes quid nobis eſſet faciendum? Deindè ubì nobis inciperent aperiri præcepta juſtitiæ, vellemus ea facere, & renitente carnalis concupiſcentiæ neſcio quâ neceſſitate, non valeremus? Quibus breviter reſpondetur ut quieſcant, & adverſùs Deum murmurare deſiſtant. Rectè enìm fortaſsè quererentur, ſi erroris & libidinis nullus hominum victor exiſteret: cùm verò ubìque ſit præſens, qui multis modis per creaturam ſibi Domino ſervientem, averſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem exhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem; non tibi deputatur ad culpam, quòd invitus ignoras, ſed quòd negligis

gis

Digitized by Google

giſ quærere quod ignoras; neque illud quòd vulnerata membra non colligis, ſed quòd volentem ſanare, contemnis. Iſta tua propria peccata ſunt. nulli enim hominum ablatum eſt ſcire * utiliter quærere quod inutiliter ignorat, & humiliter confitendam eſſe imbecillitatem, ut quærenti & confitenti ille ſubveniat, qui nec errat dum ſubvenit, nec laborat.

* *Nunc* utiliter quæri, quod inutiliter ignoratur.

PRÆDICATORES.

Solùm dicit ibì S. Auguſtinus, quòd Deus ubique præſens vocat ad ſe, & creatura imputatur quòd non obediat & veniat: non autèm dicit quòd ipſâ faciente priùs quod in ſe eſt, Deus infallibiliter det prima dona gratiæ.

JESUITÆ.

176. (a Tom. 7. L. de naturâ & grat. cap. 67.) Hinc jàm hominibus de ipſius ignorantiæ difficultatiſque in prolem primi hominis trajectis vitiis atque transfuſis, velut juſtam querelam deponentibus ità reſponſum eſt: quibus breviter, inquam, reſpondetur, ut quieſcant, & adversùs Deum murmurare deſiſtant. Rectè enim fortaſſe quererentur &c. prout habetur loco præcedente (ex cap. 19. L. 3. de lib. arb.)

a *Tom. 10. num. 81. col. 162.*

PRÆDICATORES.

In iſto loco repetuntur eadem formalia verba quæ in præcedenti habentur; unde eadem eſt reſponſio.

JESUITÆ.

177. (b Tom. 9. tract. 2. in Joan. circà medium) Opus eſt, ut habeas undè videas, quod tibi nunquàm recedit: Opus eſt, ut tu non recedas, ab eo qui nuſquàm recedit: Opus eſt, ut tu non deſeras, & non deſeréris. Noli cadere, & non tibi occidet. Si tu feceris caſum, ille tibi facit occaſum: ſi autèm tu ſtas, præſens eſt tibi.

b *Tom. 3. part. 2. n. 8. col. 300.*

PRÆDICATORES.

Hìc ſolùm dicìt ſanctus Auguſtinus, quòd ſi homo ſtat, & non deſerit Deum, Deus non deſerit illum. At verò ut ſtet, alibì ſæpiùs dixit, quòd eſt donum Dei.

JESUITÆ.

178. (Tom. 9. a L. Meditat. cap. 10.) Semper præſentem mihi ſe adhibet Deus; ſemper paratum offert; quocunquè me verto, me non deſerit; ubicunque fuero, non recedit; quidquid egero, pariter aſſiſtit; & tandèm cunctis actionibus meis perpetuus inſpector, & quantùm ad bonitatem ſuam pertinet, quaſi individuus cooperator aſſiſtit; ipſe operis ſui effectum patienter oſtendit.

a *Lege in appendice to. 6. præf. hujus lib. col. 103.*

Hic Liber eſt pius, ſed phraſis plurimùm diſcrepat ab Auguſtinianâ.

PRÆDICATORES.

Ibì ſolùm dicitur, quòd Deus eſt ſemper præſens omnibus, & ſe paratum omnibus offerre: non autèm dicitur, quòd facienti quod in ſe eſt, Deus infallibiliter det gratiam. Primum Catholicum, ſecundum eſt Pelagianum.

JESUITÆ.

179. (b Tom. 4. L. de verâ & falsâ pœnitentiâ cap. 16.) Præſtò ſemper eſt gratia, quæ nunquàm deficit, niſi priùs expulſa. Continuè & neceſſariò, quod ſuum eſt inſpirat, ſi eſt qui recipiat.

b *In append. to. 6. num. 32. col. 240.*

Hic Liber non eſt S. Aug. ſed alterius ſcriptoris Aug. repugnantis.

PRÆDICATORES.

Solùm ibì dicitur, quòd Deus qui omnes vocat neminem deſerit niſi deſerentem ſe: non autèm dicitur, quòd operanti ex naturæ viribus Deus det gratiam.

JESUITÆ.

180. (Tom. c 10. de verb. Dom. Serm. d 3.) Cupit enim etiàm * nolentibus ſubvenire; deſiderat miſereri peccantibus. Si quis peccaverit, dignos fructus exhibeat pœnitentiæ. Invitus enim in reos vindicat, ſi Dei indulgentiam miſerentis contemnant. Amat enim corrigi peccatores, qui in vitam, non in mortem, à principio conſtituit homines. Ipſe enim ſibi infert interitum, qui medentis Domini contemnit conſilium.

c *In appendice tom. 5. ſerm. 268. num. 2. col. 441.*

d Iſte ſermo non eſt Aug. ſed incerti authoris.

* Nunc *legitur* nocentibus.

PRÆDICATORES.

Solùm ibì dicitur, quòd Deus cupit

 etiàm

etiàm nolentibus ſubvenire, &c. Non autèm dicitur, quòd facienti quod in ſe eſt ex ſolâ naturâ, Deus dat gratiam.

JESUITÆ.

181. (a Tom. 8. enarrat. in Pſal. 32. concione 1.) Hortatur pigros, conſolatur afflictos, docet ſtudioſos, adjuvat dimicantes; neminem deſerit laborantem, & exclamantem ad ſe.

a Tom. 4. enarrat. 2. num. 10. col. 194.

PRÆDICATORES.

Solùm dicit ſanctus Auguſtinus, quòd Deus hortatur pigros, conſolatur afflictos, neminem deſerit, &c. Non tamèn dicit; quòd facienti quod in ſe eſt, Deus det gratiam; quià primitùs homo per peccatum ſaltèm originale ipſum deſeruit.

Igitùr omnia iſta loca ſolùm dicunt, quòd Deus omnes vocat, omnes illuminat, ſemper adeſt præſens, nullum deſerit niſi deſeratur priùs, & quòd cupit nolentibus ſubvenire: quæ omnia veriſſima ſunt. Nuſquàm autèm dicit, quòd facienti priùs homini ex ſolâ naturâ, Deus tribuat gratiam. Quæ eſt doctrina Molinæ.

JESUITÆ.

§. II.

Itèm expendemus pro defenſione ejuſdem Propoſitionis, Auguſtini loca in quibus ſentit Deum non negare ulli gratiam, niſi propter ejus obicem, vel demerita. Ut

182. (b Tom. 7. L. de dono perſever. cap. 6.) At enim voluntate ſuâ quiſquis deſerit Deum, ut meritò deſeratur à Deo. Quis hoc negaverit?

b Tom. 10. num. 12. col. 827.

PRÆDICATORES.

Expenduntur alia loca in quibus ſanctum Auguſtinum ſentire dicunt Jeſuitæ, quòd Deus non neget ulli gratiam, niſi propter ejus obicem, vel demerita.

Sic dicit ſanctus Auguſtinus, reſpondens argumento Pelagianorum & Semipelagianorum: At enim voluntate ſuâ quiſquis deſerit Deum, ut meritò deſeratur à Deo. Et reſpondet: quis hoc negaverit? Sed ideò petimus, ne inferamur in tentationem, ut hoc non fiat.

JESUITÆ.

183. (a Tom. 7. Ibidèm cap. 11.) Quem vult, obdurat, ejus quidèm præcedentibus meritis.

a Num. 25. col. 834.

PRÆDICATORES.

Sic dicit ſanctus Auguſtinus: Et inveſtigabilis veritas, quâ quem vult obdurat, ejus quidèm præcedentibus meritis, ſed cum eo cujus miſeretur plerùmque communibus. *Ergò ſentit quòd ex duobus æquè facientibus quod in ſe eſt naturæ viribus, unius miſeretur, & non alterius.*

JESUITÆ.

184. (b Tom. 7. L. de grat. & lib. arb. cap. 21.) Ac per hoc quandò legitis in litteris c Veritatis, à Deo ſeduci homines, aut obtundi, vel obdurari corda eorum, nolite dubitare præceſſiſſe mala merita eorum, ut juſtè iſta paterentur.

b Tom. 10. num. 43. col. 742.
c Rom. 9. 14.

PRÆDICATORES.

Ibì ſolùm dicit S. Auguſtinus, quòd quandò legimus in divinis litteris Deum obdurare aliquem, non dubitamus mala opera eorum præceſſiſſe. Gratia verò, *ait*, non ſecundùm hominum merita datur; *in quo damnat ſententiam Molinæ.*

JESUITÆ.

185. (d Itèm eod. L. cap. 23.) Quandò ergò auditis dicentem Dominum: e *Ego Dominus ſeduxi Prophetam illum*; & quod ait Apoſtolus: f *Cujus vult miſeretur, & quem vult obdurat*, in eo quem ſeduci permittit, vel obdurari, mala ejus merita credite.

d Num. 45. col. 744.
e Ezech. 14. 9.
f Rom. 9. 18.

PRÆDICATORES.

Ibì dicit ſanctus Auguſtinus, quòd Deus obdurat propter præcedentia peccata, dat autèm gratiam ſine præcedentibus meritis: in quo Molina damnatur.

JESUITÆ.

186. (g Tom. 7. L. de prædeſt. Sanct. cap. 14.) Juſto autèm judicio non dari quibus non datur, quià non eſt iniquitas

g Tom. 10. n. 27. col. 808.

Digitized by Google

a Rom. 9. 14. iniquitas a apud Deum.

PRÆDICATORES.

Loquitur ibi ſanctus Auguſtinus de parvulis, quorum unus aſſumitur per Baptiſmum, alius relinquitur, & dicit quòd juſto judicio relinquitur, ſicut alius miſericorditer liberatur; juſto, inquàm, judicio propter peccatum originale; propter quod juſtè multis gratiam negat, etiàmſi ex naturâ aliquid boni operentur. Undè potiùs in hoc damnatur Molinæ ſententia, qui nullum alium obicem præter actuale peccatum videtur agnoſcere.

JESUITÆ.

b Nunc 194 tom. 2. n. 39. col. 727. 187. (Tom. 2. Epiſt. b 105.) Miſeretur itaque gratuito dono, obdurat autèm juſtiſſimo merito.

PRÆDICATORES.

In totâ hâc Epiſtolâ ex profeſſo tractat ſanctus Auguſtinus, quòd ex duobus parvulis in æquali maſſâ originalis peccati, unum miſericorditer liberat, alium juſto judicio damnat propter peccatum originale.

JESUITÆ.

c Non eſt S. Aug. in App. tom. 5. Serm. 22. num. 2. col. 45. 188. (Tom. 10. Serm. 88. c de tempore.) Primò hoc fideliter & firmiter credat dilectio veſtra, quià nunquàm deſerit Deus hominem, niſi priùs deſeratur ab homine.

PRÆDICATORES.

Quomodò ex hoc inferri poteſt, quòd Deus det gratiam facienti quod in ſe eſt ex viribus naturæ? Videantur verba ſequentia.

JESUITÆ.

d Tom. 4. n. 13. col. 469. 189. (d Tom. 8. enarrat. in Pſal. 50.) Paratus eſt Deus dare indulgentiam, claudis contrà te: Ille paratus eſt dare, noli opponere obicem defenſionis, ſed aperi ſinum confeſſionis.

PRÆDICATORES.

Sic dicit ſanctus Auguſtinus: noli opponere obicem defenſionis, ſed aperi ſinum confeſſionis. De confeſſione factâ ex gratiâ præveniente ſit apertè ſermo, non de faciente quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus.

Ex iſtis octo locis inductis conſtat apertè quòd Deus dat gratiam non ponentibus obicem: ſed multiplex eſt obex; vel peccatum originale; vel ſimul cum illo actuale; vel reſiſtentia divinis inſpirationibus. Qui obices non tolluntur per hoc quòd homo faciat viribus naturæ quod in ſe eſt. Undè non eſt infallibilis lex, quòd Deus ſic operanti, & habenti obicem, det gratiam.

JESUITÆ.

§. III.

Itèm expendemus Auguſtini loca, ex quibus apparet quòd ſenſerit Dominum paratum eſſe dare auxilium ſufficiens omnibus hominibus, ità ut omnes poſſint credere & converti. Ut

190. (a Tom. 1. L. 1. de Gen. contrà Manich. cap. 3.) Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. a Tom. 1. n. 6. col. 648.

PRÆDICATORES.

Expenduntur alia loca ſancti Auguſtini, quibus conſtare dicunt Jeſuitæ, Deum paratum eſſe dare auxilium ſufficiens omnibus hominibus, ità ut omnes poſſint credere & converti.

Deus illuminat omnes, vel per gratiam, vel per lumen naturale, & nullus eſt qui ſufficienter non illuminetur, ità ut niſi per ipſum ſtaret, Deus perfectiùs uſque ad plenum illuminaret.

JESUITÆ.

191. (b Tom. 1. L. de vera Relig. cap. 55.) Quæ tamèn omnia neque fierent à Patre per Filium, neque ſuis finibus ſalva eſſent, niſi Deus ſummè bonus eſſet; qui & nulli naturæ, quæ ab ipſo bona eſſe poſſit, invidit; & in bono ipſo alia quantùm vellent, alia quantùm poſſent, ut manerent, dedit. Quarè ipſum donum Dei cum Patre & Filio æquè incommutabile colere & tenere nos convenit: unius ſubſtantiæ Trinitatem, unum Deum b Tom. 1. num. 113. col. 788.

à quo

à quo ſumus, per quem ſumus, in quo ſumus: à quo diſceſſimus, cui diſſimiles facti ſumus, à quo perire non permiſſi ſumus: principium ad quod recurrimus, & formam quam ſequimur, & gratiam quâ reconciliamur; unum Deum quo authore conditi ſumus, & ſimilitudinem ejus per quem ad unitatem formamur, & pacem quâ unitati adhæremus: Deum qui dixit, a *fiat*; & Verbum per quod factum eſt omne, quod ſubſtantialiter & naturaliter factum eſt; & donum benignitatis ejus, quo placuit & conciliatum eſt authori ſuo, ut non interiret quidquid ab eo per Verbum factum eſt.

a *Gen.* 1.

PRÆDICATORES.

Verba ſancti Auguſtini in fine capitis 54. immediatè præcedentis ſunt hæc: nondùm enìm habet ad æterna contemplanda idoneam mentis aciem, qui viſibilibus tantùm, id eſt, temporalibus credit: ſed habere poteſt, qui horum omnium ſenſibilium Deum artificem laudat, & eum perſuadet fide, & excitat ſpe, & quærit charitate. *Ubi prima ſolutio ſancti Proſperi aſſignatur.*

JESUITÆ.

192. (b Tom. 8. enarrat. in Pſal. 45.) Quid ergò eſt, *Deus in medio ejus?* Hoc ſignificat quòd æquus eſt omnibus Deus, & perſonas non accipit. Quomodò enìm illud quod in medio eſt, paria habet ſpatia ad omnes fines: ità Deus medius eſſe c dicitur, æqualiter in omnibus conſulens.

b *Tom.* 4. *num.* 9. *col.* 404.

c *Pſ.* 45. 6.

PRÆDICATORES.

Dicit ibì ſanctus Auguſtinus Deum acceptorem perſonarum non eſſe, ſed quòd Deus eſt in medio omnium æqualiter omnibus conſulens. Non tamèn debet intelligi, quòd æqualiter per gratiam omnibus adſit, ut millies ſanctus Auguſtinus contrà Pelagianos dixit, qui dicebant Deum acceptorem perſonarum, ſi non omnibus æqualem gratiam daret.

JESUITÆ.

193. (Tom. 7. Lib. d ad Artic. ſibi falsò impoſitos cap. 15.) Nemini autèm Deus correctionis adimit viam, nec quemquam boni impoſſibilitate diſpoliat. Qui quià ſe à Deo avertit, ipſe & velle quod bonum eſt, & poſſe ſibi ſuſtulit. Non eſt ergò conſequens, ſicut putant qui talia objiciunt, ut Deus quibus pœnitentiam non dederit, reſipiſcentiam abſtulerit, & quos non liberaverit alliſerit: cùm aliud ſit inſontem in crimen egiſſe, quod alienum eſt à Deo: aliud criminoſo veniam non dediſſe, quod de peccatoris eſt merito.

d *Hic liber non eſt D. Aug. nec reperitur etiã in Append. vel Lovanenss. vel Benedd.*

PRÆDICATORES.

Ibì dicitur omnes poſſe converti, & venire ad veniam ex divino adjutorio. Non tamen dicitur, quòd illud recipiant quoties ipſi aliquid boni ex naturæ viribus fecerint, ut ait Molina in propoſitione ſuâ, quià ſic viderentur gratiam mereri.

Undè omnia iſta loca non concludunt ullo modo, quòd facienti quod in ſe eſt ex naturæ viribus, Deus ex certâ lege det gratiam.

JESUITÆ.

§. IV.

Itèm expendemus pro defenſione ejuſdem Propoſitionis Molinæ, loca S. Auguſtini in quibus conſtat, quòd non negat niſi poteſtatem obtinendæ ſalutis per facultatem naturalem ad credendum, & ad alios pios & meritorios actus ex fide. Ut

194. (a Tom. 7. L. 1. contrà duas Epiſt. Pelag. cap. 3.) Sed nè fortè dicant, ad hoc eſſe adjutos, ut haberent poteſtatem fieri filii Dei, ut autem hanc accipere mererentur, priùs eum libero arbitrio, nullâ adjuti gratiâ receperunt. Hæc eſt quippè intentio, quâ gratiam deſtruere moliuntur, ut eam dari ſecundùm merita noſtra contendant. Nè fortè ergò hanc Evangelicam ſententiam ſic dividant, ut meritum ponant in eo quod dictum eſt: b *quotquot autem receperunt eum*; ac deindè non gratìs datam, ſed huic merito redditam gratiam in eo quod ſequitur:

a *Tom.* 10. *num.* 6. *col.* 414.

b *Joan.* 1, 12.

Digitized by Google

quitur: *dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Nunquid ſi quæratur ab eis, quid ſit, *receperunt eum*, dicturi ſunt aliud, niſi crediderunt in eum? Ut igitur & hoc ſciant ad gratiam pertinere, legant quod ait Apoſtolus: *in nullo expaveſcatis ab adverſariis, quæ quidem eſt illis cauſa perditionis, veſtra autem ſalutis. Et hoc à Deo; quià vobis donatum eſt pro Chriſto, non tantùm ut credatis in eum, ſed ut etiàm patiamini pro eo.*

Philipp. 1. 28.

PRÆDICATORES.

Ibi apertè damnatur ſententia Pelagianorum & Molinæ dicentium, poſſe homines per actus naturales ponere ſalutem in manu ſuâ, per quos ſalutem ſic poſitam mererentur.

JESUITÆ.

195. (a Tom. 7. L. de prædeſtinat. Sanct. cap. 10.) b Niſi enim homo faciat, quod Deo non donante ad hominem pertinet, non faciet ipſe quod donet: hoc eſt, niſi habeat homo fidem ex ſeipſo, non implet Deus quod promiſit, ut opera juſtitiæ dentur ex Deo. Ac per hoc ut promiſſa ſua Deus poſſit implere, non eſt in Dei, ſed in hominis poteſtate.

a Tom. 10. num. 20. col. 804.
b Hæc eſt ſententia Semi-pelagianorum, quæ ibidèm ab Auguſtino refutatur.

PRÆDICATORES.

In iſto loco pro magno inconvenienti habet ſanctus Auguſtinus, quòd ut promiſſa ſua impleat Deus, non in Dei ſed in hominis ſit poteſtate, dicens quòd veritas & pietas hoc credere vetat*: & tamen Molinæ Defenſores hoc adducunt pro aſſertivâ ſententiâ ſancti Auguſtini.*

JESUITÆ.

196. (c Tom. 7. L. de dono perſever. cap. 8.) Non itaque in hominum, ſed in Dei eſt poteſtate, ut habeant homines poteſtatem d filii Dei fieri. Ab ipſo enim accipiunt eam, qui dat cordi humano cogitationes pias, per quas habeat fidem, e quæ operetur per dilectionem; ad quod bonum ſumendum & tenendum, & in eo perſeveranter uſque in finem proficiendum, f *non ſumus idonei cogitare aliquid quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*; in cujus eſt poteſtate cor noſtrum & cogitationes noſtræ.

c Tom. 10. num. 20. col. 831.
d Joan. 1. 12.
e Gal. 5. 6.
f 2. Cor. 3. 5.

PRÆDICATORES.

Ibi dicit ſanctus Auguſtinus, quòd cogitationes piæ, per quas habetur fides, dantur ex Deo, & omne quod ordinatur ad habenda ſupernaturalia dona, datur ex Deo. Quod eſt contrà Molinam. Inſuper addimus, quòd non aliter Pelagiani & Semipelagiani dixerunt in hominum poteſtate eſſe filios Dei fieri, niſi quià poterant operari naturæ viribus aliqua naturalia, quibus fides & gratia redderentur. Undè ipſe homo incipiebat ponere ſalutem in manu ſuâ, & ſe filium Dei conſtituere; quod formalibus verbis dicit Molina. Videatur ſanctus Auguſtinus in primo loco hujus §i.

JESUITÆ.

§. V.

Circà Propoſitionem ſecundam Articuli ſecundi, expendemus loca eadem quæ ſunt citata ad præcedentem, & ad ſeptimam Propoſitionem Articuli primi.

BEATISSIME PATER. Hæc ſunt quæ hactenùs quidèm in Auguſtino expendenda circà Propoſitiones illas nobis occurrunt.

PRÆDICATORES.

Cùm jam reſponderimus omnibus & ſingulis Propoſitionibus de quibus hìc fit mentio, nihil hìc addemus.

Hæ ſunt, BEATISSIME PATER, Reſponſiones FF. Prædicatorum ad omnia loca adducta pro defenſione Propoſitionum Molinæ examinandarum.

Præcedens Reſcriptum PP. Jeſuitarum cum hâc magnâ locorum congerie, datum fuit à Patribus Societatis Sanctiſſimo Domino noſtro Clementi Papæ VIII. Cùm autem videret Sanctiſſimus tantam congeriem locorum ſine delectu ità cumulari, diligentiſſimè fecit illa omnia examinari à plu-

à pluribus Doctoribus; ſimulque FF. Prædicatoribus Copiam dari præcepit: & quod majus eſt, Sanctitas ſua in perſonâ propriâ, illa omnia examinavit, & vidit. Ex quâ tàm accuratâ diligentiâ, & illud fuit apertiſſimè comprobatum, omnia illa teſtimonia contrà expreſſam ſancti Auguſtini ſententiam fuiſſe inducta. Quod ut evidentiùs appareret, ego F. Thomas de Lemos omnia illa teſtimonia videns in fonte, breviſſimam hanc Reſponſionem (Jeſuitarum Reſcripto inſertam) Sanctiſſimo obtuli pro FF. Prædicatoribus, in quâ, ſummâ brevitate oſtenditur Scriptum Jeſuitarum ex teſtimoniis ſancti Auguſtini conflatum, contrà expreſſam tanti Doctoris ſententiam procedere; & loca illius vel ſiniſtrè adduci, vel in pravâ & falsâ intelligentiâ, ab Auguſtino minimè intentâ, vel truncatè inducta eſſe.

Digitized by Google

CONGREGATIO II.

CORAM CLEMENTE VIII.

In quâ agitatur prima Molinæ Propoſitio nempè quòd poſſit homo ſolo concurſu generali Dei facere opus bonum morale fini ſupernaturali accommodatum &c. Ibique probatur quantùm hæc Propoſitio ſancti Auguſtini contradicat Doctrinæ, examinanturque loca quæ ex hoc Doctore adduxerant Jeſuitæ in præfato ingenti Reſcripto ad hanc Propoſitionem cum ſancto Auguſtino conciliandam.

V. Hiſt. Congr. de Auxil. l. 3. c. 9. col. 406.

SECUNDA Congregatio, in quâ ego F. Thomas de Lemos ad diſputandum ingreſſus ſum, dilata fuit à Quadrageſimâ, (in quâ ut diximus habita fuit prima) uſque ad octavam diem Julii. Hujus autèm dilationis cauſa, ut creditur, illa fuit, quòd Sanctiſſimus non ſolùm voluit per alios, ſed in propriâ perſonâ videre & examinare in ſpecie & particulari omnia à PP. Societatis inducta teſtimonia ex ſancto Patre Auguſtino in defenſionem Molinæ, in illis ſignatis propoſitionibus; voluitque videre quodnam ex prædictis Scriptis Prædicatorum vel Jeſuitarum, veram S. Auguſtini teneret Doctrinam, vel ab illâ exorbitaret. Quod poſtquàm Sanctitas ſua compertum habuit, intimari præcepit ſecundam Congregationem 8ª. Julii in monte Quirinali habendam; ad quam omnes prædicti deputati Cenſores acceſſerunt, ſimul cum Illuſtriſſimis & Reverendiſſimis illis duobus Cardinalibus aſſiſtentibus Burgheſio, atque Arrigonio.

Incipiunt ergò Acta eorum quæ in publicis diſputationibus tractata ſunt, inter Patrem Gregorium de Valentiâ defenſorem Molinæ, & Fratrem Thomam de Lemos divinæ gratiæ Procuratorem.

Die igitur 8ª. Julii 1602. ab horâ 12ª. uſque ad 16am. habita fuit Congregatio, ſivè Diſputatio coràm Sanctiſſimo, aſſiſtentibus duobus ſuprà dictis Illuſtriſſimis & Reverendiſſimis Cardinalibus & deputatis Cenſoribus.

Præſentibus omnibus coràm Sanctiſſimo in monte Quirinali, id eſt, in Palatio Apoſtolico montis Quirinalis, & invocatâ Spiritûs ſancti gratiâ, dictâque oratione ab ipſo Pontifice, quæ in ſimilibus fidei Congregationibus præmitti ſolet; dixit Pontifex Summus, ſe vidiſſe ſummâ attentione atque diligentiâ, illam magnam congeriem locorum. Formalia Pontificis verba fuere hæc: *Nos perſonaliter omnem iſtam congeriem locorum vidimus, quam vos qui defenditis Molinam ex S. Auguſtino induxiſtis:* ET NULLUS INVENTUS EST LOCUS, QUI DOCTRINÆ MOLINÆ FAVEAT. Et proſecutus Pontifex Summus, ſententiam Molinæ referebat in aliquibus præcipuis, & alia è contrà apertiſſima ſancti Auguſtini teſtimonia proponebat, atque ſæpiùs repetebat, quòd Molinæ Defenſores volebant, contrà apertam ſancti Auguſtini doctrinam & mentem, ſuadere doctrinam Molinæ eſſe doctrinam ſancti Auguſtini. De quo graviſſimis & efficaciſſimis verbis illos increpabat. Quo finiente Gregorius de Valentiâ æquivocis rationibus

Digitized by Google

tionibus nitebatur Pontifici Summo reſpondere, & ſuadere doctrinam Molinæ contrà ſanctum Auguſtinum non procedere, & multa dicebat.

Poſt hæc, quià Propoſitio, de quâ tractabatur, illa prima erat jam ſuprà relata, in quâ Molina dicebat: *quod poteſt homo ſolo concurſu generali Dei facere opus bonum morale fini naturali accommodatum, quod comparatione illius ſit verè bonum, ac virtutis opus;* hanc Doctrinam P. Valentia defendere procurabat: & tota ſubſtantia reſponſionis ejus, & defenſionis Molinæ in hoc conſiſtebat, quòd Molina admitteret fieri poſſe ſolis naturæ viribus opera non pertinentia ad ſalutem, ſed facta ſolùm bonitate morali. Et ad hoc plurima inducebat.

Tunc F. Thomas ſic incœpit. Beatiſſime Pater ad cujus pedes quæcunque dixero humiliter ſuppono. Circà primum Dubium: *quis majores vires tribuat ad bonum, an S. Auguſtinus, an Molina?* Et circa primam ejuſdem Molinæ Propoſitionem, quæ univerſalis, & fundamentalis eſt in totâ Doctrinâ ipſius, duo breviter proponam. Primò enim oſtendam quàm apertè Doctrinæ S. Auguſtini contradicat; deindè loca omnia, quæ ex S. Auguſtino à defenſoribus Molinæ inducuntur, extrà dubium omninò procedere, nec in aliquo vel minimo Doctrinam Molinæ excuſare, Deo adjuvante monſtrabo.

Circà primum, ſententia Molinæ apertiſſima eſt, quâ expreſſè tenet, poſſe liberum hominis arbitrium, in naturâ lapsâ, omni gratiâ deſtitutum, facere opus bonum morale fini naturali accommodatum, quod comparatione illius ſit verè bonum ac virtutis opus. Et planè intelligit quòd ſit opus verè virtutis moralis acquiſitæ, ſicut illud facere poterat homo, ſi in puris naturalibus abſque omni originali peccato conſervetur. Eaſdem enim vires reſpectu finis naturalis tribuit utrique; & homini in puris naturalibus ſine peccato exiſtenti; & homini lapſo, corrupto, & cum infectione naturæ atq; peccati. Ac per conſequens, ſicut homo, ſi in puris naturalibus conderetur, poſſet habere veras virtutes morales acquiſitas, ex ipſiſque poterat operari opus bonum morale fini naturali accommodatum, quod comparatione illius eſſet verè bonum, bonumque redderet habentem reſpectu ejuſdem naturalis finis; hoc totum tribuit Molina naturæ infirmæ, quaſi poſt peccatum primi Parentis, natura ipſa non langueat, & quaſi non verè ſit vulnerata etiàm reſpectu finis naturalis, à quo verè manet averſa. Ex quo pravo univerſali principio, alias conſequenter Molina deducit propoſitiones, & potiſſimè illam Appendicem ad primam, quâ dicit: poſſe hominem ſolis naturæ viribus mori pro non dicendo mendacio. Quæ Doctrina cum exemplo eſt expreſſa & in terminis Juliani; quam cum authore impugnavit & expugnavit S. Auguſtinus (a L. 4. contrà Jul. cap. 3.) Ibi enim ex profeſſo hanc materiam tractans, ſic S. Doctor affirmat: *ſoletis enim, negantes Dei dona eſſe virtutes, quibus rectè vivitur, & eas natura voluntatique humanæ, non gratiæ Dei tribuentes, hoc uti argumento, quòd eas nonnunquã habeant infideles: ità conantes evacuare quod dicimus, neminem rectè vivere, niſi ex fide per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, unum Dei & hominum mediatorem; ubi vos ejus adverſarios apertiſſimè profitemini.* (Et infrà.) *Sed acerbiſſimi gratiæ hujus inimici, exempla nobis opponitis impiorum, quos dicitis alienos à fide abundare virtutibus, in quibus ſine adjutorio gratiæ, ſolum eſt naturæ bonum, licèt ſuperſtitionibus mancipatum, qui ſolis libertatis ingenitæ viribus, & miſericordes crebrò, & modeſti, & caſti inveniuntur, & ſobrii.* (Et iterùm.) *Sed abſit, ut ſit in aliquo vera virtus, niſi fuerit juſtus: abſit autèm ut ſit juſtus verè, niſi vivat ex fide.* b *Juſtus enim ex fide vivit.* (Et cap. 8. in fine.) *Nos enim ea quæ videntur opera bona, dicimus non eſſe verè bona ſine fide; quoniàm opera verè bona neceſſe eſt Deo placere, cui ſine fide* c *quià impoſſibile*

a *Tom. 10. num. 14. col. 590.)*

Num. 16. col. 592.

Num. 17. col. 593.

b *Rom. 1. 17.*

Num. 51. col. 609.

c *Hebr. 11. 6.*

Digitized by Google

impoſſibile eſt placere, profectò quod verò opus eſt bonum, ſine fide non poteſt eſſe.

Quibus publicè lectis, proſecutus adjunxit Lemos; argumentum etiam illud de homine, qui poteſt mori pro non dicendo mendacio, eſt expreſsè factum à Juliano contrà ſanctum Augustinum, ut patet ex a capite 3. citato. Ibi enim legitur: *Ecce eadem commemoro quæ ipſe poſuiſti: ſi Gentilis qui non vivit ex fide, nudum operuerit, periclitantem liberaverit, ægri vulnera foverit, divitias honeſtæ amicitiæ impenderit, ad teſtimonium falſum nec tormentis potuerit impelli, quæro abs te, utrùm hæc opera bona benè faciat, an malè?* Ex quibus ſic concluſit Lemos: conſtat ergò doctrinam Molinæ eandem eſſe cum ſententiâ Juliani Pelagiani, fundamentum idem, & idem exemplum. Immò eadem Scripturæ teſtimonia in eodem pravo ſenſu inducta, quibus primitùs Julianus uſus fuit ad ſuam fundandam ſententiam; eiſdem certè utitur poſteà Molina ad ſuam tenendam & defendendam. Uterque enim ex illo Apoſtoli; *Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt, faciunt*, colligit hominem naturaliter, id eſt, naturæ viribus poſſe ſervare mandata legis, & facere vera virtutum moralium opera. Quam explicationem ad hoc intentum & finem applicare, damnat ſanctus Augustinus (ubi ſuprà cap. 3.) quod & Molina ipſe ignorare non potuit.

a Num. 30. col. 600.

Rom. 2. 14.

Num. 23. col. 597.

Poſteà idem F. Thomas dixit: ſed Molinæ Defenſores in excuſationem hujus Molinæ propoſitionis, inducunt ferè 50. loca ex S. Augustino, quæ ab ipſis in quatuor capita diſtribuuntur. In 1° capite ordinantur 17. loca ad probandum dixiſſe S. Augustinum, hominem poſſe facere opus morale bonum. Sed ut quid hæc adducunt? Quis enim negat hominem poſſe facere naturæ viribus opus moraliter bonum *ex objecto?* Ipſe S. Augustinus expreſsè (b Loco citato contrà Julianum) dicit: homines poſſe naturæ viribus facere *officium* & opus virtutis, non tamen propter finem virtutis, vel ex verâ virtute, ut Molina dicit. Undè omnia iſta loca ſunt omninò extrà dubium. Inſuper dixit idem Frater Thomas: & inter iſta ſeptemdecim loca, decimus ſextus eſt expreſsè retractatus à S. Augustino, ut oſtendam apertè, ſi opus fuerit.

b Num. 21. & ſeqq. col. 596.

In 2° capite, ordinantur à Defenſoribus Molinæ ſex loca, ut probent, illud opus virtutis factum ab homine, eſſe opus civilis virtutis, vel virtutis moralis. Quò ad primam partem, non eſt cur vertatur in dubium, poſſe nempè hominem naturæ viribus operari opus civilis virtutis pertinentis ad exteriorem Reipublicæ gubernationem: has enim civiles virtutes admiſit S. Augustinus in Romanis antè converſionem ad fidem: dicit tamen illas non eſſe veras virtutes; ſed ſimiles veris virtutibus. Quò ad ſecundam autem partem, nullus locus eſt, qui dicat hominem operari illud opus morale ex verâ virtute morali; immò hoc ſicut Pelagianum expreſsè damnat loco contrà Julianum citato. Quòd ſi eſt aliquis locus qui Defenſoribus Molinæ faveat, oſtendant aperto codice: ego enim oſtendam S. Augustinum in ipſo loco nihil tale dicere.

In 3° capite, ordinantur ab ipſis alia 12. loca, ut probent S. Augustinum non damnaſſe quaſcunque virtutes in hominibus infidelibus, ſed ſolùm illas, quæ fiunt ſecundùm pietatem, ex quibus proindè procedunt opera, quæ fiunt prout ad ſalutem oportet. In 4° & ultimo capite, ordinantur & ab eis alia 16. loca, ut perſuadeant S. Augustinum non agnoviſſe aliquem actum pium ante fidem.

Hæc eſt unica & ſola excuſatio, quâ Defenſores Molinæ Molinam ipſum ab errore Pelagianorum excuſare conantur, dicentes ipſum non conſtituere illa opera virtutum prout ad ſalutem oportet, ſicut Pelagiani, & Semipelagiani dixerunt. Undè tota quæſtionis difficultas ad hoc indiviſibile punctum tandem reducitur: An illa opera quæ Molina conſtituit in homine ſine gratiâ fiant prout ad ſalutem

 oportet?

oportet? Si enìm de hoc ſemel convictus fueritMolina, convincitur quòd doctrinam Pelagianam introducat.Sed mirum eſt, quòd iſta excuſatio à Defenſoribus Molinæ prætendatur. Quomodò enìm non vident illam in terminis traditam ſuperiùs fuiſſe à Pelagianis & Semipelagianis, nec illos aliquo modo adjuviſſe? Julianus namque loco citato, virtutes illas quas malè in homine collocabat, expreſſè dicebat ſteriles eſſe, nec perducere hominem ad vitam æternam; contendebat opera illarum virtutum non pertingere ad vitam æternam, & expreſſè proteſtabatur non operari hominem ex illis ſecundùm ſalutem æternam. Quid clarius? Quid apertius? Expreſsè dicebat non fieri illa opera prout ad ſalutem oportet, & tamen contrà ipſum convincit S. Auguſtinus, quòd ſi ſic ponantur in homine illæ virtutes, illæ fiant prout ad ſalutem oportet, nec poſſint eſſe ſteriles, quidquid verbis contrarium dicatur. Semipelagiani etiàm, referente S. Proſpero (a Cap. 17. contrà Collator.) eaſdem virtutes & virtutum opera aſſerebant non pertingere ad incrementum perfectionis, nec debere numerari inter opera curationis. Immò, quod majus eſt, nihil omninò valere, niſì à divinâ gratiâ excitarentur. Plus dicunt quàm Molina, quià dicunt nihil omninò valere; & tamen his excuſationibus, ſolùm verbis prolatis, minùs juvantibus damnati ſunt per Eccleſiam, ſicut conſtituentes operari homines ex ſe opera prout ad ſalutem oportet, quià re, ſententiâ, & ſenſu id affirmabant, licet verbis ſe vellent occultare.

a *In appendice tom. 10 oper. S. Auguſt. num. 51. & ſeqq. col. 191.*

Quæ cùm ità ſint, quâ ratione, vel quo conſilio coram Apoſtolico inducantur fundamenta eadem & excuſationes authorum per Eccleſiam ipſam proſcriptorum, Sanctiſſimus judicabit. Si enìm Auguſtinus convincit contrà Julianum, hominem operari prout ad ſalutem oportet, ſi tales virtutes habeat, quales Molina cum Juliano conſtituunt in homine ſine gratiâ, cujus & potiſſimum fundamentum, quo ſemper de Pelagianis & Semipelagianis triumphavit; ſi homo habet veras virtutes, ergò & omnes, quià veræ virtutes ſunt omnes connexæ in prudentiâ; ſi autem habet omnes, habet rectitudinem rationis, & juſtitiam naturalem, & ſic erit juſtus homo ſine gratiâ, juſtitiâ naturali: cùm autem Deus ſit juſtus, & ejus regnum vocetur juſtitia, iſtos homines juſtos juſtitiâ naturali non eſt miſſurus in infernum: undè debet illis dare gratiam, regnum, & gloriam, etiamſi Chriſtus id illis non mereretur. Undè Chriſtus gratìs mortuus eſſet. Quià ſi homo ſic naturæ viribus operatur, ut habeat juſtitiam naturalem, & ſit verè juſtus juſtitiâ naturali, debet eſſe de præmio, id eſt, de vitâ æternâ ſecurus. Igitur manifeſtiſſimum eſt apud S. Auguſtinum, quòd licet ſint opera naturalia, nec habeant aliquid ſupernaturalitatis, ſi tamen ſic collocantur in homine facta ex veris virtutibus, illa fiunt prout ad ſalutem oportet; in quantum habens illas, juſtus eſt juſtitiâ naturali, quâ in ipſo exiſtente non damnabitur; & in quantum habet ex naturæ viribus aliquid, cui debet correſpondere gratia. Servanti enìm ex omni parte legem naturæ ex ſolis naturæ viribus, gratia debet dari, & ſic jàm gratia illa debita eſſet illis naturæ operibus bonis. Concilium tamen Milevitanum (a Can. 5.) planè definit, non poſſe hominem ſervare divina mandata, non aliâ ratione, niſì quià ſi illa ſervare poſſit naturæ viribus, quantùmvis ipſa eſſent naturalia, fierent tamen ab homine prout ad ſalutem oportet. Quia enìm Dominus dixit: b *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, in quantum per obſervationem mandatorum homo ingreditur ad vitam, illa obſervatio ſit prout ad ſalutem oportet. Item Concilium Arauſicanum II. (c Cap. 7.) expreſſè dicit, non poſſe hominem per naturæ vigorem facere opus quod expediat ad ſalutem. Ubi definiebat contrà Semipelagianos. Docet ergò Concilium

a *Edit. Labbeana tom. 2. col. 1539*

b *Matth. 19. 17.*

c *Edit. Lab. tom. 4. col. 1668.*

apertè

apertè Semipelagianos conſtituere hominem operari prout ad ſalutem oportet illis operibus naturalibus, quantumvis de illis dicerent ſolis verbis, ut ſe occultarent, quòd non fiebant prout ad ſalutem oportet; immò quòd nihil valebant: cum quibus damnatus manet Molina, qui idem omninò dicit, & eandem excuſationem prorsùs prætendit. Nàm contrà Semipelagianos, qui reipſâ ſenſu & ſententiâ affirmabant, illa opera fieri prout ad ſalutem oportet, & ex aliâ parte id verbis tantùm, ut ſe abſconderent ſicut Molina, negabant, dixit S. Proſper (Carm. de ingrat. cap. 38.)

Quid prodeſt verbis commentum Pelagianum
Reſpuere, & ſolâ damnatos plectere voce?
Cùm paucis ſqualidâ ſublatis de cute nervis,
Intima viperei foveâtur viſcera ſenſus.

Sic ego intuli F. Thomas: Dico Molinæ & ejus Defenſoribus; quid prodeſt ſolis verbis damnare Pelagium? Quid prodeſt ſolâ voce dicere, illa opera non ſunt facta ab homine prout ad ſalutem oportet, cùm paucis ſublatis de cute, id eſt, voce exteriori appareat ſenſus vipereus, & manifeſtè Pelagianus? Undè iſta excuſatio Molinæ eſt proteſtatio verbis, contraria factis, quæ in jure nullo modo juvat. Et ſubintulit prædictus F. Thomas: an non ſunt opera facta prout ad ſalutem oportet, de quibus dicit Molina, quòd ſi illa non præcedant, non ſolet Deus vocare ad fidem? An non ſunt opera prout ad ſalutem oportet, de quibus dicit, quòd homo per illa aptus redditur, ut ſecundùm leges à Deo conſtitutas, recipiat gratiæ auxilium? Quomodò non ſunt opera prout ad ſalutem oportet, de quibus dicit, quòd meritò dicuntur, vel dici conſueverunt diſpoſitiones remotæ ad gratiam, propter quæ Deus citiùs uni opitulatur & magis, quàm alteri? Ipſe Molina dicit expreſsè, quòd homini ſic conanti, illis conatibus ſe Deus inſerit, & quòd poſitis illis, gratia in manibus noſtris ponitur. Opera illa, quibus ponitur gratia, & ſalus in manibus noſtris, quis dicat non eſſe prout ad ſalutem oportet? Et tamèn verbis dicit Molina non fieri prout ad ſalutem oportet. Aſſerit Molina, valdè conſonum rationi eſſe, ut Deus ſic operanti gratiam det. Cùm autèm Deus nihil contrà rationem agat, ſi ratio ex parte operum poſtulat gratiam, quomodò opera quæ hoc poſtulant, non ſunt prout ad ſalutem oportet? Tandèm dicit Molina, quòd eâ ratione, quâ homo conatur facere illa opera, habet in poteſtate ſuâ; ut filius Dei fiat; & tamèn cum hoc audimus dicentem, quòd non fiunt illa opera prout ad ſalutem oportet: quod ideò verbis negat Molina, cùm reipsâ manifeſtè ponat, quià vult ſe occultare. Et cùm hoc dixiſſet F. Thomas, finivit.

Tunc Molinæ Defenſor incipiens dixit: in juſtitiâ Molinâ conſtituere illa opera moralia bonitate morali, non autèm bonitate piâ de quâ damnatus fuit Julianus. Et ſimùl dixit, quòd prædictus F. Thomas retulerat ex Molinâ aliqua, quæ ipſe Molina non dicebat; & ſolùm ex omnibus oſtendit unum, dicens: Molinam non dicere, Deum ſe inſerere eidem numero actui ab homine incepto, & legit quemdam locum ad hoc ſuadendum. Sed F. Thomas aperto codice Molinæ legit tria loca, in quibus dicebat Molina, quòd Deus illo eodem conatu diſponebat hominem &c. Et alium, quòd Deus influit in eaſdem notitias. Et tertium, ubi dicit multotiès Deum ſe inſerere illis notitiis. Defenſor autē Molinæ adduxit quemdam alium, in quo dicebat, quòd Deus non ſolet producere phantaſmata & notitias, ſed illis ſe inſerere, ut ſic homo producat actum quo ſe diſponat.

Tunc prædictus F. Thomas dixit: Beatissime Pater, pro nunc tria priora loca, in quibus oſtendi Molinam aſſerere Deum iiſdem notitiis inceptis ab homine ſe inſerere, planè relinquo, & ſolùm vim facio in eo quem

quem pro ſe adducit Molinæ Defenſor, quo expreſsè contrà illum convincit Molina ipſe. In illo enim dicit apertè Deum phantaſmata & notitias non cauſare, ſed illis cauſatis à ſolo homine ſine Deo, Deum ſe inſerere, ut ſic elevatus ille actus ſupernaturaliter fiat gratia excitans, quâ liberum arbitrium excitatur, ut producat actum liberum prout ad ſalutem oportet. Quod cùm negaret Molinæ Defenſor, dicit F. Thomas: id conſtat apertè ex a diſputatione 45. §. accipe; ubi ordinem horum actuum conſtituit.

a Edit. Antuerp. pag. 184.

Tunc Pontifex Summus dixit: *Molina dicit quòd Deus ſe inſerit conatibus, non qui nondùm ſunt, ſed qui priùs facti ſunt ab homine.*

Tunc Molinæ Defenſor ad aliud divertens dixit, etiàm Eccleſiam dicere in Hymno de Spiritu ſancto: *dignare promptus ingeri.* Ergò etiamſi Molina dicat, quòd Deus ſe inſerit, utitur verbis Eccleſiæ. Ad hæc dixit F. Thomas. Eccleſia dicit de Spiritu ſancto quòd hominibus ſe inſerit, incipiendo omninò, mediando, finiendo, & conſummando. At verò Molina cũ Caſſiano, cujus expreſſam in hoc tenet ſententiam, dicit ſe Deum inſerere homini priùs operanti, & hoc ex certâ lege, ut ſic Deus ſit ſubſequens, & homo incipiens. Iterùm dixit Molinæ Defenſor, quòd Eccleſia de Spiritu ſancto dicebat: *promptus ingeri.* Tunc iterùm F. Thomas dixit: modo quo utitur Molina, non utitur Eccleſia, ſed ſolus Caſſianus damnatus per Eccleſiam. Tunc Summus Pontifex dixit: *Caſſianus hoc dixit quod Molina.* Sic ergò convictus in omnibus iſtis Molinæ Defenſor, dixit quòd S. Auguſtinus loquens de ſuâ converſione, cùm iret ad B. Ambroſium, aſſerebat, quòd Deus ſe intromitteret ſuis cogitationibus. Et addidit, quòd ipſe ibat ex curioſitate, & tamen quòd Deus ſe inſerebat. Tunc dixit F. Thomas: Vide quid dicas, & quàm impiam blaſphemiam proferas, dùm dicis quòd Deus ſe inſerit auxiliis gratiæ actui curioſo & peccato: ſed legat ubi S. Auguſtinus hoc dicat. Et cùm hoc dixiſſet F. Thomas, legit Defenſor Molinæ, & coràm omnibus conſtitit S. Auguſtinum non dicere quòd ſuis cogitationibus à ſe inceptis Deus ſe inſerebat. Tunc ſubintulit F. Thomas. Jàm ergò conſtat Molinam dicere Deum ſe inſerere notitiis ab homine inceptis, ſicut dixit Caſſianus. Et ſubdidit: ſed conſumitur tempus non in puncto difficultatis.

Statim Molinæ Defenſor revertens ad punctum principale difficultatis, conatus eſt oſtendere ex S. Thomâ, quòd eaſdem virtutes conſtitueret ſine gratiâ, quas Molina ponebat; quod ſuadebat ex art. 7. q. 23. ex 2. 2. in quo S. Thomas docet reſpectu finis particularis eſſe in homine imperfectas virtutes ſine gratiâ, ſine ordine tamen ad finem ultimum. Poſtquàm autem ipſe legit, ſic dixit F. Thomas: legat ſolutionem ad 2. iſtius articuli, in quo S. Thomas docet ſine gratiâ non eſſe veram virtutem in homine ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, quam priùs vocaverat imperfectam. Et in Articulo dicit, quòd non dicit ordinem ad finem ultimum. At verò Molina cum Juliano, licèt verbis neget, re tamen ipſâ conſtituit opera illarum virtutum in ordine ad finem ultimum; quià conſtituit hominem juſtum juſtitiâ naturali. Hanc autem ſolutionem ad 2. noluit legere Molinæ Defenſor. Inſuper dixit F. Thomas: S. Thomas non fuit Pelagianus, ſed ut viva anima Auguſtini, efficaciter hanc ſententiam Molinæ ſicut Pelagianam condemnat; nec nos in Hiſpaniâ aliis armis, niſi armis S. Thomæ, incepimus hanc Molinæ doctrinam impugnare; & poſteà diſcurrimus ad multa inveniendum in S. Auguſtino. Ipſe enim S. Thomas 1. 2. q. 65. art. 1. ubi ex profeſſo tractat quæſtionem hanc de virtutibus, manifeſtè declarat, quòd intelligat, per virtutem imperfectam, eam quam in homine ſine gratiâ conſtituit. Afferatur codex, & conſtabit. Tunc ipſe Defenſor Molinæ adducens 1. 2. legebat art. 2. Cui dixit F. Thomas;

Digitized by Google

Thomas; legat art. 1. legat art. 1. Cur vult facere bellum inter art. 2. & 1.? Ipſe autem Molinæ Defenſor nolebat. Tunc F. Thomas ait: præcipiat veſtra Sanctitas ut mihi detur codex: hoc enim volo demonſtrare in S. Thomâ. Et accepto codice legit articulum totum 1. ubi conſtabat ſolùm admittere ſine gratiâ virtutes imperfectas morales, quas imperfectas aſſerebat eſſe ex naturali inclinatione, vel conſuetudine & has docebat non eſſe connexas. Undè dixit F. Thomas: attendens S. Thomas quòd virtutes veræ, ſeu perfectæ, ſunt connexæ in prudentiâ, & videns quod ait Auguſtinus, quòd qui illas habet, habet juſtitiam naturalem, cui Deus debet dare gratiam; & ex conſequenti illæ dicunt ordinem ad gratiam: propterea illas negat ſine gratiâ. At verò alias imperfectas inclinationes, non negat eſſe in homine ſine gratiâ; & has ſolas virtutes imperfectas à ſe explicatas in art. 1. admittit ſine gratiâ in art. 2. S. Thomas.

Statim Defenſor Molinæ iterùm dixit, quòd Molina ſolùm conſtituebat in illis operibus bonitatem moralem, quam ſi homo non poſſet naturæ viribus habere, ſequeretur, quòd ſemper ſic operans peccaret. Cui dixit F. Thomas: nullo modo ſequitur quòd peccet: poteſt enim facere opus bonum ex objecto ſine malo fine vel circumſtantiâ, quod nec erit peccatum, nec opus virtutis veræ. Non autem poteſt facere opus veræ virtutis moralis, ſicut poterat facere homo, ſi in puris naturalibus conderetur. Hoc enim eſt latenter tollere peccatum originale. Defenſor autem Molinæ dixit, non dicere Molinam tale. Et F. Thomas apertâ Concordiâ legit principium (a diſp. 5.) & ait: quod in diſp. 3. poſuit hujus ſuæ doctrinæ fundamentum, dicens reſpectu finis naturalis eaſdem vires remanſiſſe in homine in naturâ lapsâ, & in homine ſi conderetur in puris naturalibus, & quòd fuit vulneratum in naturalibus reſpectu eorum quæ ei tribuebat juſtitia originalis, non autem reſpectu eorum quæ homo faceret, ſi in puris naturalibus conderetur; quod & patenter ibi legit.

a *Edit. Antverp. pag. 12. & 17.*

Similiter cùm Molinæ Defenſor iterùm affirmaſſet, Molinam ſolùm conſtituere in homine bonitatem moralem in illis operibus; ſubjunxit F. Thomas: ut quid totiès idem ſine causâ repetitur? Jam hoc dixit multotiès. Tunc Generalis Jeſuitarum dixit: videamus modò, ſi poteſt homo facere hæc opera moralia, & poſteà videbitur, ſi illa ordinantur ad vitam æternam. Cui dixit F. Thomas: non ſunt iſta diſtinguenda & ſeparanda, ſed conjungenda. Nam ipſo facto quòd conſtituitur hominem naturæ viribus facere verarum virtutum opera, concludit S. Auguſtinus contrà Julianum, quòd dicant ordinem ad beatitudinem, modò jàm ex S. Doctore explicato.

Poſt hæc dixit Generalis S. Dominici: Molina dicit ſe ponere has virtutes morales, & iſta opera, ſicut communiter aſſeritur à Scholaſticis; ergò eadem eſt ſententia Molinæ ac Scholaſticorum. Quod cùm Defenſores Molinæ dicerent ità eſſe, ſubintulit, ſed Molina dicit ſuam ſententiam non reputari tutam à multis ſcholis; ergò dicit non eſſe ſuam doctrinam, doctrinam communem: immò dicit quòd non audet illam docere, uſque dùm communior fiat. Itèm ſumpto Molinæ Libro, legit qualiter ipſe explicavit illum locum Pauli: a *gentes, quæ legem non habent*, *naturaliter quæ legis ſunt, faciunt:* id eſt, ex naturæ viribus, ſicut explicavit Julianus. Itèm dixit prædictus Generalis, quòd Defenſores Molinæ non admittebant explicationem S. Auguſtini dicentis, voluntatem correctam per gratiam implere legis prædictæ mandata. Quod dictum legit aperto codice F. Thomas de Lemos.

a *Rom. 2. 14.*

Sed Molinæ Defenſor dixit explicationem Molinæ tradi à S. Auguſtino. Cui reſpondit F. Thomas: eſt ne in cap. 27. de Spirit. & litt.? Quòd cùm ille adduxiſſet illum locum, ſimul obtulit determinationē Pii V. b qui damnat eos qui dicunt illam explicationem,

b *Contrà Baium.*

quam Molina ſequitur, eſſe Pelagianam. Et cùm in hoc inſiſterent Molinæ Defenſores, neſcio quid dixit Archiepiſcopus Armachanus Pontifici. Tunc F. Thomas videns aliquam confuſionem eſſe circà prædictam determinationem Pii V. humiliter petivit licentiam, & dixit: Beatissime Pater, Pius V. damnat eos qui dicunt illum locum Pauli non poſſe habere hanc explicationem, quòd nempè aliqua opera moralia legis poſſit homo facere, bona videlicèt ex objecto, nec contrà hoc dicit Generalis S. Dominici: ſed tantùm dicimus Molinam in eodem ſenſu, in ordine ad eundem finem explicaſſe iſtum locum, & ad idem probandum quod Julianus; de quo à S. Auguſtino damnatur ut ſuprà; quòd videlicèt omnia opera bona moralia & leges poſſit facere ex verâ virtute morali. Hic eſt ſenſus Molinæ, & iſte eſt ſenſus damnatus, & nullo modo à Pio V. approbatus. Iſti autem Patres volunt Pium V. damnaſſe S. Auguſtinum condemnantem Julianum, quia ſic explicabat illum locum. Sed aliud eſt in genere poſſe locum admittere illam explicationem reſpectu alicujus operis legis; aliud eſt admittere in ſenſu, quem intendit Molina; & ad finem quem cum Juliano ipſe prætendit.

His dictis Sanctiſſimus ſigno facto finire voluit Congregationem, & eximus, poſtquàm tres horas & dimidiam res eſſet modo prædicto agitata. Quàm autem confuſus fuerit Molinæ Defenſor, omnibus fuit notum, & per urbem ſatis publicatum. Præcepit autem Sanctiſſimus, ut ſequenti die alia Diſputatio haberetur; quod cùm Generalis Societatis recuſaſſet, & F. Thomas de Lemos illam libentiſſimè acceptaſſet, immò dixiſſet ſe paratum ad omni die diſputandum, niſì ſua Sanctitas gravaretur, tandem Pontifex Summus confirmavit ſe omninò velle, ut alterâ die ſequenti Diſputatio haberetur, & ſic exivimus.

Digitized by Google

CONGREGATIO III.
CORAM CLEMENTE VIII.

In quâ iterùm, reclamante licet Lemoſio, de primâ Molinæ Propoſitione Actum; tùm de Secundâ diſputatum, nempè quòd poſſit homo ſine Dei gratiâ & ſolis naturæ viribus aſſentiri revelatis prout revelata ſunt.

Habita fuit hæc Congregatio coram SS. die immediatè ſequenti, videlicèt 9. Julii 1602.

Vide Hiſt. Congr. de Auxil. l. 3. c. 10. col. 410.

DIE immediatè ſequenti, horâ ſolitâ, videlicèt duodecimâ, habita fuit alia Congregatio coràm Sanctiſſimo, in quâ ſtatìm à principio Generalis Jeſuitarum petiit, ut iterùm de primâ Propoſitione ageretur, prætendens non manſiſſe ſufficienter declaratam. In quo cùm inſtaret, dixit F. Thomas de Lemos: BEATISSIME PATER, Molinæ Defenſores nihil aliud intendunt, niſi dilationem in infinitum, ut nunquàm negotium terminetur. Attamèn permittente ſuâ Sanctitate, ne ipſi, ut dicebat, * conquererentur; Pater Valentia dixit ſententiam Molinæ eſſe S. Thomæ, quià S. Thomas admittebat virtutes morales ſine gratiâ in homine. Ad quod legit art. 2. ex q. 65. 1. 2. Et inſtabat nihil aliud dicere Molinam. Itèm aſſerebat Julianum damnatum fuiſſe ab Auguſtino, quià dicebat virtutes illas Deo placere; undè aſſerebat illa fieri ſecundùm pietatem. Molina autèm ſolam bonitatem moralem in illis virtutum operibus conſtituebat, non autem ſecundùm pietatem. Itèm aïebat S. Auguſtinum damnaſſe Julianum quià conſtituebat veras virtutes in avaris &c.

* Dixit Pontifex ex his verbis Italicè: Per che no'ſe poſſano lamentare.

Et poſtquàm multa ſimilia dixit P. Valentia, (nihil tamen in ſubſtantiâ aliud præter id quod modò dictum eſt) dixit F. Thomas: PATER BEATISSIME, jàm ſatis conſtat de mente S. Thomæ in illo articulo 2. adjuncto 1. in quo apertè ſe declarat, & dicit quid intelligat nomine virtutis moralis, quam in art. 2. admiſit in Gentilibus; quòd videlicèt intelligat quamdam inclinationem ad opus liberalitatis, quæ nec eſt habitus, nec habet connectionem cum prudentiâ, vel cũ aliis virtutibus: immò qui habet illam inclinationem ad opera liberalitatis, non habet illam ad opera caſtitatis. Et ibì expreſsè ex Sanctis Auguſtino & Gregorio, probat virtutes veras, quæ ſunt habitus habentes inter ſe connectionem, & cum prudentiâ, non poſſe eſſe ſine charitate & gratiâ. At verò Molina vult poſſe eſſe in homine veras virtutes morales, ſicut poterant eſſe in homine ſi conderetur in puris naturalibus: & ex conſequenti vult hominem poſſe habere virtutes connexas, & ſic homo per illas habebit rectitudinem rationis, & juſtitiam naturalem, & ex conſequenti Deus debet illi dare gratiam & gloriam, ut S. Auguſtinus contrà Julianum convincit. Itaque, ſi homo habet naturæ viribus unam virtutem moralem veram in ratione virtutis, debet habere omnes, quià omnes ſunt connexæ. Si enìm facit opus juſtitiæ ex verâ virtute juſtitiæ, debet illud facere ſimul prudenter, fortiter, & temperanter, ſicque omnes habebit: undè ſemper ſequitur inconveniens illud magnum, quod S. Auguſtinus infert contrà Julianum. Et ſubintulit F. Thomas: tria dicebat Julianus, de quibus impugnatur à S. Auguſtino. 1um eſt, in hominibus avaris eſſe veram virtutem prudentiæ, quâ excogitant omne genus obtinendi, & ſervandi pecunias: & hoc 1um. Juliani facilè rejicit S. Auguſtinus dicens, quòd vir-

 tutes

tutes cum vitiis habitare non poſſunt. 2um. quod aſſerebat Julianus fuit, illas virtutes quæ erant in hominibus ſine fide, Deo placere. Dicebat tertiò illas eſſe ſteriles in ordine ad beatitudinem, nec perducere hominem in vitam æternam. Quæ duo ultima ſibi contraria non erant; quià quandò dicebat Deo placere, pro tanto hoc aſſerebat, quià Deus ſic illum operantem juſta, juſtitiâ naturali, damnare non debebat. Cùm autem aſſerebat eſſe ſteriles, quià non perducebant hominem in vitam æternam, ſed in tertium quemdam locum, quem pro talibus Pelagiani conſtituebant, medium inter cælum & infernum; Modò Molina idem reipsâ dicit. Aſſerit enìm hominem illum operari juſta ex veris virtutibus naturalibus fini naturali accommodata, ſicut facere poterat homo, ſi conderetur in puris naturalibus. Cæterùm non fierent opera illa ut ad ſalutem oportet, quià non perducerent hominem in vitam æternam, ſed in locum illum medium, & inter cælum & infernum, ſicut in illum mitteretur homo, ſi conderetur in puris naturalibus, & ſervaret legem naturæ. Et iſta fuit ſententia Juliani, & hanc damnat S. Auguſtinus docens, quòd cùm ille tertius locus ſecundùm fidem non detur, convincitur quòd ſic operans ex verâ virtute morali, non ſteriliter operetur, ſed perveniat in regnum cælorum ratione ſuprà factâ. Ad hæc reſpondit Molinæ Defenſor, quòd Molina nòn dicebat hominem operari ex verâ virtute; nec quòd dicebat operari poſſe omne opus virtutis, ſed aliquod; ſicque non conſtituebat omnes virtutes in homine.

Ad quod ſic dixit F. Thomas. Molina dicit (a diſp. 5.) illud opus eſſe opus virtutis, & in eâdem diſputatione probat eſſe veram virtutem, & operari propter finem virtutis. Itèm dicit eſſe virtutem, ſicut poterat eſſe in homine, ſi conderetur in puris naturalibus, in quo ſine dubio, quià nullam læſionem haberet circà finem naturalem, poterat eſſe vera virtus naturalis, rectificans hominem in ordine ad finem naturalem, & ſic, ut dixi, latenter tollit ab homine lapſo peccatum originale. S. Auguſtinus condemnat in homine ſine gratiâ veram virtutem. Itèm damnat ipſum naturæ viribus poſſe operari propter finem virtutis; quod utrumque admittit Molina. Itèm quià Molina dicit, nullum eſſe opus virtutis quod facere non poſſit; & aperto codice hoc legit in ipſo Molinâ (in a diſp. 5. §. ut ad vires, & §. confirmatur, & §. concluſionem noſtram;) ubì nullum opus morale excludit, ſed omne poſſe ex verâ virtute morali fieri affirmat. Undè manifeſta ejus ſententia eſt, quòd poteſt homo ſine aliquo auxilio gratiæ facere quodcunque opus morale, quòd ſit virtutis opus, & fini naturali accommodatum. Quâ ratione dicit alìbì quòd ſupremum opus morale poteſt facere viribus naturæ, nempè diligere Deum authorem & finem naturæ, ſuper omnia, actu abſoluto, ut omnes ſciunt illum aſſerere. Lecta fuit etiàm diſputatio 19. b in membro 2. potiſſimè in §. Authores hujus ſententiæ: ubì dicit nullum eſſe in ſingulari opus morale merè naturale, quod homo non poſſit efficere ſolo concurſu generali.

a *Edit Antuerp. pag. 17.*

a *Ibid. & pag. 18.*

b *Pag. 78.*

Ad hæc reſpondit Molinæ Defenſor, illud non dicere niſì ex ſententiâ aliorum Authorum, & ex ſententiâ Anſelmi, ad quem neſciebat quomodò poſſent reſpondere adverſarii Molinæ.

Cæterùm ad hoc ſic dixit F. Thomas: legendo litteram Molinæ in diſp. 19. memb. 2. apertè conſtat, quòd & aliorum & ſuam fateatur eſſe hanc ſententiam. Quomodò ergò dicitur quòd nomine aliorum loquitur? Anſelmo autèm falſum imponitur teſtimonium; quod oſtendam. Nàm quod dixit Anſelmus, eſt..... Et nondùm prædictus F. Thomas hæc verba protulerat, cùm ſtatìm dixit Defenſor Molinæ: non dicimus de Anſelmo. Cui F. Thomas dixit: quomodò hoc dicis? Nunquid dixiſti modò: quid reſpondebunt Anſelmo oppoſitores Molinæ? Tunc ſua Sanctitas ait. *Cùm Molina dicat nullum*

eſſe

eſſe opus bonum in ſingulari quod homo non poſſit facere; ergò poteſt facere omne opus in ſingulari. Quam enim differentiam vos invenitis inter hæc duo? Reſpondit Defenſor Molinæ: quòd nullum eſt in ſingulari opus virtutis, quod homo non poſſit facere *diviſè*, non autèm *collectivè*; & ad hoc explicandum, adduxit exemplum de pomis. Poteſt, ait, homo quodlibet in ſingulari comedere, non autèm omnia ſimul collectivè: ſic homo quià non cogebatur in aliquo opere poterat quodcunque facere.

At F. Thomas ad hæc dixit: Molina vult quòd homo poſſit facere diviſè quodcunque opus veræ virtutis, ſolo generali concurſu, & ſine gratiâ; ergò ſentit quòd poſſit ſolo concurſu generali habere omnes virtutes, ſi opus cujuſcunque in ſingulari poteſt efficere: & ſic tenet quòd omnes virtutes morales poteſt ſine gratiâ habere. Immò etiamſi tantùm diceret, quòd unum ſolum opus virtutis ex ipsâ virtute homo poſſet facere cum ſolo generali concurſu, cùm omnes ſint connexæ, habebit omnes, & habebit rectitudinem rationis, & naturalem juſtitiam, ſicut poterat homo facere ſine peccato originali exiſtens. Et re verâ, ſi homo habet veras virtutes morales, convincit S. Thomas, quòd peccatum originale non habeat. Ait enim quòd per peccatũ originale quatuor vulnera manent in homine; vulnus ignorantiæ in intellectu; vulnus malitiæ in voluntate; vulnus infirmitatis in iraſcibili; & vulnus concupiſcentiæ in concupiſcibili. Hæc autèm vulnera, ait ſanctus Thomas, ſanantur per quatuor virtutes morales; per prudentiam ſcilicèt, ſanatur vulnus ignorantiæ in intellectu; per juſtitiam, ſanatur vulnus malitiæ in voluntate; per fortitudinem, ſanatur vulnus infirmitatis in iraſcibili; & per temperantiam, ſanatur vulnus concupiſcentiæ in concupiſcibili. Undè concluditur quòd ſi Molina conſtituit poſſe hominem ſine aliquo auxilio gratiæ, in ſingulari quodcunque opus virtutis facere, poſſit etiàm omnes morales virtutes habere; & ex conſequenti quòd ſine gratiæ auxilio, per ſola naturalia, poſſit carere vulneribus ex peccato originali inflictis, & ſic mundus erit à vulneribus peccati originalis, & ſanum plenè in naturalibus liberum hominis conſtituit arbitrium ſine auxilio gratiæ.

Illud autèm aliud quod ait Molinæ Defenſor, quòd voluntas non cogitur, & ſic poterit operari quodcunque opus, eſt nunc explicandum, & aperiendum quid unico hoc verbo Molina, & ſui Defenſores prætendunt. Quis eis dicit, quòd voluntas cogatur? Ipſi ſunt qui dicunt voluntatem cogi, ſi per ſe non conſtituatur ſufficiens ad operandum quodcunque illud opus. Reputant enim ipſi idem eſſe liberum arbitrium eſſe liberum, & eſſe ex ſe ſufficiens ad operandum quodcunque opus virtutis fini naturali accommodatum. Undè inferunt quòd ſi non eſt ex ſe ſufficiens, non erit liberum, & conſequenter quòd cogatur: quod fuit fundamentum Juliani eodem modo objectum S. Auguſtino, ſicut nobis modò objiciunt; ut refert S. Auguſtinus (a L. 1. contrà duas epiſt. Pelagg. cap. 2.) verba Juliani ſunt; *dicunt Manichæi illi, quibus modò non communicamus, id eſt, toti iſti cum quibus diſſentimus, quià primi hominis peccato, id eſt Adæ, liberum arbitrium perierit, & nemo jàm poteſtatem habeat benè vivendi, ſed omnes in peccatum carnis ſuæ neceſſitate cogantur.* Ecce verbum Defenſoris Molinæ in eodem ſenſu acceptum. Et reſpondet ſanctus Auguſtinus ibidèm: (b L. 2. cap. 5.) *peccato Adæ arbitrium liberum de hominum naturâ periiſſe non dicimus; ſed ad peccandum valere in hominibus ſubditis Diabolo: ad benè autèm piéque vivendum non valere, niſi ipſa voluntas hominum Dei gratiâ fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, ſermonis, cogitationis adjuta.* Itèm idem Julianus (c L. 2. cap. 18.) dicebat: *Nos hominem Dei opus defendimus; nec ex illius potentiâ vel in malum vel in bonum invitum aliquem cogi; ſed propriâ voluntate, aut bonum*

a Tom. 10. num. 4. col. 413.

b Num. 9. col. 436.

c Num. 36. col. 437.

num facere, aut malum. Et reſpondet Auguſtinus: *ad hæc reſpondemus, homines eſſe opus Dei, in quantùm homines ſunt; ſed ſub Diabolo eſſe, in quantùm peccatores ſunt, niſi eruantur indè per eum, qui non ob aliud factus eſt inter Deum & homines Mediator, niſi quià ex hominibus non potuit eſſe peccator. Nec ex Dei potentiâ vel in malum, vel in bonum, invitum aliquem cogi; ſed Deo deſerente pro meritis ire in malum, & Deo adjuvante ſine meritis converti ad bonum.* Itaque conſtat ad quid Molinæ Defenſor prædicta verba dicat.

Et cùm iterùm rediret quæſtio de connectione virtutum, in quâ F. Thomas inſtabat, dixit Carmelitanus * totam controverſiam eſſe, an Molina convincatur ponere virtutes connexas, morales, acquiſitas. Si enìm hoc dicat, vel per evidentem conſequentiam deducatur, convincitur quòd non ſit fomes in homine, & quòd non ſit peccatum originale.

* *Bovius.*

Tunc F. Thomas dixit: accepto libenter hoc probare. Molina ait hominem poſſe habere eaſdem virtutes morales, ſicut poterat homo ſi in puris naturalibus conderetur; ſed ille abſque dubio poterat omnes connexas habere, quià ſunt illi proportionatæ, nec impedimentum habet; ergò &c. Itèm Molina expreſsè fatetur poſſe hominem naturæ viribus habere dilectionem Dei ſuper omnia naturalem; ſed iſta eſt *legis plenitudo*, ut ait a Paulus; ergò in illâ continentur omnes virtutes naturales, ſicut virtutes ſupernaturales charitatem ſupernaturalem conſequuntur.

a *Rom. 13. 10.*

Ad hoc reſpondit Molinæ Defenſor divertendo, quòd hoc pertinebat ad aliam Diſputationem. Dixit etiàm Molinæ Defenſor iſtam dilectionem eſſe imperfectam. Cui ſtatìm occurrens Pater Rada ait: tàm perfectam dilectionem Dei intrà limites naturæ ponit Molina in illo homine, ſicut eſt perfecta dilectio ſupernaturalis in ſuo ordine ſupernaturali.

Tunc Pontifex Summus maximâ efficaciâ ait: *ſi homo diligit Deum ſuprà ſe, & ſuprà vitam ſuam, & ſuprà omnia, quomodò non eſt perfecta dilectio? Vel quomodò ille talis non habet virtutes?* Statìm dixit F. Thomas: cum illâ dilectione Dei ſuper omnia nullum ſtat peccatum; ergò homo reponitur in gratiâ, & omnes virtutes connexas habet. Patet, quià peccatum conſiſtit in hoc, quòd creatura præferatur Creatori: cùm autèm ille homo actu abſoluto præponat Creatorem creaturæ, certè nullum poteſt habere peccatum; undè pro tempore quo durat eſt actus perfectus valdè. Tunc nihil ad hæc reſpondente Molinæ Defenſore, præcepit Summus Pontifex ut de ſecundâ Propoſitione ageretur.

Tunc Molinæ Defenſor relatâ Molinæ propoſitione de aſſenſu revelatis prout revelatis, dixit: quòd ſicut Appendix illa apponebatur, quæ videbatur aggravare propoſitionem, etiam paterentur apponi aliam pro Molinæ defenſione; in quâ dicebat eſſe actum opinionis, quam & ibì legit excuſando per hoc Molinam, qui conſtituebat actum merè naturalem, qui non fiebat prout ad ſalutem oportet. Et in ſubſtantiâ nihil aliud dixit per aliquod temporis ſpatium: ſimulque loca S. Auguſtini quæ Fratres Prædicatores objecerant contrà Molinam, dicebat non obſtare, quià illa procedebant contrà Semipelagianos, qui ponebant initium fidei quâ Chriſtiani ſumus ex nobis.

Sed F. Thomas dixit: inter multa S. Auguſtini loca, quæ convincunt illum actum & aſſenſum, quem Molina circà fidem conſtituit eſſe initium fidei Chriſtianæ, eſt ille locus ex S. Auguſtino citatus, & illo convincitur Molinam conſtituere in nobis aſſenſum fidei quâ Chriſtiani ſumus; etiamſi dicat, quòd nihil omninò valeat, niſi gratiâ excitante ex parte intellectûs, & affectione ſeu motione ſupernaturali ex parte voluntatis. Has enìm excitationes conſtituerunt Semipelagiani, immò fortè Pelagius ipſe: & tamèn damnati ſunt, ſicut verè conſtituentes initium

Digitized by Google

initium fidei ex nobis. Undè cùm Molina idem omninò dicat, ab errore illorum non ſecernitur. Et aperto codice, legit in S. Proſpero (a cap. 12.) verba Caſſiani, quibus ſe excuſabat, ſicut Defenſor Molinæ. Verba Caſſiani ſunt : *dubitari ergò*, inquit, *non poteſt, ineſſe quidèm omni animæ naturaliter virtutum ſemina, beneficio Creatoris inſerta : ſed niſi hac opitulatione Dei fuerint excitata, ad incrementum perfectionis non poterunt pervenire.* Cui S. Proſper : *ſi dubitari non poteſt, ineſſe omni animæ naturaliter virtutum ſemina, beneficio Creatoris inſerta ; ſolus Adam prævaricatus eſt, & in peccato ejus nemo peccavit* &c. (b Et infrà.) *Qui ergò dicit, ſine ullo opere gratiæ naturaliter omni animæ virtutum ſemina ineſſe : quid laborat oſtendere, niſi de iſtis ſeminibus quædam germina præcedentium Dei gratiam pullulare meritorum ? Deniquè ut videretur aliquid gratiæ tribuiſſe, ad perfectionis, ait, incrementum ſemina hæc pervenire non poterunt ; niſi opitulatione Dei fuerint excitata : ut ſcilicèt opitulatio Dei ſit exhortatio atque doctrina. Mens autèm quæ virtutum eſt opulenta ſeminibus, utatur facultate quam poſſidet ; ad hoc tantùm juvanda, ut earum virtutum apprehendat culmina ; quarum ſibi ſcit ineſſe principia.*

a In Appendice tom. 10 Op. S. Aug. Num. 37. col. 184.

b Num. 40 col. 185.

Hoc modo ergò Semipelagiani conſtituebant hominem poſſe animæ viribus habere illum aſſenſum fidei, quem dicebant per ſe ſolum nihil valere : at verò poſt excitationem dicebant eſſe fidem ſupernaturalem, ità ut arbitrium faciat ex ſe id quod poteſt, id èſt, aſſenſum illum naturalem adjuvandum, ſeu excitandum ſtatim à Deo. Et ſic in illo aſſenſu initium èſt à nobis, conſummatio ex Deo, quæ eſt hæreſis Pelagiana.

Itèm dixit F. Thomas : quid Molina ſentiat de illo aſſenſu naturali ſatis patet, dùm dicit eſſe facilem contrà intellectûs duritiem, diſcretum contrà intellectûs errorem, certum magis quàm ſit in multis fidelium per fidem infuſam.

Sanctus Auguſtinus etiàm damnat expreſsè hanc propoſitionem Molinæ (a L. de prædeſt. Sanctor. cap. 2.) his verbis : *Cur autèm non totum tribuatur homini, ut qui ſibi potuit inſtituere quod non habebat, ipſe quod inſtituit, augeat, omninò non video : niſi quià reſiſti non poteſt divinis manifeſtiſſimis teſtimoniis, quibus & fides, undè & pietas exordium ſumit, donum Dei eſſe monſtratur. Quale eſt illud :* b *quòd unicuique Deus partitus eſt menſuram fidei. Et illud :* c *pax fratribus, & charitas cum fide à Deo Patre, & Domino Jeſu Chriſto. Et cætera talia. Nolens ergò his tàm claris teſtimoniis repugnare, & tamèn volens à ſeipſo ſibi eſſe, quòd credidit homo : quaſi componat cum Deo, ut partem ſibi vindicet, atque illi partem relinquat : & quod eſt elatius, primam tollit ipſe, ſequentem dat illi : & in eo quod dicit eſſe amborum, priorem ſe facit, poſteriorem Deum.*

a Tom. 10. num. 6. col. 793.

b Rom. 12. 3.

c Ephes. 6. 23.

Quem locum poſtquàm totum legit F. Thomas, dixit eſſe expendendum ; Primò enim S. Auguſtinus dicit, Semipelagianos quidèm timuiſſe concedere illum aſſenſum naturalem eſſe fidem Chriſtianam, & rationem reddebat S. Auguſtinus ; nè videlicèt convincerentur repugnare evidentiſſimis Scripturæ teſtimoniis. Poſteà dicit, quòd nolens teſtimoniis repugnare, & tamen volens à ſe ipſo ſibi eſſe quòd credidit homo, componit cum Deo. Sic Molina omnia iſta eodem modo facit ; 1° dicit illum aſſenſum non eſſe fidem Chriſtianam, ex quâ videlicet ſumit exordium pietas, ne videlicèt convincatur repugnare apertis Scripturæ teſtimoniis : cæterùm nolens verbis teſtimoniis iſtis repugnare, vult tamen à ſeipſo ſibi eſſe, quòd credidit homo : & ſic componit cum Deo, partem ſibi ſumendo, & partem Deo relinquendo, dùm in illo aſſenſu tria dat homini, facilitatem, diſcretionem, & certitudinem ; & ſolùm Deo tribuit ſupernaturalitatem deſuper veſtientem aſſenſum illum. Quòd ſi contendant Patres Jeſuitæ, Semipelagianos apertâ confeſſione dixiſſe initium fidei ex nobis, quod & ipſi apertè videntur voce confiteri : reſpondeo ſolâ

voce

Digitized by Google

voce externâ inter illos & hanc doctrinam differentiam eſſe; ut quod illi voce initium fidei ex nobis confeſſi ſunt, iſti reipsâ idem conſtituant, ſed voce duntaxàt negent, videntes id apertè eſſe damnatum.

Poſt hæc adduxit F. Thomas quatuor loca S. Auguſtini: alterum (a ex lib. 1. de peccat. merit. & rem. c. 25.) illis verbis: *adhibetur enim ſermo veritatis extrinſecùs vocis miniſterio corporalis; verumtamen neque* b *qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Audit quippè homo dicentem vel hominem, vel Angelum; ſed ut ſentiat & cognoſcat verum eſſe quod dicitur, illo lumine intùs mens ejus aſpergitur, quod æternum manet, quod etiam in tenebris lucet.* Ubì S. Auguſtinus ait, prædicato Evangelio, ut homo aſſentiat, & cognoſcat verum eſſe quod dicitur, eſſe opus gratiæ: quod eſt contrarium expreſſè Molinæ, qui dicit, ut homo aſſentiat, & ſibi perſuadeat eſſe verum, non indigere gratiâ.

a *Tom. 10. num. 37. col. 20.*

b *1. Cor. 3. 7.*

2us. Locus eſt (c in L. de don. perſev. c. 19.) his verbis: *quolibet tamen modo dicatur homini verbum Dei, procul dubio qui ſic audit, ut illi obediat, donum Dei eſt.* Sed Molina ſine dono Dei dicit illum obedire veritati Evangelii propoſitæ.

c *Tom. 10. num. 48. col. 848.*

3us. Locus fuit (ex Epiſt. d 107. ad Vital.) ubì S. Auguſtinus evidenter demonſtrat eſſe opus gratiæ, ut audito Evangelio, non fiant, qui audiunt, pejores. Sed ſecundùm Molinam, qui ſic aſſentitur non fit pejor; ergò ex gratiâ aſſentitur. Vel ſi gratia deeſt illi, non aſſentitur, ſed fit pejor fidem rejiciendo.

d *Nunc 217 tom. 2. n. 11. col. 803.*

Ultimus locus fuit (e ex lib. de prædeſt. Sanct. c. 20.) ubì apertè dicit S. Auguſtinus, quòd qui prædicato Evangelio illud admittit, nec improbat, aut repellit corde clauſo per infidelitatem, iſte credit fide Chriſtianâ. Sed Molina dicit quòd ille aſſentiens actu merè naturali, non reprobat nec repellit per infidelitatem. Ergò credit fide Chriſtianâ, quidquid verbis contrarium dicat.

e *Tom. 10. col. 816. & ſeqq.*

Ipſe Molina (diſp. 7.) dicit hominem ſic credentem auferre à ſe peccatum incredulitatis, quod ibì apertè legit prædictus F. Thomas ſic dicens: quomodò autèm, etiamſi fingendi detur licentia, aſſenſus ille, per quem evitatur peccatum infidelitatis, quod eſt contrà fidem ſupernaturalem, non pertinet ad fidem ſupernaturalem? Vel quomodò aſſenſus ille quo tollitur peccatum contrà ſalutem, non fit prout ad ſalutem oportet? Molina autem vult quòd homo ex ſe ipſo ſine Deo auferat à ſe peccatum infidelitatis, tempore quo inſtat præceptum de credendo.

At verò Concilium Arauſicanum II. (a cap. 5.) definit eſſe donum Dei corrigere voluntatem de infidelitate ad fidem. Sed dicunt Defenſores Molinæ, quòd ille corrigitur de infidelitate, non tamen ad fidem. Sed contrà hoc; quià jam Deus non corrigeret hominem de infidelitate ad fidem, ſed ex credente per naturam, & ex fideli per naturam, fieret fidelis per gratiam; quod eſt contrà prædictam definitionem.

a *Edit. Lab. tom. 4. col. 1667.*

Itèm ſanctus Auguſtinus ait: (b L. de grat. & lib. arb. c. 14.) quod ſi hoc eſt, falſum eſt quod Dominus per Prophetam dicit: c *auferam ab eis cor lapideum.* Cor enim lapideum ſignificat obſtinatam in malo voluntatem, quam non Deus, ſed homo à ſe abſtulit credendo illo aſſenſu naturali.

b *Tom. 10. num. 29.*

c *Ezech. 11. 20.*

Et ſubdidit prædictus F. Thomas: quatuor ſunt excuſationes, quas Molinæ Defenſores prætendunt. 1° dicunt illum aſſenſum eſſe ex parte credentis, quià homo ſibi id perſuadet; non autem innititur homo divinæ revelationi. Sed iſta accuſatio eſt. Pelagianiſmus enim in hoc conſiſtit, quòd myſteriis revelatis ut revelatis, & quià revelata ſunt, homo non innixus divinæ revelationi illi objecto proportionatæ, ex parte credentis aſſenſu naturali credat, vel ſibi perſuadeat eſſe verum. Si enim homo innixus divinæ revelationi aſſentiretur illis revelatis, & hoc diceret Molina, conſtitueret

tueret fidem in homine ſicut conſtitui deberet.

2a. Evaſio eſt, quòd Molina alibì dixit, lumen ſupernaturale dare peculiarem certitudinem; ſed de hoc non damnatur Molina quòd dicat lumen ſupernaturale dare certitudinem; ſed quià præter illam aliam agnovit in aſſenſu merè naturali circà revelata ut revelata ſunt, & quià revelata.

3a. Evaſio eſt, quòd ille aſſenſus diſtinguitur *ſpecie* ab alio aſſenſu habito poſt excitationem. Sed quidquid ſit de illâ diſtinctione, de hoc damnatur Molina, quòd in illo aſſenſu poſt excitationem initium fidei conſtituatur ex nobis.

4a. Excuſatio eſt, quòd Molina dicat illum actum eſſe actum opinionis. Sed cur eum pœnituit? Statim enim dixit eſſe magis certum, quàm ſit actus fidei in multis fidelium per fidem infuſam. Sed hoc fecit ſequens Caſſianum in doctrinâ, & in modo ſe occultandi. Dixerat priùs Caſſianus (a collat. ſcilicet 13. c. 3.) *omnium bonarum voluntatum à Deo prodire principia.* Cui dicit S. Proſper: *hoc verum eſt.* Et ſtatim ſubintulit Caſſianus (b c. ſcilicet 9. ejuſd. collat.) *Etiam per naturæ bonum, quod beneficio Creatoris indultum eſt, omniumque bonarum voluntatum prodire principia.* Cui S. Proſper ait: (L. cont. Collat. cap. 2.) *Doctor Catholice, cur profeſſionem tuam deſeris? Cur ad famoſam falſitatis caliginem, relictâ sereniſſimæ veritatis luce, devolveris?* Itèm (c cap. 14.) ait: *conſideratis ergò his definitionibus tuis, non eſt occultum, quantùm ab illius ſententiæ ſanitate deſciveris, in quâ quod tribuendum erat gratiæ, fallaciter prædicando, Catholicarum tibi aurium judicia conciliare voluiſti; quibus de præmiſſæ profeſſionis fronte ſecuris, facilè ſequentia irreperent, ſi prima placuiſſent.* Sic ego dico Molinæ, & ejus Defenſoribus: ſi actus ille eſt opinio, quare profeſſionem tuam deſeris, & vis illum eſſe tàm certum, immò magìs quàm in multis ſit fides infuſa? Sic Molina, ut ſequentia, in quibus ponit venenum, irreperent, priùs apponit mel dicendo eſſe actum opinionis.

a In Appendice tom. 10 Op. S. Aug. num. 4. col. 172.

b Et num. 7. col. 173.

c Num. 44 col. 188.

Poſteà reſpondit F. Thomas ad triginta duo loca adducta circà hanc propoſitionem, quòd nihil omninò probabant: ponderando inutiliter fidem Dæmonum ad hoc adduci.

Quo finito ait Molinæ Defenſor, ſe non poſſe memoriâ retinere tanta, quanta ſunt à F. Thomâ de Lemos dicta. Cui F. Thomas: oportet memoriam habere, & reſumere omnia quæ dico, ſicut ego reſumo quæ à te dicta ſunt. Et addidit F. Thomas: miror te virum doctum audere de re tantâ coràm ſuâ Sanctitate ſine memoriâ diſputare. Quære ergò priùs tuam memoriam, & revertere ad diſputandum.

Et ſtatìm Molinæ Defenſor, multis verbis adhibitis conabatur oſtendere illum aſſenſum fidei eſſe merè naturalem, nec ad fidem pertinere, & diſtingui ab aſſenſu quem conſtituerunt Pelagiani, & Semipelagiani. Et eò uſque venit, ut convictus ſemel atque iterùm diceret illum aſſenſum eſſe pertinaciam. Cui F. Thomas: attendant judices, & ſupremus Judex, quomodò dicit eſſe pertinaciam aſſenſum illum? Quomodò eſt pertinacia, ſi certò credit revelatis à Deo, & prout ſunt revelata, & ſibi per Eccleſiam propoſita? certè pertinacia de malo eſt, non de tàm ſalubri objecto. Hæc quis dicat?

Tunc Summus Pontifex explicando aſſenſum illum, ait: vos vultis quòd voluntas infirma per peccatum, poſſit aſſentiri revelatis ut revelatis, & quià ſunt revelata, * *Qui é la maggiore blaſſemia è la più grande hereſia, che ſia nella Chieſa.* Et verſus in ſanctam indignationem, ait illis: ** *Qu'an fatto queſte nointadi nella Chieſa, qu'an fatto ſe no perturbarla tutta?*

Et reſpondentes Molinæ Defenſores dixerunt non eſſe novitates, ſed antiquam doctrinam S. Thomæ. Et legentes articulum quemdam a ex Quodlibetis, ponderabant quomodò S. Tho-

a Quodlibeto 6. art. 6.

* (Id eſt) *Quod eſt major blaſphemia, & major hæreſis quæ extent in Eccleſiâ.*

** (Id eſt) *Quare hæ novitates in Eccleſiâ, niſi ad eam omnem perturbandam?*

mas

mas præter fidem ſupernaturalem in aliis inveniebat adhæſionem. Cui F. Thomas dixit: legimus milliès articulum iſtum, & nihil favet; ſed contrà ſeipſum legit. Non enim ait S. Thomas quòd poſſit homo aſſentiri revelatis tanquàm revelatis, vel quià à Deo revelata ſunt, ſed ſolùm dicit S. Thomas in illo articulo, quòd rectitudo adhæſionis non eſt propria fidei, cùm etiàm conveniat hæretico, qui firmiter adhæret rebus fidei, quas non negat. De hoc autèm nullus dubitat. At nullo modo dicit, quià nec dici poteſt, quòd quis ſine auxilio gratiæ certò aſſentiri poſſit omnibus revelatis tanquàm à Deo revelatis, & quià à Deo revelata ſunt: quià iſta eſt ratio formalis fidei Chriſtianæ, ut omnes Theologi dicunt.

Dixit Defenſor Molinæ: hoc eſt aliud. Reſpondit F. Thomas, immò eſt difficultatis punctum. Et genuflexo, quià poſt meridiem erat, dixit: BEATISSIME PATER, nolumus ampliùs onerare Sanctitatem veſtram. Sat eſt S. Thomam non dicere, hominem naturæ viribus aſſentiri revelatis tanquàm revelatis. Undè omnia quæ dixit ſunt extrà dubium. Et ſic ſigno facto exivimus.

CONGREGATIO IV.

CORAM CLEMENTE VIII.

Ubì Tertia Molinæ Propoſitio fuit examinata, ſcilicet: agnitâ aſſensûs ſupernaturalis neceſſitate, hominem poſſe ſolis naturæ viribus talem optare aſſenſum, immò & petere auxilium divinum, atque ad illud recipiendum ſatagere ſe diſponere.

22. Julii 1602. coràm Sanctiſſimo.

Vide Hiſtor. de Auxil. L. 3. c. 10. col. 414.

HÆC Congregatio habita eſt coràm Sanctiſſimo 22. Julii die B. Mariæ Magdalenæ, præſentibus iiſdem Dominis Cardinalibus Burgheſio & Arrigonio, atque aliis Deputatis Cenſoribus.

Imploratâ S. Spiritûs gratiâ ex more, præcepit Sanctiſſimus Diſputationem fieri. Propoſitio autèm de quâ diſputandum erat ſe ſic habebat. *Cùm quis edoctus fuerit ſupernaturalem aſſenſum eſſe ad ſalutem neceſſarium, viribus naturalibus poteſt optare ità credere, atque etiàm conari ex dono & auxilio ſupernaturali aſſentiri. Denique poteſt petere ut illud auxilium ſibi donetur, & ad illud recipiendum ſatagere ſe diſponere.* a *In Concordiâ diſp. 9.*

Tunc P. Valentia incipiens, primò dixit Molinam aſſertivè hoc non dicere, nec illud præſupponere, ità ut irrefragabiliter ex dictis ipſius convincatur, licèt aliquo modo poſſit deduci quòd illud præſupponat. Et ſumens Concordiam Molinæ legit ex initio diſputationis 9. hæc verba: b *Ex dictis diſputatione præcedenti intelligetur facilè, initium actûs credendi ut ad ſalutem oportet, eſſe à ſolo Deo per gratiam prævenientem & excitantem: Etenim liberum noſtrum arbitrium, niſi à Deo, modo præcedente diſputatione explicato, auxilio ſuæ gratiæ præveniatur & excitetur, non ſolùm producere nequit eum actum, ſed etiam quidquid ex ſolis ſuis naturalibus homo efficiat, ſivè ut actu merè naturali revelatis aſſentiatur, ſivè ut, poſtquàm edoctus fuerit ſupernaturalem aſſenſum eſſe ad ſalutem neceſſarium, optet ità credere, aut etiàm conetur ex dono & auxilio Dei ſupernaturali aſſentiri, ſivè deniquè auxilium illud ſibi donari petat, aut ad illud recipiendum ſatagat ſe diſponere, ſanè id totum nullius*

a Quæ omnia ibi præſupponit Molina, & clariùs dicit diſp. 42. §. quòd ad primum. Et diſp. 43. §. ex his in edit. Oliſſip.

b *Edit. Antuerp. p. 28.*

Digitized by Google

eſt meriti aut vigoris, ut ei gratia præveniens propter ejuſmodi diſpoſitiones impendatur; ſed quoties confertur, ex ſolis Chriſti meritis donóque Dei, ac proindè miſericorditer omninò, non ſolùm tanquàm ſubjecto non digno, ſed etiàm tanquàm indigno propter peccatum, originale ſaltèm, in quo eſt, tribuitur, & merè gratis ea quæ meritò gratia dicitur, conferri ſolet, cuicunque datur.

Quibus lectis, expendebat Valentia Molinam dicere expreſsè, omnes has petitiones & deſideria nullius eſſe valoris nec meriti, ut eis gratia præveniens detur, ſed quòd ſemper miſericorditer datur: in quo differre dicebat à Pelagianorum vel Semipelagianorum errore. Iſti enim aſſerebant tales petitiones & naturalia deſideria eſſe alicujus valoris ut eis gratia daretur præveniens: & dicebant eſſe petitiones factas ab homine prout ad ſalutem oportet. Quod totum Molina negabat: & in confirmationem hujus adducebat illud Evangelicum: a *Petite & accipietis*; dicens: quòd Pelagiani errabant, quià dicebant hominem poſſe petere ex fide naturæ viribus. Et ſimiliter adduxit Canonem ſextum Concilii Arauſicani II. quem ſuo modo explicans, aſſerebat ibi damnari errorem Semipelagianorum, quià dicebant homines naturæ viribus poſſe credere, & ex fide poſtulare. Undè dicitur contrà illos: b *Si quis ſinè gratiâ Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus, petentibus, quærentibus, pulſantibus nobis miſericordiam dicit conferri divinitùs, non autèm ut credamus, velimus, vel hæc omnia, ſicut oportet, agere valeamus, per infuſionem & inſpirationem S. Spiritûs in nobis fieri confitetur*, &c. Ecce, aïebat, *ſicut oportet*; at verò Molina non dicit hominem operari poſſe ex ſolis naturæ viribus *ſicut oportet*, immò totum contrarium dicit.

a *Joan. 16. 24.*

b *Edit. Lab. tom. 4. col. 1668.*

Præterea aïebat Valentia ſententiam Molinæ in hâc parte eſſe multorum Scholaſticorum, qui dicunt poſſe hominem naturæ viribus facere quòad ſubſtantiam operis, omnia illa quæ poteſt homo facere meritoriè cum gratiâ. Et in particulari expendit locum S. Thomæ ex quæſt. 24. de veritate art. 14. ubi S. Thomas dicit: a omne illud quod poteſt homo facere meritoriè cum gratiâ, poſſe facere quòad ſubſtantiam actûs, ſine merito & gratiâ, per ſolum liberum arbitrium. Similiter dicebat, quòd ſic ſentiebat Scotus & alii; quià opera moralia poterat facere ſine gratiâ. Hæc ſunt quæ in ſubſtantiâ dixit. Ac tandèm dicebat: adduxerunt iſti Patres (ſcilicet Dominicani) tria loca S. Auguſtini prò damnandâ hâc propoſitione Molinæ. Et recitans primum locum ex L. 4. contrà Julian. cap. 8. illis verbis: b *Ibi enim vos, ut video, ponere jam cœpiſtis merita gratiam præcedentia, quod eſt petere, quærere, pulſare; ut his meritis debita illa reddatur, ac ſic gratia inaniter nuncupetur; tanquàm gratia nulla præceſſerit, & cor tetigerit, ut beatificum bonum peteretur à Deo, ut quæreretur Deus, ut pulſaretur ad Deum: fruſtráque ſit ſcriptum;* c *miſericordia ejus præveniet me.* Dixit Valentia, damnare ibi S. Auguſtinum petitiones, & poſtulationes, quæ fiebant piè, & prout ad ſalutem oportet ex fide. Has autèm nullo modo admittebat Molina, qui ſæpiùs dicebat ipſas nihil valoris habere &c.

a *Tom. 8. in quæſt. diſp. de veritate q. 24. de lib. arbit. art. 14. in corp. & in reſp. ad 1. 2. 8. & 7.*

b *Tom. 10. num. 41. col. 605.*

c *Pſ. 58. 11.*

Sed ſtatim P. Lemos ſic dixit: inter multa quæ iſti Patres in excuſationem hujus tertiæ Propoſitionis Molinæ protulerunt, hoc primum fuit: Molinam in iſtâ propoſitione non loqui aſſertivè, nec id colligi poſſe irrefragabiliter ex iſtâ ſuâ propoſitione. Undè jàm nunc ex proprio contextu Molinæ oſtendo, & quòd illud irrefragabiliter præſupponat Molina, & etiàm quòd illud aſſertivè teneat. Et aperto codice & Concordiâ Molinæ, legit prædictam Propoſitionem tertiam, in quâ ſic dicit Molina: d *Etenim noſtrum liberum arbitrium, niſi à Deo, modo præcedente diſputatione explicato, auxilio ſuæ gratiæ præveniatur, & excitetur, non ſolùm producere nequit eum actum,*

d *Diſp. 9. §. ex dictis p. 28. edit. Antuerp.*

Digitized by Google

tum, ſed etiàm quidquid ex ſolis ſuis naturalibus homo efficiat, ſivè ut actu merè naturali revelatis aſſentiatur, ſivè ut, poſtquàm edoctus fuerit ſupernaturalem aſſenſum eſſe ad ſalutem neceſſarium, optet ità credere &c. Ecce quomodò irrefragabilirer præſupponat, id quod

a §. ut ergo & ſeq. pag. 22.

diſputatione 7. aſſertivè dixerat, a videlicet *poſſe hominem revelatis, tanquàm revelatis actu merè naturali aſſentiri.* Sed expreſſiùs id aſſertivè affirmat diſputatione 45. editionis Antuerpienſis §. ex his, ubì ſic legit:

b Pag. 184.

b *ex his patet, hos duos motus gratiæ prævenientis, actiones eſſe vitales intellectûs & voluntatis, multùmque pendere à libero arbitrio; immò & liberum arbitrium poſſe illos deſiderare & petere à Deo, & quodammodò ſeipſum aptare & diſponere, ut juxtà communem curſum, ac ordinem divinæ Providentiæ, faciliùs ſibi à Deo donetur.* Quid clariùs? Aſſertivè loquitur poſſe liberum arbitrium deſiderare & petere, immò ſatagere ſe diſponere ad actiones ſupernaturales. Nullâ ergò viâ in hâc parte poteſt de mente Molinæ dubitari.

Tùm Generalis Societatis dixit: non aït ibì Molina liberum arbitrium poſſe ſolis naturæ viribus id deſiderare. Cui protinùs P. Thomas de Lemos: immò, inquit, ſolùm hoc dicit, quòd naturæ viribus id facere poteſt. Si quidèm aït: liberum arbitrium poſſe deſiderare ea dona gratiæ. Ergò tenet ſolis naturæ viribus ante gratiam id poſſe facere; legatur, ait, contextus, & apparebit quomodò de libero arbitrio ſolis naturæ viribus adjuto apertè loquatur.

Poſt hæc dixit idem P. Lemos: adduxit Defenſor Molinæ pro ſe illud

c Joan. 16. 24.

Evangelicum: c *Petite & accipietis*; & non videt ſibi omninò eſſe contrarium. Nàm Dominus aït, quòd qui petunt ex auxilio gratiæ, accipiunt. At verò Molina cum Semipelagianis & Pelagianis dicit, quòd petentibus ex naturæ viribus datur gratia. Contrà quos aït S. Proſper lib. contrà Collat. cap. 6.

d In Append. tom. 10. Oper. S. Aug. cap. 3. num. 8. col. 174.

d non enìm nullius meriti haberi poteſt petentis fides, quærentis pietas, pulſantis inſtantia. Illud aliud etiàm ex Canone 6. Concilii Arauſicani II. totaliter eſt contrà Molinam, ut in proprio loco oſtendemus. Quòd autem dicunt Scholaſticos Doctores ſentire cum Molinâ, falſum eis imponunt teſtimonium, nam loquuntur in ſenſu valdè alieno à ſenſu Molinæ. Scholaſtici enìm Doctores tantùm aſſerunt, poſſe hominem ſolis naturæ viribus facere actus ſimiles actibus ſupernaturalibus, & imperfectos eos conſtituunt in naturâ; nec dicunt quòd illis poſitis ſequatur ſtatìm gratia. At verò Molina vult hominem ſolis naturæ viribus naturalibus poſſe facere eoſdem actus in ſubſtantiâ, & ità perfectos in naturâ, ſicut illos facere poterat homo, ſi in puris naturalibus conderetur. Rurſùs ponit, quòd illis facultate naturæ habitis, ſtatìm gratia ſequatur: hoc autèm, ut etiàm Franciſcus Suares in Libro ſuorum Opuſculorum cap. 2. lib. 3. fatetur, eſt evertere gratiam, & eludere omnia Concilia. Sed coràm SS. Domino noſtro, non oportet adducere authorem iſtum.

Quod autèm aït Molinæ Defenſor, quòd S. Thomas dicit hominem poſſe facere naturæ viribus, quòad actûs ſubſtantiam, omne id quod poteſt homo facere cum merito & cum gratiâ, intelligit quòd circà objecta naturalia, materialiter tenta, poteſt homo naturæ viribus exercere aliquos actus ſimiles in ſubſtantiâ, quià fiunt de eodem objecto materiali, & imperfectos in naturâ; ità ut magìs ſint velleitates, quàm actus abſoluti, quos actus abſolutos Molina conſtituit. Nec dicit S. Thomas quòd ad illos ſtatìm ſequatur gratia.

Sed omnibus iſtis omiſſis, quià iſti Patres Jeſuitæ poſtulatunt Diſputationem ſtrictè fieri, reſpondeant jàm directè ad hoc....... Et cùm vellet P. Lemos argumentum proponere; inſtabat P. Valentia volens reſpondere ad prædicta. Cui dixit P. Lemos: Pater, jàm dixiſti quæ habebas, & ego etiàm dixi: modò reſpondeas ſtrictè. Cui iterùm ille dixit: quòd nullo modo conſentiebat;

Digitized by Google

conſentiebat, ſed quòd ad omnia dicta volebat reſpondere. Cui P. Lemos, hoc eſt fugere vim argumenti : ſed dicas quod volueris. Et tunc ipſe P. Valentia iterùm ferè repetens quæ anteà propoſuerat, inſtabat Scholaſticos Doctores expreſsè aſſerere, poſſe hominem naturæ viribus habere de objectis ſupernaturalibus aliquos actus quòad ſubſtantiam, & quòd nihil aliud dicebat Molina.

Tunc dixit illi P. Lemos : Doctores non dicunt poſſe hominem naturæ viribus deſiderare & optare auxilium gratiæ & aſſenſum ſupernaturalem, ut ſupernaturalis eſt, ſicut dixit Molina. Sic enim ait : poſtquàm edoctus fuerit ſupernaturalem aſſenſum eſſe ad ſalutem neceſſarium, poteſt homo optare ità credere. Optat ergò ità credere, id eſt, ſicut neceſſarium eſt ſalutem ; ſed neceſſarius eſt aſſenſus ad ſalutem non materialiter ſed formaliter, ut eſt ſupernaturalis : ergò ità optat credere.

Tunc dixit P. Valentia : materialiter neceſſarius eſt ad ſalutem. Tunc P. Lemos : non eſt neceſſarius ad ſalutem materialiter ſolùm tentus, & hoc eſt quod dico, ſed etiam ut formaliter eſt ſupernaturalis, ſic eſt ad ſalutem neceſſarius. Jam ergò appetit aliquid prout eſt ad ſalutem neceſſarium.

Ad hæc reſpondit Valentia : quòd verbum (*ut*) poterat cadere ſuprà verbum (*eſt neceſſarium ad ſalutem*) ut fieret ſenſus, quòd optet prout eſt neceſſarium ad ſalutem ; & ſic non ſumebatur à Molinâ : & poterat cadere ſuprà verbum (*optet*) ità quòd ſit ſenſus, ut optet &c. Quod ſimiliter dictum fuit ab Archiepiſcopo Armachano.

Sed P. Lemos inſtabat : non ſit vis in verbo (*ut*,) ſed in verbo (*ità*.) Dicit enim Molina : *ut optet ità credere*, id eſt prout neceſſarium ad ſalutem. Sententia enim Molinæ hæc eſt, quòd poſtquàm aliquis edoctus eſt aſſenſum ſupernaturalem eſſe neceſſarium ad ſalutem, poteſt optare ità credere, ſicut eſt edoctus eſſe neceſſarium ad ſalutem : ſed eſt edoctus aſſenſum ſupernaturalem ut ſupernaturalem eſſe neceſſarium ad ſalutem : ergò poteſt optare ità credere, id eſt, ut eſt neceſſarium ad ſalutem.

Reſpondit Pater Valentia : quòd licèt Molina concedat, quòd poteſt optare ità credere, id eſt, ut ſupernaturalis actus eſt ad ſalutem neceſſarius, non ſit ſenſus, quòd ſub illâ ratione optet, id eſt, ſub ratione ſupernaturalitatis. Sicut ſi aliquis edoctus ſit divitias eſſe utiles & bonas, poteſt intelligere illas ut ſic, id eſt, ut proponuntur, & ut ſunt utiles & bonæ : non tamen ſit ſenſus quòd ſub ratione bonitatis illas intelligat.

Sed ad hæc dixit P. Lemos : in hoc committit Pater Valentia variationem maximam. Nàm bonum ut bonum, non eſt objectum intellectûs, ſed voluntatis : objectum enim intellectûs eſt verum ut verum : undè non mirum ſi intellectus non poteſt intelligere illas divitias ut utiles & bonas : faciat autem argumentum de voluntate, & videbit quomodò argumentum concludit, ſic dicendo : edoctus eſt aliquis divitias eſſe utiles & bonas, & optat eas ut ſic : tunc ſequitur planè quod optet eas ut utiles & bonas, & ſub hâc ratione. Sic ergò loquens Molina de voluntate & illius actu, dicit quòd poſtquàm aliquis eſt edoctus ſupernaturalem aſſenſum eſſe ad ſalutem neceſſarium, poteſt optare ità credere, ut videlicet eſt bonus, utilis, & neceſſarius ad ſalutem, & ſub hâc ratione optat & appetit.

Ad hæc dixit P. Valentia, quòd Cajetanus concedebat, quòd poteſt optare objectum beatificum, nec reputabatur Pelagianus. Quod & legit in ipſo Cajetano. Cui reſpondit P. Lemos : jam à principio dixi quomodò Scholaſtici Doctores loquuntur ; nec oportet aliud dicere.

Sed ſtatìm ſua Sanctitas dixit : *vos non diſputatis de illo quod ego diſputandum eſſe præcepi. Ego dixi de mente S. Auguſtini eſſe agendum.* Et ſumptis Scriptis quæ apud ſe habebat dixit P. Valentiæ : *oſtende mihi in Auguſtino*, *ubi*

Digitized by Google

ubì dicat poſſe hominem naturæ viribus optare, petere, & deſiderare auxilia gratiæ, & cætera quæ dicit Molina in hâc propoſitione.

Suæ Sanctitati reſpondit Valentia; ſat eſt quòd Auguſtinus non dicat contrarium, & quòd ſententia Molinæ non diſcordet à ſententiâ S. Auguſtini. Et Sanctiſſimus præcepit, ut diſcurreret per loca allegata ex S. Auguſtino ab ipſis Jeſuitis circà illam tertiam Propoſitionem. Et ſeptem loca diſcuſſa ſunt in quibus S. Auguſtinus negabat poſſe hominem piè optare, petere, & poſtulare. Quæ omnia explicata ſunt à P. Valentiâ procedere de pietate factâ prout ad ſalutem oportet, & præſupponente fidem; non autèm procedere de pietate quâdam morali, hanc enìm S. Auguſtinus concedebat facultati naturæ. Hæc ſunt in ſubſtantiâ, quæ P. Valentia dixit.

Sed ſtatìm P. Lemos dixit: unica & ſola ſolutio quâ Defenſores Molinæ interpretantur iſta loca S. Auguſtini, ut non damnent doctrinam Molinæ, hæc eſt; quòd S. Auguſtinus negat naturæ viribus petitiones pias præſupponentes fidem. S. Auguſtinus autem ibì damnabat petitiones quas Pelagiani & Semipelagiani conſtituebant de objectis ſupernaturalibus: ſed Pelagiani & Semipelagiani reipsâ dicebant petitiones illas eſſe pias; verbis autem, ut ſe occultarent, negabant: & tamen ſancti Doctores convincebant illas petitiones eſſe pias, & pias illas vocabant, quià reipsâ erant piæ. Et legit in S. Auguſtino L. 4. contrà Julian. cap. 3. a quomodò referebat Julianum dixiſſe virtutes, quas malè in homine conſtituebat, non fieri prout ad ſalutem oportet, nec perducere hominem ad regna cælorum; & tamen S. Auguſtinus convincebat, quòd erant perducentes hominem ad regnum cælorum. Similiter legit Caſſianum dicentem illa naturæ opera ex ſe nihil omninò valere niſi excitentur à gratiâ, & quòd non debebant annumerari inter opera curationis. Convincebant autem Sancti illa opera pertinere ad pietatem, quià erant de objecto pertinente ad pietatem, in ordine ad finem pietatis cum debitis circumſtantiis. Ex hoc inferebant eſſe operationes pias, à quocunque producerentur; quià operationes ex objectis ſpecificantur: undè ſi ſunt de objecto pio, ſunt piæ. Molina autem ponit operationes eſſe de objecto pio, & tamen dicit non eſſe pias, quià non ſunt ab auxilio gratiæ. Facit enìm hoc argumentum: iſtæ operationes non ſunt ex dono ſupernaturali; ergò non ſunt piæ, quià operationes piæ ſolùm ſunt ex dono Dei. Nec advertit cùm hæc dicit; quòd ſecundùm Catholicam veritatem ità eſt, quòd nihil eſt pium, niſi fiat ex dono ſupernaturali. At verò ſuppoſitione factâ quam facit Molina, quòd videlicet illæ operationes ſint de objectis piis & ſupernaturalibus, & ex aliâ parte fiant ex ſolâ naturâ, convincitur quòd ſola natura producit operationes pias, & pertinentes ad ſalutem. Hæc enìm tria ſemper proportionantur, objectum, actus, & illius principium. Ità ut ſi objectum formale eſt pium & pertinens ad ſalutem, actus eſſentialiter ex ipſo habet quòd ſit pius & ad ſalutem pertinens: undè principium eliciens debet eſſe pium & ſalutare. Molina autem truncat hæc; & actum de objecto ſalutari, & ex conſequenti ſalutarem, dicit non oriri ex principio ſalutari, ſed à ſolâ naturâ, in quo conſiſtit error Pelagianorum. Similiter quod Defenſor Molinæ dicit petitiones & operationes pias, quas damnabat S. Auguſtinus in Pelagianis, præſupponere fidem; eandem omninò præſupponunt petitiones quas Molina conſtituit. Et ſtatìm dixit P. Lemos: Pelagiani & potiſſimè Semipelagiani verbis equidem negabant fidem, quam in actu ex ſolis naturæ viribus producto conſtituebant, eſſe fidem Chriſtianam & piam, re autem id tenebant. Quod P. Valentia negavit, affirmans illos conſtituiſſe fidem piam, ex quâ Chriſtiani ſumus ex nobis. Et legit duplicem locum ſancti Auguſtini, ubì referens

a *Tom. 10. num. 14. & ſeqq. col. 590 & ſeqq.*

ferens illorum ſententiam, dicebat, illos fidem quâ Chriſtiani ſumus, ex nobis conſtituiſſe, hanc autem Molina non conſtituit.

Cui P. Lemos: dixi quòd Pelagiani reipsâ convincebantur, quòd fidem Chriſtianam ex nobis conſtituebant; undè S. Auguſtinus verè illis attribuit quòd fidem Chriſtianam ex nobis ponerent. At verò verbis exterioribus, ut ſe cooperirent, quemadmodùm Molina, dicebant illam non eſſe fidem Chriſtianam, uſque dùm excitaretur à Deo: ut patet ex S. Proſpero a cap. 27. contrà Collatorem. Quem ibidem legit P. Lemos, & ponderavit. Sed potiſſimè id patet ex S. Auguſtino L. de prædeſt. Sanct. cap. 2. ubì ſic habet: b *Cur autem non totum tribuatur homini, ut qui ſibi potuit inſtituere quod non habebat, ipſe quod inſtituit, augeat, omninò non video: niſi quià reſiſti non poteſt divinis manifeſtiſſimis teſtimoniis, quibus & fides,* * *undè pietas exordium ſumit, donum Dei eſſe monſtratur.* Ecce S. Auguſtinus dicit Fauſtum & Caſſianum, contrà quos ſcribebat Librum iſtum, ut non repugnarent divinis Litteris, non audere verbis dicere, illum actum naturalem quem ponebant circà revelata, eſſe fidem ex quâ pietas ſumebat exordium; id eſt, non audebant docere eſſe fidem Chriſtianam: ex hâc enìm ſolùm pietas ſumit exordium. Licet autem verbis id negarent, reipsâ tamen affirmabant: undè ſubdit idem S. Auguſtinus: c *Nolens ergò* (Fauſtus vel Caſſianus) *his tàm claris teſtimoniis repugnare, & tamen volens à ſeipſo ſibi eſſe quòd credit homo, quaſi componat cum Deo &c.* Ecce quomodò re ponebant fidem Chriſtianam, voce autem negabant. Igitur verum eſt Semipelagianos re conſtituiſſe in operibus naturæ Chriſtianam fidem, & voce negaſſe.

a *In Appendice tom. 10 Op. S. Auguſt. cap. 12 num. 33. col. 183.*

b *Tom. 10. num. 6. col. 793.*

* *Nunc legitur* undè pietatis exordium ſumitur.

c *Ibidem.*

Tunc dixit P. Valentia: re ponebant fidem ſupernaturalem. Cui P. Lemos: jam ſuo ore concedit Semipelagianos reipsâ conſtituiſſe in operibus naturæ fidem quæ ſupernaturalis eſt. Certum eſt autem quòd nunquam voce dixerunt, hominem ex viribus naturæ producere poſſe fidem ſupernaturalem. Jam ergò convenimus, quòd idem omninò eſt fides pia, & fides quâ Chriſtiani ſumus, & fides ſupernaturalis: ergò Semipelagiani reipsâ conſtituebant ex nobis fidem Chriſtianam, & verbis expreſsè id negabant.

Tunc Pater Valentia id conceſſit: Cui Pater Thomas: BENEDICTUS DEUS. Jam ergò hæc major eſt vera: quòd Pelagiani & potiſſimè Semipelagiani reipsâ conſtituebant ex nobis fidem Chriſtianam, & verbis exterioribus negabant. Jam ad minorem. Sed Molina..... & cùm hæc verba minoris inciperet proponere P. Lemos, Valentia noluit audire, ſed ad alia divertens multa dicebat. Cui P. Thomas: *Audias minorem, audias minorem.* Ille autem nolebat. P. Lemos magis inſtabat: *Ad minorem, P. Valentia, ad minorem.* Ille autem nolebat audire multa dicens. Tunc P. Lemos dixit manifeſtè, fugit vim argumenti; & magìs contrà inſtabat: *ad minorem, ad minorem.* Tunc P. Monopoli conſtanter ſe intromiſit, & dixit Jeſuitis: debetis omninò audire minorem. Simulque P. Rada dixit: in quâ diſputatione, conceſsâ majore, non auditur minor? Quibus Pater Valentia: ubi agitur de damnandâ doctrinâ, non oportet iſtis regulis Dialecticis adſtringi.

Tunc P. Lemos: patere legem quam tuliſti, & diſputationem ſuſtine quam poſtulaſti. Et ſimùl propoſuit minorem, quæ talis fuit. Sed Molina reipsâ ponit fidem Chriſtianam ex nobis in illo actu, quo ait poſſe hominem aſſentiri omnibus revelatis, tanquam à Deo revelatis, & quià à Deo revelata ſunt; (nullum enim alium actum ponebant Pelagiani de quo convincerentur reipsâ conſtituere in nobis & ex nobis fidem) verbis autem negat eſſe fidem Chriſtianam: ergò concluſum eſt Molinam ſenſiſſe cum Pelagianis & Semipelagianis.

Poſt hæc Generalis ſancti Dominici dixit: iterùm probo illam minorem.

Cui

Cui Dominus le Boſſu dixit: jam eſt probata. Attamen proſecutus Generalis Ordinis, legit S. Thomam 2. 2. q. 6. art. 1. a ubi dicit errorem Pelagianorum circà fidem fuiſſe, quòd nos eramus parati ad aſſentiendum ex nobis, propoſitâ tamen divinâ revelatione. Deindè legit Molinam in diſp. 4. §. patet: ubi dicebat hominem eſſe paratum obedire veritati.

a *In Corp.*

Cui reſpondit P. Valentia: quòd S. Thomas per paratum obedire, intelligat inſtructum. Cui P. Lemos: loquitur S. Thomas de principio efficiente & producente actum: ad hoc enim paratus erat homo ſecundùm Pelagianos, quos ibì refert S. Thomas. Quomodò ergò intelligi poteſt de inſtructione? Et quibuſdam parvi momenti vociferatis à P. Valentiâ, eximus, cùm duraſſet Congregatio pluſquàm per quatuor horas.

Unum mirabile fuit in iſtâ Congregatione, quòd apud omnes ità convictus fuit P. Valentia, ut egredientibus à Congregatione ei diceret Generalis Jeſuitarum: *P. Valentia deſtruxiſti Societatem in conceſſione illius majoris.* Et replicabat: *deſtruxiſti Societatem.* Quod à multis auditum fuit.

CONGREGATIO V.

CORAM CLEMENTE VIII.

In quâ paucis de Propoſitione præcedenti reſumptis, tùm de quartâ Molinæ Propoſitione eſt diſputatum, & actum præcipuè de laude & induſtriâ liberi arbitrii, tàm ante receptionem & in receptione Gratiæ, quàm poſt ejuſdem ſuſceptionem.

Hæc Congregatio habita eſt 23. Julii 1602.

Vide *Hiſt. Congreg. de Auxil. l. 3. cap. 11. col. 417. & ſeq.*

a *Gal. 5. 6.*

SANCTISSIMUS Dominus noſter, finitâ oratione, incepit ſic dicens: *S. Auguſtinus dicit, quòd Paulus definivit fidem Chriſtianam, quòd eſt illa* a *quæ per dilectionem operatur: Sed Molina ponit ex naturæ viribus fidem quæ per dilectionem operatur: ergò &c.* Et ſubdidit: *at vos adſertis fidem Dæmonum; hæc autem non operatur per dilectionem.*

Suæ Sanctitati reſpondit Valentia S. Auguſtinum loqui de fide ſupernaturali, quæ operatur per dilectionem piam, & quæ fit prout ad ſalutem oportet; hæc autem non habetur ex naturæ viribus, nec hoc unquàm dixit Molina; quià ipſe loquitur de fide humanâ, quæ operatur per dilectionem moralem, & ad ſalutem minimè pertinentem.

Sed Sanctiſſimus inſtabat: *quòd illa fides quam Molina conſtituebat, habebat omnes conditiones fidei Chriſtianæ, quià præferebat Deum ſibi, ſuæ vitæ, & omnibus.*

Ad quod iterùm reſpondit Valentia: quòd illa fides Molinæ præferebat Deum omnibus, non per commenſurationem ad fidem ſupernaturalem, nec meritoriè, ſed moraliter tantùm; quam bonitatem moralem poterat homo habere naturæ viribus. Immò dixit ſe habere Eccleſiæ definitionem, quam & manu tenebat, in quâ erat definitum dari duas dilectiones, alteram naturalem, alteram ſupernaturalem.

Cui dixit P. Lemos: ſed non definitur quòd homo ex naturæ viribus poſſit habere illam Dei dilectionem naturalem ſuper omnia. Similiter P. Rada dixit: non loquitur Eccleſiæ definitio

Digitized by Google

finitio de dilectione Dei ſuper omnia.

Et ſtatim Generalis Societatis dixit, illam non eſſe definitionem fidei, quòd nempè per dilectionem operetur. Cui dixit Papa: *Sanctus Auguſtinus ait quòd Paulus definit fidem dicens, quòd eſt quæ per dilectionem operatur.* Suæ Sanctitati reſpondit Epiſcopus Aquilanus, quòd in peccatore erat vera fides, & tamèn per dilectionem non operatur. Cui reſpondit P. Lemos: illa poteſt per dilectionem operari; at verò fidei Dæmonum hoc repugnat. Et prætereà eadem fides quæ eſt informis, adveniente charitate, eadem, inquàm, & non alia, operatur per dilectionem.

Tunc dixit Epiſcopus Aquilanus: hoc eſt aliud quòd poſſit operari; Paulus autem dicit, a *quæ per dilectionem operatur.* Cui dixit P. Lemos: eadem fides poſt formationem operatur, & ante formationem poteſt operari; & hoc totum intelligit Paulus. Tunc P. Rada, & P. Piombino, & ſimul ipſe P. Lemos dixerunt, quòd in definitionibus verba non dicunt actum, ſed aptitudinem.

a *Gal. 5. 6.*

Tunc dixit P. Carmelitanus: non eſt propriū fidei operari per dilectionem, nam & aliæ virtutes operantur per dilectionem. Cui dixit P. Lemos: hoc eſt contradicere Apoſtolo, qui proprium hoc tribuit fidei, ut per dilectionem operetur. De aliis autem virtutibus, alia eſt diverſa ratio. Et cùm hæc dixiſſet, ſupplicavit Sanctiſſimo, ut de puncto principali præciperet ſua Sanctitas aggredi Diſputationem. Tunc id præcepit Sanctiſſimus.

Et incipiens P. Valentia legit Propoſitionem Molinæ quæ damnabatur. Et legebat à principio §i. *ut quæ.* Cui dixit ſuus Generalis quòd id nihil ad rem faciebat; legeret autem id quod præcipuum erat. Legit ergò prædictam Propoſitionem quartam, in quâ dicit Molina: b *Ità Deum accommodaſſe ſuâ ſapientiâ leges, ut ſicut per gratiam, hominis naturam ex ſe liberam perficiebat; ità etiam ante receptionem gratiæ, & in ipsâ gratiæ receptione, ac poſteà in augmento illius, ſuum locum libero arbitrio relinqueret, quatenùs ipſe ità eſſet author omnium bonorum, omniáque ei accepta referrentur; ut nihilominùs libero arbitrio propria laus & induſtria ſervaretur.* Et poſtquàm illam recitavit, dixit hanc propoſitionem duas habere partes, & utramque certiſſimam, & de fide: quià de fide eſt liberum arbitrium eſſe liberum, & liberum locum habere in ſui juſtificatione, & ante illam, & poſt illam. Et valdè mirabatur, quòd hanc propoſitionem reprehenderent aliqui, potiſſimè quià in ſecundâ parte Molina ipſe manifeſtè docet, omnia referenda eſſe in Deum. Deindè dixit: adduxerunt Patres Dominicani pro damnatione hujus propoſitionis quædam loca S. Auguſtini, videlicet quatuor. Et illa recitans reſpondebat S. Auguſtinum damnaſſe ſententiam, quæ ante receptionem gratiæ tribuebat homini laudem & induſtriam propriam meritoriam, ſeu factam prout ad ſalutem oportet; & ſimiliter propriam induſtriam quam admittebat Molina in receptione gratiæ, & poſt gratiæ receptionem, docuiſſe Apoſtolum, cùm ait: a *unuſquiſque propriam mercedem recipiet ſecundùm proprium laborem.* Undè nihil aliud dicebat Molina. Nec ampliùs recordor, ſi quid aliud ſimile dixit. Et finiens dicebat: oſtendant iſti PP. in quo iſta propoſitio continet errorem Pelagianorum, vel Semipelagianorum.

b *Diſp. 9. §. ut quæ; edit. Antuerp. p. 50. col. 2.*

a *1. Cor. 3. 8.*

Tunc incipiens P. Thomas de Lemos, ſic dixit: BEATISSIME PATER, ad cujus pedes quæcunque dixero humiliter ſuppono; jam propoſitio Molinæ publicè lecta eſt coràm Sanctitate veſtrâ, nec illam repetere oportet, ſed oſtendere quàm damnabilis ſit, & hoc aperire. Molina enìm & iſti Patres, (ut alibì coràm Sanctitate veſtrâ dixi, quòd & refert S. Auguſtinus de Juliano,) ſic ſententiam temperant, ut & ſuâ & noſtrâ poſſit voce defendi: undè quidem vox nobis communis eſt, ſenſus autem valdè diverſus. Omnes fatemur locum relinquendum eſſe libero arbitrio: ſed tamen in ſenſu quem intendit Molina, eſt ſententia manifeſtè Pelagiana. Et quià

Digitized by Google

Patres Societatis inquirunt, in quo ſit Pelagiana hæc propoſitio, jam oſtendo. Iſta propoſitio continet tres partes univerſales & principales, in quibus tota Molinæ Concordiâ conſiſtit. Nihil enìm aliud Molina in totâ ſuâ Concordia facit, niſi probare has tres partes univerſales hujus concluſionis, quòd videlicèt antè receptionem gratiæ, & in receptione ipſius, & poſt receptionem, debet ſervari proprius locus, propriáque laus, & induſtria libero arbitrio. Ante gratiæ receptionem, laudem hanc ſervat Molina libero arbitrio, quòd videlicèt ipſum liberum arbitrium poſſit facere opus bonum morale fini naturali accommodatum, quod ſit opus virtutis, ſicut illud poterat facere homo, ſi in puris naturalibus abſque omni maculâ conderetur, ut in primâ Propoſitione viſum eſt. Similiter vult Molina quòd ſervetur locus libero arbitrio ante receptionem gratiæ, per hoc quòd ipſum poteſt ſine auxilio gratiæ aſſentiri actu merè naturali revelatis tanquàm à Deo revelatis, & quia à Deo revelata ſunt, ut in ſecundâ propoſitione patet. Servat etiam locum libero arbitrio ante receptionem gratiæ, in quantùm dicit quòd ipſum poteſt petere, quærere, pulſare, divinum auxilium optare, ut dictum eſt in tertiâ propoſitione. Servat præterea locum libero arbitrio ante receptionem gratiæ, in quantùm dicit poſſe ipſum habere actum contritionis naturalis, cum propoſito cavendi de cætero omnia peccata lethalia, ut videbitur in quintâ propoſitione. Itèm ſervat Molina locum libero arbitrio, concedens illi poſſe ſolis naturæ viribus ſine gratiâ diligere Deum dilectione naturali ſuper omnia, & reſiſtere cuicunque gravi vehementiorivè tentationi, etiam cum mortis periculo, ut videbitur in ſextâ & ſeptimâ propoſitionibus examinandis. Et tandem relinquit Molina locum libero arbitrio ante receptionem gratiæ, cùm concedit quòd facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus, Deus certâ lege dat gratiam. Hoc modo ſervat locum libero arbitrio, & hoc modo Pelagiani & Semipelagiani locum ſervabant libero arbitrio ante receptionem gratiæ. At verò Catholica veritas modo valdè diverſo ſervat locum libero arbitrio ante receptionem gratiæ. 1°. Quià ipſum ſine gratiâ poteſt liberè peccare. 2°. Quià etiam poteſt facere quædam bona ad præſentem vitam pertinentia, ſicut plantare vineas, colere agros, ædificare muros, manducare, bibere, habere amicum &c. taliáque S. Auguſtinus in a Hypognoſticon libero arbitrio concedit. 3°. Poteſt etiam facere opus bonum morale ex objecto, & quoad ſubſtantiam actûs; ſicut dare eleemoſinam; non tamen ex verâ virtute morali, ut dictum eſt. Hoc modo veritas ſervat locum libero arbitrio ante receptionem gratiæ.

a *Hic Liber non eſt D. Auguſt.*

Dicit præterea Molina, quòd in receptione gratiæ ſervatur locus libero arbitrio, & propria laus & induſtria, in quantùm ſe applicat liberum arbitrium, & ſe movet ad actum pium, & ad recipiendam gratiam ſine Deo ad id movente & applicante, ſed ſolùm Deo excitante. Reputat enìm quòd ſi Deus moveret & applicaret liberum arbitrium ad piam operationem, tolleretur arbitrii libertas, nec ei ſervaretur propria laus & induſtria. Sic habet Molina diſp. 8. in quâ publicè legit §m. *ad ejuſmodi*, b in ipſóque expendit qualiter Molina dicebat gratiam excitantem ſolùm allicere, & invitare ad credendum. Hoc modo ſervat Molina propriam laudem & induſtriam libero arbitrio, id eſt, non acceptam à Deo, ut ſic homo in aliquo, quod non accepit, poſſit gloriari. Non autem intendit ità eſſe propriam laudem, & laborem hujus hominis, quòd non ſit alterius, ut Patres Societatis prætendunt. Et hoc modo Pelagiani & Semipelagiani locum, laudem, & induſtriam libero arbitrio ſervabant in receptione gratiæ. Nec enìm illi negabant gratiam excitantem: immò fortè poſteà oſtendemus ipſam gratiam excitantem, quam ponit Molina, conſtituiſſe

b *In edit. Ant. p. 25. col. 1.*

ſtituiſſe Pelagium ipſum. At verò Catholica veritas, quam defendit ſanctus Auguſtinus, ſervat etiam locum libero arbitrio in receptione gratiæ, in quantùm liberum arbitrium à Deo verè motum, & excitatum, & applicatum ad operationem piam, ipſum ei liberè conſentit, ut infrà ad longum diſputandum erit. Quià ut ſanctus Auguſtinus dicit L. de prædeſt. Sanctor. cap. 3. a *Utrúmque* (videlicet credere & operari) *noſtrum eſt propter arbitrium voluntatis ; & utrúmque tamen datum eſt per ſpiritum fidei & charitatis.* Et iterùm dicit : *utrúmque ipſius eſt*, (ſcilicet Dei) *quià ipſe præparat voluntatem : & utrúmque noſtrum, quià non fit niſi volentibus nobis.* Et iterùm de grat. & lib. arb. cap. 16. aït : b *certum eſt nos velle, cùm volumus ; ſed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum eſt, quòd paulò ante poſui, quòd præparatur voluntas à Domino* c ..... *Certum eſt nos facere cùm facimus ; ſed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit :* d *faciam ut in juſtificationibus meis ambuletis.* Hoc modo ſervat veritas locum & induſtriam libero arbitrio in gratiæ receptione, ut ſuo proprio loco copioſè oſtendendum erit.

a *Tom. 10. num. 7. col. 794.*

b *Tom. 10. num. 32. col. 734.*

c *Proverb. 8. ſecund. LXX.*

d *Ezech. 36. 27.*

Poſt gratiæ receptionem relinquit Molina locum & induſtriam libero arbitrio eodem modo ; quià in omnibus operibus meritoriis, uſque ad ipſam perſeverantiam in finem, nunquam vult quòd liberum arbitrium moveatur, & applicetur à Deo ad operandum, ſed quòd Deo ſolùm excitante, liberum arbitrium ſe moveat, & ſe incipiat movere adjuvandum ſtatìm à Deo. Quem locum Pelagiani libero arbitrio ſervabant.

Illud autem quod PP. Societatis in excuſationem Molinæ proponunt, quòd videlicet ipſe dicat omnia in Deum eſſe referenda, id quidem non proponerent pro ejus defenſione, ſi vellent attendere, quòd Fauſtus per Eccleſiam damnatus eandem omninò excuſationem, ſub eiſdem formalibus verbis, prætendit, nec illum aliquâ parte juvit. Hic enim Lib. 1. de gratiâ & humanæ mentis arbitrio, poſtquàm in 1. capite conſtituit Deum & liberum arbitrium eſſe cauſas partiales (verba ejus ſunt : ſi partibus proprietates ſuas reddas, perindè eſt ac ſi gratiam cum labore conjungas) poſtquàm, inquam, hæc dixit, videns quòd ſi Deus erat cauſa partialis, illud manifeſtè ſequebatur, non totum tribui Deo, quod videbat eſſe contrà Scripturam ſacram ; volens hoc aliquâ ratione palliare & cooperire, ſtatìm dixit in cap. 4. ejuſd. Lib. *Cùm autem dixerint* (id eſt Auguſtinus, & cæteri Defenſores gratiæ) *totum gratiæ Dei eſt ; quis non ad tàm reverendum nomen omni cordis inclinetur affectu ?* Ubì verbis ſolùm totum dicebat tribuendum eſſe gratiæ. Et idipſum magìs declarans in cap. 14. ſic aït : *imperat nobis qui propriæ voluntatis generali diſpenſatione jus tribuit. Pro eo verò, quòd totum ad authorem gratiæ referendum eſt, legimus :* a *qui docet hominem ſcientiam ; vel* b *Dominus illuminat oculos.* Ubì manifeſtè docet totum dandum eſſe gratiæ, ſed gratiæ ſolùm docenti & ſuadenti, non verò efficienti.

a *Pſal. 93. 10.*

b *Pſal. 18. 9.*

Sic Molina qui eodem modo conſtituit Deum & liberum arbitrium cauſas partiales, videns quòd certiſſimè ſequebatur non totum tribuendum eſſe Deo ; ut ſe cooperiat, voce ſolùm dicit in hâc propoſitione omnia in Deum referenda eſſe. Sed hoc tantùm modo illa in Deum refert, ſicut ipſe Fauſtus, videlicet in Deum ſolùm excitantem, & ſuadentem, ſeu invitantem, non autem verè efficientem, ut jam nunc ex ejus verbis & doctrinâ oſtendi. Poſt hæc dixit idem P. Lemos : adducunt PP. Societatis decem & octo loca in excuſationem hujus Propoſitionis, quæ nihil aliud probant, quàm hominem eſſe liberi arbitrii ; non autèm quòd homo exerceat libertatem & induſtriam modo nunc ex Molinâ relato.

Poſt hæc, quaſi infremens Valentia dixit : iſtam Propoſitionem ſecundùm ſe eſſe judicandam, & totam eſſe de

 fide.

Digitized by Google

fide. Et reſpondens ad id quod Pater Lemos dixerat, quòd Molina tantùm admittebat gratiam excitantem, legit aliqua loca in quibus Molina admittebat gratiam cooperantem; & in S. Auguſtino legit alia duo loca, in quibus Pelagius negabat gratiam cooperantem: & in hoc aliquam partem temporis conſumpſit: ſimúlque dixit ſe velle declarare myſterium, quod tale erat; nempè quòd PP. Dominicani, quià Molina negabat gratiam quamdam prædeterminantem ad unum, quæ planè tollit libertatem, ideò ipſum dicunt ſentire cum Pelagio, & negare gratiam prævenientem.

Sed ſtatìm P. Thomas dixit: inter loca quæ P. Valentia adducit in favorem Molinæ, potiſſimus eſt ille qui habetur *q. 23.* §. *illud tamen*, *diſp. 1. memb. 9.* a Sed mirum eſt quòd non videat contrà ſe ipſum afferri. Et iterùm ipſum illum legit, & in ipſo oſtendit, qualiter Molina ſolùm ponebat gratiam prevenientem, quatenùs præveniens eſt, eſſe ſolùm invitantem, & allicientem. Similiter oſtendit gratiam cooperantem quam Molina admittebat, eſſe cooperantem poſtquàm liberum arbitrium ex ſe in aliquo priori operatur: quod oſtendit legendo locum Molinæ, qui habetur in editione Antuerpienſi *diſp. 41.* §. *dixi toties.* b Ubì id habet expreſsè. Hanc autem gratiam excitantem & hoc modo cooperantem admiſerunt Pelagiani, & fortè expreſsè Pelagius ipſe. Tunc dixit P. Valentia: *fortè*. Cui dixit P. Lemos: Pelagiani illam expreſsè conſtituerunt; dicebant enìm in eodem opere à Deo adjuvari; & fortè Pelagius ipſe, ut oſtendemus. Quod etſi Pelagius id expreſsè non haberet, fuerunt multi Pelagiani qui de hoc damnati ſunt. De quo habendæ ſunt longiſſimæ diſputationes, ad quas pro nunc me remitto, ne materias præveniamus.

a *Edit. Antuerp. pag. 352.*

b *Edit. Antuerp. pag. 172.*

Tunc Generalis ſancti Dominici legit in ſancto Proſpero, quomodò referebant Caſſianum loquentem de fide Centurionis, & dicentem quòd ſi illam fidem haberet à Deo, non eſſet laudis & meriti. Deindè legit textum Molinæ, qui habetur *q. 23. diſp. 1. memb. 6.* §. *Ad primam*, a in quo apertè dicebat, quòd actus liber, ut præciſè emanat à noſtro libero arbitrio, non ſit aliter à Deo, niſi tanquam ab ipſius naturæ & arbitrii authore, qui eam facultatem nobis contulit. Ecce (dixit) quomodò concedit eſſe aliquid quod non eſt à Deo, & hanc laudem, locum, & induſtriam dat Molina libero arbitrio, & non Deo.

a *Edit. Antuerp. pag. 328.*

Ad hæc reſpondebat Valentia: quòd ſecundùm conſiderationem non erat à Deo; at verò Molina nullam realitatem, nullamque formalitatem agnoſcebat in illo actu, quæ à Deo non eſſet, ut ipſe Molina alibì fatebatur. Et legit locum ubì dicebat, nihil eſſe reale vel formale in illo actu, quod non eſſet ex Deo. Hæc cum vellet P. Lemos rejicere, finità Diſputatione exivimus, licet ſuprà præmiſerat, quòd nihil eſt in rebus, nec ens, nec modus, vel conditio entis, quod à Deo non ſit, ſub quâlibet conſideratione conſideretur & percipiatur.

Cæterùm notandum eſt, quòd in omnibus quinque Congregationibus præcedentibus, ſolùm adfuere duo Illuſtriſſimi Cardinales aſſiſtentes Sanctiſſimo; ſed in poſterum viſum fuit Sanctitati ſuæ etiam vocare omnes illuſtriſſimos & Reverendiſſimos Cardinales Generales Inquiſitores, qui tunc erant in numero ſex: videlicet

Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus D. Cardinalis Pinellus.

Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus D. Cardinalis Aſculanus.

Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus D. Cardinalis ſanctæ Cæciliæ *

* *Paulus Æmilius Sfondratus*

Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus D. Cardinalis Burgheſius.

Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus D. Cardinalis Arrigonius.

Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus D. Cardinalis d'Avila.

Hi omnes præſentes deindè fuerunt in ſequentibus omnibus Congregationibus & Diſputationibus.

CONGREG.

Digitized by Google

CONGREGATIO VI.

CORAM CLEMENTE VIII.

In quâ quinta Molinæ Propoſitio fuit diſcuſſa; nempè hominem ſine gratiâ talem de peccatis, non tantùm attritionem, ſed & contritionem naturalem elicere poſſe, quæ propoſitum non ampliùs peccandi lethaliter includant.

Hæc Congregatio habita eſt coram Sanctiſſimo die 6. Auguſti anno 1602.

Vide Hiſt. Congr. de Auxil. l. 3. c. 11. col. 420. & ſeq.

a *Diſp. 14. memb. 1. in principio & §. Ratio verò.*

b Circà hãc propoſitionem vide S. Gregor. L. 1. in Ezech. tom. 10. in fine.

c *Edit. Antuerp. pag. 54.*

IN hâc Congregatione fuerunt præſentes omnes prædicti Cardinales Inquiſitores. In eâque ventilata eſt illa Propoſitio Molinæ quæ ſic habet. a *Negari non poteſt complurium eſſe Scholaſticorum ſententiam, liberum noſtrum arbitrium cum ſolo concurſu generali Dei elicere poſſe non ſolùm actum attritionis naturalem, id eſt, dolorem de peccatis ex Dei timore, cum propoſito ampliùs non peccandi lethaliter; ſed etiam actum contritionis naturalem, qui idem propoſitum ampliùs non peccandi lethaliter includit.* b

Circà quam propoſitionem incepit P. Valentia, multa in defenſionem illius proponendo. 1°. Dixit hanc probabilem eſſe ſententiam Scholaſticorum, & hoc tantùm dicere Molinam; quod oſtendere conabatur, legendo verba Molinæ *ex diſp. 14. memb. 4. in fine* illis verbis: c *utrùm autem contraria, quæ hodiè in Scholis apud varias orbis Provincias communis aſſeritur, ſit nihilominùs potiùs amplectenda, & ex quo capite; jactis priùs neceſſariis ad id fundamentis, dicetur inferiùs commodiùs de eâ.* Deindè magnam partem temporis conſumpſit Valentia in legendo Scholaſticos, qui illam defendebant propoſitionem, & præcipuè legit S. Thomam *in 4. diſt. 17. q. 2. art. 1. ad 6.* cujus verba ſunt: *ad Sextum dicendum quòd contritio, quòad formam quâ informatur, eſt à ſolo Deo, quòad ſubſtantiam autem actûs, eſt à Deo & libero arbitrio, qui operatur in omnibus operibus naturæ & voluntatis.* Et ex hoc inferebat P. Valentia, quòd ſicut in operibus naturæ concurrit concurſu generali naturali; ità cum voluntate ad producendum contritionis ſubſtantiã, concurrat etiam generali & naturali concurſu. Alium etiam citavit locum S. Thomæ *ex 2. Sent. diſt. 5. q. 2. art. 1.* ubì ſic dicit; *& ideò aliter dicendum eſt, quòd ad eliciendum actum converſionis ſufficit liberum arbitrium, quod ſe ad habendum gratiam per hunc actum præparat, & diſponit.* Circà quem locum dicebat Valentia, quòd licèt ſanctus Thomas retractaverit hanc ſententiam in primâ ſecundæ, quòad id, quòd ille actus elicitus à libero arbitrio fit præparatio ad gratiam; tamèn quòad id quod liberum arbitrium ad illud eliciendum ſufficiat, non invenitur retractata. Alium etiam tertium locum adhibuit ex S. Thomâ, & alium ex S. Auguſtino, in quo dicebat naturale eſſe homini pœnitere de peccato, ut eſt offenſivum Dei. Deindè alios Scholaſticos Doctores adhibuit, ut Cajetanum, Scotum, & ſimiles, qui admittebant contritionem naturalem naturæ viribus haberi poſſe. Prætereà adhibuit confeſſionem Auguſtanam, in quâ hæretici damnabant Scholaſticos Doctores tanquam Pelagianos, quià dicebant poſſe hominem naturæ viribus habere hanc contritionem; undè damnare hanc contritionem eſt favere nimis hæreticis illis, & approbare quæ contrà Scholaſticos protulere, eſſetque infirmare authoritatem Scholaſticorum contrà hæreticos: eſt enim unus modus arguendi contrà

falſitatem ex authoritate Scholaſticorum. Hæc in ſubſtantiâ videtur dixiſſe P. Valentia.

Statìm P. Lemos dixit: quià Pater Valentia inter multa quæ in defenſionem Molinæ protulit, ex quibus ferè totum tempus, prò diſputatione præfixum, conſumpſit, hoc unum dixit non eſſe Molinæ ſententiam iſtam nunc de contritione relatam; oportet manifeſtare primò quomodò illam Molina aſſertivè defendat: & ſimul oſtendam modos quibus illam aſſerat. Molina ipſe in §. *fortè mirabitur* a addito ad *diſp. 19.* in ſecundâ impreſſione Antuerpiæ, fatetur ſuam ſententiam eſſe: & legens locum ipſum, notavit qualiter Molina in illo fatebatur ſe illam ſententiam tenuiſſe in illo loco, in quo dicebat illam ſe non tenere. Admonebat enìm Lectorem, ut diligentiùs adverteret quæ ibì dixiſſet, & inveniret ſe ibì illam ſententiam ſicut ſuam propriam defendere; undè ipſe Molina fatetur ſuo proprio ore, ſe hominem eſſe, qui aliud exterioribus verbis, aliud verò re, profeſſione, ſententiâ teneat. Et propterea jam ſic coràm Sanctitate veſtrâ dixi, quod contrà Semipelagianos, qui idem faciebant, re aliud, & aliud verbis conſtituentes, ut ſe occultarent, dicebat S. Proſper *Carm. de ingratis cap. 28.*

a Memb. 6. pag. 81. col. 2.

Quid prodeſt verbis commentum Pelagianum
Reſpuere, & ſolâ damnatos plectere voce?
Cùm paucis ſqualidâ ſublatis de cute nervis
Intima viperei foveâtur viſcera ſensûs.

Inſuper Molina in illo loco, ubì dicit ſe non tenere illam ſententiam, hoc omninò dicit. Hæc legens *diſp. 19. memb. 6. in principio*, in ipſo loco notavit primò, quòd Molina illam ſententiam de contritione, quam in *diſp. 14.* dixerat eſſe communem Scholaſticorum, & ità communem, ut præter duos, Canum videlicet & Sotum, nullum viderit antiquiorem qui illam non defendat; in hâc tamen *diſp. 19.* affirmabat reputari minùs tutam in Scholis variis & Provinciis, nec eſſe illis communem. Quomodò ergò iſta ſibi contraria & repugnantia dicit? niſi quià in *diſp. 14.* non eſt auſus hanc minùs tutam doctrinam à principio proponere, ſed illam antiquitatis velamine cooperuit. At in *diſp. 19.* tandem ſe aperit, & publicat illam doctrinam minùs tutam cenſeri. Deindè ipſe Molina in hoc eodem §. concedit expreſsè doctrinam illam eſſe novam, nec debuiſſe ſilere quæ de novo ſibi offerebantur, ſi fortè decurſu temporis ab aliis reciperentur. Et poſteà videns in ſecundâ Impreſſione, quòd, ut nova ſolent, jam à multis doctrina talis recipiebatur, jam expreſsè ſuam fatetur, & ſe authorem illius profitetur. Præterea Molina ipſe hâc utitur arte aliâ, ut poſtquàm à *diſp. 15.* uſque ad *19.* nihil aliud fecit, niſi urgentiſſimis, ut ſibi videtur, rationibus fundare, poſſe hominem ſine aliquo adjutorio gratiæ, ſolis naturæ viribus habere talem contritionem, dilectionem Dei ſuper omnia, & poſſe reſiſtere cuicunque gravi vehementiorique tentationi, in ipsâ *diſp. 19. memb. 6. in principio* dicit, quòd omnia iſta magìs ut diſputata quàm ut aſſerta à ſe habeantur: imitatus in hoc aſtutiam Eraſmi, qui poſtquàm multis rationibus probarat, non poſſe licitè Principes Chriſtianos contrà inimicos fidei bella gerere: poſteà ut ſe occultaret, in fine aït: *hæc autem non tàm pro aſſertis quàm pro diſputatis haberi volumus.* Quæ ſunt ipſiſſima verba Molinæ. Et tandem Molina dicit in hoc §. iſtam ſententiam eſſe probabilem, & non ſub nomine proprio, ſed ſub nomine probabilitatis illam proponit: quæ eſt antiqua conſuetudo eorum qui à principio falſas doctrinas in Eccleſias intromittunt, ut non ſtatìm à principio dicant illam eſſe ſuam, ſed eſſe aliorum, & eſſe probabilem; & poſteà videntes quòd placet, vel recipitur jam publicè, ſuam oſtentant. Sic fecit Celeſtius, magnus ille Pelagii ſocius, de quo ſic refert ſanctus Auguſtinus

L. 2.

a Tom. 10. num. 3. col. 254. *L. 2. de peccato orig. cap. 4.* a Celeſtius dixit: *jàm de traduce peccati dixi, quià intrà Catholicam conſtitutos plures audivi deſtruere, nec-non & alios aſtruere; licèt quæſtionis res ſit iſta, non hæreſis.* Cui reſpondit ſanctus Auguſtinus, ejus malitiam aperiendam & aſtutiam, quod *cap. 23. ejuſdem Libri* fecit his verbis: b *Quapropter poſt multa, quæ adversùs iſtum errorem inimicum gratiæ Dei, quam per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum puſillis magniſque largitur, ſcribendo diſputare potuimus: nunc illud oportet excutere, quòd, volentes hæreſeos aſtutè invidiam declinare, aſſerunt,* iſtam præter fidei periculum eſſe quæſtionem: *ut videlicet ſi in eâ fuerint exorbitaſſe convicti, non criminaliter, ſed quaſi civiliter erraſſe videantur.*

b Ibid. num. 26. col. 263.

Jam ergò conſtat apertè ſententiam Molinæ eſſe iſtam, & iſta ſunt tegumenta & velamina, iſtæ ſunt umbræ, quibus ſe Molina protegere conatur. Quid autem ipſe ſentiat de contritione quam naturæ viribus tribuit, manifeſtat *diſp. 14. memb. 1. §. ratio verò.* c Et ipſum legens locum, notavit P. Lemos quibus circumſtantiis & conditionibus afficiebat illam contritionem, quam naturæ viribus dabat. Et quià in fine illius §. dicebat Molina, quòd præfata contritio à ſe explicata erat inſufficiens ad ſalutem, eò quòd peculiari impulſu Spiritûs ſancti excitata non erat; interrogavit P. Valentiam ipſe P. Thomas. Iſta contritio ſic explicata & veſtita, ſicut illam conſtituit Molina, eſt-ne ſufficiens & utilis ad ſalutem; vel potiùs, eſt-nè inutilis & inſufficiens? Cui reſpondit Valentia: eſt inſufficiens, ut hìc ait ipſe Molina. Tunc P. Thomas: contrarium omninò docet Concilium Tridentinum. Definit enìm hanc eandem contritionem eſſe utilem ad ſalutem, & præparare ad gratiam. Et videtur Concilium vidiſſe hanc ſententiam Molinæ, quià illum eundem actum, eiſdem conditionibus veſtitum quem Molina conſtituit, & verbis ſolùm dicit eſſe inſufficientem ad ſalutem, Concilium definit eſſe ad ſalutem utilem, & præparare ad gratiam. Quam Concilii definitionem ignorare Molina non potuit, cùm per triginta annos, ut dicunt, Scholas rexerit. Et tunc P. Lemos legens *canonem 5. ſeſſ. 14.* oſtendit eundem actum, quem Molina naturæ viribus adſcribebat, Concilium definire, eſſe diſpoſitionem ad gratiam, & ex conſequenti naturæ viribus non haberi. Immò idem Concilium *eâdem ſeſſ. 14. cap. 15.* præmiſerat non ſolùm contritionem, ſed etiàm attritionem, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ, eſſe Spiritûs ſancti donum. Sed Molina & PP. Societatis ideò dicunt contritionem à ſe aſſignatam non eſſe utilem ad ſalutem, quia non fit prout ad ſalutem oportet; & ideò, aiunt, non fit prout ad ſalutem oportet, quià non eſt excitata à Spiritu ſancto.

c Edit. Antuerp. pag. 45. col. 2.

Secundùm quam explicationem, cùm Paulus ait: a *nemo poteſt dicere Dominus Jeſus, niſi in Spiritu ſancto;* ſenſus eſt, quòd nemo poteſt dicere *Dominus Jeſus* prout ad ſalutem oportet, id eſt, ex Spiritu ſancto, niſi ex Spiritu ſancto: quæ eſſet nugatoria & impertinens repetitio, quæ longè eſt ab Apoſtolo. Iſte ergò locus Apoſtoli omninò tollit has explicationes: & ſenſus eſt, quòd nemo poteſt dicere *Dominus Jeſus*, devotè invocando, abſolutè, ſimpliciter, & ſine dilectione, niſi in Spiritu ſancto; quià ille actus à ſolâ illâ causâ procedit, & ſola illa cauſa poteſt producere actum illum. Et eodem modo quandò Concilium Tridentinum *Seſſ. 6. can. 3.* definit neminem poſſe credere, ſperare, diligere, ac pœnitere prout ad ſalutem oportet niſi adjutorio & inſpiratione divinâ: non fit ſenſus nugatorius quem PP. Societatis dicunt, videlicèt, neminem poſſe illa opera facere prout ad ſalutem oportet, id eſt, ex Spiritu ſancto, niſi ex Spiritu ſancto. Quis enìm hoc dicat? Vel quis ſic Concilium declarare putet? Non igitur iſte eſt ſenſus: ſed ſenſus eſt neminem poſſe ſine adjutorio Dei credere, ſperare, diligere ac pœnitere prout ad ſalutem oportet; id eſt,

a 1. Cor. 12. 3.

id eſt, cum modis intrinſecis illorum actuum, niſi ex Dei adjutorio. Modus autem intrinſecus credendi eſt, credere omnibus revelatis tanquam revelatis, & quià revelata ſunt. Modus dilectioni Dei debitus eſt, ut diligatur ſuper omnia. Modus intrinſecus pœnitendi, qui proindè fit prout ad ſalutem oportet, eſt ille quem ipſum Concilium poſteà explicavit, cùm videlicet aliquis de peccato dolet, cum ſpe veniæ, & propoſito ampliùs non peccandi. Undè ipſum Concilium id quod dixerat *ſeſſ. 6.* videlicet, pœnitere prout ad ſalutem oportet, explicavit *ſeſſ. 14.* ponendo in actu pœnitentis illas conditiones, cum quibus fit prout ad ſalutem oportet. Et propterea addit Concilium illam particulam, *prout ad ſalutem oportet*, quæ explicat prædictos modos, ad diſtinguendum contrà alios modos extrinſecos illorum actuum, cum quibus actus illi non fiunt prout ad ſalutem oportet. Videlicèt, cùm quis credit uni articulo fidei, non verò omnibus, ſicut credit hæreticus. Cùm aliquis ſperat non ſperanda. Cùm aliquis diligit Deum propter commoditatem temporalem. Cùm aliquis pœnitet pœnitentiâ Antiochi. Iſti omnes actus non ſunt prout ad ſalutem oportet. At verò actus pœnitentis, qui eſt de bono objecto propter bonum finem, nullâ malâ circumſtantiâ veſtitus, ſicut eſt dolere de peccatis cum ſpe veniæ, & propoſito non ampliùs peccandi, ſemper eſt pius, & pertinens ad ſalutem. Et ratio Theologica hoc convincit. Nàm principium eſt communiter apud omnes receptum, non poſſe eſſe hominem perfectè converſum in Deum authorem naturæ, & averſum à Deo authore gratiæ; quià cùm ſit unus & idem Deus author naturæ & gratiæ, non poteſt eſſe amicus illius ſecundùm unam rationem, & inimicus ſecundùm aliam: ſed per contritionem naturalem provenientem ex dilectione Dei authoris naturæ ſuper omnia, perfectè eſt converſus homo in Deum authorem naturæ: ergò non poteſt eſſe averſus à Deo authore gratiæ; & ſic debet habere gratiam. Undè gratia talis debetur ſecundùm priora merita.

Nec Scholaſtici contrarium hujus dicunt. Jam enim aliàs dixi coràm veſtrâ Sanctitate, id quod modò repetendum non eſt, Scholaſticos non conſtituere contritionem naturalem perfectam, ſicut Molina ponit, ſed admittere quemdam dolorem imperfectum, & qui magìs ad velleitatem, quàm ad actum abſolutum pertineat.

Sed potiſſimè mirum eſt quòd adducant PP. Societatis S. Thomam *in 4. ſol. ad 6.* Verba ejus ſunt: *ad ſextum dicendum, quòd contritio quantùm ad formam quâ informatur, eſt à Deo: quantùm verò ad ſubſtantiam actûs, eſt à libero arbitrio, & à Deo qui operatur in operibus naturæ & voluntatis.*

Cùm hæc dixiſſet Pater Lemos, multi ex Cenſoribus dixerunt, quòd S. Thomas dicebat *in operibus naturæ & gratiæ.* Quibus reſpondit prædictus P. Lemos: tantò meliùs ſi dicit, *naturæ & gratiæ.* Et proſecutus ſic dixit: in iſto loco S. Thomas loquitur de contritione, quæ eſt diſpoſitio ad gratiam, ut patet ex contextu, quod PP. Societatis non negabunt; ſed contritio, quæ eſt diſpoſitio ad gratiam, eſt contritio in ſubſtantiâ & eſſentiâ ſupernaturalis: nàm contritio naturalis, etiàm fatentibus PP. Societatis, nullo modo diſponit ad gratiam: ergò de contritione ſupernaturali, & non de hâc naturali, loquitur ſanctus Thomas. Quomodò ergò adducitur pro hâc contritione naturali? Et de contritione ſupernaturali dicit in illo loco tria. Primum eſt, quòd illa contritio quòad formam quâ informatur, id eſt, quòad gratiam, eſt à ſolo Deo; quià ſolus Deus eſt cauſa principalis gratiæ. Secundò dicit, quòd quòad ſubſtantiam actûs, eſt à Deo & libero arbitrio: quod rectiſſimum eſt, quià eſt actus vitalis, undè à libero arbitrio debet eſſe, & non ſolùm à Deo: qui Deus, inquit S. Thomas, *operatur in operibus naturæ & voluntatis.* Ex hoc autem undè infertur quòd eodem modo

modo concurrat, & eodem concurſu naturali, utrobique? Nam ſententia S. Thomæ eſt *1. p. q. 83. art. 1.*, quòd Deus eſt cauſa prima movens omnes cauſas naturales & voluntarias: undè ſicut movendo cauſas naturales, non tollit quìn effectus earum ſint naturales: ità movendo cauſas voluntarias, non tollit quìn effectus earum ſint voluntarii; ſed hoc potiùs in eas efficit: operatur enìm in quolibet juxtà propriam naturam cujuſque. Undè cum contritione ſupernaturali diſponente ad gratiam, de quâ ibì agebat S. Thomas ut dictum eſt, docet quòd concurſu ſupernaturali proportionato Deus concurrat, ſed P. Valentia reſpondeat ad Concilium.

Ipſe autem Valentia dixit, ſe velle reſpondere ad omnia. Et incipiens iterùm legit locum D. Thomæ in 2d. *diſt. 5.* Cui P. Lemos dixit: omnes ſciunt quòd S. Thomas in illo loco ſolùm excludit aliud habituale donum neceſſarium ad producendum contritionem, non autem donum actuale; immò hoc admittit *ſolutione ad 2. ſive ad 4.* Cui reſpondit Valentia, hoc eſt in alio loco. Cui P. Lemos: ſive in iſto, ſive in alio, jam confeſſus es quòd id dicat S. Thomas. Nec ſanctus Thomas dicit, quòd liberum arbitrium ſe ſolo ſufficiat, ſinè aliquo auxilio gratiæ, ad producendam contritionem.

Tunc Generalis Societatis interrogavit P. Lemos, an ipſe admitteret poſſe hominem ſine auxilio gratiæ præparare ſe ad gratiam? Cui P. Lemos: non poteſt; immò de hoc damnatur Molina, quià reipſâ admittit. Tunc ſic argumentatus eſt P. Generalis Societatis: non poteſt homo ſine auxilio gratiæ ſe ad gratiam præparare; ſed liberum arbitrium ſecundùm S. Thomam eſt ſufficiens producere actum contritionis; ergò illa eſt contritio naturalis non diſponens ad gratiam. Tunc P. Thomas inclinans coràm ſuâ Sanctitate dixit: ego hìc non facio officium reſpondentis. Si tamen veſtra Sanctitas præcipit, reſpondebo. Et obtentâ licentiâ, cùm incepiſſet reſumere majorem, dixit Generalis: non eſt iſta major. Tunc P. Lemos audivit ut proponeret. Et P. Rada, & Generalis S. Dominici dixerunt: nego minorem; & P. Lemos negavit ſimul minorem. Generalis Societatis dixit, quòd erat expreſſa S. Thomæ in loco citato ex Sententiis. Cui dixit iterùm P. Lemos: jam dixi quòd S. Thomas non dicit quòd liberum arbitrium ſit ſe ſolo ſufficiens ad producendum illum actum, & quòd ſolùm excludit aliud donum habituale, non autem donum actuale. Immò illud admittit in ſolutionibus argumentorum. Et ſic intelligit S. Thomas liberum arbitrium eſſe ſufficiens ad producendum illum actum, adjutum tamen Dei auxilio: ſicut ſæpiùs S. Auguſtinus liberum arbitrium poſſe vitare peccatum docuit, adjutum tamen Dei gratiâ.

Tunc iterùm P. Valentia voluit relegere illum locum S. Thomæ in quartum Sententiarum jam citatum: & cùm inveniſſet, dixit P. Lemos: ego dicam verba illius. Sic dicit: *ad quartum dicendum.....* tunc dixit P. Valentia: non eſt niſi ad ſextum. Cui P. Lemos: ſive ad quartum, ſive ad ſextum, verba ſunt: *contritio quòad formam à quâ informatur, eſt à ſolo Deo; quòad ſubſtantiam autem actûs, eſt & à libero arbitrio, & à Deo, qui operatur in operibus naturæ & voluntatis.* Tunc dixit Generalis Societatis: non dicit *gratiæ*, ſed, *voluntatis.* Cui P. Lemos: iſti Patres ſunt, qui dixerunt *gratiæ*, ego enìm *voluntatis* dixi.

Illicò P. Valentia incepit reſpondere ad omnia ità diffuſè, ut nunquam finiret. Cui P. Lemos iterùm dixit: reſpondeat ad Concilium. Inter ea autem quæ reſpondebat P. Valentia ad Concilium, dixit: Molinam dicere noviter, & non nova, quod erat licitum, juxtà regulam Lirinenſis. Dixit etiam quòd Molina non dicebat eſſe idem, aliquem actum eſſe prout ad ſalutem oportet, & eſſe ex Spiritu ſancto, licèt unum benè inferatur ex alio: quòd ſi eſt prout ad ſalutem oportet,

tet, eſt ex Spiritu ſancto. Dixit præterea, quòd Concilium *in ſeſſ.14.can. 5.* loquebatur de contritione piâ, quæ ſupponit fidem; non autem de illâ loquebatur Molina. Dixit præterea, quòd *cap. 4. ejuſd. ſeſſ.* docebat illam attritionem eſſe donum Dei propter ſpem veniæ. Cui dixit Generalis S. Dominici: & propter propoſitum non peccandi; propter utrumque enim dicit Concilium eſſe Dei donum. Et cùm diceret P. Valentia Concilium loqui de contritione piâ, Sanctiſſimus dixit: *illa contritio cum illis circumſtantiis eſt fructuoſa, ergò ſi Molina ponit illam, ponit fructuoſam: & hoc eſt quod dixit Pater qui adduxit Concilium.* Suæ Sanctitati reſpondit P. Valentia: dupliciter poteſt eſſe fructuoſa illa contritio; altero modo ad vitam & ſalutem, alio modo moraliter. Cui dixit ſua Sanctitas: *non ſum ità ignorans, ut non intelligam, quòd vultis illam eſſe fructuoſam, ſicut comedere, & colere vineam.* Poſt hæc proſecutus P. Valentia, tandem finivit.

Tunc P. Thomas de Lemos, quià jam hora finita erat, dixit: ſummâ brevitate ego dicam. Dixit P. Valentia Molinam non dicere nova ſed noviter. Ecce tamen Molina dicit: *dico nova.* Et legens locum dixit: ergò non ait *noviter.* Secundò dixit Valentia illam contritionem quam Molina conſtituit, non eſſe piam & ex fide. Jam autem idem Valentia confeſſus eſt in Congregationibus præcedentibus Pelagianos reipsâ poſuiſſe operationes pias ex fide, & tamen verbis negaſſe. Quod facit Molina. Tunc ille: ego nunquàm dixi hoc conceſſiſſe Molinam. Tunc P. Thomas: dixiſti, & habetur in Actis. Tunc Generalis Societatis dicit: vidiſti tu Acta? Cui P. Thomas: fuit hìc Actum publicum, & quod hìc agitur ſcribitur in Actis. Ad Acta me remitto, ſi jam id confeſſus eſt. Præterea dixit: quòd Concilium definiebat illam attritionem eſſe donum Dei propter ſpem veniæ; ſed Molina ponit contritionem cum ſpe veniæ, ut patet; & illicò legit §. *ratio verò*, a & expendit quomodò apertè conſtituebat hominem habere illam contritionem cum ſpe veniæ. Undè ſubintulit Pater Thomas: ergò Molina apertè contradicit Concilio.

a *Diſp. 14. membr. 1. edit. Ant. p. 45. col. 2.*

Reſpondit P. Valentia: illam eſſe ſpem moralem. Cui P. Thomas: dicit eſſe ſpem exortam ex fide ſupernaturali, ut patet: Et legit quomodò id dicebat Molina; ſed fides ſupernaturalis eſt quæ docet hominem pœnitentem poſſe conſequi veniam; ergò ex iſtâ ſpe movetur ad illam contritionem. Et tandem oſtendit locum irrefragabilem in Molinâ, ubì dicit hominem ſe ſolo facere opus prout ad ſalutem oportet ſalutare & pium. Et legens §. *illud tamen*, b expendit quomodò Molina in illo dicebat *quòd excitatus homo timore ſervili ad dolendum de peccatis, ipſe intuebatur divinam bonitatem, & recipiebat affectum amoris ſupernaturalis.* Quem cùm legiſſet, Patres Societatis vix volebant audire, in tantùm quòd Sanctiſſimus præcepit ut audirent.

b *Diſp. 14. membr. 5. edit. Ant. p. 56. col. 2.*

Tunc ait P. Thomas: dicit Molina quòd Deus tantùm excitat ad timorem, & homo ſeipſum excitat & movet ad amorem, & ſic movendo ſe ad amorem, recipit amorem ſupernaturalem Dei, & contritionem ſupernaturalem, & juſtificatur. Tunc reſpondit Generalis Societatis: non dicit Molina quòd ſolùm Deus moveat ad dolorem propter pœnas Inferni. Cui Pater Thomas: immò hoc dicit æquivalentibus verbis; quià dicit quòd Deus movet per timorem ſervilem: timor autem ſervilis ſolùm movet ad dolorem propter pœnas Inferni: homo ergò excitatus ſolùm ad timorem ſervilem, ex ſeipſo intuetur Dei bonitatem, juxtà Molinam, & ſe movet ad amorem.

Tunc dixit P. Valentia: dicit Molina quòd recipit à Deo amorem ſupernaturalem, & contritionem. Cui P. Thomas: ità eſt. Sed illud recipit, poſtquàm ipſe homo ex ſe & ſine Deo incepit inſpicere bonitatem divinam;

Digitized by Google

divinam; & ſic incipit, & Deus conſummat: quæ eſt ipſa hæreſis Pelagiana. Tunc paucis dictis à P. Valentiâ, quæ nihil ad rem faciebant, Generalis S. Dominici voluit oſtendere locum alium; ſed Sanctiſſimus, quià jam per tres horas duraverat Diſputatio, noluit quòd aliud diceretur; & ſic finita eſt Diſputatio.

CONGREGATIO VII.

CORAM CLEMENTE VIII.

In quâ, Sexta Molinæ Propoſitio agitata fuit; nimirùm hominem ſolis naturæ viribus poſſe abſolutum & merè naturalem, ſed non juſtificantem dilectionis Dei ſuper omnia actum elicere, & propoſitum abſolutum omnia in genere præcepta ſervandi.

Hæc Congregatio habita coram Sanctiſſimo die 19. Auguſti anni 1602. præſetibus omnibus Cardinalibus Inquiſitoribus priùs relatis.

Propoſitio de quâ tunc agebatur erat: Homo lapſus abſq; aliquo auxilio gratiæ ſolis ſuæ naturæ viribus poſſet diligere Deum dilectione naturali ſuper omnia.

Videatur S. Gregorius Homil. 10. in Ezechiel. ſuprà citatâ.

Vide Hiſt. Congr. de Auxil. l. 3. c. 12. col. 423. & ſeq.

IN principio hujus Congregationis Sanctiſſimus hortatus eſt omnes, ut omninò inquirendæ veritatis, & cum charitate & pace res tractarentur, ſicut decebat duos præcipuos Ordines Dominicanorum & Jeſuitarum. Deindè ſecundò dixit: quòd à principio ipſe præceperat, & propoſuerat Dubium: *quis majores vires libero arbitrio tribuat, an ſanctus Auguſtinus, an Molina?* Et quòd Patres Societatis Reſpondentes dixerant, quòd æquales dabat vires Molina ſicut Auguſtinus. Et quòd poſteà deſcendit ad particulares Concluſiones deductas ex Molinâ, ut oſtenderent loca S. Auguſtini, ubì illas docebat; ſed quòd P. Valentia ſtatìm adduxerat Scholaſticos, cùm tamen de mente duntaxàt S. Auguſtini præcepiſſet tractandum. Tertiò Sanctiſſimus dixit quòd *Molina ponebat actus perfectos naturales, & morales, & ſupremos, ſive heroïcos, ſicut ſunt dolere de peccatis cum propoſito abſoluto ampliùs non peccandi, & diligere Deum ſuper omnia. In quibus videtur conſtituere liberum arbitrium ſanum & non infirmum. Sicut enim ſi nullum opus morale facilè poſſet facere liberum arbitrium, videretur extinctum; ità ſi nullum eſt opus morale, etiam difficillimum, quod homo viribus ſuis facere non poſſit, conſtituitur hoc liberum arbitrium integrum & ſanum. Sanctus Auguſtinus autem ait, ut Doctores dicunt, poſſe liberum arbitrium facere aliquà opera facilia pertinentia ad præſentem vitam, ut colere agros, plantare vineas, & his ſimilia: non verò alia difficiliora.* Dixit etiam Sanctiſſimus, *quòd ab omnibus Doctoribus comparabatur homo in ſtatu naturæ lapſæ, & naturæ integræ, ſicut homo infirmus & ſanus. Undè ſicut homo infirmus de quartanâ V. G.* non puol correr la poſta, *ſicut homo ſanus, quià caderet:* ità &c. Et deſcendens ad dilectionem Dei ſuper omnia, de quâ erat præſens controverſia, dixit Sanctiſſimus: *quòd ſi homo ſic poteſt diligere Deum propriis viribus, videtur quòd infirmus non ſit, nec aliquod peccatum mortale habeat, quià diligit Deum ſuper omnia, & ſic nihil anteponit Deo. Molina autem dicit, quòd non eſt ille actus efficax, quià cadet poſteà. Etiàm qui habet charitatem ſupernaturalem, non habebit efficacem, quià cadet poſteà. Immò primus homo in ſtatu naturæ integræ conſequenter non habuit dilectionem Dei ſuper omnia, quià cecidit.* Et addidit Sanctiſſimus: *quòd Molina, non ſolùm iſtum actum naturalem, ſed & ipſam*

gratiam vult eſſe efficacem ; vel potiùs non eſſe efficacem dependenter à libero arbitrio : ità ut liberum arbitrium faciat gratiam vel dilectionem efficacem.

Ad hæc reſpondit P. Valentia, concedendo nullum actum ex adductis fuiſſe efficacem. Aſſignavit tamen quandam differentiam ; quòd videlicet homo in ſtatu naturæ integræ poterat perſeverare cum illâ gratiâ, & non perſeverando reddidit illam inefficacem : at verò homo lapſus cum illâ dilectione non poteſt perſeverare ſine alio auxilio. Et tunc Sanctiſſimus dixit : *Molina etiam vult, quòd donum perſeverantiæ non habeatur ex Deo, ſed quòd homo faciat gratiam eſſe perſeverantem.* Tunc P. Lemos, ſimiliter ſe inclinando dixit : hoc de dono perſeverantiæ tangit aliam graviorem difficultatem. Si veſtra Sanctitas præcipit, diſputetur difficultas præſens. Tunc Sanctiſſimo permittente

Incepit P. Valentia, ex more legens primò propoſitionem Molinæ de quâ erat controverſia, ex *diſp. 14. memb. 3. §. duo quædam*, hoc modo : a *duo quædam colligere licet ex dictis toto hoc membro. Primum eſt, immeritò ex doctrinâ D. Thomæ articulo tertio citato, adversùs eundem in quarto loco membro 1°. citato, communemque Scholaſticorum ſententiam inferri, elici non poſſe ſolis viribus naturalibus arbitrii noſtri, & concurſu generali Dei actum abſolutum merè naturalem dilectionis Dei ſuper omnia, qui ad juſtificationem nequaquàm ſufficiat, & pari ratione propoſitum abſolutum ſervandi in genere præcepta omnia præſertim quandò occaſiones & difficultates omnes abſunt, quod ad attritionem & contritionem quoad ſubſtantiam actûs ſit ſufficiens.* Quâ lectâ propoſitione ſubintulit : quòd contrà hanc propoſitionem objiciebantur à PP. Dominicanis tria loca S. Auguſtini. Videlicèt ex *Libro 4. contrà Julian cap. 3. in fine.* Ex *Lib. 2. contra duas epiſt. Pelagg. cap. 9.* Et ex *Lib. de grat. & lib. arb. cap. 9.* : quibus ſimiliter relatis & relectis, dicebat in primis propoſitionem illam non eſſe aſſertam à Molinâ ex propriâ ſententiâ, ſed ex communi Theologorum, & tanquàm de mente S. Thomæ. Deindè affirmabat Valentia, illa loca S. Auguſtini contrà hanc Molinæ ſententiam non procedere ; quià in illis S. Auguſtinus damnabat contrà Pelagianos non poſſe naturæ ſolius viribus ſine Dei auxilio elici ab homine dilectionem Dei ſuper omnia, quæ eſſet pia, religioſa, & efficax, ità ut includeret obſervantiam omnium mandatorum : quæ dilectio manifeſtè colligebatur ex Apoſtolo dicente : a *finis præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ.* Iſta charitas, dicebat Valentia, non habetur ſine auxilio gratiæ ; at verò dilectio quam conſtituit Molina, eſt in homine cum peccato mortali, nec eſt de corde puro, conſcientiâ bonâ, & verâ fide : undè nec eſt pia, nec religioſa, nec efficax ; & ſic haberi poteſt naturæ viribus, nec aliquo modo à S. Auguſtino damnatur. Immò hæc Molinæ ſententia habetur, ut dicebat, à pluſquam 30. Scholaſticis, qui optimè intellexerunt mentem S. Auguſtini. Et illos oportebat adduci ut appareret de mente S. Auguſtini. Et incipiens Scholaſticos legere, primò legit aliquos ex Thomiſtis, videlicèt Cajetanum, Soto, Bannez, & quemdam alium Inquiſitorem ex familiâ Dominicanâ. Legit etiàm S. Thomam *2. 2. q. 171. art. 1.* dicentem quantùm ad ſubſtantiam actûs, Dei dilectionem non excedere naturam, ſed quoad modum. Alia etiam duo loca adduxit ex eodem S. Thomâ in *quodlibetis*, ubì dicebat, quòd propter ſimilitudinem dilectionis Dei naturalis cum ſupernaturali, neſciebat homo an eſſet ſupernaturalis, vel naturalis. Ex quo inferebat, quòd ſimilitudo eſt in dilectione Dei ſuper omnia ; aliàs ſi non eſſet ſuper omnia, non eſſet ità ſimilis, ut una ab aliâ non poſſet facilè ſecerni. Legit etiam Albertum Magnum, Scotum, Henricum, & alios, qui dicebant hominem poſſe diligere Deum dilectione naturali ſuper omnia.

a Edit. Antuerp. pag. 50. col. 2.

a 1. Tim. 1. 5.

Videns

Videns autem ipſe Valentia, quòd expreſsè S. Thomas *1. 2. q. 109. art. 3.* docebat non poſſe hominem in naturâ lapsâ ſolis naturæ viribus diligere Deum naturaliter ſuper omnia, ſimùl cum Molinâ conabatur ipſum interpretari de dilectione efficaci, non autem de inefficaci. Et idem dicebat de Cajetano & Soto, quos in aliis locis, immò in iiſdem quæ adducebat, agnoſcebat negare talem dilectionem Dei ſuper omnia naturæ viribus in naturâ lapsâ. Et explicans quænam eſſet illa dilectio efficax, quæ viribus naturæ non habebatur, dicebat eſſe dilectionem Dei ſuper omnia ſimpliciter, id eſt, ſuper omnia ſecundùm quod erat à parte rei, ſecundùm ſuum eſſe reale, in quibuslibèt gravibus & difficillimis occaſionibus, & non ſolùm ſecundùm quod erat ſuper omnia excogitata. Et hanc dilectionem negabat Molina, quià dicebat quòd in gravibus occaſionibus illam habere non poterat homo ſolis ſuæ naturæ viribus. Et in hoc ſubſtantialiter perſiſtebat Valentia, in hâc videlicet diſtinctione de dilectione Dei efficaci, & inefficaci; idque multoties repetebat, affirmans quòd loca quæ ex S. Auguſtino ipſi protulerant in defenſionem hujus propoſitionis, oſtendebant quòd talis dilectio inefficax Dei ſuper omnia poterat naturæ viribus haberi. Et ſimiliter aſſerebat, quòd cùm iſta ſententia eſſet tot Scholaſticorum, ſi à Patribus Dominicanis damnabatur, erat enervare authoritatem Scholaſticorũ.

Et tandem in confirmationem ſuæ ſententiæ adduxit definitionem Eccleſiæ ex Gregorio XIII. quam ſæpiùs inſinuaverat in præcedentibus Congregationibus: quam cùm legiſſet non eſt inventum quòd definiret, Deum, ſcilicet, poſſe diligi dilectione naturali ſuper omnia ex ſolis naturæ viribus. Immò nec verbum loquebatur de homine in ſtatu naturæ lapſæ expreſsè & formaliter; quarè dixit ipſi ſuus proprius Generalis, ut oſtenderet quòd definiretur, dilectionem Dei ſuper omnia poſſe naturæ viribus haberi. Undè ipſe conabatur id ex illâ definitione deducere in hunc modum. 1°. Quià ibi expreſsè habebatur duplicem eſſe dilectionem Dei, aliam ſupernaturalem, aliam naturalem: ſed ſupernaturalis eſt Dei ſuper omnia; ergò & naturalis eſt etiam Dei ſuper omnia. 2°. Quia perſona per illam definitionem damnata negabat poſſe hominem diligere Deum ſuper omnia naturaliter; cujus ſententiam ibì legebat: ergò id damnavit illa definitio. Et ſic ex illâ Bullâ habebatur poſſe Deum diligi dilectione ſuper omnia naturæ viribus. Hæc videtur in ſubſtantiâ dixiſſe Valentia. Nam ità diffuſo ſermone plurima multiplicabat, ut alia percipi non potuerint.

Poſtquàm finivit, ſtatìm Generalis S. Dominici dixit: quià P. Valentià affirmavit iſtam propoſitionem de dilectione Dei, non eſſe ſententiam Molinæ, id in primis oſtendendum eſt. Et legens §. *fortè mirabitur*, a oſtendit quòd dicebat, referens ſe ad dicta ipſius Molinæ, ex quibus ſatìs conſtabat quod fuiſſet ejus in hâc parte judicium circà contritionem, dilectionem Dei ſuper omnia, & reſiſtentiam tentationum. Similiter quòd aït P. Valentia, quòd Molina ponit dilectionem Dei in abſentiâ tentationum, Molina ſic habet: *quòd præſertim haberi poteſt in abſentiâ tentationum.* Qui autem hoc dicit, etiam dicit quòd in præſentiâ tentationum illam, ſaltèm aliquandò, habere poſſit homo dilectionem, licèt non ità facilè. Sicut ſi quis dixiſſet, poſſum cras legere, ſed *præſertìm* antè prandium, non negat ſe poſſe legere etiam poſt prandium, ſed non ità commodè.

a *Q. 14. art. 13. diſp. 19. memb. 6. p. 81. col. 2. Edit. Ant.*

Deindè dixit Generalis: quià dicunt hanc ſententiam Molinæ eſſe plurimorum Scholaſticorum, reſpondeo Scholaſticos illam non tenere. Equidem ex ipſis aliqui dicunt, poſſe hominem naturæ ſolius viribus diligere Deum ſuper omnia quòad ſubſtantiam actûs. Alii dicunt dilectionem Dei naturalem eſſe ſimilem dilectioni Dei ſupernaturali. Alii affirmant

dari dilectionem Dei naturalem ſecundùm præſentem ſtatum; non autem dicunt quòd Deus diligatur ſuper omnia. Nam iſta dictio, *ſuper omnia*, dicit modum, quem excludunt, qui tantùm admittunt dilectionem Dei quantùm ad ſubſtantiam actûs. Et ſic intelligitur S. Thomas in locis adductis, & alii. Immò ſic intelligendum, & hanc eſſe illius mentem dicit Suarez, qui inter PP. Societatis habetur celebris; quem legens Generalis S. Dominici, oſtendit S. Thomam ſic eſſe intelligendum, & hanc eſſe ejus mentem, & aliorum Scholaſticorum. Quandò autem dicunt poſſe homines diligere quòad ſubſtantiam actûs, ſermo eſt, quòd poſſunt producere aliquos actus ſimiles in ſubſtantiâ. Et ſic intelligebatur D. Thomas in illis locis ex *quodlibetis*, cùm hanc ſimilitudinem conſtituit inter dilectionem Dei naturalem & ſupernaturalem. Et ſimili modo omnes alii intelliguntur. Et ſi mille adducantur, hoc modo ſunt intelligendi. Cajetanum autem, ſubdidit idem Generalis, quem adduxiſti, quare truncaſti? Et legendo prima verba non legiſti ſequentia? Ipſe enim manifeſtè dicit, duplicem eſſe dilectionem Dei; alia eſt ſecundùm præſentem ſtatum, & iſta non refert in Deum omne referibile, & hæc poteſt eſſe in homine peccatore ſine gratiâ; alia verò eſt dilectio Dei ſuper omnia ſimpliciter, & iſta ſine gratiâ haberi non poteſt. Et rationem reddit Cajetanus, quià eſt maximus & ſupremus actus continens in virtute omnia præcepta, & requirit ultimum potentiæ. Undè in homine infirmo eſſe non poteſt propter rationem modò factam à Sanctiſſimo, quæ convincit; quià videlicèt aliàs homo eſſet ſanus, ſi tàm heroïcum actum habere poſſet. Similiter Soto, quem adduxiſti, totaliter dixit contrarium. Nàm in 2°. *de naturâ & gratiâ* ait, eſſe abſonum à Chriſtianorum auribus aſſerere, poſſe hominem ſine gratiâ, in naturâ infirmâ, diligere Deum ſuper omnia. Illud autem quòd dixit, poſſe hominem habere hunc actum objectivum, ut ipſe loquitur, *volo Deo in omnibus & ſuper omnia placere*, ſic intelligit, quòd videlicèt poteſt actus voluntatis ferri in illud objectum, ſicut poteſt quis velle montes aureos; quæ eſt quædam velleïtas.

Poſteà dixit idem Generalis Patri Valentiæ: & quià tunc in hâc Congregatione & præcedenti dixiſti, quòd nos enervabamus authoritatem Scholaſticorum; immò potiùs illos defendimus à calumniâ, & ab injuriâ quæ illis fit, dùm illis attribuitur quòd ſimiles teneant ſententias. Ipſi enim dilectionem Dei ſuper omnia, nec contritionem ſtatuunt cum conditionibus, tùm particularibus, tùm generalibus, quas conſtituit Molina; videlicet quòd Deus ſe inſerat illis actibus; quòd facienti illos actus Deus det gratiam; & ſimilia. Prætereà oſtendit Concilium quoddam, quod docebat, quandò tractatur de rebus fidei definiendis, ſolùm debere uti teſtimoniis divinæ Scripturæ, Conciliorum, & ſanctorum Patrum; non autem Mayronis, Trumbetæ, & ſimilium.

Itèm ad id quod dicit P. Valentia, illam dilectionem Dei quam Molina ſtatuit, eſſe inefficacem; ſi ratio ob quam illam inefficacem vocant, valet, planè ſequitur nullam eſſe Dei dilectionem efficacem & ſupernaturalem, etiam perfectiſſimam, niſi in illis ſolis qui perſeverarent. Undè ſine dono perſeverantiæ nulla erit dilectio Dei, etiam ſupernaturalis, efficax; quod dici non poteſt. Hæc fuerunt in ſubſtantiâ, quæ P. Generalis Dominicanorum dixit. Quòd ſi aliud protulit, memoriâ non teneo.

Statìm P. Valentia voluit ad omnia reſpondere, & diſcurrens per ſingula longiſſimâ oratione, ferè nihil aliud fecit quàm repetere quæ dixerat, & in ſubſtantiâ ejus reſponſio fuit: quòd Scholaſtici quos adduxerat expreſsè dicebant poſſe hominem diligere Deum ſuper omnia, illâ dilectione inefficaci, quam conſtituebat Molina.

Similiter

Digitized by Google

Similiter dixit: quòd Molina non dicebat Deum ſe inſerere eiſdem actibus numero & notitiis, ut jam, quandò P. Lemos in aliâ Congregatione id dixerat, ipſe oſtendit.

Tunc P. Lemos dixit: oſtendi apertè tria loca, ubì id Molina habet, & iterùm oſtendam. Et aperto codice volebat illa legere, & licentiam poſtulavit; ſed Sanctiſſimus voluit ut P. Valentia diceret omnia quæ habebat: & ſic proſequens ſuam reſponſionem, nimìs conabatur oſtendere eſſe ſententiam S. Thomæ illam Molinæ. Et legebat Molinam, qui de mente S. Thomæ id affirmabat. Cui P. Lemos: S. Thomas hoc non dicit, ſed totum contrarium. At Molina explicat S. Thomam ſuo modo, ut ſolet. Legat S. Thomam, & apparebit. Tunc legit ipſe S. Thomam *1. 2. q. 109. art. 3.* Et cùm legiſſet, dixit P. Thomas de Lemos: ubì ſunt in iſto articulo illæ occaſiones, illæ efficacitates quas apponitis? Littera planè dicit, quòd non poteſt homo in naturâ infirmâ diligere Deum naturaliter ſuper omnia. Illi P. Valentia dicebat: quòd S. Thomas aſſerebat poſſe quidem hominem lapſum habere illam dilectionem Dei ſuper omnia, cæterùm quòd ab illâ deficeret, quià erat inefficax; quod colligebat ex illo verbo articuli: *ſed in ſtatu naturæ corruptæ, homo ab hoc deficit.* Quod cùm P. de Lemos audiret, dixit Sanctiſſimo: ut clarè conſtet Sanctitati veſtræ quàm apertè contrà Litteram, & ſenſum articuli, ſit iſta explicatio, verba articuli legam. Et legit expreſsè qualiter S. Thomas clariſſimis verbis affirmabat, quòd homo in naturâ integrâ poterat diligere Deum ſuper omnia, à quâ dilectione habendâ deficiebat in naturâ corruptâ. Et ſubjunxit: quomodò ergò cùm hæc dicat S. Thomas, inferunt iſti Patres, quòd homo in naturâ lapſâ poteſt habere illam dilectionem, ſed inefficacem, quià ab illâ deficiet? S. Thomas apertè dicit, quòd non poteſt illam habere.

Tunc dixit Valentia: negat ſanctus Thomas dilectionem efficacem. Cui P. Lemos: hæc quam vos ponitis, eſt efficaciſſima. Et Chriſtus Dominus probat illam eſſe efficacem, cùm aït: a *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex totâ animâ tuâ, ex totâ mente tuâ, & ex totâ virtute tuâ.* Hæc autem eſt dilectio efficax; ſed hæc eſt dilectio ſuper omnia; ergò dilectio ſuper omnia eſt efficax. Tunc P. Valentia dixit: dupliciter intelligitur illud verbum Chriſti Domini. Cui P. Thomas: Pater Valentia, in formâ quæſo. Diſtinguo, nego, vel concedo. Illa dilectio ex toto corde &c. eſt perfecta..... Cui P. Valentia aït: quòd ſtat dupliciter diligere Deum ex toto corde &c. uno modo efficaciter, quandò ſimul perſeverat, & ab illâ non cadit, ſed ſervat omnia mandata: alio modo inefficaciter, & imperfectè, cùm V. G. iterùm cadit. Cui P. Lemos: quomodocunque diligatur Deus ex toto corde &c. ſignificatur quædam totalitas, & perfectio, quià includit in virtute & in voto obſervantiam omnium mandatorum, & in hoc conſiſtit efficacia illius dilectionis Dei ſuper omnia, & pro tempore quo durat, efficaciſſima eſt. Molina autem hanc dilectionem Dei ſuper omnia efficaciſſimam conſtituit reipſâ & ſententiâ, licèt verbis, ut ſe abſcondat, neget. Projicit enìm lapidem, & abſcondit manum. Nam Molina ſic dicit: Et legens §. *duo quædam,* b venit ad illa verba: *& pari ratione propoſitum abſolutum ſervandi in genere præcepta omnia.* In his verbis, inquit Lemos, efficaciam illius dilectionis oſtendit, etiam ut P. Valentia fatetur expreſsè. Et legens locum, oſtendit, quomodò dicebat illum actum dilectionis Dei ſuper omnia virtute eſſe multos, nec poſſe haberi naturæ ſolius viribus.

a *Matth. 22. 37. Marc. 12. 30. & Luc. 10. 27.*

b *Diſp. 14. memb. 3. p. 50. col. 2. edit. Ant.*

Tunc P. Valentia accepit eundem Librum, & legit quomodò ſeipſum explicabat; quòd videlicet loquebatur de actu dilectionis ſuper omnia, quæ non daret facultatem ſervandi mandata omnia, quæ longo tempore occurrere poſſent. Cui dixit P. Lemos:

actus

actus dilectionis Dei ſuper omnia ex ſeipſo pro tempore quo durat, hoc habet quòd in virtute eſt homo paratus, & facultatem habet ad ſervanda mandata, quæ longo tempore occurrunt; quià illa includit in virtute & in voto. Tunc P. Valentia hæc verba dixit: verum eſt quòd dilectio Dei ſuper omnia præparat hominem, ut quamdiù illam habet, ſine novâ difficultate ſervet omnia mandata occurrentia: habet enìm per illam dilectionem facultatem ad hoc. Cui dixit P. Thomas: jam confeſſus es, illam dilectionem pro tempore quo durat, poſſe ſervare omnia mandata occurrentia, & ex conſequenti eſſe efficacem. Sed P. Valentia dixit: non dixi hoc. Cui P. Lemos: expreſsè hoc dixiſti modò coràm Sanctiſſimo, nec licet retrocedere. Et quià omnes ad pedes Sanctiſſimi parvuli ſumus, intelligamus hoc primum mandatum legis, quod primum principium eſt legis Chriſtianæ, videlicèt: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* Quid ibì Dominus præcipit, niſi actum efficacem dilectionis, ut ipſa verba ſonant? Et tamen non præcipit in hoc mandato ut homo perſeveret, nec unquàm cadat, ſed ut tunc diligat Deum, cum propoſito ſervandi omnia mandata. Et hoc propoſitum eſt efficacia illius actûs. Facillimum eſt enìm diligenti Deum ſuper omnia, implere omnia mandata, ut S. Auguſtinus dicit. Et legens oſtendit locum ex S. Auguſtino *in Lib. de nat. & grat. cap. 69.* a Ubì hoc expreſsè dicebat S. Auguſtinus.

a *Tom. 10. num. 83. col. 164.*

Poſt hæc dixit Sanctiſſimus Patri Valentiæ: *ſit homo qui per decem annos perſeveret in illâ dilectione Dei ſuper omnia, & poſteà cadat; nunquid iſte non diligit efficaciter?* Et ipſe P. Valentia iterùm dixit, illum actum eſſe efficacem tempore quo duravit. Et Cardinalis Aſculanus dixit: jam ergò dilectio illa eſt efficax pro tempore illo quo duravit. Et iterùm Sanctiſſimus dixit: *Si non eſt dilectio efficax, niſi illa quæ actualiter poſita in occaſionibus, illas vincit, ſequitur quòd ſi homo habeat dilectionem Dei ſuper omnia extrà occaſiones, & ſtatìm moriatur, quòd dilectionem efficacem non habebat.* Ad hoc reſpondit P. Valentia: illam dilectionem efficacem eſſe, quià in illâ perſeverat.

Tunc P. Lemos; addo modò, quòd ſi præceptum dilectionis Dei præcipit quòd homo non cadat ab illâ dilectione, ſed in illâ perſeveret, nunquam homo impleret præceptum illud, niſi ſemper perſeveraret. Hoc autem eſt expreſsè contrà fidem: dicitur enìm in Concilio Tridentino *can. 23. Si quis dixerit eum qui labitur & peccat, nunquàm verè fuiſſe juſtificatum, anathema ſit.* Cùm autem Valentia modò affirmaret, modò negaret, & maximè confuſus eſſet, dixit P. Thomas: jam omnia Beatissime Pater finita ſunt. Sed quià P. Valentia negavit Molinam dicere Deum ſe inſerere eiſdem notitiis naturalibus, hìc ſunt tria aperta loca quibus id dicit. Et aperto Molinâ, illa ſignabat dicens: ſi veſtra Sanctitas præcipit, legam. Aliàs nè gravem Sanctitatem veſtram, Cenſores poterunt ea veſtræ Sanctitati oſtendere. Tunc Sanctiſſimus dixit: non eſſe neceſſe ea legere. Et facto ſigno, finita fuit Congregatio, & exivimus.

Digitized by Google

CONGREGATIO VIII.

CORAM CLEMENTE VIII.

In quâ diſceptatum fuit de Septimâ Molinæ Propoſitione, nempè hominem poſſe ſolis naturæ viribus quamcunque etiam graviſſimam tentationem vehementiſſimamque difficultatem ſuperare, etiamſi pro Deo ſit mors toleranda.

Habita eſt hæc Congregatio coram Sanctiſſimo præſẽtibus omnibus Cardinalibus Inquiſitoribus ſuprà relatis die 2. Septembris anno 1602.

Vide Hiſt. Congreg. de Auxil. l. 3. cap. 13. col. 428. & ſeq.

IN principio hujus Congregationis Sanctiſſimus graviter reprehendit modum diſputationis; quòd, videlicèt, diſputantes acriter nimìs & ardenter, etiam in præſentiâ ſuæ Sanctitatis diſputarent: quod erat ſignum parvæ charitatis. Et poſt aliqua ſic concluſit: *Si vos, etiàm coràm noſtrâ præſentiâ non poteſtis reſiſtere huic tentationi, ut, videlicèt, pacificè diſputetis; quomodò vultis poſſe hominem ſeipſo & ſine divinâ gratiâ reſiſtere cuilibet gravi vehementiorivè tentationi?* In quo ſatìs videtur declaraſſe quos ſuâ reprehenſione corriperet.

In hâc Congregatione agebatur de illâ Molinæ Propoſitione, poſitâ ab illo *in diſp. 19. memb. 1.* a *in principio*, quâ dicit: quòd *interìm dum rationis judicium non abſorbetur, poteſt homo ſolo concurſu Dei generali, abſque aliquo auxilio gratiæ, reſiſtere cuicunque gravi vehementiorivè tentationi, in quocunque temporis momento: & ad ſuperandam quamcunque magnam difficultatem, quam pro ſervandâ in eo ſolo inſtanti lege naturali, neceſſe ſit vincere, etiàmſi eâ de causâ mors ſit toleranda &c.*

a *Edit. Antuerp. pag. 68. col. 1. deindè mẽb. 2. pag. 69. & membr. 6. §. fortè mirabitur, p. 81. col. 2.*

Hanc propoſitionem, poſt prædicta verba Pontificis Summi, legit P. Valentia, & ſubjunxit: hæc eſt propoſitio quæ à PP. Dominicanis condemnatur, & contrà illam opponunt duo loca ſancti Auguſtini. Alterum ex b *Lib. de grat. Chriſt. contrà Celeſt. & Pelag. cap. 27.* Alterum ex eodem ſancto Doctore *Epiſt. 106.* c *ad Bonifac.* Et incipiens legere primum locum, ipſum non integrum legebat in ſcripto, & non in ipſo libro S. Auguſtini. Cui Summus Pontifex: *lege*, inquit, *totum locum integrum*. Ipſe autèm iterùm cœpit legere ſuum Scriptum quod manu habebat. Cui iterùm Pontifex Summus: *lege*, inquit, *integrum locum*. Et cùm ipſe turbaretur, quià ad manus Librum in quo legeret non habebat; Frater Thomas de Lemos aperto Libro dedit ei ſignatum locum S. Auguſtini, ut legeret, quem cùm legiſſet, dixit: dicant mihi PP. Dominicani quomodò intelligunt locum iſtum? An intelligant, quòd nulli omninò tentationi poſſit homo reſiſtere? Tacentibus autem FF. Prædicatoribus, quià tunc loqui non expediebat, ilicò Summus Pontifex præcepit Valentiæ, ut ipſe diceret omnia quæ habebat in Molinæ defenſionem.

b *Tom. 10. num. 29. col. 243.*

c *Nunc 186 num. 38. col. 674. t. 2.*

Tunc ipſe proſecutus, dixit in ſubſtantiâ hæc tria. 1°. Quòd hæreſis Pelagiana circà vincendas tentationes erat, poſſe hominem omnes illas vincere ſine gratiæ adjutorio. 2°. Quòd hæreſis Pelagiana erat, poſſe hominem aliquam vincere diuturno & longiori tempore tentationem. 3°. Quòd hæreſis Pelagiana affirmabat poſſe hominem ſine gratiæ adjutorio vincere omnes vel aliquam cum fructu victoriæ, id eſt, meritoriè. Non autem errabant Pelagiani dicentes homines poſſe cuilibet in particulari reſiſtere, ſine merito tamen. At verò Molina expreſsè negabat, & damnabat hæc tria; quòd, videlicèt, poſſet homo naturæ

Q viribus

viribus vincere vel omnes, vel aliquam longo tempore; vel omnes, vel aliquam meritoriè. Et ad hoc legit quædam Molinæ loca, ubì id aſſerebat. Solùm ergò, ut dicebat, Molina propendet in hanc ſententiam, quòd homo cuilibet tentationi in particulari poſſit reſiſtere in temporis momento; quam etiam ſententiam nec aſſertivè defendit. Ut autem probaret ſententiam Pelagianorum, illam ſuprà relatam eſſe, primò oſtendit locum quemdam S. Auguſtini *ex Epiſt. 94.* ad Hilarium, ubi referens hæreſim Pelagianam ſic dicit: a *Cavendis autem futuris vincendiſque peccatis, omnibuſque tentationibus virtute ſuperandis, ſine ullo deinceps adjutorio gratiæ Dei, naturali poſſibilitate humanam ſufficere voluntatem.* Et inſtantiam faciebat in illo verbo *omnes*. Similiter illum locum S. Auguſtini *de grat. Chriſt. cap. 27.* b explicabat quòd procederet de victoriâ, quæ cum merito erat, ut verba antecedentia teſtabantur, quæ & ibì legit.

a *Tom. 2. nunc 178. num. 1. col. 629.*

b *Tom. 10. num. 29. col. 243.*

Similiter adduxit definitionem Pij V. & Gregorij XIII. in quâdam Bullâ contrà Baïum: ubi dicitur poſſe hominem alicui tentationi reſiſtere ſolis naturæ viribus, quià non eſt neceſſe ut homo ſemper à tentatione quâlibet vincatur. Et ſermo eſt de homine ſolis naturæ viribus.

Deindè hominem poſſe reſiſtere cuilibet tentationi in particulari, dicebat eſſe ſententiam communem Scholaſticorum, quos jam oſtendebat. Et 1°. legit ſanctum Thomam *in 2. diſt. 28. q. 1. ad ultimum*; ubì aït, hominem non poſſe ſine gratiâ vincere tentationes meritoriè, benè autem poſſe reſiſtere tentationi ſine gratiâ. Similiter legit alium locum *ex q. 24. de veritate art. 12. ad 7.* ubì dicit: quòd peccata dicuntur neceſſaria, in quantùm non poſſunt vitari omnia, quamvìs vitari ſingula. Et idem adduxit ex S. Thomâ *L. 3. contrà Gentes cap. 166.* ubì dicitur: quòd licèt ille qui eſt in peccato, non habeat hoc in propriâ poteſtate, quòd omninò vitet peccatum, habet tamen poteſtatem vitare nunc hoc vel illud peccatum, ut dictum eſt. Et idem adduxit ex S. Thomâ *1. 2. q. 109. art. 8.* ubì dicit poſſe hominem ſine gratiâ vitare ſingula peccata, licet non omnia. Ad idem adduxit Soto *L. de nat. & grat. cap. 22.* Adduxit etiam Cajetanum *ſuper art. 3. q. 109. ex 1. 2.* ubì dicebat quòd ſingula peccata poterat homo vitare ſine gratiâ. Immò ipſe Cajetanus *in Opuſculo de Contritione* dicebat: quòd poterat homo odire peccatum ſuper omne odibile, & diligere Deum ſuper omne diligibile. Et cùm hoc dixiſſet, fecit magnam Parentheſim dicens: quòd Reverendiſſimus Generalis S. Dominici in præcedenti Congregatione legit Cajetanum neſcio quo modo, & contrà ſententiam & verba ipſius Cajetani. Nam Cajetanus ibì dicebat hominem poſſe diligere Deum ſuper omnia, & tamen Generalis aliter legit.

Tunc ipſe Generalis dixit ei: ego legi verba formalia quæ habentur in Cajetano, qualiter ipſe dixit præceptum de diligendo Deo ſuper omnia, quià eſt ſupremum, & continet virtute omnia, non poteſt ab homine haberi ſine gratiâ naturæ viribus. Et ſumens librum, id ibì iterùm legit. Cui reſpondebat P. Valentia: quòd Cajetanus affirmabat dilectionem Dei ſuper omnia, quæ excluderet omnia peccata venialia, non poſſe ab homine haberi ſolis naturæ viribus. Et ſtatìm Valentia legit in commento Cajetani, qualiter loquebatur de dilectione Dei, quæ non ſecum compatitur in viâ ea quæ ſunt contrà charitatem. Cui dixit F. Thomas de Lemos: vides quomodò expreſsè loquatur Cajetanus de dilectione Dei ſuper omnia, quæ admittit peccata venialia, & quæ excludit ſolùm peccata mortalia. Mortalia enìm ſunt contrà charitatem; venialia autem, non contrà charitatem, ſed præter charitatem ſunt: quod inter dicendum poſteà manifeſtabo.

Poſtquàm autem hæc dixit P. Valentia; Sanctiſſimus Dominus noſter legit in Concilio Tridentino, quomodò

ad res

ad res fidei tractandas & definiendas his debemus uti teſtimoniis : 1°. Libris ſacris, 2°. authoritate approbatorum Conciliorum ; 3°. authoritate SS. Patrum. *His uti debetis*, aït, *non autem Scholaſticis Doctoribus quos adducitis*. Sed P. Valentia ad hæc reſpondit : quòd licèt primò & per ſe, in definiendis rebus fidei, his tribus utendum ſit, ut Concilium docet, non tamen negat quin etiam uti poſſimus Scholaſticis ; licèt illis tanta authoritas tribuenda non ſit. Sicut enìm in Conciliis, ait, admittuntur diſputationes doctorum Virorum ; ità etiàm non eſt inconveniens admittere authoritates Doctorum, & Scholaſticorum mortuorum. Et cùm in hoc nimìs P. Valentia inſtaret, dixit illi Summus Pontifex : *vedete che no'vi commandi da queſto luogo en un altro*. Quod verbum utramque aurem fecit tinnire. Et tamèn adhuc Valentia inſtabat ſe habere alios plures Scholaſticos, quos oportebat legere. Et exiens adduxit alios, Scotum, S. Bonaventuram, Richardum, Ægidium, quos ibì legit, qui aſſerebant poſſe hominem ſolis naturæ viribus vitare ſingula peccata, ſed non omnia. Ex quibus tale deducebat argumentum : peccata vitantur dùm tentationibus reſiſtitur ; ſi ergò dicunt Scholaſtici poſſe hominem ſingula peccata vitare, ità ut in particulari nullum ſit quod vitari non poſſit ; ità poterit omnem tentationem in particulari vincere, ità ut nulla ſit quæ non poſſit vinci. Hæc cùm legiſſet ex Scoto, dixit P. Lemos : Scotus non dicit hæc aſſertivè, ſed relativè tantùm. Et idipſum dixit Pater Rada. Quibus ille reſpondit : licèt relativè id habeat, non reputat damnatam, ſed probabilem ſententiam. Quod ad præſens ſufficit. Deindè legit S. Bonaventuram *in 2. diſt. 28*. ubì de tentationibus agens dicebat : non eſſe neceſſe quòd homo omni tentationi ſuccumbat. Ex hoc inferebat Valentia, quòd omnem in ſingulari poterat homo vincere, & quòd hæc erat ſancti Bonaventuræ ſententia. Cui P. Lemos dixit, ut legeret omnes Scholaſticos quos pro ſe haberet, ut poſteà quid ipſi dicerent conſtaret apertiùs ; & ſic uno Richardo, vel Ægidio lecto, tandem finivit. Inſuper tamen Valentia dixit eſſe evidens argumentum, quòd tùnc ille homo cogeretur, ſi non poſſet vincere tentationem, ſicut apud S. Auguſtinum, ſi homo in puris naturalibus non poſſet vincere tentationes, cogeretur : ergò & nunc etiam cogeretur, ſi id non poſſit.

Tunc Frater Lemos ſic aït : Beatissime Pater, ad cujus pedes quæcunque dixero humiliter ſuppono, quantas & quales vires tribuat Molina libero hominis arbitrio in naturâ lapsâ abſque gratiæ auxilio, ex proprio contextu & verbis ipſius aperiam 1°. ; deindè 2°. has eaſdem vires naturæ ſanctum Auguſtinum eidem libero arbitrio negare, Deo adjuvante monſtrabo ; ut ſic iſta duo, de quibus veſtra Sanctitas præcepit nobis tractandum, punctualiter & breviter ſine digreſſionibus manifeſtentur. Ex quibus & illud conſtabit, Scholaſticos Doctores, & multò minùs Doctores ſanctos nihil omninò in hâc parte protuliſſe, quod in favorem Molinæ contrà tàm apertam S. Auguſtini ſententiam, ab aliquo juſtâ de causâ opponi poſſit. Loquuntur enìm Doctores Scholaſtici extrà dubium & extrà caſum in quo modò ſumus cum Molinâ ; ut in tertiâ parte hujus Diſputationis, apertis ſingulorum codicibus, comprobabo.

Circà Im. aperta eſt ſententia Molinæ, quâ tenet poſſe liberum hominis arbitrium in naturâ lapsâ & infirmâ, abſque aliquo gratiæ auxilio, cum ſolo concurſu Dei generali, vincere quamlibet gravem vehementiorem-vè tentationem, quam pro ſervandâ lege naturæ, neceſſe ſit vincere, etiamſi ob id mors ab illo eſſet toleranda. In quâ Propoſitione, quatuor ſubſtantialia, quæ in ipsâ continentur, videntur conſideratione notanda. 1°. enìm dicit, poſſe hominem ſine gratiâ reſiſtere cuicunque gravi & difficili tentationi ; immò aït, quòd illam

Digitized by Google

vincere poteſt. 2°. Aſſerit, id poſſe facere hominem ne tranſgrediatur legem naturæ. 3°. Quòd ità poteſt vincere quamlibet tentationem ut ſervet naturæ legem, ut poſſit mori pro tali vincendâ tentatione, & tali lege ſervandâ. 4°. Affirmat, quòd ſi in tali caſu id facere non poteſt, cogeretur homo, & penitùs periret humana libertas. Iſta autem quatuor, immò nullum ex ipſis à Scholaſticis quos modò legit, aſſeritur. Non enim dicunt poſſe hominem reſiſtere cuicunque gravi vehementiori-vè tentationi; & multò minùs dicunt, pro illâ vincendâ, poſſe naturæ viribus pati mortem: ſed ſolùm dicunt poſſe hominem ſine gratiâ, uni vel alteri levi tentationi reſiſtere, ut poſteà dicemus.

II°. Ut omnis æquivocatio tollatur in hâc parte, præmitto tripliciter poſſe contingere hominem tentationem ſuperare. 1°. Modo, ità ut reſiſtendo uni, ab aliâ ſuperetur, & vincendo alteram, ab alterâ vincatur: quâ ratione non eſt dubium hominem ſine gratiæ aliquo auxilio poſſe aliquam tentationem vincere; quià hoc non eſt tentationi reſiſtere, ſed tentationi ſuccumbere. Et juxtà hunc modum S. P. Auguſtinus *L. 4. contrà Julian. cap. 3.* & *L. 5. de civitate Dei, ferè per totum*, de Romanis ante acceptam fidem dicit: quòd peccatis peccata vincebant, & vitiis vitia ſuperabant, & quòd propter amorem laudis & terrenæ gloriæ cupiditatem multa perpeſſi ſunt. 2°. Modo poteſt homo vincere tentationes cum fructu victoriæ, id eſt, meritoriè per gratiam. 3°. Modo vincuntur tentationes & peccata, ità ut nullum aliud committatur, ſed propter ſervandam legem; qui actus, licèt non ſit meritorius ſi homo in peccato mortali exiſtat, eſt tamen laudabilis, & bono fine fit cum debitis circumſtantiis. Et iſto modo potiſſimè procedit aſſertio Molinæ, quamvìs etiàm juxtà ſecundum modum procedat, ut ſtatìm manifeſtabo.

Hanc autem aſſertionem Molinæ ſic explicatam & intellectam, deducit ipſe Molina ex quodam principio, ex quo alias ſimiles propoſitiones, in præcedentibus Congregationibus relatas, ſubintulit. Ipſe enìm pro unico principio & fundamento habet in hâc materiâ, a hominem in naturâ poſt peccatum primi Parentis, eaſdem omninò vires habere circà finem naturalem, quas haberet homo, ſi in puris naturalibus abſque omni peccato originali crearetur. Ex quo infert: quod ſicut homo ille, ſi in puris naturalibus crearetur, nullum eſſet opus morale bonum in ſingulari, quod non poſſet facere, ità etiàm hoc tribuit expreſsè homini in naturâ infirmâ. Et ſicut ille homo poſſet ad breve tempus (ut omnes Theologi fatentur) diligere Deum ſuper omnia; hoc ipſum homini infirmo tribuit. Et ſicut, ſi ille homo caderet in peccatum, poſſet de illo habere contritionem; ità & contritionem tribuit homini in naturâ lapsâ, contritionem, inquam, moralem. Et ſicut ille homo poſſet vincere quamcunque gravem vehementiorem-vè tentationem per breve tempus; hinc eſt quòd hoc ipſum homini infirmo concedit. Ex quo etiàm principio per evidentem conſequentiam deducitur: poſſe hominem in naturâ lapsâ vitare omnes in univerſum tentationes quæ occurrerent, per breve tempus, & ſervare mandata omnia, & legem univerſam naturalem per breve tempus. Nam id ipſum poterat abſque dubio facere homo conſtitutus in puris naturalibus. At verò Molina hanc conſequentiam non ità expreſsè & apertè deduxit, ne manifeſtè & abſque pallio videretur ſententiam Pelagianorum tenere; ſed multipliciter illam conſtituit ut ſtatìm dicam. Et certè qui admittit aliquod principium, ex quo per evidentem conſequentiam aliqua deducitur concluſio, licèt verbis illam neget, illam tamen convincitur tenere; ut ex multis Conciliis poterat probari.

a Hoc principium ſtatuit in totâ diſp. 3. & id ſæpè in hâc materiâ repetit.

Hæc de primo circà mentem Molinæ. Et quià Pater Valentia ad tria puncta

puncta ſubſtantialia reduxit differentiam Molinæ à ſententiâ Pelagianorum, (1°. enim dixit Pelagianos dixiſſe poſſe hominem vincere omnes tentationes. 2°. Dixit illos etiam erraſſe, quià dixerunt poſſe hominem ſine gratiæ adjutorio reſiſtere alicui tentationi vehementi per longum tempus. 3°. Dixit ſententiam Pelagianorum fuiſſe, poſſe hominem ſine gratiâ tentationes vincere meritoriè) jam nunc oſtendo, quòd Molina dicat hominem poſſe vincere omnes tentationes per breve tempus, & etiam quòd poſſit illas vincere meritoriè.

Im. Oſtendo. Nam Molina *diſp. 17. in fine §. quarta concluſio* a ſic dicit: *homo in ſtatu naturæ corruptæ extrà gratiam gratum facientem, neque totam legem naturalem, quæ ſub culpâ lethali obligat, neque partem, quæ notabilem contineat difficultatem, poteſt diù ſervare abſque ſpeciali auxilio Dei.* Hæc Molina. Contrà quem eadem verba dico, quæ Auguſtinus contrà Pelagium *L. de grat. Chriſt. cap. 27.* b Nunquid non erat integer ſenſus, etſi non apponeretur illud verbum *diù?* Quarè ergò hoc verbum interpoſuit, id eſt, *diù?* Niſi quià tantas credit eſſe arbitrii vires, quas & extollendo præcipitat, ut etſi non per longum tempus, tamen per breve putet poſſe ſervare totam legem, & omnes vincere tentationes? Et hoc eſt quod Molina magis explicans dixit *diſp. 19. in principio*, c ſic dicens, quod tribus diſputationibus prioribus egit, non poſſe hominem ſervare totam legem, & quamcunque vincere difficultatem, & tentationem ſuperare, ut non tranſgrediatur legem. Et quidem ex illo principio: quòd eaſdem vires habet homo in naturâ lapſâ, quas haberet, ſi in puris naturalibus conderetur. Id manifeſtè ſequitur, ut dictum eſt: undè id implicitè Molina concedit.

a Edit. Antuerp. pag. 66. col. 2.

b Tom. 10. n. 28. col. 248.

c Edit. Antuerp. pag. 68. col. 1.

IIus. Error Pelagianus circà vincendas tentationes, non ſolùm fuit quòd homo omnes ſimul poſſet vincere; ſed etiam quòd aliquam gravem & vehementiorem ſuperare poſſet ſolis naturæ viribus. Hoc enim expreſsè dixit S. Auguſtinus *L. 2. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 3.* a *Sed hoc*, inquit, *non vident, quòd ad nonnulla ſuperanda, vel quæ malè cupiuntur, vel quæ malè metuuntur, magnis aliquando & totis viribus opus eſt voluntatis, quas non nos perfectè in omnibus adhibituros prævidit, quimodò per Prophetam veridicè dici voluit:* b *non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Et explicans quænam ſint iſta quæ ſuperari non poſſunt ſine Dei auxilio, *L. de nat. & grat. cap. 69.* c dicit eſſe difficilia, pro quibus oramus, licèt facilia vincamus.

a Tom. 10. num. 3. col. 41.

b Pſal. 142. 2.

c Tom. 10. n. 83. col. 164.

Et per hoc patet reſponſio ad id quod P. Valentia interrogavit: an putemus hominem nullam poſſe vincere difficultatem? Ad hoc enim eſt reſponſio noſtra ex S. Auguſtino expreſsè deſumpta: poſſe nos vincere tentationes leves, non autem fortes, & vehementiores, ſeu difficiles. Immò hoc eſt quod SS. Pontifices Pius V. & Gregorius XIII. definierunt in Bullâ in contrarium citatâ; nempè non eſſe neceſſe hominem omni tentationi ſuccumbere, privatum divino auxilio, ſed aliquam poſſe vincere, levem ſcilicèt & facilem. Nàm quòad difficilem, S. Auguſtinus dicit, quòd oramus & petimus ut illam vincamus. Ergò ſine Dei auxilio illam ſuperare non poſſumus: aliàs id à Domino non peteremus quod in noſtrâ haberemus poteſtate.

Molina autem vult contrà hanc expreſſam ſententiam S. Auguſtini, hominem poſitum in gravi vehementiori-vè tentatione, non habere neceſſe orare, & dicere *& ne nos inducas in tentationem.* Hoc enim manifeſtè ex ejus ſententiâ ſequitur. Undè Concilium Carthaginenſe in hâc eâdem causâ ſic ſcribit felicis recordationis Innocentio I. d *Conſideret ergò Sanctitas tua, & Paſtoralibus nobis compatiatur viſceribus, quàm ſit peſtiferum & exitiale ovibus Chriſti, quod iſtorum ſacrilegas diſputationes neceſſariò ſequitur, ut nec orare debeamus, ut non intremus in tentationem &c.* Itèm Cæleſtinus I.

d Tom. 2. Epiſt. olim 90. inter Auguſtinianas. nun. è verò 175. n. 4. col. 619.

Digitized by Google

in Epiſt. ad Epiſcopos Gall. Sic dicit : *quod ergò tempus intervenit quo ejus non egeamus auxilio ?* Et tamen Molina dicit : quòd tempore quo homo conſtituitur in magnâ quâdam tentatione, non eget Dei auxilio. Et ſubdit Pontifex Sanctus : in omnibus igitur actibus, cauſiſque, cogitationibus, motibus, adjutor & protector orandus eſt. Superbum eſt enìm ut quidquam ſibi humana natura præſumat, clamante Apoſtolo : a *non eſt nobis colluctatio &c.* Et quidem ratio convincit, quod Concilia definierunt, nullam tentationem difficilem poſſe hominem vincere naturæ viribus. Nam omnem illam tentationem, quæ ſupponebat hominem non infirmum ſed ſanum, negant ſacra Concilia. At verò vincere aliquam gravem & difficilem tentationem etiàm ſemel, eſt opus hominis ſani : infirmus enìm, etiàm ſemel, non poteſt forti reſiſtere, & cum illo pugnare. Nec enìm homo infirmus, etiàm ſemel, poteſt facere actum perfectum hominis ſani, videlicèt ſublevare pondus grave, quod poteſt ſanus.

a *Epheſ. 6. 12.*

III°. Præterea etiàm Molina ponit hominem vincere tentationem *meritoriè*. Hoc enìm deducitur ex ejus doctrinâ per evidentem conſequentiam : quià ipſe dicit hominem poſſe pati mortem ſolis naturæ viribus, nè tranſgrediatur legem naturalem ; ergò ex amore legis, & authoris legis patitur ; ergò plùs tunc in illis occaſionibus poſitus diligit Deum, quàm ſuam propriam vitam : & ſic propter virtutem, & propter Deum patitur. Undè erit verè Martyr ; & ſic meritoriè vincit tentationem. Nàm ex naturâ hujus actûs, quo moritur pro Deo, Deus debet illi dare gratiam, & gloriam ; ergò gratia cadit ſub merito prioris actûs naturæ ; & ſic vincit tentationem meritoriè. Immò, ut dixi, erit Martyr : quià ſecundùm ſanctum Thomam *2. 2. q. 124. art. 5.* ſufficiens cauſa Martyrij eſt mori pro virtute naturali, quantò magìs pro ſervandâ lege, & non committendo aliquid contrà ipſam. Undè Molina, hoc ipſum videns, concedit expreſsè, quòd ille tunc moriens pro ſervandâ lege, naturæ viribus, habebit pœnitentiam, vel formalem, vel virtualem, & ſic erit verè Martyr.

Illud autem aliud quod Molina dicit, quòd videlicèt, ſi tunc ille homo poſſet reſiſtere tentationi, cogeretur, in hoc confundit Molina libertatem cum *ſufficientiâ*, & putat quòd ſi homo ex ſuis viribus non poteſt reſiſtere tentationi, id eſt, ſi non eſt *ſufficiens*, non eſt liber, nec libertatem habet. Et idem argumentum & fundamentum fuit Pelagianorum, Juliani videlicèt ; ut refert ſanctus Auguſtinus *L. 1. contrà duas Epiſt. Pelagg. cap. 2.* his verbis : a *Jàm itaque Juliani reſpondeamus Epiſtolæ : Dicunt*, inquit, *illi Manichæi, quibus modò non communicamus, id eſt, toti iſti cum quibus diſſentimus, quià primi hominis peccato, id eſt, Adæ, liberum arbitrium perierit, & nemo jàm poteſtatem habeat benè vivendi, ſed omnes in peccatum carnis ſuæ neceſſitate cogantur.* Cui reſpondet ipſe S. Auguſtinus *L. 2. cap. 5.* dicens : b *jàm nunc illa videnda ſunt, quæ in Epiſtolâ ſuâ nobis objicientes, breviter poſuerunt ; quibus hæc eſt noſtra reſponſio : peccato Adæ arbitrium liberum de hominum naturâ periiſſe non dicimus ; ſed ad peccandum valere in hominibus ſubditis Diabolo : ad benè autem pièque vivendum non valere, niſi ipſa voluntas hominis Dei gratiâ fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, ſermonis, cogitationis adjuta.*

a *Tom. 10. num. 4. col. 413.*

b *Tom. 10. num. 9. col. 436.*

Quibus coràm Sanctiſſimo lectis, ſtatìm aït P. Lemos : veritas Catholica docet hæc duo. 1m., Hominem non poſſe ſuis naturæ viribus reſiſtere gravibus tentationibus. 2m, Ad id non eſſe ſe ſolo *ſufficientem*, licèt doceat hominem ſemper eſſe liberum, & nunquàm cogi. Et hoc eſt quod dicunt omnes Doctores à Molinâ ejuſque Defenſoribus allati. Quod uno verbo explicavit Cajetanus *1. 2. q. 109. art. 3.* dicens : hominem habere potentiam remotam, non verò proximam

ad

ad tentationes vincendas, id eſt, habere libertatem, non autem *ſufficientiam*. Molina autem ipſe jàm extollit liberum arbitrium ad cælos, & jàm ipſum deprimit, & ab eo aufert libertatem, ſi ex ſe non ſit ſufficiens reſiſtere tentationi cuilibèt gravi.

Ad id autem quo P. Valentia convincitur, & pro magno opponit, ipſe S. Auguſtinus reſpondet, latam differentiam eſſe inter hominem in naturâ infirmâ, & ipſum ſi in puris naturalibus conderetur. Nàm ſi conderetur in puris naturalibus, & Deus illi non daret auxilium ſufficiens, quo valeret tentationes ſuperare, non ſibi imputaretur peccatum: at verò homo in naturâ lapſâ, etiamſi Deus illi auxilium denegaret, quo poſſet, ſibi imputaretur peccatum, quià propter ſuam culpam ei denegatur. Et licèt nunc non poſſit, potuit tamen, & ſuâ culpâ amiſit illam potentiam; ſicut S. Thomas *Lib. 3. contra Gent. cap. 166.* dicit de ebrio, qui exiſtens in ebrietate, licèt non ſit ſui compos, ſi tamen occidit hominem, homicidium imputatur ad culpam, quià illam impotentiam incurrit ex priori culpâ ebrietatis. Similiter qui ſe mittit in puteum, licèt non poſſit exire; ſibi imputatur quòd ſuffocatus pereat, quià ſuâ culpâ ſe illuc intromiſit, & voluit habere talem impotentiam.

Tunc dixit P. Valentia: ubì invenitur in S. Auguſtino, quòd ſi homo conderetur in puris naturalibus, & Deus illi non daret auxilium ſufficiens, non imputaretur ſibi peccatum? Ad quod F. Thomas dixit: hoc docet S. Auguſtinus *L. de corrept. & grat. cap. 11.* a & *L. de nat. & grat. cap. 6.* quem locum ibì legit, ubì dicebat S. Auguſtinus: b *Nam ſi non eſt iſta pœna hominis, ſed natura, nulla peccata ſunt.* Itaque dixit F. Thomas: alia eſt unius, alia alterius ratio. Nam nobis in primo Parente dedit Deus auxilia, quibus vitare peccata poſſemus; ſed ſicut in ipſo omnes peccavimus, ità in ipſo dereliquimus Deum & derelicti ſumus juſtiſſimè.

a *Tom. 10. col. 766. n. 29. & ſeqq.*
b *Tom. 10. num. 6. col. 130.*

Poſt hæc dixit etiam F. Thomas: venio jam ad Sanctos, & Scholaſticos Doctores, quos pro ſe adduxerunt. Et quià PP. Societatis potiſſimè ſuam ſententiam fundant in S. Anſelmo, quem dicunt fuiſſe magnum Diſcipulum S. Auguſtini, & meliùs prioribus S. Auguſtinum intellexiſſe, aperto codice oſtendit quomodò Anſelmus loquebatur de homine exiſtente in gratiâ: à PP. autem Societatis intelligebatur de homine ſolis naturæ viribus relicto. Sed P. Valentia ex quibuſdam verbis Anſelmi, in quibus dicebat, eſſe connaturalem homini facultatem, inferebat ipſum loqui de homine ſolis naturæ viribus relicto. Cui F. Thomas: facultas libera homini connaturalis eſt, ſed *ſufficientiam* habet ex gratiâ: & utrumque clarè dicit Anſelmus.

Deindè aſſumpto S. Thomâ oſtendit P. Lemos, qualiter *in q. 24. de veritate art. 12. citato. ſolut. ad 21. & 22.* ſe manifeſtè declarabat, quòd unum vel alterum peccatum, & unàm vel alteram tentationem poterat vincere, non autem quamlibèt difficilem, ut Molina, & Defenſores ejus dicebant. Similiter hoc ſolùm dicebat S. Thomas *in L. 3. contrà Gentes cap. 166.* & *in 2. diſt. 28.* legendo oſtendit, quòd expreſsè dicebat S. Thomas, quòd ſine gratiâ juſtificante, poteſt homo reſiſtere tentationi, & vitare peccatum aliquod, non tamen ſine auxilio actuali, ſi tentatio eſſet gravis.

Cajetanus autem hoc ipſum dicit quod S. Thomas. Et locus ex Cajetano adductus in præcedenti Congregatione de dilectione Dei, manifeſtus eſt. Ipſe enìm ibì commentabatur *art. 3.* S. Thomæ, in quo S. Doctor dicit, quòd in hoc ſtatu homo exiſtens in gratiâ non poteſt vitare omnia peccata venialia. Quomodò ergò loquitur Cajetanus de dilectione Dei, quæ evitat omnia venialia, ut P. Valentia intelligit? Præthereà ipſe Cajetanus expreſsè fatetur ſe loqui de dilectione Dei ſuper omnia, quæ tollit omnia ſibi contraria, id eſt peccata mortalia.

Digitized by Google

mortalia. Non ergò loquitur de dilectione Dei quæ tollit omnia venialia; hæc enìm non contrà charitatem, ſed præter ipſam ſunt. Immò ipſe Cajetanus in principio Commentarij dicit duplicem eſſe dilectionem Dei ſuper omnia; aliam quam vocat *ſimpliciter*, quæ omnia refert in Deum, & hanc ſine divinâ gratiâ dicit eſſe non poſſe: aliam verò ſecundùm præſentem ſtatum, quæ compatitur ſecum mortale & refert in Deum quæ referibilia ſunt, & hanc vocat *ſecundùm quid*. Igitur aperta eſt mens Cajetani, ut Generalis meæ Religionis dixit.

Similiter aſſumpto Bonaventurâ legit qualiter Sanctus dicebat tria. 1°. Hominem non poſſe reſiſtere omni tentationi. Quod cùm dixiſſet, aït Generalis Societatis: immò dicit, poſſe omni reſiſtere. Cui P. Lemos: non dicit nisì hominem omni reſiſtere ſine gratiâ non poſſe. Nàm cùm aït hominem poſſe reſiſtere omni, referebat ſententiam Pelagianorum, quam impugnavit. Cui dixit Generalis Societatis ità eſſe. Tunc proſecutus Frater Thomas dixit: 2m. quod dicit ſanctus Bonaventura eſt, non eſſe neceſſe hominem omni tentationi ſuccumbere. 3°. Dixit poſſe alicui reſiſtere, id eſt, levi, ut dictum eſt. Immò legit in eodem Sancto, quòd alicui non poteſt homo reſiſtere, quod dixit propter gravem. Similiter Ægidius allegatus in ſecundâ concluſione, in fine ſe explicat, & dicit cum Bonaventurâ non poſſe reſiſtere, ſed ferè ſemper ſuccumbere. Tunc dixit P. Valentia: vide ſi hoc dicit Ægidius. Tunc Frater Thomas: ego, inquit, veritatem ſincerè tracto, & propter cælum & terram, aliud quàm quod habetur in codice, non dicerem; quià graviſſimum peccatum eſt, aliud coràm Sanctiſſimo Domino noſtro adducere. Sume tamen, Pater, Librum, & ego referam verba; & videbis ſi formalia ejus verba dicam. Finaliter concludendo aſſero nullum Sanctorum aut Scholaſticorum dicere Propoſitionem cum illis quatuor conditionibus & circumſtantiis, quæ à Molinâ in ipsâ apponuntur.

Tunc P. Valentia volens reſpondere dixit: quòd, quandò Molina dixit *diù*, illud fecit ad excludendum, non totam legem, ſed partem notabilem, quam in propoſitione Molina poſuerat. Deindè dixit: quòd dicebat Molina pro uno inſtanti poſſe hominem tentationi reſiſtere. Cui F. Thomas: pro uno inſtanti morali, id eſt, per breve tempus, ut ipſe expreſsè fatetur. Tertiò P. Valentia particulariter fecit inſtantiam, relictis omnibus aliis, in eo quod dictum fuerat Molinam aſſerere tantas eſſe naturæ vires in homine in naturâ lapsâ abſque gratiâ, ac in homine ſi conderetur in puris naturalibus. Et dixit hanc eſſe ſententiam Doctiſſimorum, Cajetani, videlicèt, Soto, & Medinæ, quos ibì legit; & etiam eſſe ſententiam Cardinalis Bellarmini. Et cùm legiſſet Medinam; Sanctiſſimus petivit Librum Medinæ, videlicèt primam ſecundæ, & legebat in ipſo. Et illum de manu Sanctiſſimi accepit Epiſcopus quidam, & quæſivit locum, & tradidit Sanctiſſimo. Tunc Summus Pontifex dedit Valentiæ ut legeret in tertiâ & quartâ concluſione, ubì dicebat non poſſe hominem diligere Deum dilectione naturali ſuper omnia. Primis lectis dicebant Scholaſtici citati, quòd exceptâ culpâ, eandem ſufficientiam habent, & quòd comparantur illi duo homines, ſicut nudus & nudatus.

Tunc Sanctiſſimus legit Canonem Concilij Tridentini: quòd homo per peccatum habeat liberum arbitrium extenuatum, & infirmatum viribus. Poſteà F. Thomas accipiens S. Thomam *in 2. 2. q. 85. art. 2.* Sic dixit: S. Thomas declaravit ſuis Diſcipulis, quomodò loquatur de peccato originali; & legens integrum articulum aperuit, quomodò apertè dicebat, quòd triplex bonum naturæ eſt in homine. Aliud potentiæ; & iſtud bonum, nec eſt ablatum, nec diminutum per peccatum; & ſic intelligit S. Dionyſius, cùm dicit naturalia manſiſſe integra. Aliud

Digitized by Google

Aliud eſt juſtitiæ originalis; & hæc eſt totaliter ablata. Aliud eſt inclinatio ad virtutem; & hæc fuit diminuta per peccatum, quià ex actu inclinatur in culpam. Et dixit: Hæc doctrina S. Thomæ, non eſt ſua, ſed Eccleſiæ. Sed P. Valentia dixit: quòd S. Thomas *in 2°. art.* dicebat, quòd ex parte objecti, & ex ablatione impedimenti manſit liberum arbitrium inclinatum & deſtitutum. Cui F. Thomas: apertè dicit; quòd ex peccato manet in libero arbitrio inclinatio in culpam; inclinatio autem iſta ex parte potentiæ ſe tenet, quod, terminis intellectis, P. Valentia negare non poteſt. Quod autem aït S. Thomas *in art. 2.*, eſt quòd nunquàm poterit tantùm inclinari in culpam, quòd nulla ei remaneat inclinatio ad virtutem; quià ex parte objecti provenit, & ex ablatione impedimenti: licèt autem ex parte actûs in homine ſit iſta inclinatio, tamen refunditur in potentiam, & in ipsâ ex peccato originali verè manet inclinatio in culpam. Quamvìs enim verum ſit, quòd ſi homo conderetur in puris naturalibus, eſſet in ipſo reſiſtentia appetitûs inferioris ad ſuperiorem, quià non haberet juſtitiam refrænantem; & etiàm licèt haberet concupiſcentiam: tamen diverſo valdè modo hæc ſunt in homine lapſo habente peccatum originale. Quod eſt maximè advertendum, ut omnis æquivocatio tollatur. Nam reſiſtentia in homine in puris naturalibus poterat vinci naturalibus viribus cum concurſu Dei generali; non verò ſic in homine in naturâ lapsâ: quià ille non eſſet infirmus, ſicut eſt iſte. Undè in homine in puris naturalibus, non eſſet concupiſcentia cum averſione à Deo à bono rationis, & virtute: at verò in homine lapſo, illa concupiſcentia eſt cum maculâ, cum averſione à bono, cum deordinatione à ratione, cum inclinatione in culpam, & cum quatuor vulneribus, videlicèt, ignorantiæ in intellectu, malitiæ in voluntate, infirmitatis in iraſcibili, concupiſcentiæ in concupiſcibili. Cajetanus autem, Soto, & Medina dicunt, quòd exceptâ culpâ ſunt æquales illi homines in illo duplici ſtatu; non autem habent æquales vires ſuppoſitâ culpâ, quià culpa originalis debilitat vires, ut Concilium Tridentinum, modò lectum à Sanctiſſimo Domino noſtro, docet.

Tunc dixit P. Valentia: putas quòd vulnus eſt, ſicut vulnus in corpore? Cui F. Thomas de Lemos: puto eſſe vulnus animæ, quod ipſam occidit, ità quòd ille eſt verè peccator, & veram culpam habens, inimicus Dei, & filius iræ. Multi autem ex veſtris volunt peccatum originale non eſſe culpam, ſed privationem & pœnam. Undè jam oſtendo quid de ipſo dicat Molina. Et legens *q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 9. in principio*, [a] legit qualiter expreſsè Molina dicebat *parvulum mortuum ſine baptiſmo extrà dona gratiæ, in omnibus per omnia ſe habere ſicut ſi in puris naturalibus conditus moreretur.* Ex quo inferebat Molina, *quòd poſt diem Judicii habebit meliorem & feliciorem vitam, abſque omni vitio mentis & corporis, in perpetuas æternitates, quàm nullus mortalium unquàm habuit.* Quibus lectis, ſic dixit: hìc ponit illum locum tertium inter regnum Cælorum & Infernum, quem Pelagiani pro parvulis, ſine Baptiſmo defunctis, poſuerunt, ubi in naturalibus haberent vitam beatam in æternitate. Quid autem S. Auguſtinus dicat de his, qui hanc vitam tribuunt parvulis decedentibus ſine Baptiſmo, ſic oſtendo. Et legens *L. 1. contrà duas epiſt. Pelag. in fine*, [b] qui eſt egregius locus, oſtendit quomodò apertè S. Auguſtinus dixit eos negare peccatum originale, qui illam vitam parvulis tribuunt.

[a] *§. His omnibus. edit. Antuerp. p. 349. col. 1.*

[b] *Tom. 10. cap. 22. n. 40. col. 429.*

Tunc P. Valentia dixit: hoc eſſe contrà illos qui vitam ſupernaturalem & eſſentialem parvulis tribuebant. Cui F. Thomas: Pelagiani ſolùm vitam naturalem, æternam, & felicem dabant parvulis, quam Molina ponit, cùm aït illos vitam in perpetuas æternitates habituros. Debebat potiùs dicere quòd pergunt in damnationem perpetuam; ut fides clamat. At Molina tribuit eis vitam æternam & felicem extrà cælos.

Bone Deus, ait Lemos, clamat fides quòd ſunt verè peccatores, & verè peccatum habent; & Molina dicit quòd carebunt omni peccato mẽtis & corporis!

Tunc Valentia dixit: Molina dicit quòd carebunt omni peccato actuali. [illegible] F. Thomas: etiàm dicit, quòd carebunt peccato originali, ſicut ſi in puris naturalibus conderentur. Et Innocentius I. dicit eos qui tribuunt hanc vitam parvulis caſſare Baptiſmum. Hæc ſunt verba Innocentij, quæ ex memoriâ dico, nam ad præſens locum ejus non invenio, ſed illum poſteà apertè oſtendam, quem & finitâ Congregatione ſtatìm ſignatum Sanctiſſimo tradidit.

Tunc dixit Generalis S. Dominici: Cajetanus & Soto dicunt illos duos homines diſtingui ſicut nudus & nudatus ſeu ſpoliatus, ſed ità eſt ſpoliatus, quòd ſimul eſt decoriatus. Et ità finita fuit Congregatio, cùm duraſſet ferè per quinque horas.

CONGREGATIO IX.

CORAM CLEMENTE VIII.

Hæc Congregatio habita eſt coram Sanctiſſimo præſ[e]ntibus Cardinalibus Inquiſitoribus die 30. Septembris anni 1602. in feſto S. Hieronymi.

In quâ actum eſt de chimerico Molinæ pacto Deum inter & Christum Filium ſuum; ut facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus, Deus ſemper gratiam ſuam largiretur. Hâc in Diſputatione cùm P. Valentia ſancti Auguſtini locum corrupiſſet, P. Lemos fraudem falſitatemque detexit. Undè Jeſuita animi paſſus deliquium, è Congregatione egredi coactus eſt, nec ultrà Diſputationibus interfuit; Cùm indè gravi correptus morbo, paucis poſt menſibus Neapoli obierit.

Vide Hiſt. Congr. de Auxil. l. 3. c. 5. & 14. col. 369. & ſeqq. Itèm col. 432. & ſeqq.

IN hâc Congregatione actum eſt: *an in libris ſancti Auguſtini legatur conſtitutam eſſe legem à Deo cum Chriſto Filio ſuo, ut quoties homo fecerit quod in ſe eſt, ex ſolis naturæ viribus, Deus illi tribuat gratiam; vel id ſit de mente S. Auguſtini?*

In principio hujus Congregationis, finitâ oratione, dixit Sanctiſſimus ſermone vulgari P. Valentiæ, qui ob infirmitatem ſtare non poterat, ut ſederet, ſi à ſuo Generali haberet licentiam, cui magìs obediebat quàm Summo Pontifici. Qui cùm ſederet incepit legere Propoſitionem in Molinâ, videlicèt *in diſp. 10. in principio*; a Deindè legit tria loca, quæ contrà illam PP. Prædicatores oppoſuerant.

a Edit. Antuerp. pag. 31. col. 1. & diſp. 14.

Tertiò diviſit propoſitionem Molinæ in quatuor partes. Prima, quòd aſſerebat, quòd homo poterat facere quod in ſe eſt; & hanc dixit eſſe evidentem. Secunda, quòd ſic facienti Deus dabat gratiam. Tertia, quòd erat certa lex de dandâ ſic gratiâ. Quarta, quòd dabatur propter merita Chriſti. Quas omnes partes dixit eſſe Catholicas. Nàm illa lex nihil erat aliud, quàm decretum divinum, quo Deus ab æterno ſtatuit facere id quod in tempore fiebat, quià Deus ſic operabatur in tempore, ſicut ab æterno operari ſtatuit.

memb. 5. §. poſt hanc p. 56. col. 2.

Prætereà dixit P. Valentia, quòd ex ſeptem Capitibus poterat prædicta Propoſitio Molinæ cenſeri Pelagiana,

ſive

ſive ex quolibet illorum. I°. Si dixiſſet illud opus naturale, cui gratia infallibiliter datur, eſſe meritum gratiæ. Sed hoc nullo modo aſſerebat Molina, qui ſemper proteſtabatur illud opus non eſſe meritum gratiæ; quòd ampliùs ſic oſtendit: quià licèt gratia daretur infallibiliter, non ſequebatur illam eſſe debitam, vel opus cui datur eſſe ipſius meritum. Quod ſic explicavit: primò quià omnes Theologi dicunt quòd homini habenti contritionem vel attritionem cum Sacramento datur infallibiliter gratia, & tamen nullus concedit contritionem eſſe meritum gratiæ. Secundò qui accedit ad recipiendum Sacramentum, in quo imprimitur caracter, infallibiliter recipit caracterem, & tamen illa receptio non eſt meritum illius caracteris. Tertiò Spiritus ſanctus infallibiliter aſſiſtit Sanctitati veſtræ ad definiendas res fidei, quandò veſtra Sanctitas voluerit; & tamen Sanctitas veſtra ſic volens, non meretur Spiritûs ſancti aſſiſtentiam.

II^um^. Caput ex quo poterat oriri Pelagianiſmus erat, ſi gratia daretur ex aliquo jure, quod haberet homo ad illam; ſed nec ex hoc capite datur gratia ſecundùm Molinam homini facienti quod in ſe eſt: quià nullum jus ad hoc habebat, ſed ſolùm erat debita meritis Chriſti. Sicut ſi aliquis nobilis obtineret ab alio, ut quotiès PP. Franciſcani peterent eleemoſinam, eis illam daret, tunc ipſi, quià incapaces ſunt juris, nullum jus haberent ad illam.

III°. Oriretur error Pelagianus, ſi in homine conſtitueretur initium juſtificationis ex homine, & non in præveniente gratiâ, contrà Concilium Arauſicanum, & Concilium Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 5.*; quòd tamen Molina non dicit. Immò totum contrarium.

IV°. Si homo per illa naturæ opera ſe diſcerneret, contrà Paulum dicentem: a *quis enim te diſcernit?* Quod tamen Molina ſæpè dicit hominem per illa opera non ſe diſcernere ab alio.

a 1. Cor. 4. 7.

V°. Si per hoc poſſit aſſignari ratio, quarè Deus hunc trahat, & non alium, contrà S. Auguſtinum qui ubique id negat; quod ſimiliter negat Molina quòd non trahitur, quià vult homo: nec etiam poteſt oſtendi quòd alius non trahatur, cùm Molina dicat, quòd ſæpè Deus eos trahit, qui nihil priùs egerunt boni.

VI°. Id etiam eſſet Pelagianiſmus, ſi ex ſententiâ Molinæ ſequeretur contrà S. Auguſtinum quòd homines non converterentur quià nolunt; quià Auguſtinus *Epiſtol. 107. ad Vitalem*, a contrarium dicit, affirmans homines non ſalvari, non quià ipſi nolunt, ſed quià Deus non vult. Qui etiàm in multis aliis locis affirmat, homines non ſalvari quià ipſi nolunt: ut patet *L. 2. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 17.* b dicit enim ibi, quòd homines à divinâ gratiâ non adjuventur, in eis cauſa eſt. Cujus concordiam dicebat eam eſſe, quòd homines non ſalvarentur, quià videlicèt Deus non vult eis dare gratiam efficacem: at verò non ſalvantur quià ipſi nolunt; quià reſiſtunt gratiæ ſufficienti quam Deus omnibus dat.

a *Nunc 217. tom. 2. cap. 6. num. 19. col. 806.*

b *Tom. 10. n. 26. col. 54.*

VII^um^. Aliud c ſimiliter P. Valentia adhibuit caput, cujus nunc memoriam non habeo, quià aliis occupationibus præventus hiſtoriam hujus conſcribere non potui niſi poſt quinque dies ab elapsâ Diſputatione.

c Occurrit poſteà hoc 7ũ. fuiſſe ſi diceret Molina, illud facere quod in ſe eſt, hominem ſe diſponere ad habendum gratiæ auxilium.

Poſt hæc prædictus Valentia dixit: hanc Propoſitionem Molinæ defendi à triginta Doctoribus graviſſimis, inter quos legit ibi ſanctum Thomam *q. 14. de veritate art. illo 11°. An homo teneatur explicitè credere, in ſol. ad primum & ſecundum.* Ubi affirmabat id expreſsè haberi à S. Thomâ. Sicut & *1. 2. q. 89. art. 6.*, quià dicebat quòd ſi homo nutritus in ſylvis ſervaret rationis ductum in proſecutione boni, & fugâ mali, Deus illum certiſſimè illuminaret de ſupernaturalibus. Et in *ſol. ad ſecundum* dicit: quòd quamvis non ſit in poteſtate noſtrâ cognoſcere ea quæ ſunt fidei &c. Undè inferebat Valentia, quòd facientibus

Digitized by Google

nobis quod in nobis eſt ex ſolâ naturæ facultate, Deus dat illuminantem gratiam. Et dicebat: quòd licèt aliqui velint interpretari locum iſtum de faciente quod in ſe eſt ex divino auxilio, tamen S. Thomas contrarium videtur aſſerere, quià ait, non eſſe in poteſtate noſtrâ cognoſcere ea quæ ſunt fidei ex nobis ipſis, id eſt, ſine auxilio gratiæ; nàm cum auxilio gratiæ in poteſtate noſtrâ quidem hoc eſt. At verò ſi nos fecerimus quod in nobis eſt, id eſt, quod eſt in noſtrâ poteſtate, ut ſcilicèt ductum rationis ſequamur, Deus nos illuminabit. Ergò ſentit quòd facienti quod in nobis eſt ex ſolâ facultate naturæ, Deus dat gratiam. Aliàs non dixiſſet S. Thomas inter unum & alterum. Adduxit etiàm eundem Sanctum *1. 2.* ubi dicit: quòd ſi homo perveniat ad uſum rationis, & ſequatur rationis ductum, Deus illuminabit illum.

Adduxit etiàm Albertum Magnum dicentem: quòd facienti quod in ſe eſt ex naturæ viribus, Deus tribuat gratiam. Adduxit Medinam, & legit quatenùs dicebat hoc eſſe probabile. Adduxit & Richardum idem affirmantem. Et tandem concluſit ſe habere triginta, qui hoc cum Molinâ teneant. Et in ſuâ diſputatione duas integras horas conſumpſit, & tandem finivit. Legit etiàm MSS. Cardinalis Toleti, qui dicebat: quòd facienti quod in ſe eſt, Deus det gratiam, facienti, inquam, ex naturæ viribus.

Statìm F. Thomas de Lemos, licentiâ ex more habitâ dicendo, BEATISSIME PATER, ad cujus pedes, quæcunque dixero, humiliter ſuppono (nam Jeſuitæ nunquàm ſimilia vel æquivalentia verba Sanctiſſimo protulerunt, quià ſic ordinariè incipiebant: Beatiſſime Pater, Diſputatio de quâ agitur eſt &c.) Deindè idem F. Thomas dixit: quòd omnia quæ PP. Societatis in defenſionem Molinæ dixiſſent ad duo capita reducenda videbantur; & illa adjuvante Domino ità retulit eo ordine quo fuerant propoſita, ut omnes mirarentur. Quod abſque dubio ſine divino adjutorio fieri non potuit. Quibus breviter & ſubſtantialiter relatis dixit: ad hæc omnia adjuvante Domino, in ſecundâ hujus Diſputationis parte, ità ſatisfaciam, ut oſtendam ipſa nihil Molinam adjuvare, vel excuſare poſſe, quin per antiquos Patres, & antiqua Concilia verè maneat convictus, quòd reipsâ & quòad ſenſum defendat, gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari, & gratiam Dei non eſſe neceſſariam ad ſingulos actus. Quæ fuit illa antiqua, mala, malèque diffamata, & meritò damnata Pelagianorum ſententia.

Et accedens P. Lemos ad principale difficultatis punctum, illam his breviſſimis terminis comprehendit. Facienti quod in ſe eſt ex ſolâ naturæ facultate Deus gratiam tribuit: ergò præcedit voluntas hominis facientis quod in ſe eſt, gratiam divinam: ergò gratia datur quià volumus: ergò gratia datur ex merito.

Cui argumento reſpondens P. Valentia dixit: quòd S. Auguſtinus loquebatur contrà illos, qui ponebant initia quædam ex fide, cui gratia infallibiliter dabatur. Et volebat iterùm dicere, & conſumere tempus.

Tunc Cardinalis Aſculanus dixit F. Thomæ, ut non argueret cum Valentiâ, ſed omnia Sanctiſſimo proponeret, ut clariora fierent, nec eſſet confuſio. Et adhuc loquente Valentiâ, dixit ei Frater Lemos: P. Valentia, audivi te per multas horas; audias modò quæ dicuntur. Nec enìm dubites, quòd omnia iſta veniant manifeſtanda.

Et incipiens aperire vim difficultatis propoſitæ illis tribus illationibus, ſic dixit: primum antecedens eſt Molinæ expreſſum, & prima conſequentia eſt idem omninò quòd antecedens. Si enìm datur gratia facienti quod in ſe eſt ex ſolâ naturæ facultate, præcedere debet voluntas hominis facientis quod in ſe eſt, gratiam divinam: ſi autem præcedit voluntas hominis, gratia datur quià volumus: hoc enìm

Digitized by Google

enim expreſſiſſimè docet S. Auguſtinus *Epiſt. 107. ad Vitalem*, a quam & ibi publicè legit; & apparuit S. Auguſtinum pro eodem omninò reputare quòd voluntas hominis præcedat gratiam divinam, & quòd gratia detur quià volumus. Si autem gratia datur quià volumus, datur ex merito; ut apertiſſimis verbis docet S. Auguſtinus *L. 3. Hypognoſticon cap. 5.* b ibi enim dicit: *quòd ſi vox iſta jàm credentis non eſt, quomodò invocabunt in quem non crediderunt? Non ergò homo voluntate ſuâ adhuc in vitio liberi arbitrii claudicante, prævenit Deum ut cognoſcat, & quærat eum, tanquàm gratiam pro meritis accepturus; ſed præcedit, ut jàm dixi, miſericordiſſimâ gratiâ ſuâ Deus, hominis ignorantis, & nondùm ſe quærentis, voluntatem liberi arbitrii, ut eum ſe ſcire & quærere faciat &c.* Quo publicè lecto, apparuit S. Auguſtinum docere, quòd ſi gratia datur quià volumus, datur ex merito. Et addidit F. Lemos: notiſſimus eſt ille locus S. Auguſtini *Lib. 2. contrà duas Epiſt. Pelagg. cap. 8.* c in quo Julianus, ut fugeret vocem *meritum*, & damnatam invidiam evaderet, dicebat, præcedere in homine imperfectam boni cupiditatem, quæ ex eo quòd erat imperfecta, non habebat rationem meriti. Et tamen S. Auguſtinus dicit: *verùm & ſic dicunt gratiam ſecundùm merita noſtra dari*: id eſt non ſe excuſent, dicentes eſſe imperfectam cupiditatem boni; quià & ſic datur gratia ſub merito. Et infert: *Si enim ſine Dei gratiâ per nos incipit cupiditas boni; ipſum cœptum erit meritum.* Quid clarius? Ex eo quòd nos aliquo modo incipiamus actum liberi arbitrij quocunque modo, infert S. Auguſtinus meritum. Item notiſſimus eſt locus alius *contrà Julianum Lib. 4. cap. 8.* d *Ibì enim vos, ut video, ponere jàm cœpiſtis merita gratiam præcedentia, quod eſt petere, quærere, pulſare, &c.* Notanda ſunt illa Auguſtini verba: *Ibì vos, ut video, ponere jàm cœpiſtis merita gratiam præcedentia*, in eo quòd dicitis, quòd petenti ex facultate naturæ, id eſt, facienti quod in ſe eſt, datur gratia. Ille Julianus non dicebat ſub formalibus verbis gratiam dari ſub merito; ſed tantùm aſſerebat nos incipere, & Deum adjuvare, & quòd petentibus nobis ex nobis datur gratia: & contrà ipſum ex hoc infert S. Auguſtinus quòd meritum conſtitueret gratiæ.

a Nunc 217 tom. 2. cap. 5. num. 17. col. 805.

b Hic liber non eſt D. Auguſtini, lege in Append. tom. 10. col. 15.

c Tom. 10. n. 17. & 18. col. 442. & 443.

d Tom. 10. n. 40. col. 605.

Item Julianus ipſe *L. 1. contrà duas Epiſt. cap. 19.* a ſolùm dicebat, hominem incipere ſine Deo, & Deum in eodem opere adjuvare; & S. Auguſtinus contrà ipſum dicit: *ſed dixiſti, in bono opere à Dei gratiâ ſemper adjuvari; tanquàm ſuâ voluntate, nullâ Dei gratiâ bonum opus aggreſſus, in ipſo jàm opere divinitùs adjuvetur, pro meritis, videlicèt, voluntatis bonæ.* Cùm ergò Molina in multis locis ſuæ doctrinæ, quæ jàm in præcedentibus Congregationibus ſunt oſtenſa, eadem omninò verba dicat, quòd Deus adjuvat hominem in eodem conatu ab ipſo homine incepto, contrà ipſum convincit S. Auguſtinus, quòd meritum conſtituit. Ubì & illud maximè advertendum eſt, quòd poſtquàm Pelagius in Paleſtinâ Synodo compulſus eſt abjurare, *gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari*, nullus Pelagianorum aut Semipelagianorum auſus fuit verbis expreſſis & formalibus aſſerere, gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari; ſed latenter retinentes prædictam hæreſim, conſtituebant principium quoddam, ex quo per evidentem conſequentiam Sancti deducebant contrà ipſos illos tenere gratiam ſecundùm merita noſtra dari. Principium autem erat quòd homo incipiebat, & Deus adjuvabat; quod aliis verbis eſt dicere, quòd homo faciebat quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus, & deindè Deus illum adjuvabat ſuâ gratiâ.

a Tom. 10. n. 37. col. 427.

Item & illud maximè advertendum, quòd ſancti Doctores, quandò contrà Pelagianos, & potiſſimè contrà Semipelagianos convincebant, illos meritum gratiæ admittere, nomine meriti, non intelligebant meritum in ſtrictâ ſignificatione, ſecundùm quod

 apud

apud Theologos vocatur meritum de condigno, vel ad æquivalens; ſed nomine meriti comprehendebant omne illud quod eſſet meritum vel de condigno, vel de congruo; vel eſſet diſpoſitio, ſeu qualiſcunque præparatio ad gratiam; vel eſſet conditio ſine quâ non; vel ſola occaſio; vel quidquid aliud minimum quod imaginari poſſet naturale ex parte hominis, cui gratia ipſa infallibiliter daretur. Quod eſſe verum oſtendit P. Lemos legendo Caſſianum in multis locis *collationis 13ª*. ubì negabat apertis vocibus, ſicut Molina, meritum: & tamen S. Proſper contrà ipſum convincebat ipſum meritum conſtituere. Legit etiam alia loca Caſſiani, ubì in illis operibus naturæ antecedentibus ſolùm ponebat occaſionem gratiæ dandæ, & quantulamcunque ſcintillam: & tamen ſancti Doctores meritum contrà illum inferebant.

Immò Petrus Diaconus, a qui ante mille annos ad illam ſanctam Sedem ab Oriente pervenit, ut teſtaretur fidem ſuam contrà Semipelagianos, apertè docet quòd quantulacunque minima ſcintilla ponatur ex libero arbitrio, cui gratia detur, illa eſt meritum gratiæ. Immò affirmat quòd ſi hoc detur, totum deputatur libero arbitrio, quià ipſum omnia, videlicèt ſuo naturali opere, meretur. Undè Fulgentius *in libro de Incarnatione & Gratiâ* cum aliis quindecim Epiſcopis, contrà Pelagianos fatetur, quòd quantulacunque ſcintilla ponatur in libero arbitrio, cui gratia detur, illa eſt meritum gratiæ.

a Vide hujus Tractatum apud Fulgentium.

Similiter Generalis S. Dominici legit locum in S. Auguſtino, ubì dicebat, quòd, quodcunque opus præceſſerit ex libero arbitrio, cui gratia daretur, illud erat meritum ipſius. Quare F. Thomas aït: quòd S. Auguſtinus *L. de prædeſt. Sanct.* contrà Semipelagianos agebat, qui dicebant illa opera naturæ quibus gratia dabatur, non eſſe merita; & tamen *in capite ſecundo*, b quod ibì legit publicè, dicebat Auguſtinus, quòd in hoc non recedebant à damnatâ Pelagij ſententiâ, conſtituentis meritum ad gratiam. Immò miratur, & meritò, S. Auguſtinus, quòd hæc dicentes negent eſſe merita voce ipsâ. Aït enìm: *quis autem dicat eum qui jàm cœpit credere, ab illo in quem credidit nihil mereri?* Et infrà: a *Nec attenditur cùm hoc dicitur, non ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum iſtam mercedem credentibus imputari.* Nec tunc attendebatur, nec, quod majus eſt, poſtquàm S. Auguſtinus hæc ſcripſit, modò attenditur.

b Tom. 10. num. 3. & 4. col. 791.

a Ibidem. num. 6. col. 793.

Itèm S. Proſper, & Hilarius in Epiſtolis ad Auguſtinum referebant ex Semipelagianis illa opera nihil omninò valere; & tamen his nonobſtantibus, Sancti contrà affirmant illos merita conſtituere. Et ratio eſt evidens. Quià gratuita omninò donatio iſta eſt, quæ datur intuitu ſolius donantis: at verò illa quæ datur intuitu alicujus tenentis ſe ex parte recipientis, quodcunque illud ſit, etſi ſit minimum, ſecundùm jura vocatur ob cauſam, ſivè magnam, ſivè parvam: & ſic non omninò gratuita, ſed aliquo modo debita, & cadens ſub aliquo priori merito.

Et tandem Concilium Arauſicanum hoc apertè docuit, & definivit. In canone enìm ultimo ſic dicit: b *Inſuper, & hoc ſalubriter profitemur & credimus, quòd in bono opere nos non incipimus, & poſteà per Dei miſericordiam adjuvamur: ſed ipſe nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem ſui priùs inſpirat &c.* In quo Canone, Concilium duo facit. In primâ parte damnat propoſitionem in terminis, ſicut à Semipelagianis aſſerebatur, quòd ſcilicet, non datur miſericordia incipientibus nobis, etſi illam dicant dari gratìs, & ex miſericordiâ, ut ſemper dicebant, & modò Molina dicit. Secundò declarat in ſecundâ parte, quòd illa quæ ab ipſis vocabatur *miſericordia* voce, ut ſe occultarent, reipsâ erat debita, & juſtitia. Et hoc eſt, quod aït: *ſed ipſe, nullis præcedentibus meritis.* Quaſi dicat: illæ inceptiones quas negatis eſſe merita, merita ſunt.

b In Appendice tom. 10. Op. S. Aug. col. 160.

Digitized by Google

a Ibid. col. 158. ſunt. Et Canone 6°. dicit : a *Si quis ſine gratiâ Dei, credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus, petentibus, quærentibus, pulſantibus nobis miſericordiam dicit conferri divinitùs; non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia ſicut oportet agere valeamus, per infuſionem, & inſpirationem S. Spiritûs in nobis fieri confitetur; & aut humilitati, aut obedientiæ humanæ ſubjungit gratiæ adjutorium, nec ut obedientes & humiles ſimus, ipſius gratiæ donum eſſe conſentit; reſiſtit Apoſtolo &c.* Quem totum Canonem ibì legit F. Thomas, & tres partes aperuit manifeſtè; in quarum primâ damnatur, *ſi quis dixerit miſericordiam dari credentibus ſine gratiâ* &c. Immò, *vigilantibus, ſtudentibus, &c.* in quibus actus omnes, tàm de objectis ſupernaturalibus, qualis eſt credere, quàm actus morales comprehendit dicens: *quòd ſi datur gratia vigilantibus &c. contradicit Apoſtolo dicenti* : b *quid habes, quod non accepiſti?* b 1. Cor. 4. 7. Et in ſecundâ parte Canonis manifeſtat, quòd ſi gratia & miſericordia daretur illis naturæ operibus, illa opera naturæ fierent ab homine prout ad ſalutem oportet. Et in tertiâ parte ut omnia præcluderet, dicit: quòd qui ſubjungit gratiæ adjutorium priori voluntati aut obedientiæ humanæ, contradicit Apoſtolo. Igitur ſubjungat Molina & PP. Societatis quodcunque voluerint, priori voluntati hominis facientis quod in ſe eſt ex naturæ viribus, adjutorium gratiæ, nàm ſic contradicunt Apoſtolo ſecundùm definitionem Concilij.

Similiter in hâc Congregatione, contrà illam Molinæ legem adduxi ego F. Thomas ex S. Fulgentio *L. de Incarnat. & grat. cap. 27.* ubì dicit : *nemo ergò naturali lege conetur aſſignare legem, quam Deus, non condendo, ſed donando gratiam, in corde gentium ſcribit.* Et modò alium clariorem appono; c Lib. 1. de vocat. Gent. cap. 9. c *manet prorsùs, & quotidiè impletur quod Abrahæ Dominus ſine conditione promiſit, ſine lege donavit.* Cùm ergò Deus gratiam donat, ſine lege aliquâ quòd facienti quod in ſe eſt ex naturæ viribus gratia donetur, illam tribuit.

In eo autem quod recurrunt ad meritum Chriſti Domini, antequam declarem quantam injuriam faciant Chriſti merito, oſtendo locum S. Auguſtini, *ex L. 4. contrà duas epiſt. Pelagg. cap. 5.*, qui ſic habet : a *Nuſquam autem iſti inimici gratiæ ad eandem gratiam vehementiùs oppugnandam occultiores moliuntur inſidias, quàm ubì legem laudant, quæ ſine dubitatione laudanda eſt.* a Tom. 10. n. 11. col. 474. Hoc Auguſtinus. Et ſtatìm ſubjunxit F. Thomas : ſic ego minimus omnium ſequens Auguſtinum dico: nunquam vehementiùs divina gratia impugnatur, quàm quandò prætextu meritorum Chriſti impugnatur. Dicunt Chriſtum meruiſſe, ut facienti quod in ſe eſt Deus det gratiam. Quaſi meritum Chriſti pugnet contrà meritum Chriſti; vel ad hoc meritum Chriſti ordinetur, ut gratia non ſit gratia, ſed naturæ debita. Abſit hoc à merito Chriſti. An volunt PP. Societatis Chriſtum Dominum ſuo merito fundare, novo abſurditatis genere, ſententiam Pelagianam? Quomodò hoc non vident, qui hoc dicunt? Quænam fuit Pelagianorum ſententia, niſi quòd gratia deberetur naturæ operibus? Si ergò hoc Chriſtus meruit, ut ſi homo faceret quod in ſe eſt ex naturæ viribus, gratia daretur, profectò meruit ut gratia eſſet debita operibus naturæ, & Pelagium ſuo merito adjuvabit. Quid dicunt Pelagiani, niſi quòd incipiente homine, Deus ipſum adjuvat? Si ergò hoc Chriſtus meruit, ſuo merito ſententiam illorum fundat, & facit ut homo in ſeipſo poſſit adversùs Deum gloriari, & dicere : habeo ex me aliquid cui ex merito Chriſti gratia debetur.

Propter tria inconvenientia, in hanc ſententiam devenerunt Pelagiani ut dicerent, quòd homini incipienti Deus aſſiſtebat adjuvans. 1°. Ut ſic inerti & invito gratia non daretur. 2°. Ut locus eſſet correptioni. 3°. Ut auferretur à Deo perſonarum acceptio. Quo-

modòcunque

modòcunque autem, ſivè per meritum Chriſti, ſivè aliâ viâ ipſis concederetur, quòd facientem quòd in ſe eſt Deus ſuâ gratiâ adjuvat, obtinerent quòd poſtulabant, & gauderent, & quieſcerent. Præterea & illud evidens eſt, quòd jam hinc homini applicaretur meritum Chriſti, & gratia, quià ipſe vult: quæ eſt Pelagiana ſententia. Nam ſecundùm iſtorum ſententiam, Chriſtus offert ſuum meritum omnibus, ſi tamen faciant quod in ſe eſt. Demus ergò duos homines, alterum facientem quod in ſe eſt, alterum verò non; & dicamus quarè ille de facto recipit gratiam, & non alius. Certè nulla eſt ratio, niſi quià iſte facit quod in ſe eſt, alter verò non. Nàm ex parte Dei, omni facienti quod in ſe eſt, meritum & gratia Chriſti eſt oblata. Quòd autem de facto applicetur huic & non alij, eſt quià iſte facit quod in ſe eſt, & faciendo applicat ſibi meritum Chriſti, alter verò non. Cùm autem totum negotium noſtræ ſalutis in eo ſit, quòd gratiam nobis applicemus; ſi homo ex ſe ſine Deo, ſibi ſalutem applicat, ipſe ſe diſcernit, & ipſe eſt cauſa ſuæ ſalutis. Immò, quod magìs eſt, non ſolùm gratia, ſed ipſum meritum Chriſti, ſub priori naturæ merito conſtituitur: quod non obſcurè dicit Molina, cùm aït: eſſe rationi valdè conſonum, ut gratia ex meritis Chriſti illi homini detur. Cùm autem Chriſtus non poſſit facere, niſi id quod rationi eſt conſentaneum, fit, quòd non poteſt ſuum meritum illi non applicare homini; & ſic meritum Chriſti eſſet aliquâ ratione, ſaltem ſecundùm pietatem, debitum operibus illis. Immò Molina *eâdem diſp. 10.* a dicit eſſe indignum Dei miſericordiâ, quòd non det gratiam facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus: cùm autem Deus non poſſit facere aliquid indignum ſuâ miſericordiâ, fit conſequens, quòd debet ſic ſuam miſericordiam & gratiam ſeu meritum Filij ſui applicare; & ſic illud eſſet debitum naturæ operibus, & ſub merito caderet.

a *§. Hanc ſententiam pag. 33. col. a.*

Poſt hæc dixit F. Thomas: venio jam ad omnia quæ P. Valentia dixit. Nam in hâc parte, in vitium vitio coarctamur alieno, ut ſimus oneroſi Sanctitati veſtræ, quià omnia ſub brevi tempore dici non poſſunt. In primis dixit Molinam non ponere meritum. Sed iſta dicebant Semipelagiani, & convicti ſunt, (ut ex dictis patet) & Molina cum illis, quòd meritum conſtituant. Et ad id quod dixit, gratiam habitualem dari certâ lege homini habenti contritionem, non tamen homo meretur gratiam: advertant qui hæc dicunt, gratiam habitualem eſſe debitam contritioni, ſecundùm quod procedit ex divino auxilio; & ſic Deus, qui diſponit hominem ad gratiam, ſibi ipſi debet dare gratiam. Quòd ſi ipſe homo ex ſe ad gratiam ſe diſponeret, ipſi homini gratia debita eſſet.

Ad aliud autem quod dixit de accedente ab Baptiſmum, qui infallibiliter recipit caracterem, quem tamen non meretur, dicendum 1°. quòd homo accedens ad Baptiſmum ex motione Dei accedit, & ſic ipſi Deo moventi hominem ad Baptiſmum, eſt debitum caracterem conferri, quòd ad actionem Baptiſmi certâ lege conſequitur. a Illud autem quod de Sanctitate veſtrâ adjecit, multò gravius eſt. Nunquid enim vult Valentia quòd veſtra Sanctitas ad definiendum res fidei, qui eſt ſupremus Eccleſiæ actus, ſeipſum moveat, ſine Spiritu S. movente veſtram Sanctitatem ad id? Abſit. Sed ipſe Spiritus ſanctus, qui certâ lege promiſit Sanctitati veſtræ infallibilem ſui aſſiſtentiam, ipſemet movet Sanctitatem veſtram ad definiendum, & Spiritus ſanctus, ſibi ipſi moventi debet, ut aſſiſtat ſecundùm quod Chriſtus Dominus id meruit.

a Hæc omnia ſequentia dixit P. Lemos flexis genibus, uſque ad, id meruit.

Ad illud autem aliud, quod aït P. Valentia, Molinam non ponere initium fidei in nobis; quomodò ipſe Pater, ſui oblitus, hæc dixit? An non recordatur quòd ipſemet alio loco dicat, quòd ſi mediatè detur gratia, ad hunc modum, quòd facienti quod in

ſe

ſe eſt datur auxilium, ut conſequatur gratia, tunc aliquale initium juſtificationis ponitur in homine? quod non eſt conſonum Conciliis Arauſ. II. & Trid.; quod ſemel atque iterùm repetit. Quomodò ergò contrà ſeipſum loquitur, & alium accuſat, ut ſe defendat?

Ad S. Thomam veniens, dixit: mentem S. Thomæ eſſe illam quam Valentia dixerat, & refutaverat: quòd videlicèt homini facienti quod in ſe eſt ex divino auxilio Deus dat gratiam. Nam verba ſic habent: a *quòd ſi homo ſequatur ductum rationis in appetitu boni, & fugâ mali, certiſſimè à Deo illuminabitur.* Conſtat autem quòd ſequi ductum rationis, eſt ſequi legem naturæ, quæ in ductu rationis conſiſtit, in appetitu boni, id eſt, præceptis affirmativis, & fugâ mali, id eſt, negativis; ſervare autem legem naturæ, in mille locis ſuæ doctrinæ docet S. Thomas non poſſe fieri ſine ſpeciali auxilio gratiæ. Et prætereà quià ibì S. Thomas loquebatur de illuminatione explicitâ fidei, quam dicit Deum dare ſequenti naturæ ductum, ut patet in Cornelio ad quem inſtruendum de fide explicitâ Chriſti, aït S. Thomas, miſſus fuit Apoſtolus Petrus. Conſtat autem quòd Cornelius ex divino auxilio priùs faciebat opera bona. Ergò vel in hoc exemplo advertat Valentia expreſſam S. Thomæ ſententiam. Et *1. 2.* clariùs S. Doctor ſic dicit: & legit *art. 3. q. 112.*, & ponderavit illud dictum, *quomodòcunque ſit paratum &c.* Et dixit quòd ſatis Doctor ſanctus ſe declarabat in his verbis. Inſuper quomodò debebat intelligi illud axioma: *facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam*, explicatur à ſex ex Societate, à Cardinale Bellarmino *L. 1. de grat. & lib. arb. cap. 6.* §. *3. objici poteſt, &* §. *reſpondeo, &* §. *ſanè qui docent.* A Stapletonio, quem tanti faciunt. A Vaſquez *1. 2. diſp. 199. cap. 2.* §. *his omnibus.* A Suarez *L. 3. de auxil. cap. 10.* §. *duo autem.* Et clariùs, *L. 3. cap. 2.* §. *ex his ergò colligitur.* Et ab ipſo P. Valentiâ *1. 2. diſp. 8. q. 3. de diviſione gratiæ, puncto 4.* §. *ſed objiciet, &* §. *reſpondebo, &* §. *in Concilio*; quòd videlicèt debet intelligi, quòd facienti quod in ſe eſt ex divino auxilio, Deus dat gratiam, ſecundùm quod S. Thomas docet, & S. Bonaventura, ſic explicant Doctores ex Societate hoc axioma, conformiter ad S. Thomæ, quem citant, ſententiam. Et Stapletonius & Driedo idem omninò dicunt, & liberant Catholicos ab injuriâ, quam illis hæretici hujus temporis imponũt, dicentes ipſos ſentire quòd datur gratia facienti quod in ſe eſt.

a 1. 2. q. 89. art. 6.

Cùm hæc dixiſſet, ipſum interrumpens P. Valentia, aït: quòd S. Thomas loquebatur de gratiâ juſtificante, quæ non dabatur facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus; non autem loquebatur de primis donis gratiæ. Cui F. Thomas reſpondit: Franciſcus Suarez, *ubì ſuprà*, reverâ penetrans mentem S. Thomæ in hâc parte, benè dicit: quòd ideò S. Thomas loquitur de gratiâ juſtificante, & de ſecundis donis gratiæ, quæ dantur facienti benè quod in ſe eſt ex priori gratiæ dono, quià videt S. Thomas, quòd reſpectu primi doni gratiæ non poterat verificari, quòd daretur facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus. Immò S. Auguſtinus *Lib. 4. contrà duas Epiſt. Pelagg. cap. 6.* a docet quo ſenſu debeat intelligi, quòd facienti quod in ſe eſt detur gratia, dicens: quòd hoc quod dicitur *Deum adjuvare uniuſcujuſque bonum propoſitum*, id eſt, adjuvare facientem quod in ſe eſt, *ſine ſcrupulo acciperetur Catholicum*, ſi ſic dicatur, quòd *ipſum bonum propoſitum, quod conſequens adjuvat gratia, non eſſe potuiſſet in homine, ſi non præcederet gratia*; ubì dicit: quòd ſi bonum propoſitum præcedit, jam eſt meritum. Similiter Generalis S. Dominici alium locum obtulit legendum F. Thomæ, ex ſancto Auguſtino, ubì idem dicebat.

a Tom. 10. num. 13. col. 475.

Tùm ſubjunxit F. Lemos: ex Doctoribus P. Valentia citavit Ruardum; ſed non debuiſſet, quià in hâc parte notatur à Lovanienſibus, quòd non ſequatur doctrinam S. Auguſtini: & quidem

quidem in loco citato refert Fauſtum, & ipſum in doctrinâ ſequitur; cujus tamen doctrinam damnat Gelaſius *in cap. ſancta Romana diſtinct. 15.* Citavit etiam Zumel. Sed Zumel dicit expreſsè, quòd ſi lex conſtituatur de dandâ gratiâ, ſicut Molina conſtituit, eſt ſententia erronea. Immò aït: etiamſi ſub dubio dicatur, fortaſsìs eſſe legem talem. Et dicit ſe hoc tenere, contrà modernos hujus temporis. Citavit etiàm Alenſem; ſed ipſe Vaſquez liberat ipſum ab hâc injuriâ, & probat ex verbis ejus, ipſum nihil tale dicere. Citavit etiam Altiſſiodorenſem........ Tunc dixit P. Valentia: nos non adducimus iſtos authores. Cui P. Lemos: iſte eſt unus ex illis triginta relatis. Et tunc omnes Cardinales riſerunt. Sed Altiſſiodorenſis contrarium omninò dicit; quià loquitur de faciente quod in ſe eſt ex divino auxilio, ut patebit legenti. Medina autem contrarium omninò docet & probat. Licèt autem dicat eſſe probabile, id ideò fecit, quià de qualificandâ illâ propoſitione non tractabat tunc ex profeſſo, & ex uno verbo obiter dicto ab uno Doctore non ſumitur argumentum.

In ſummâ concludo, quòd iſta propoſitio Molinæ à nullo Sanctorum, vel Scholaſticorum docetur cum his ſeptem capitibus quibus illam exornat Molina. 1°. Nullus dicit, quòd ſi illa non præcedant, id eſt, opera naturæ, non conſuevit Deus illam, ſcilicèt, gratiam prævenientem dare; ut Molina dicit *in Concordiâ diſp. 9. §. quod hâc. verſu. etenim quamvis.* a quem locum legit. 2°. Nullus dicit, quòd homo per illa opera naturæ ſit proportionatus ad recipiendam gratiam: ſicut Molina dicit, *in diſp. 9. §. patet.* b Et, *q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. membr. 11. §. illud addendum verſu. quin ſicut.* c 3°. Nullus dicit, quòd propter illa detur gratia; ſicut Molina affirmat *diſp. 10. per totam.* d Et, *q. 14. art. 13. diſp. 14. memb. 5. §. poſt hanc verſu quoniam verò.* e Et, *diſp. 44. §. quòad primum. verſu quià ergò.* f Et, *diſp. 9. §. ſæpè.* g Et clariùs, *diſp. 45. §. accipe ergò.* h 4°. Nullus dicit, quòd de hoc ſit certa lex; immò multi hanc legem condemnant, ut diximus. 5°. Nullus dicit, quòd Deus facientem quod in ſe eſt in eodem opere ſeu conatu adjuvat; ſicut dicit Molina. Immò hoc tantùm dixit Julianus, quem Molina ſequitur. Nec valet dicere quòd Molina non dicat, in eodem opere numero: nam apud Philoſophos, & Metaphyſicos hæc pervia ſunt: quòd ſunt eadem numero materiali non formali; ſicut de actione & paſſione dicitur, quòd ſint idem motus materialiter non formaliter. Nam quæ differunt genere, differunt ſpecie; & quæ differunt ſpecie, differunt numero; ac per conſequens actio & paſſio differunt numero formali, non materiali. Sic conatus naturalis & gratia ſuperveniens differunt quidem numero formali, ſed materialiter idem numero actus eſt. 6°. Nullus dicit, quòd *eatenùs quatenùs*, ſicut Molina, quem ibì legit, id eſt, *ideò quià.* Cui reſpondit Generalis Jeſuitarum: non eſt idem *eatenùs quatenùs*, &, *ideò quià.* Cui F. Lemos: verum eſt non eſſe omnibus modis idem, quià majorem formalitatem importat *eatenùs quatenùs*, quàm *ideò quià.* Et ſubdidit: ſed addit Molina: *& hâc ratione*, id eſt, propter hoc, vel quià volumus. Et tunc tacuit Generalis ille. Et tandem 7°. nullus dicit, quòd ſic faciens quod in ſe eſt, ſi conetur naturæ viribus mori pro Deo, efficiatur Martyr, ut Molina dicit hoc loco. Certè aures horrent audire, quòd homo ſeipſum efficiat Martyrem. Tùm Valentia: dicit Molina quòd Deus dabit illi gratiam. Cui F. Thomas: nullus Pelagianorum dicit quòd ex ſolis naturæ viribus quis Martyr efficiatur, ſed quòd faciendo actum naturalem mereatur, ad id obtinendum, gratiam: quod ſimiliter dicit Molina. Et hìc finivit F. Thomas.

Tunc P. Valentia, volens ad hæc iterùm reſpondere, aliqua dixit ità extrà propoſitum, ut reverà multi mirarentur; & inter alia dixit: nullum

eſſe

a *Edit. Antuerp. pag. 30. col. 2.*
b *Pag. 29. col. 2.*
c *Pag. 372. col. 2.*
d *Pag. 31. & ſeqq.*
e *Pag. 56. col. 2.*
f *Pag. 179. col. 2.*
g *Pag.*
h *Pag. 189. col. 1.*

Digitized by Google

eſſe meritum, ex eo quòd Deus multotiès convertit illum, qui ex ſe pervenit ad Eccleſiam. Cui F. Thomas: non eſt lex quòd quotiès id homo facit, Deus gratiam det, ut ait Molina. Et dicit Valentia: non loquimur hìc de quotiès. Cui Frater Thomas: immò nihil aliud tractatur.

Deindè iterùm inſtitit Valentia in prædicto loco, *ex q. 14. diſputatâ* S. Thomæ ad oſtendendum quòd ibì loquatur de homine faciente quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus. Cui Frater Thomas, quià ſua Sanctitas præceperat, nihil reſpondit. Et tandem 3°. fecit inſtantiam Valentia, quòd Semipelagiani ideò ſunt damnati, quià ponebant ex naturâ quædam initia ex fide, cui gratia dabatur.

Et cùm finiviſſet, jàmque conſumptæ fuiſſent in diſputatione ferè quinque horæ, inſinuantibus Cardinalibus F. Thomæ ut finiret, & ipſo nihil volente ampliùs dicere, ſua Sanctitas præcepit ei ut diceret. Tunc igitur ipſe dixit: tota difficultas eſt quòd Semipelagiani dicebant illa initia eſſe ſalutaria ex naturâ, & haberi per naturam ex fide. Dixit ſua Sanctitas: *ità eſt.* Tunc F. Thomas: tria breviſſimè oſtendo. 1m. Illum actum fidei quem Semipelagiani conſtituebant, eſſe actum merè naturalem ex facultate naturæ habitum. 2m. quòd ipſi verbis dicebant, non eſſe fidem piam & Catholicam. 3m., quòd per S. Auguſtinum convicti ſunt illam eſſe Catholicam & piam fidem.

Primum eſt conceſſum jam nunc à Patre Valentiâ, & id expreſsè habetur in Concilio Arauſicano II. *can. 6.* ubì ſic dicitur: *ſi quis ſine gratiâ Dei credentibus &c.* erat ergò credulitas ſine gratiâ, & ſic merè naturalis. Secundum dicit S. Auguſtinus, & jam recordor me id dixiſſe coràm Sanctitate veſtrâ, nempè *L. de prædeſt. Sanct. cap. 2.* a quem locum legens, licèt à Jeſuitis interrumperetur, aperuit quòd Semipelagiani verbis, ne repugnarent divinis Litteris, dicebant illam non eſſe fidem piam; ſed S. Auguſtinus contrà illos convincit eſſe piam, & hanc ipſos dare naturæ viribus, ſicut Molina, qui dicit hominem ex naturæ facultate poſſe aſſentiri revelatis, tanquàm à Deo revelatis actu merè naturali, in quo fidem Catholicam conſtituit, quæ eſt de revelatis; & tamen verbis dicit illum actum non eſſe pium & ſalutarem.

a Tom. 10. num. 3. & ſeq. col. 791.

Tunc dixit Armachanus: eſt hìc æquivocatio de actione piâ, vel ex parte termini, vel ex parte principij. Tunc reſpondit F. Thomas: ità eſt, quòd Semipelagiani conſtituebant fidem piam ex parte objecti, & termini, quià verſabatur circà divina revelata; at verò Sancti Patres contrà illos convincebant, quòd etiam actio illa deberet eſſe pia ex parte principij, ut ſic iſta tria parificarentur, actus, principium, & finis, ſeu terminus; ità ut ſi actio erat de objecto & termino pia, oportebat quòd proveniret à principio pio, & non ex merâ naturâ, ut illi dicebant. Et quidem verbis negabant Semipelagiani illam fidem piam: nam ſi aſſererent fidem Catholicam & piam eſſe ex nobis, & non ex Deo, etiàm à parvulis lapidarentur. Verbis ergò negabant, & re concedebant, ſicut facit Molina.

Tandem P. Valentia pro magno, ultimò adjunxerat S. Patrem Auguſtinum *L. 19. de civit. Dei cap. 13.* ad probandum quòd Deus det infallibili lege gratiam facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus: nam aperto Libro ſic legebat, & multùm illum locum expendebat: a *Deus ergò naturarum omnium ſapientiſſimus Conditor, & juſtiſſimus Ordinator, qui terrenorum ornamentorum maximum inſtituit mortale genus humanum, dedit hominibus quædam bona, huic vitæ congrua, id eſt, pacem temporalem, pro modulo mortalis vitæ, in ipsâ ſalute & incolumitate ac ſocietate ſui generis, & quæque huic paci vel tuendæ vel recuperandæ neceſſaria ſunt, ſicut ea quæ aptè ac convenienter adjacent ſenſibus, lux iſta viſibilis, auræ ſpirabiles, aquæ potabiles, & quidquid ad alendum, tegendum, curandum, ornandumque corpus congruit: eo pacto æquiſſimo,*

a Tom. 7. num. 2. col. 558.

Digitized by Google

quiſſimo, ut quicunque mortalis talibus bonis, paci mortalium accommodatis, rectè uſus fuerit, accipiat ampliora atque meliora, ET *ipſam immortalitatis pacem.* Sic enìm in Libro legebat. Et expendebat verbum illud *pacto æquiſſimo;* dicens S. Auguſtinum apertè docere, quòd ex lege, vel ex *pacto* Deus dabat dona gratiæ, ET immortalitatem, benè utenti ex ſolis naturæ viribus bonis illis temporalibus.

Poſtquam autem finivit, F. Thomas de Lemos, cùm illum Librum de Civitate Dei apud ſe non haberet, ex divino tamen auxilio efficaciter adjutus, recordatus fuit in illo loco ſancti Auguſtini eſſe verbum quoddam, SCILICET, quod tamen P. Valentia non legerat: & ſumptâ fiduciâ, Sanctiſſimo dixit verba iſta: PATER BEATISSIME, quâ intentione P. Valentia permutaverit verba S. Auguſtini & ablato S. Auguſtini verbo, de ſuo aliud appoſuerit, non eſt meum judicare. Sanctitas veſtra judicabit. Unum erit proprium, aperire ipſum truncaſſe S. Auguſtini verba. Ne autem dicant aliquandò PP. Societatis, id eſſe ex defectione codicis, præcipiat Sanctitas veſtra, ut detur mihi idem numero liber, in quo ipſe legit; & in eo oſtendam iſtum Patrem truncaſſe verba S. Auguſtini, vel illa ſaltèm permutaſſe.

Tunc facto ſigno à Sanctiſſimo, ut illius librum acciperem, acceſſi ad ipſum; quià librum manu tenens quodammodò retinebat, & abſcondebat poſt tergum; & arripiens ipſum quaſi vi, dixi, Sanctiſſimus præcepit. Quo accepto, rediens in priorem locum, in libro legebam totum contextum, quem ille legerat; & veniens ad illa verba *pacto æquiſſimo*, ſic legebam: *eo pacto æquiſſimo, ut quicunque mortalis talibus bonis, paci mortalium accommodatis, rectè uſus fuerit, accipiat ampliora atque meliora, ipſam,* SCILICET, *immortalitatis pacem.* Sic enìm textus habet. Quæ cùm legiſſem, dixi Sanctiſſimo: SCILICET, inquit ſanctus Auguſtinus, Beatiſſime Pater; SCILICET, inquam, SCILICET dicit ſine dubio S. Auguſtinus; & tamen P. Valentia non legit, SCILICET; ſed ablato verbo SCILICET, loco ejus appoſuit ET. Modò autem oſtendam ad quem finem verba permutarit.

Nam poſito verbo SCILICET, eſt ſenſus Catholicus, ut Auguſtinum decet; quià fit ſenſus planus; quòd Deus pacto æquiſſimo, & ex juſtitiâ dat ampliora dona, SCILICET immortalitatis pacem, benè utentibus ex divinâ gratiâ bonis temporalibus. At P. Valentia, ablato verbo SCILICET, explicativo priorum verborum, appoſuit verbum ET, & copulativè legit: quòd Deus pacto æquiſſimo dat ipſa dona gratiæ, ET immortalitatis pacem, benè utentibus, ex ſolis naturæ viribus, bonis temporalibus. In quo voluit planè S. Auguſtinum, ipſiſſimum habere ſenſum Pelagianum; quià jam gratia *ex pacto æquiſſimo*, & ex juſtitiâ (hæc enìm ſonant verba illa, *ex pacto æquiſſimo*) daretur naturæ operibus. Et hoc voluit S. Auguſtino tribuere, quod perpetuò ipſe in Pelagianis expugnavit; non attendens quòd S. Auguſtinus dicit in Libro de perfectione juſtitiæ,[a] totam Scripturam eſſe plenam his conditionibus, quæ tamen implentur Spiritu gratiæ. Inſuper & legit regulam à S. Auguſtino traditam *ex L. 2. ad Bonifac. cap. 10.*[b] quòd omnia quæ in Scripturis ſacris à Deo, hominibus præcipiuntur, in eiſdem Scripturis ſanctis, à Deo dicuntur donari.

a *Tom. 10. num. 1. & ſeqq. col. 167. & ſeq.*

b *Tom. 10. n. 23. col. 446.*

Tunc dixit P. Valentia: dicit Auguſtinus, quòd benè utenti bonis temporalibus, dentur alia dona, & gloria. Cui F. Thomas: non dicit ſic littera; ſed tantùm quòd benè utenti temporalibus, (ex gratiæ, videlicèt, dono) dantur potiora bona, SCILICET, SCILICET inquam, pax immortalitatis: quod eſt dicere, quòd ex juſtitiâ datur gloria, benè utenti ex divinâ gratiâ bonis temporalibus, ſecundùm illud Apoſtoli:[c] *de reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die juſtus judex.*

c *2. Tim. 4. 8.*

Statìm autem ſua Sanctitas dixit:

ipſe

Digitized by Google

ipſe S. Auguſtinus ſe manifeſtè declarat in cap. ſequenti. Et tunc protinùs F. Thomas: illum locum ſignatum habeo, Pater Beatiſſime. Sic enìm ſanctus dicit Auguſtinus proſequens eandem materiam: a *Sed nè ipſo ſtudio cognitionis, propter humanæ mentis infirmitatem, in peſtem alicujus erroris incurrat, opus habet magiſterio divino, cui certus obtemperet, & adjutorio, ut liber obtemperet.* Ecce manifeſtè, ut benè utatur temporalibus, ut expedit ad ſalutem, & nè propter infirmitatem illis utatur contrà ſalutem animæ, opus habet magiſterio & adjutorio divino; & ſic benè utenti temporalibus ex divinæ gratiæ adjutorio, dantur meliora bona, Scilicet immortalitatis pax. Quomodò ergò contrà tàm apertam S. Auguſtini mentem volunt PP. Societatis S. Auguſtinum docere, quòd benè utenti temporalibus, ex ſolis naturæ viribus, dantur *pacto æquiſſimo* gratiæ dona, & immortalitatis pax, truncatâ Litterâ S. Auguſtini, & ablato illo verbo Scilicet, quod tamen totam litteram manifeſtat? Nè autem etiam dicant Patres, me, ſicut & illos, non rectè legere, ſicut littera habet, præcipiat Sanctitas veſtra, ut unus ex aſſiſtentibus legat.

a *L. 19. de civit. Dei cap. 14. col. 559. tom. 7.*

Tunc ipſe Pontifex cum indignatione magnâ intuens ipſum Valentiam, manibus & geſtu, dixit: Hò, Hò! & poſt pauca, cùm vellet P. Valentia reſpondere, paſſus eſt tàm potentem vertiginem, ut cadens in terram, extrà ſe totus jaceret; quem ſuus Generalis inclinatus conabatur elevare, dicens Pontifici: quòd paſſus erat P. Valentia vertiginem. Et ſic cùm alij occurriſſent, ſimul cum Generali Societatis, illum levantes foràs miſerunt. Et ſic finita fuit Congregatio.

APPENDIX
AD NONAM CONGREGATIONEM.

Finitâ præcedente Congregatione Nonâ finitum ſimul fuit cum illâ illud Scriptum b continens illa octo Capita, & Dubia ſignata.

b *Vide ſuprà col. 3. & ſeqq. uſque ad 7.*

Similiter in hâc Congregatione finivit P. Valentia diſputare, quià in hâc Congregatione vertigine capitis cecidit coràm Sanctiſſimo, & Congregatione universâ: & ex tunc ità cœpit graviter infirmari, ut tandem poſt aliquot dies miſſus Neapolim, ibì mortuus fuerit. Indè neceſſe habuerunt PP. Societatis alium diſputantem loco ejus intromittere. Et ſic introduxerunt P. Arrubal Regentem ſui Collegij Romani, qui ſimul cum ſuæ Societatis Generali acceſſit ad primam ſequentem Diſputationem, quæ fuit numero decima, in quâ illud aliud tertium Scriptum ſuprà ſignatum c oportebat diſputare, in quo quatuordecim Dubia continentur, cujus eſt Titulus: *An Molina cum Caſſiano conveniat in ſequentibus Concluſionibus?* Quod & propriâ ſubſcriptione Sanctiſſimi, ubi ſuprà, habes prænotatum. Præcepitque Sanctiſſimus, ut utraque pars breviter Scripto reſponderet Sanctitati ſuæ circà illa quatuordecim Dubia, antequam coràm Sanctitate ſuâ publicè de illis diſputaretur.

c *Vide ſuprà coll. 7. & 8.*

Undè & ego Frater Thomas de Lemos ſequens Scriptum Sanctiſſimo obtuli pro Concordiâ Molinæ cum Caſſiano.

Vide Hiſt. Congreg. de Auxil. in Præf. §. 11. pag. XL. & L. 3. à c. 15 ad 22. ſive à col. 486. ad 472. Itèm L. 2. c. 16. col. 259. Itèm L. 3. cap. 8. col. 389. Itèm l. 1. cap. 15. col. 106. Itèm l. 2. à c. 11. ad 21. ſivè à col. 230. ad 303

RESPONSIO
FRATRIS THOMÆ DE LEMOS
DATA SANCTISSIMO.

An Molina cum Caſſiano conveniat in ſequentibus Concluſionibus?

CONCLUSIO I.

Quòd homo in naturâ lapsâ habeat naturale judicium ad cognoſcendum bonum & malum; habeatque naturalem facultatem ad utrumque amplectendum, abſque eo quòd aliquam ponant diſtinctionem.

CASSIANUS.

Quòd homo in naturâ lapsâ habeat naturale judicium ad cognoſcendum bonum & malum, dicit Caſſianus ſub his verbis: a *Concepit ergò Adam poſt prævaricationem, quam non habuerat ſcientiam mali; boni verò quam acceperat ſcientiam non amiſit. Denique non amiſiſſe humanum genus poſt prævaricationem ſcientiam boni, etiam Apoſtoli ſententiâ evidentiſſimè declaratur, quâ dicit:* b *cùm enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt &c.*

a Collat. 13 cap. 12. verſu concepit.

b Rom. 2. 14.

Reflectio. Certum eſt quòd non loquitur ibi de ſcientiâ ſupernaturali, hanc enim fatetur ſe amiſiſſe amiſsâ gratiâ, ut eſt apertiſſimum; ſed loquitur de ſcientiâ naturali objecti moralis & naturalis, ut patet ex authoritate Apoſtoli inductâ.

MOLINA.

Quòd autem habeat homo in naturâ lapsâ naturale judicium ad cognoſcendum bonum & malum, dicit Molina ſub his verbis: c *In homine eſt lumen naturale ad cognoſcendum, quid honeſtum, decens, & conſentaneum rectæ rationi ſit &c.*

c Diſp. 5. §. ea verò Ed. Ant. p. 17. col. 2.

Reflectio. Locus ille: creavit Deus hominem ad imaginem &c. quem adducit Molina, in eodem ſenſu ad idem adducitur à Fauſto *L. 2. de gratiâ cap. 7. ℣. imago ergò Dei.*

CASSIANUS.

Quòd autem habeat homo in naturâ lapsâ facultatem ad utrumque amplectendum, ſubjungit ſtatìm idem Caſſianus poſt pauca dicens: d *adjacere autem homini in quamlibet partem, arbitrij libertatem, etiam Liber ille, qui dicitur Paſtoris apertiſſimè docet, in quo duo Angeli unicuique noſtrûm adhærere dicuntur, id eſt, bonus & malus; in hominis verò optione conſiſtere ut eligat quem ſequatur. Et idcircò manet in homine ſemper liberum arbitrium, quod gratiam Dei poſſit vel negligere vel amare.*

d Eâd. concluſ. & cap. ℣. adjacere.

Reflectio. Pelagius ſic dicebat, referente ſancto Auguſtino *L. de grat. Chriſt. cap. 18.* e *Habemus autem poſſibilitatem utriuſque partis à Deo inſitam, velut quamdam, ut ità dicam, radicem fructiferam atque fæcundam, quæ ex voluntate hominis diverſa gignat & pariat.* Cæterùm liber iſte Paſtoris apocryphus eſt, ut dicitur à Gelaſio *cap. ſancta Romana diſt. 15.*

e Tom. 10. num. 19. col. 238.

MOLINA.

Quòd autem habeat facultatem ad bonum & malum amplectendum patet. Nam explicans illud *Eccleſiaſtici 15. Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui; adjecit mandata & præcepta ſua. Si volueris*

mandata

Digitized by Google

mandata ſervare, conſervabunt te. Appoſui tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi. inquit, a quòd in eo teſtimonio ſermo eſt cum homine per naturam lapſam. Sentit ergò, quòd homo in naturâ lapsâ habeat facultatem arbitrij ad bonum & malum amplectendum. Itèm etiam *in §. Joan. 1.* b explicans illud: *dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* & illud *Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata.* inquit, quòd noſtræ optioni relinquitur velle aut nolle ingredi, & ſervare aut non ſervare mandata.

a *Diſp. 23. memb. 2. §. Eccleſiaſtici 15°. pag. 93 col. 2.*

b *Ibid. pag. 94. col. 1.*

Reflectio. Fauſtus *L. 2. de grat. & arb. cap. 9. ℣. magna, & verſu primùm* idem quòd Molina dicit. Et *L. 1. cap. 9. ℣. audi*, eodem modo explicat illud: poſui ante faciem tuam &c. Deindè hæ explicationes ſunt contrà Auguſtinum *L. 3. Hypognoſt. cap. 9. in principio*; & contrà S. Thomam *1. 2. q. 109. art. 8. ad 3.* qui explicant de homine in naturâ integrâ. Itèm S. Auguſtinus *L. de perfect. juſtitia propè finem*, c hæc eadem loca explicat, de homine in naturâ lapsâ, ſed adjutâ per gratiam. Vide illum * *verſu, itèm in Deuteronomio*, & *verſu, itèm apud Salomonem*, & *verſu, non quia hoc.*

c *Tom. 10. num. 41. & ſeq. col. 186 & 187.*

* *Scilicet* Molinam.

CONCLUSIO II.

Quòd gratia illuminans, vocans, & excitans ſufficiat ad ſalutem.

CASSIANUS.

Sufficere ad ſalutem excitantem gratiam, dicit Caſſianus ſub his verbis: d *Et rursùs ſi nos nolle vel intepuiſſe perſpexerit, adhortationes ſalutiferas admovet cordibus noſtris, quibus voluntas bona, vel reparetur, vel formetur in nobis.* Et iterùm e ſic dicit: *Dubitari ergò non poteſt ineſſe quidem omni animæ naturaliter virtutum ſemina, beneficio Creatoris inſerta; ſed niſi hac opitulatione Dei fuerint excitata, ad incrementum perfectionis non poterunt pervenire.* Sentit ergò ſufficere Dei excitationem, ut ad ſalutem & perfectionem homo perveniat.

d *Collat. 13 cap. 11. in fine ℣. & rursùs.*

e *Ibid. cap. 12. ℣. dubitari.*

Reflectio. Formatur ergò vel reparatur bona voluntas exhortationibus; ergò ſi fuerint excitatæ, hoc ſufficit ut perveniant homines ad perfectionem & ſalutem. Eaſdem excitationes videtur admiſiſſe Pelagius ut patet ex S. Auguſtino *L. de grat. Chriſti capp. 7. & 10.* f

f *Tom. 10. coll. 233. & 235.*

MOLINA.

Hanc eandem excitantem gratiam ſufficere ad ſalutem dicit Molina his verbis: g *Ex dictis intelligetur facilè, unam & eandem numero gratiam, quatenùs excitat, allicit, & invitat arbitrium noſtrum ad actus credendi, ſperandi, diligendi, aut pœnitendi, appellari prævenientem ac excitantem gratiam; eâque conſideratione prævenire arbitrium noſtrum ad ejuſmodi actus. Quatenùs verò jàm conſentiente arbitrio noſtro, & cooperante actus ad quos illa invitat, & allicit, ipſa quoque novo influxu & actione cooperatur eoſdem actus; appellari adjuvantem ac cooperantem gratiam.*

g *Diſp. 40. §. ex dictis p. 164. col. 1.*

Reflectio. Fauſtus *L. 1. de grat. & hum. ment. arb. cap. 17. ℣. ità.* ſic loquitur: *Ità Dominus invitat volentem, attrahit deſiderantem, erigit adnitentem. Quid eſt autem attrahere, niſi prædicare, niſi Scripturarum conſolationibus excitare, increpationibus deterrere, deſideranda proponere, intentare metuenda, judicium comminari, præmium polliceri?*

CONCLUSIO III.

Quòd homo poſſit ex ſolâ facultate naturæ diligere Deum ſuper omnia.

CASSIANUS.

Ex eo quòd Caſſianus dixit: h *Dubitari ergò non poteſt ineſſe quidem omni animæ naturaliter virtutum ſemina, beneficio Creatoris inſerta*; S. Proſper ſic contrà ipſum infert: *Et tanta eſt ſecundùm iſtum liberi arbitrij, vel incolumitas, vel facultas; ut charitatem, quæ in omnium arce virtutum eſt, non ex Dei munere, ſed ex ſolâ habeat voluntate.* Hoc dicit S. Proſper contrà Collatorem *cap. 30. ℣. & tanta eſt, propè finem.* i

h *Collat. 13 cap. 12. ℣. dubitari.*

i *Tom. 10. Oper. ſancti Auguſtini, in Append. cap. 13. n. 42. col. 186*

Reflectio.

Reflectio. Pelagius ſic dicebat: *qui currit ad Deum, & à Deo ſe regi cupit, id eſt, voluntatem ſuam ex ejus voluntate ſuſpendit; qui ei adhærendo, unus, ſecundùm Apoſtolum, a cum eo fit Spiritus; non hoc niſi de arbitrij efficit libertate.* Quod refert ſanctus Auguſtinus *L. de grat. Chriſti cap. 22. in fine:* b ubì charitatem ex homine tribuit Pelagius. Hæc enìm eſt quæ facit in homine Spiritum unum cum Deo. Vide Auguſtinum *L. 4. contrà Julian. cap. 3. in fine.* Et *L. 2. contrà duas epiſt. Pelagg. cap. 9.* & *L. 2. de grat. & lib. arb. cap. 18.*

a 1. Cor. 6. 17.

b Tom. 10. n. 24. col. 240.

MOLINA.

Expreſſiùs Molina ſtatuit hanc propoſitionem dicens: c *Poſſe hominem ſolis viribus naturalibus arbitrij noſtri, & concurſu generali Dei elicere actum abſolutum merè naturalem dilectionis Dei ſuper omnia, qui ad juſtificationem nequaquàm ſufficiat; & pari ratione propoſitum abſolutum ſervandi in genere omnia præcepta, præſertìm quandò omnes occaſiones & difficultates abſunt.*

c Diſp. 14. memb. 3. §. duo quadã & §. ſecundum eſt. p. 50. col. 2. & 51. col. 2.

CONCLUSIO IV.

Quòd Deus exſpectet noſtros conatus; quòdque aliquandò Deus nos præveniat.

CASSIANUS.

Primam partem hujus Concluſionis expreſsè tradit Caſſianus dicens: d *Et ità ſemper gratia Dei noſtro in bonam partem cooperatur arbitrio, atque in omnibus illud adjuvat, protegit ac defendit, ut nonnunquàm & ab eo quoſdam conatus bonæ voluntatis, vel exigat, vel exſpectet; nè penitùs dormienti aut inerti otio diſſoluto, ſua dona conferre videatur; occaſiones quodammodò quærens, quibus humanæ ſegnitiei torpore diſcuſſo, non irrationabilis munificentiæ ſuæ largitas videatur.*

d Collat. 13. cap. 13. in princip.

Secunda pars, quòd videlicèt aliquandò nos præveniat, aſſeritur à Caſſiano, cùm aït: e *prævenit ergò hominis voluntatem miſericordia Domini, de quâ dicitur: Deus meus, miſericordia ejus præveniet me....* Et rursùs dicit: f *quorumdam quidem volentium & ſitientium curſum ad majorem invitare flagrantiam; quoſdam verò etiam nolentes invitoſque compellere.*

e Collat. 13. cap. 12. ℣. prævenit.

f Collat. 13. cap. 17. in principio.

MOLINA.

Primam partem etiam hujus aſſertionis æquivalentibus planè verbis affirmat Molina dicens: g *profectò hæc omnia apertiſſimè oſtendunt, Deum ſemper paratum eſſe ad opitulandum, at per nos ipſos ſemper ſtare, quòd ad Deum non convertamur, fidemque & gratiam non conſequamur: Apocal. 3. ſto ad oſtium & pulſo &c. Planè ſine ullâ intermiſſione ad oſtium cordis ſtat, paratus ſemper conatus noſtros adjuvare, deſideranſque ingreſſum. Non tamen ſine intermiſſione pulſat ſpecialibus auxiliis; ſed ſæpè, non ſolùm quandò ſe apta occaſio offert, ſed etiam quandò torpens & pigrum liberum noſtrum proſpicit arbitrium.*

g Diſp. 10. §. 1°. ℣. profectò p. 32. col. 2.

Itèm ſic dicit: h *Etenìm quamvìs Deus illam* (ſcilicèt prævenientem gratiam) *non conferat propter ea quæ antecedunt, ſed merè gratis; nihilominùs, niſi illa antecedant, conferre eam non ſolet.* Sentit ergò quòd Deus exſpectat; quòd autem Deus nos præveniat, ſic dicit: i *licèt autem Deus non vocet ad fidem, propter merita aliqua ejus, qui vocatur; immò ſæpè eos etiam miſericorditer vocet, qui pertinaciter reſiſtunt & contradicunt.* Idem dicit *diſp. 14. §. poſt hanc ℣. quoniam, memb. 5.*

h Diſp. 9 §. quod hãc ℣. etenìm pag. 30. col 2.

i Ibidem §. patet 3°. ℣. licèt. p. 29. col. 2.

Reflectio. Fauſtus *L. 1. citato cap. 7. in fine*, ſic dicit: *fidem exſpectat à parvulis; opera etenìm cum fide à confirmatis requirit.* Sentit ergò quòd Deus exſpectat. Immò Suarez *L. 1. Opuſc. cap. 15. §. 12.* ex illo Apocalypſis 3°., dicit inferri evidenter, quòd exſpectet ſtans pulſans ad oſtium. Vide locum. Itèm Fauſtus *L. 2. citato cap. 10.* ait de Deo: *invitus homini pondus damnationis imponit, qui remedium ſatisfactionis oſtendit, & ſedulæ ſervitutis obſequium exſpectat.* Itèm Fauſtus *L. 1. citato cap. 11. cæterùm ſicut ab homine indefeſſæ ſervitutis exſpectanda devotio eſt, ità operis conſummati Domino eſt deputanda perfectio.*

CONCL.

Digitized by Google

CONCLUSIO V.

Quòd Deus quodammodò occaſiones quærat, & exſpectet, ut datio & elargitio ſuæ gratiæ rationabilis videatur.

CASSIANUS.

Expreſsè habetur in Caſſiano, loco nunc immediatè citato. Sic enìm dicit: a *Et ità ſemper gratia Dei noſtro in bonam partem cooperatur arbitrio, atque in omnibus illud adjuvat, protegit, & defendit, ut nonnunquàm etiàm ab eo quoſdam conatus bonæ voluntatis, vel exigat, vel exſpectet; ne penitùs dormienti aut inerti otio diſſoluto, ſua dona conferre videatur, occaſiones quodammodò quærens, quibus humanæ ſegnitiei torpore diſcuſſo, non irrationabilis munificentiæ ſuæ largitas videatur, dùm eam ſub colore cujuſdam deſiderij ac laboris impartit.*

a *Collat. 13 cap. 13. ſtatim in principio.*

Item alibì aït: b *occaſione ſibi tantummodò à nobis bonæ voluntatis oblatâ &c.*

b *L. 12. de inſtit. cap. 14.*

MOLINA.

Loquens Molina de eo qui paratus eſt obedire veritati, dicit: c *Rationi valdè conſentaneum eſt, ut hunc potiùs, quàm illum*, (qui videlicèt contradicit) *miſericorditer adjuvet Deus.* Itèm alibì aït: d *Rationi, Scripturis ſanctis, quìn & ipſi quodammodò experientiæ valdè conſentaneum judico, ut licèt Deus dona gratiæ, quæ nobis Chriſtus promeruit, tanquàm nulli debita, diſtribuat pròut vult; leges tamen ordinarias, in eiſdem donis, gratìs adultis diſtribuendis, magnâ ex parte uſui arbitrij ipſorum, regimini, atque conatui, Eccleſiæ accommodaverit.* Et alio loco ait: e quòd *quandò ſe aperta occaſio offert, pulſat.*

c *Diſp. 9. §. patet 3°. ℣. licet pag. 29 col. 2.*

d *Ibidem §. quamvis p. 28. col. 2.*

e *Diſp. 10. §. 1. circà finem ℣. planè p. 32. col. 2.*

Reflectio. *Fauſtus L. 2. cap. ult. §. niſi*, dicit: *niſi priùs explorata fuerit inquirentis aviditas; in quo jucundabitur benignitas largientis? Niſi fuerit obedientiæ promiſſa devotio, gratiæ vileſcit oblatio. Simulque verecundia remunerantis eſt, ſi honoretur otioſus, ſi remuneretur ignarus.*

CONCLUSIO VI.

Quòd homo in naturâ lapsâ ſufficientes vires habeat ad reſiſtendum gravibus tentationibus, & ad ſuperandum ſingula difficilia.

CASSIANUS.

Loquens Caſſianus de tentationibus Job, ſic dicit: f *Sed cùm nullam hujuſcemodi querimoniam calumnioſus hoſtis poſt conflictum audeat iterare, non Dei ſed illius ſe victum viribus confitetur. Licèt etiam gratia Dei non in totum illi defuiſſe credenda ſit, quæ tantam tentatori tentandi tribuit poteſtatem, quantam & illum reſiſtendi noverat habere virtutem.* Et rursùs aït: g *quid eos neceſſe eſt vel tentari, quos ita infirmos novit ac fragiles, ut nequaquã virtute ſuâ valeant reſiſtere tentationi? Sed utiquè nec tentari eos juſtitia Domini permiſiſſet, niſi parem in eis reſiſtendi sciſſet ineſſe virtutem, quâ poſſent æquitatis judicio in utróque merito, vel rei, vel laudabiles judicari.* Et iterùm: h *Quamobrem ſicut in illis eſt inſtigationis copia, ità & in nobis virtus reſpuendi, ſivè acquieſcendi libertas eſt attributa.*

f *Collat. 13. cap. 14. ℣. ſed cũ nullam.*

g *Ibid. ℣. Et quid eos.*

h *Collat. 7. cap. 8. ℣. quamobrem.*

Reflectio. Idem dicit Pelagius, ut conſtat ex ſancto Auguſtino *L. de grat. Chriſti cap. 27., & Epiſtol. 106.* Quòd nempè homo ex ſe poterat reſiſtere tentationibus, & ad id ſufficientes vires habeat.

MOLINA.

Idem Molina proponit ſub his terminis: i *Quod verò nunc diſputamus, eſt, an interìm dùm judicium rationis non abſorbetur, maneat nihilominùs in eodem arbitrio, cum ſolo concurſu generali Dei, libertas ad non conſentiendum, in quocunque temporis momento, cuicunque gravi tentationi, & ad ſuperandam quamcunque magnam difficultatem, quam, pro ſervandâ in eo ſolo inſtanti lege naturali, neceſſe ſit vincere, etiamſi eâ de cauſâ mors ſit toleranda; ità videlicèt, ut ſi conſentiat, peccet, eo quòd ſecluſo quocunque alio majori auxilio, in poteſtate ipſius, tametſi non ſine ingenti difficultate, poſitum ſit, non tranſgredi tunc legem? An*

i *Diſp. 19. memb. 1. p. 68. col. 1.*

Digitized by Google

verò non maneat in eo eventu libertas, ac proindè èſto ſciens ac prudens tranſgrediatur legem, non peccet, quià in poteſtate ipſius non eſt eam tunc non tranſgredi? Et affirmativam partem hujus quæſtionis defendit, tùm ut probabilem, tùm ut propriam ſuã, ſicut conſtat *ex* §. *fortè mirabitur,* a addito in impreſſione Antuerp.

a *Ibid. mẽb. 6. pag. 81. col. 2.*

Reflectio. Fauſtus *L. 2. citato, cap. 8.* dicit: *De Dei bonitate eſt quòd vocatur, de propriâ voluntate quòd promptè obſequatur. Job quoque ſine animi libertate incumbenti in ſe hoſti non potuiſſet obſiſtere; ſed jungit magnanimitatem cordis cum auxilio protectoris.* Contrà Molinam aït Innocentius *epiſt. ad Concil. Milevit. apud Auguſt. 93.* b *Quid enìm acerbius in Deum fingere potuerunt, quàm cùm adjutoria divina caſſarent, cauſamque divina, id eſt, quotidianæ precationis auferrent? hoc eſt dicere, quid mihi opus Deo? Meritò in hos dicat Hymnidicus:* c *Ecce homines qui non poſuerunt Deum adjutorem ſibi.* Et S. Auguſtinus *L. de perfect. juſtit. in fine* dicit: d *ſed planè quiſquis negat nos orare debere, nè intremus in tentationem; (Negat autem hoc, qui contendit ad non peccandum, gratiæ Dei adjutorium non eſſe homini neceſſarium; ſed lege ſolâ acceptâ humanam ſufficere voluntatem) ab auribus omnium removendum, & ore omnium anathematiſandum non dubito.*

b *Nunc 638 num. 3. col. 639. tom. 2.*

c *Pſ. 51. 9.*

d *Tom. 10. cap. 21. n. 44. col. 190.*

CONCLUSIO VII.

Quòd eadem ſit expoſitio 1. Cor. 10. Caſſiani & Molinæ.

CASSIANUS.

Locus eſt: *fidelis Deus, qui non permittet vos tentari ſuprà id quod poteſtis.* e Circà quem ſic dicit Caſſianus: f *Cùm verò ſubjungit Apoſtolus, fidelis eſt Deus, qui non permittet vos tentari ſuprà id quod poteſtis; non utique optat, nè eos Dominus tentari permitteret; ſed nè ſuprà id quod ſuſtinere poterant, tentarentur. Illud enim indicat humani arbitrij facultatem; hoc verò Domini gratiam, tentationum luctamina moderantis, oſtendit.* Magis adhuc ſe explicat, *Collat. 7. cap. 8.* ℣. *quamobrem.*

e *1. Cor. 10 9.*

f *Collat. 13 cap. 14.* ℣. *cùm verò ſubjungit.*

MOLINA.

Sub his verbis præfatum locum explicat Molina. g *Ad primum locum Pauli, dicendum eſt, ità eſſe intelligendum: non patietur vos tentari, pluribus, videlicèt, & difficilioribus & diuturnioribus tentationibus, quàm pro ratione auxilij, quod ipſe Deus impenderit, poſſitis commodè ſuſtinere: indè verò non ſequitur, aliquam eſſe tentationem, quam, in poteſtate noſtrâ non ſit, ex noſtris viribus in quocunque temporis momento, ſuperare, ſi pro viribus pugnare voluerimus.*

g *Diſp. 19. memb. 5.* §. *ad primum p. 78. col. 1.*

Reflectio. Dicit itaque Molina illum locum non eſſe ſic intelligendum, ut indigeamus Dei auxilio ad ſuperandam gravem in particulari tentationem. Undè graviùs errat quàm Caſſianus, ut oſtendetur in Diſputatione.

CONCLUSIO VIII.

Quòd ante receptionem gratiæ ſervanda ſit laus libero arbitrio.

CASSIANUS.

Loquens Caſſianus de fide Centurionis, poſt aliqua ſic concludit: h *Miratur eum Dominus atque collaudat; cunctiſque illis, qui ex Iſraëlis populo crediderant, præfert, dicens: amen dico vobis,* i *non inveni tantam fidem in Iſraël. Nullius enìm laudis eſſet ac meriti, ſi id in eo Chriſtus, quod ipſe donaverat, prætuliſſet. Alioquin dixiſſet: non dedi tantam fidem in Iſraël.*

h *Collat. 13 cap. 14.* ℣. *miratur.*

i *Matth. 8. 10.*

Reflectio. Fauſtus *Lib. 2. citato* de Cornelio ait: *Et in Centurione Cornelio, quià præceſſit voluntas gratiam, ideò prævenit & gratia regenerationem.* Julianus autem apud ſanctum Auguſtinum *L. 2. contrà duas Epiſt. Pelagg. capp. 7. & 8.* k Similiter aſſerebat, quòd ſi non præceſſiſſet aliqua imperfecta boni cupiditas in homine, invito & reluctanti gratia dabatur.

k *Tom. 10. n. 17. col. 442.*

MOLINA.

Expreſſiùs Molina ſic loquitur: l *Eo tamen modo Deum ſuâ ſapientiâ leges, quibus vitam ſpiritualem atque ejus incrementum conferret, accommodaſſe, ut*

l *Diſp. 9.* §. *ut quæ hâc. p. 30. col. 2.*

ſicut

ſicut per gratiam hominis naturam ex ſe liberam perficiebat, ità etiam ante receptionem gratiæ, & in ipſâ gratiæ receptione, ac poſteà in augmento illius, ſuum locum libero relinqueret arbitrio, quatenùs ipſe ità author eſſet omnium bonorum, omniaque ei accepta referrentur, ut nihilominùs libero arbitrio propria induſtria & laus ſervaretur. Et explicans alibì, a quæ ſit iſta induſtria, dicit eſſe aliquid, quod *eâ præciſâ ratione, quâ provenit à noſtro arbitrio, non ſit à Deo, niſi tanquàm ab authore naturæ, qui nobis eam facultatem contulit, ut eo pacto liberè noſtras actiones bonas cum eo cooperaremur; eâque ratione in laudem & meritum nobis caderent, tanquam quæ eo modo in noſtrâ eſſent poteſtate.*

a *q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 6. §. ad primã. p. 328. col. 2.*

Reflectio. Fauſtus *Lib. 2. cap. 8.* hanc induſtriam tribuit arbitrio, dicens: *nihil hìc, ut opinor, redolet præſumptionis, cùm & hoc ipſum inceſſabiliter aſſeram, quòd Deo ipſam debeam voluntatem: præſertìm cùm in omnibus ejus motibus ad opus gratiæ referam, vel inchoationis initia, vel conſummationis extrema.* Fauſtus ſemper dicit, hominem incipere aliquo deſiderio, licèt deſiderium illud non vocet initium ſalutis. Undè alibì: *quià autem vel initium, vel finem arrogare præſumit &c.*

CONCLUSIO IX.

Quòd ad donum perſeverantiæ nihil aliud requiratur, quàm gratia habitualis, & auxilium ſufficiens.

CASSIANUS.

Explicans illud: b *qui ſtat, videat nè cadat,* aït Caſſianus c *ſollicitam reddit arbitrij libertatem, quam utique noverat perceptâ gratiâ, vel ſtare per induſtriam, vel cadere per negligentiam poſſe.* Et iterùm: d *Tertium quoque,* id eſt, auxilium ſufficiens, *ad Dei munera pertinere, ut acquiſitæ virtutis perſeverantia teneretur; ſed ità ut captivitatem libertas addicta non ſentiat,* id eſt, ne detur ut perſeverantes ſimus; ſed tantùm illa ſine quâ per liberum arbitrium perſeverare non poſſumus. Quod eſt auxilium ſufficiens ad perſeverandum. Sic enìm explicat Semipelagianorum ſententiam ſanctus Hilarius dicens: e *Deindè moleſtè ferunt, ità dividi gratiam, quæ vel tunc primo homini data eſt, vel nunc omnibus datur; ut ille acceperit perſeverantiam, non quâ fieret ut perſeveraret, ſed ſinè quâ per liberum arbitrium perſeverare non poſſet. Nunc verò Sanctis in Regnum per gratiam prædeſtinatis, non tale adjutorium perſeverantiæ detur; ſed tale ut eis perſeverantia ipſa donetur: non ſolùm ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verùm etiàm ut per hoc donum non niſi perſeverantes ſint.*

b *1. Cor. 10 12.*

c *Collat. 13 cap. 14. ℣. qui ſtat.*

d *Collat. 13 cap. 18. in fine ℣. 3ũ. quoque.*

e *Epiſt. ad S. Auguſt. ante Lib. de præd. Sanct. num. 6. col. 785. tom. 10*

MOLINA.

De dono perſeverantiæ ſic dicit Molina: f *Etenìm oſtendimus, nullum quidem adultum perſeverare poſſe diù in gratiâ, ſine ſpeciali auxilio Dei; ob idque perſeverantiam in gratiâ eſſe Dei donum; at nulli Deum denegare auxilium, quod ad perſeverandum ſit ſatis. Præterea cum auxilio quo-cum unus uſque ad finem vitæ perſeverat, poſſe, ſi velit, non perſeverare: & cum auxilio, quod Deus confert, præſto-vè eſt conferre ei qui non perſeverat, poſſe perſeverare, per eumque ſtare quòd non perſeveret.* Et poſt pauca: *Quare non ità intelligendum eſt donum perſeverantiæ eſſe à Deo, quaſi per illud poteſtatem auferat ad non perſeverandum, aut quaſi per Deum ſtet, quominùs is perſeveret, qui in peccatum labitur.* Et iterùm: g Ejuſmodi impletio ex duobus pendet capitibus, nempè ex eo quòd libero arbitrio ejus, qui id ſtatuerit, vires adſint ſufficientes, & quòd pro ſuâ innatâ libertate ità cooperetur, ut impleat quod ſtatuit.

f *Q. 23. diſp 1. mẽb. ult. §. ſecũdum eſt. p. 387. col. 2. & 388. col. 1.*

g *Diſp. 14. memb. 3. §. quartò ℣. quià ergò, & ℣. quià verò p. 49. col. 2.*

Reflectio. Ex his patet Molinam admittere perſeverantiæ donum merè ſufficiens, ut conſtat ex ultimâ citatione; & rejicere omne efficax. Quod eſt contrà S. Auguſtinum *L. de dono perſever. cap. 8. ℣. voluntate ſuâ.* h Et, *L. de corrept. & grat. cap. 11. ℣. hæc eſt prima gratia, & ℣. fit quippè in nobis.* i Et, *cap. 12. ℣. primo itaque homini.* k

h *Tom. 10. n. 16. & ſeq. col. 829. & ſeqq.*

i *Tom. 10. n. 31. col. 767. & n. 32. col. 768*

k *Num. 34 col. 769.*

CONCLUSIO X.

Quòd omnia ab eo dicta de conatu liberi

arbitrij reducantur ad actus neceſſarios ad juſtificationem.

CASSIANUS.

Quià Caſſianus dixit: *Qui cùm in nobis ortum* &c. Et quià dixit: *Per naturæ bonum, nonnunquàm bonarum voluntatum prodire principia*, & quædam ſimilia; convincitur à Sanctis Doctoribus, quòd illos conatus conſtituat neceſſarios ad juſtificationem. Ut patet ex S. Proſpero contrà Collatorem *capp. 6. 8. & 27.*

MOLINA.

De illis conatibus dicit Molina; a quòd *niſi præcedant, non ſolet Deus gratiam dare.* Similiter dicit: b quòd *per illos peccator aptus redditur, ut juxtà leges à Deo conſtitutas auxilium gratiæ recipiat.* Itèm dicit: c quòd facienti quod in ſe eſt ex illis naturæ conatibus Deus dat gratiam. Itèm dicit: d quòd propter illos conatus conſuevit ſæpè Deus opitulari citiùs, ac magìs uni quàm alteri.

a *Diſp. 9. §. quod hac in fine. ℣. etenim pag. 30 col. 2.*
b *Diſp. 12. §. ex dictis ℣. adde. p. 37. col. 2.*
c *Diſp. 10. in principio p. 31. col. 1.*
d *q. 23. diſp. 1. memb. 11. §. illud p. 269. col. 2.*

Reflectio. Sentit ergò Molina illos conatus neceſſarios eſſe ad juſtificationem, ſaltèm ſecundùm communem modum, quem Deus in juſtificatione ſervat. Immò cùm ſubſtantia actûs in juſtificatione ſit à libero arbitrio, ut ſic, & non à gratiâ, ut Molina dicit, convincitur illam ſubſtantiam actûs, & conatum illum ſimpliciter eſſe neceſſarium ad juſtificationem, quæ ſine tali ſubſtantiâ actûs non fit. Prætereà idipſum conſtat. Nam *diſp. 10. §. 1°.* e inquit, quòd præſtò ſint nobis auxilia gratiæ, ut eâ ratione, dùm eſſemus in viâ, ſemper in manu liberi arbitrij noſtri poſita eſſet ſalus noſtra.

e *Pag. 31. col. 2.*

CONCLUSIO XI.

Quòd homini ex naturalibus conanti detur gratia; ità tamen ut conatus illi non ſint meritorij gratiæ, nec ſemper neceſſarij.

CASSIANUS.

Quòd homini conanti ex naturæ viribus detur gratia, dicit Caſſianus: f *Qui cùm in nobis ortum quemdam bonæ voluntatis inſpexerit, illuminat eam confeſtim atque confortat. &c.* Et iterùm: g *Nàm cùm viderit nos Deus ad bonum velle deflectere, occurrit, dirigit, atque confortat.*

f *Collat. 13. cap. 8. ℣. qui cùm in nobis.*
g *Collat. 13 cap. 11. ℣. nam cùm viderit.*

Quòd autem conatus illi non ſint meritum gratiæ, aſſerit cùm aït: h *Nemo autem æſtimet hæc à nobis ob hoc fuiſſe prolata, ut nitamur adſtruere ſummam ſalutis in noſtræ fidei ditione conſiſtere, ſecundùm quorumdam profanam opinionem, qui totum libero arbitrio deputantes, gratiam Dei diſpenſari ſecundùm meritum uniuſcujuſque definiunt.* Et pluriès repetit, quòd conatus noſtri antecedentes non minuunt gratiam, ſed ſemper gratuita perſeverat. Ut patet *ex Collat. 13. cap. 13. in principio, & ℣. quantumlibèt ergò.*

h *Collat. 13 cap. 16. in principio.*

Quòd verò conatus illi non ſint ſemper neceſſarij, dicit, cùm affirmat: i *Quorumdam quidem volentium, & ſitientium curſum ad majorem invitare flagrantiam; quoſdam verò nolentes, invitoſque compellere.*

i *Collat. 13. cap. 17. in principio.*

MOLINA.

Quòd homini conanti ex ſuis viribus detur gratia, dicit Molina, cùm aït: k *Inter leges quas tam ipſe Chriſtus, quàm Pater Æternus ſtatuerunt de auxiliis & donis, quæ nobis Chriſtus promeruit, merè gratìs conferendis, una, eaque rationi maximè conſentanea, fuit, ut quotiès ex noſtris viribus naturalibus conaremur facere, quod in nobis eſt, præſtò nobis eſſent auxilia gratiæ.*

k *Diſp. 10. in principio p. 30. col. 1.*

Quòd autem illi conatus non ſint meritorij gratiæ, dicit Molina ſub his verbis: l *Non quidèm quaſi eo conatu dignus efficiatur talibus auxiliis, ullâque ratione ea promereatur.*

l *Diſp. 10. in principio p. 31. col. 1.*

Quòd autem illi conatus non ſemper ſint neceſſarij, dicit ſic: m *Licèt autem Deus non vocet ad fidem, propter merita aliqua ejus, qui vocatur, immò ſæpè eos etiam miſericorditer vocet, qui pertinaciter reſiſtunt, & contradicunt.* Et rurſùs inquit: n Quòd Chriſtus etiam nobis meruit auxilia, quibus ſæpè excitamur omninò.

m *Diſp. 9. §. patet 3°. ℣. licèt pag. 29. col. 2.*
n *Diſp. 14. memb. 3. §. poſt hanc ℣. quoniã verò. Et diſp. 10. §. illud ℣. planè p. 32. col. 2.*

CONCL.

Digitized by Google

CONCLUSIO XII.

Quòd propter bona opera naturalia detur gratia; & quòd tamen utrique eodem modo temperent hanc concluſionem.

CASSIANUS.

Quòd propter opera bona naturalia detur gratia, dicit Caſſianus ſub his æquivalentibus verbis: a *Et ità ſunt hæc quodammodò indiſcretè permixta atque confuſa, ut quid, ex quo pendeat, inter multos magnâ quæſtione volvatur, id eſt, utrùm quià initium bonæ voluntatis præbuerimus, miſereatur noſtri Deus? An quià Deus miſeretur, conſequamur bonæ voluntatis initium? Multi enim ſingula hæc quærentes, ac juſto ampliùs aſſerentes variis ſibique contrariis ſunt erroribus involuti.* Et alibì, b de operibus naturæ præcedentibus gratiam intelligit illud: c *Deus reddet unicuique ſecundùm opera ejus.* Ex quo potiſſimè loco colligit ſanctus Proſper, d aſſerere Caſſianum, aliquid boni operis in nobis præcedere, propter quod gratiam conſequamur.

a *Collat. 13 cap. 11. in principio* ℣. *& ità ſunt.*

b *Collat. 13 cap. 9.* ℣. *quid etiam ſit.*

c *Rom. 2. 6.*

d *L. contrà Collat. cap. 6.* ℣. *quomodò autem In Append. tom. 10. Op. Aug. cap. 3. num. 8. col. 174.*

Hanc tamen aſſertionem ità Caſſianus temperat, ut dicat gratiam non dari propter opera illa, ſicut propter merita, ſed tanquam propter ſolam occaſionem. Ut patet *ex L. 12. de inſtitut. cap. 14.* ubì dicit: *præſtò eſt nàmque Deus, occaſione ſibi tantummodò à nobis bonæ voluntatis oblatâ, ad hæc omnia referenda.*

MOLINA.

Expreſſiùs, & ſub formalibus verbis hoc dicit Molina: e *Quìn ſicut unum peccatum permitti ſolet in pœnam alterius peccati; ſic propter eleemoſinas, & alia opera moraliter bona, facta ab exiſtente in lethali peccato, conſuevit ſæpè Deus opitulari citiùs, ac magìs uni quàm alteri, ut à peccato reſurgat: eâque ratione hujuſmodi opera, non immeritò appellari conſueverunt diſpoſitiones remotæ ad gratiam.* Et alibì: f *quoniam motus gratiæ prævenientis ſæpè ſunt admodùm debiles, tùm propter modicam præparationem & conatum, tùm &c.* Idem dicit alibì.

e *q. 23. diſp. 1. memb. 11 §. illud addendum p. 372. col. 2.*

f *Diſp. 44. §. quoad primum p. 179. col. 2.*

Quam aſſertionem eodem prorsùs temperamento quo Caſſianus, moderatur Molina dùm aït: g *opera illa naturalia non eſſe merita gratiæ, vel condigna ut illis gratia reddatur.* Immò illa vocat *occaſionem ut gratia detur,* ut patet ex illo: h *Planè ſine ullâ intermiſſione ad oſtium cordis ſtat, paratus ſemper conatus noſtros adjuvare, deſideranſque ingreſſum: non tamen ſine intermiſſione pulſat ſpecialibus auxiliis, ſed ſæpè; non ſolùm quandò ſe apta occaſio offert, ſed etiam quandò torpens & pigrum liberum noſtrum proſpicit arbitrium.*

g *q. 23. diſp. 1. memb. 11 §. illud etiam.*

h *Diſp. 10. §. illud etiam.* ℣. *Planè p. 32. col. 2.*

Reflectio. Sic temperat Fauſtus *L. 2. citato cap. 4.* ℣. *totis;* ubì negat meritum in illis operibus, ſic dicens: *Totis ergò viribus laboro, ſed quidquid de ſupernâ largitate perfecero, gratiæ, non induſtriæ deputabo; beneficium vocabo, non præmium; donum teſtabor eſſe, non debitum; remunerationem, non retributionem.*

CONCLUSIO XIII.

Quòd poſſit homo medicum quærere, & ſanitatem deſiderare.

CASSIANUS.

Id affirmat Caſſianus ſub his verbis: i *Nec enim cùm voluerit quis, ſanitate perfruitur, aut de ægritudinis morbo pro arbitrij ſui deſiderio liberatur. Quid autem prodeſt ſanitatis gratiam concupiſſe, niſi Dominus, qui vitæ ipſius uſum tribuit, etiam vigorem incolumitatis impartiat?* Quæ verba impugnans ſanctus Proſper aït: k *Doces ergò non poſſe quidem hominem per ſeipſum apprehendere ſanitatem, ſed habere cum à ſemetipſo deſiderium ſanitatis: & ſuâ tantùm ſponte venire ad medicum; non etiam hoc ipſum medici eſſe, quòd veniat.*

i *Collat. 13. cap. 9. in fine* ℣. *nec enim.*

k *L. cont. Collat. cap. 8.* ℣. *doces ergò. in Ap. tom. 10. Op. Aug. cap. 4 num. 11. col. 174.*

Reflectio. Sanctus Auguſtinus *L. de corrept. & grat. cap. 1.* l *deſiderare auxilium gratiæ, initium gratiæ eſt.* Et, *L. de perfect. juſtit.* m *Hæc eſt fidei ſanitas, quæ nos facit quærere ut inveniamus, petere ut accipiamus, pulſare ut aperiatur nobis. Contrà iſtam qui diſputat, contrà ſeipſum claudit oſtium miſericordiæ Dei.*

l *Tom. 10. num. 2. col. 751.*

m *Tom. 10. cap. 19. n. 40. col. 186.*

Digitized by Google

CONCLUSIO XIV.

Quòd nemo eorum velit fateri prædeſtinationem gratuitam aliquorum eſſe, non omnium.

CASSIANUS.

Hoc dicit Caſſianus ſub his verbis: a *Cujus benignitas*, (ſcilicet, Dei) *cùm bonæ voluntatis in nobis quantulamcunque ſcintillam emicuiſſe perſpexerit, vel quam ipſe tanquàm de durâ ſilice cordis noſtri excuſſerit, confovet eam, & exſuſcitat, ſuâque inſpiratione confortat*, b *volens omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Et poſt pauca: c *Qui enìm ut pereat unus ex puſillis non habet voluntatem, quomodò ſine ingenti ſacrilegio putandus eſt, non univerſaliter omnes, ſed quoſdam ſalvos fieri velle ex omnibus?*

a *Collat.* 13 *cap.* 7. ℣. *cujus benignitas.*

b 1. *Tim.* 2. 4.

c *Ibidem.*

Inſuper, hæc de eodem Caſſiano & Fauſto Semipelagianorum ducibus expreſſiùs refert ſanctus Proſper ſic dicens: d *Hæc enìm ipſorum definitio ac profeſſio eſt: omnem quidem hominem, Adam peccante, peccaſſe; & neminem per opera ſua, ſed per Dei gratiam regeneratione ſalvari: univerſis tamen hominibus propitiationem, quæ eſt in Sacramento Sanguinis Chriſti, ſine exceptione eſſe propoſitam, ut quicunque ad fidem & ad Baptiſmum accedere voluerint, ſalvi eſſe poſſint.* Ex quibus conſtat Caſſianum ſentire prædeſtinationem reſpectu omnium eſſe æqualem ex parte Dei, nec aliquorum tantùm eſſe gratuitam.

d *Epiſt. ad S. Auguſt. paulò poſt principium inter Auguſt.* 225. *num.* 3. *col.* 821. *tom.* 2.

MOLINA.

Expreſſiùs hoc dicit Molina. e Etenìm ex profeſſo impugnat S. Auguſtinum, eo quòd in multis ſuorum operum locis interpretatus fuerit illud 1. Tim. 2. *qui vult omnes homines ſalvos fieri*, ut non de omnibus univerſim hominibus, ſed de ſolis prædeſtinatis intelligeretur. *Quæ doctrina*, inquit, *plurimos ex fidelibus, præſertìm ex iis qui in Galliâ morabantur, non ſolùm indoctos, ſed etiam doctos, mirum in modum turbavit; nè dicam illius occaſione ſalutem eorum fuiſſe periclitatam.* Et alio loco ait: f *Quo fit ut univerſim verum ſit, Deum ex parte ſuâ velle omnes abſque ullâ exceptione ſalvos fieri.* Et alibì dixit: g ex æternitate voluiſſe Deum omnes homines & Angelos, quos condere ſtatuebat, ſalvos fieri, ſempiternamque vitam, mediaque ad eum finem neceſſaria, eis conferre, ſub conditione tamen, ſi per ipſos aut primum Parentem non ſtaret. Undè aït: h ceſſat objectio, quam ſæpiùs Auguſtinus repetit, quæque in causâ fuit, ut teſtimonium Pauli, non de omnibus univerſim hominibus exponeret; ſed ad tres illas expoſitiones relatas confugeret. Ex quibus, & ex his quæ dicit alibì, i conſtat manifeſtè, ipſum ſentire ex parte Dei æqualem reſpectu omnium eſſe prædeſtinationem, & non gratuitam reſpectu aliquorum tantùm.

e *q.* 23 *art.* 4. & 5. *diſp.* 1. *memb. ultimo* §. *credens autem pag.* 386. *col.* 1.

f *q.* 19. *art.* 6. *diſp.* 1. §. *Ex his conſtat. p.* 274 *col.* 2.

g *q.* 23. *art.* 4. & 5. *diſp.* 1. *memb.* 13. §. *arbitramur ergò p.* 384.

h *Ibidem.*

i *Q.* 23. *art.* 4. & 5. *diſp.* 1. *memb.* 11. *per totum, ſed potiſſimè* §o. *octavâ concluſione p.* 365. &c.

MONITUM EDITORIS

In præcedens Scriptum Patris Lemos.

CUM in Codice MSS. diſpoſitio eorum quæ modò edita ſunt in Scripto præcedenti, non eadem omninò ſit quæ hìc exhibetur; Monendum cenſui fidelitatis ergò, me quædam mutaſſe non quidem in verbis, ſed in ordine & diſpoſitione, ut & Typographi labori, & Lectorum ſtudio conſulerem; nevè aliqua oriretur confuſio. In Codice enìm, articulus Caſſiani à ſiniſtris ſemper correſpondet Molinæ articulo qui eſt à dextris: eaque omnia quæ hìc poſt hoc verbum, *Reflectio*, exhibentur, in margine tantùm ſunt conſcripta, fortaſſiſque à Lemoſio, poſt traditum Sanctiſſimo Scriptum, addita ſunt. Si autem hæc omnia tali fuiſſent edita diſpoſitione, multiplex inde orta eſſet confuſio. Margines nimis exoneratæ numeroſiſſimam locorum indictionem ſuſcipere non valuiſſent; & articuli correſpondentes minùs vel breviores vel longiores, columnarum perturbaſſent ordinem &c. Undè meliùs eſſe cenſui, ut articulus Molinæ immediatè Caſſiani articulum ſubſequeretur; utque ea quæ legebantur in margine, in contextum mitterentur; præmiſſo tamen ſemper hoc verbo, *Reflectio*, quo hæc à cæteris diſcernerentur.

Digitized by Google

MONITA PATRIS LEMOS

Circà ſubſequens Scriptum.

STatìm cùm Patres Societatis intellexerunt datum à Patribus Prædicatoribus Scriptum ſuæ Sanctitati, inſtanter à Sanctitate ſuâ poſtularunt, ut eis mandaret Copiam illius dare: quod propter ipſorum inſtantiam præcepit Sanctiſſimus. Undè Patres Prædicatores, & eorum nomine ego F. Thomas de Lemos compoſui hoc aliud brevius Scriptum quod infrà ſcribetur, & illud dedi Secretariis Congregationis, ut ad Jeſuitas tranſmitterent.

Reſponſio noſtra tributa eſt Jeſuitis circà præcedens Dubium, quià illam dari præcepit Sanctiſſimus ad petitionem ipſorum; nos autem nunquàm quid ipſi deberent reſpondere petivimus.

Ideò breviùs hìc quàm in præcedenti Scripto fuit reſponſum, ut cavillationibus aditus præcluderetur.

RESPONSIO
FRATRIS THOMÆ DE LEMOS
DATA JESUITIS.

An Molina cum Caſſiano conveniat in ſequentibus Concluſionibus?

PROPOSITIO I.

Quòd homo in naturâ lapsâ habeat naturale judicium ad cognoſcendum bonum & malum, habeátque naturalem facultatem ad utrumque amplectendum, abſque eo quòd aliquam ponant diſtinctionem.

CASSIANUS.

Quòd homo habeat naturale judicium ad cognoſcendum bonum & malum, dicit Caſſianus *Collat. 13. de protectione Dei, cap. 12. in principio* ℣. *concepit, uſque, diſcernere.* Quòd autem habeat homo in naturâ lapsâ facultatem ad utrumque amplectendum, dicit Caſſianus *eâdem Collat. & cap.* ℣. *adjacere autem, uſque, vel amare.*

MOLINA.

Quòd homo habeat naturale judicium ad cognoſcendum bonum & malum, dicit Molina *in Concord. diſp. 5.* §. *ea verò.* Quòd autem aſſerat habere hominem facultatem ad utrumque amplectendum, dicit Molina, *q. 14. diſp. 23. memb. 2.* §. *Eccleſiaſtici uſque ad finem illius* §ⁱ. Et §. *Joannis 1°.*, Et *per totum illud Membrum.*

PROPOSITIO II.

Quòd gratia illuminanans, vocans, & excitans ſufficiat ad ſalutem.

CASSIANUS.

Hoc dicit Caſſianus *eâdem Collatione 13. cap. 11. in fine* ℣. *& rurſus, uſque ad, in nobis.* Et, *cap. 12.* ℣. *dubitari ergò non poteſt, uſque, non poterunt.*

MOLINA.

Idem dicit Molina, *diſp. 40.* §. *ex dictis*

à principio §ⁱ. *uſque ad illa verba, cooperantem gratiam &c.*

PROPOSITIO III.

Quòd poſſit homo ex ſolâ facultate naturæ diligere Deum ſuper omnia.

CASSIANUS.

Non invenitur ità formalibus verbis in Caſſiano aſſerta, ſed illam illi tribuit ſanctus Proſper *Lib. contrà Collatorem cap. 30.* ℣. *Et tanta eſt ſecundùm.* Et eadem reipsâ dicit Caſſianus, *Collat. 14. cap. 12.* ℣. *dubitari.*

MOLINA.

Expreſſis verbis habetur in Molinâ, *diſp. 14. memb. 3.* §. *duo quædam à principio* §ⁱ. *uſque, omnes abſint.* Et, §. *ſciendum eſt, uſque, & cætera.*

PROPOSITIO IV.

Quòd Deus exſpectet noſtros conatus; quodque aliquandò nos præveniat.

CASSIANUS.

Primam partem hujus dicit Caſſianus *Collat. 13. cap. 13. in principio* ℣. *& ità ſemper gratia Dei, uſque, impartit.* Secundam partem tenet *cap. 12.* ℣. *prævenit ergò, uſque, præveniet te.*

MOLINA.

Hanc primam partem æquivalentibus verbis aſſerit Molina, *diſp. 10.* §. *1°. in fine* ℣. *profectò, uſque, proſpicit arbitrium.* Itèm *diſp. 9.* §. *quòd hâc.* ℣. *Etenim, uſque, non ſolet.* Secundam partem affirmat *diſp. 9.* §. *patet 3°.*, ℣. *licèt, uſque, Dei recipienda.*

PROPOSITIO V.

Quòd Deus quodammodò occaſiones quærat & exſpectet, ut elargitio ſuæ gratiæ rationabilis videatur.

CASSIANUS.

Expreſsè habetur in Caſſiano, loco citato, videlicèt, *Collat. 13. cap. 13.* ℣. *& ità ſemper, uſque, largitas videatur.*

MOLINA.

Idem aſſerit Molina, *diſp. 10.* §. *1°. circà finem* ℣. *planè, uſque, proſpicit arbitrium.* Et, *diſp. 9.* §. *patet 3°.* ℣. *licèt, uſque, Dei recipienda.* Et *diſp. 9.* §. *quamvis, à principio* §. *uſque, dilucidum reddent.*

PROPOSITIO VI.

Quòd homo in naturâ lapsâ ſufficientes vires habeat, ad reſiſtendum gravibus tentationibus, & ad ſuperanda ſingula difficilia.

CASSIANUS.

Hoc dicit Caſſianus *Collat. 13. cap. 14.* ℣. *ſed cùm nullam, uſque, virtutem.* Itèm *ibì*, ℣. *& quid, uſque, laudabiles judicari.* Et, *Collat. 7. cap. 8.* ℣. *quamobrem.*

MOLINA.

Idem dicit Molina *diſp. 19. memb. 1. in principio*, & per totam diſputationem illud ſicut probabile defendit, & ſuam eſſe ſententiam affirmat §. *fortè mirabitur*, addito in Editione Antuerpienſi.

PROPOSITIO VII.

Quòd eadem ſit expoſitio 1. Cor. 10. Caſſiani & Molinæ.

CASSIANUS ET MOLINA.

Eandem eſſe explicationem utriuſque conſtabit, ſi legatur Caſſianus *Collat. 13. cap. 14. à principio*, & ℣. *cùm verò.* Et, *Collat. 7. cap. 8.* ℣. *quorum tamen.* Et Molina *diſp. 19. memb. 5.* §. *ad primum.*

PROPOSITIO VIII.

Quòd ante receptionem gratiæ ſervanda ſit laus libero arbitrio.

CASSIANUS.

Habetur hæc aſſertio in Caſſiano *Collat. 13. cap. 14.* ℣. *miratur, uſque, in Iſraël.*

MOLINA.

Idem habet Molina, *diſp. 9.* §. *ut quæ hâc, uſque, laus ſervaretur.* Et, *q. 23. diſp. 1. memb. 6.* §. *ad primam*, ℣. *ſuæ, uſque, poteſtate.*

PROPOSITIO

Digitized by Google

PROPOSITIO IX.

Quòd ad donum perſeverantiæ nihil aliud requiratur, quàm gratia habitualis, & auxilium ſufficiens.

CASSIANUS.

Id habet Caſſianus *Collat. 13. cap. 14.* ℣. *qui ſtat, uſque, poſſe.* Et *cap. 18.* ℣. *tertium quoque, uſque, non ſentiat.*

MOLINA.

Idem habet Molina *q. 23. diſp. 1. memb. ult.* §. *ſecundum eſt.* Et, *diſp. 14. memb. 3.* §. *4.* ℣. *quià ergò, & quià verò.*

PROPOSITIO X.

Quòd omnia ab eo dicta de conatu liberi arbitrij, reducantur ad actus neceſſarios ad juſtificationem.

MOLINA.

De illis conatibus dicit Molina, quòd niſi præcedant, non ſolet Deus gratiam dare. *diſp. 9.* §. *quod hàc, in fine.* Similiter dicit quòd per illos peccator aptus redditur, ut juxtà leges à Deo conſtitutas auxilium gratiæ recipiat. *diſp. 12.* ℣. *adde.* Itèm dicit, quòd facienti quod in ſe eſt illis naturæ conatibus Deus dat gratiam. *diſp. 10. in principio.* Itèm quòd propter illos conſuevit ſæpè Deus opitulari citiùs, ac magìs uni quàm alteri. *q. 23. diſp.* 1. *memb. 11.* §. *illud.* Et quædam ſimilia dicit, quibus reipsâ ſentit illos conatus neceſſarios eſſe ad juſtificationem, ſaltèm ſecundùm communem curſum juſtificandi.

PROPOSITIO XI.

Quòd homini ex naturalibus conanti detur gratia; ità tamen ut conatus illi non ſint meritorij gratiæ, nec ſemper neceſſarij.

CASSIANUS.

Quòd homini ex naturalibus conanti detur gratia, dicit Caſſianus, *Collat. 13. cap. 8.* ℣. *qui cùm in nobis.* Idem dicit, *cap.* 11. ℣. *nàm cùm viderit.* Quòd autem non ſint meritorij gratiæ, dicit, *eàdem Collat. cap. 16. in principio.* Quòd autem conatus illi non ſint ſemper neceſſarij, dicit, *eàd. Collat. cap. 17. in principio* ℣. *quorumdam, uſque, compellere.*

MOLINA.

Quòd conanti ex naturæ viribus detur gratia, dicit Molina, *diſp. 10. in principio.* Quòd autem conatus illi non ſint meritorij gratiæ, dicit ibì, & alibì ſæpè. Quòd verò conatus illi non ſint ſemper neceſſarij, dicit, *diſp. 9.* §. *patet 3°.* ℣. *licèt.* Et *diſp.* 10. §. *illud verò planè.*

PROPOSITIO XII.

Quòd propter bona opera naturalia detur gratia: & quòd tamen utrique eodem modo temperent hanc propoſitionem.

CASSIANUS.

Quòd propter bona opera naturalia detur gratia dicit Caſſianus æquivalentibus omninò verbis, *Collat. 13. cap.* 11. ℣. *& ità ſunt hæc, uſque, involuti.* Idem habet *eàdem Collat. cap. 9. explicando illud ad Rom. 2. Deus reddet unicuique &c.* Quam propoſitionem temperat Caſſianus quòd illa non ſint merita gratiæ, ſed occaſiones tantùm, ut gratia detur gratuitò & gratìs. *Lib. 12. inſtit. cap.* 14. & alibì ſæpè.

MOLINA.

Expreſsiùs hoc affirmat Molina, *q. 23. diſp.* 1. *memb.* 11. §. *illud addendum.* Et, *diſp. 44.* §. *quòad primum.* Quam aſſertionem temperat, quòd illa naturæ opera non ſint merita gratiæ, ſed occaſiones. *diſp. 10. in principio.* Et ℣. *planè.*

PROPOSITIO XIII.

Quòd poſſit homo medicum quærere; & ſanitatem deſiderare.

CASSIANUS.

Id expreſsè affirmat Caſſianus, *Collat. 13. cap. 9. in fine,* ℣. *nec enim, uſque, impartiat.* Videatur etiam S. Proſper. *L. contrà Collatorem cap. 8.*

Digitized by Google

MOLINA.

Expreſſiùs id habet Molina *diſp. 45.* §. *ex his patet.* Quod ut certum præſuppoſuit, *diſp. 9. in principio.*

PROPOSITIO XIV.

Quòd nemo illorum velit fateri prædeſtinationem gratuitam aliquorum eſſe, non autem omnium.

CASSIANUS.

Sic de prædeſtinatione ſentit Caſſianus, *Collat. 13. c. 7. in principio,* ℣. *propoſitum, uſque, venire. &* ℣. *qui enim, uſque, pro omnibus.* Videantur quæ de illo, & Fauſto Semipelagianorum ducibus refert ſanctus Proſper, *Epiſt. ad S. Auguſt.* ℣. *hæc ipſorum diffinitio eſt.*

MOLINA.

Eodem modo de prædeſtinatione philoſophatur Molina, *q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. ult.* §. *credens autem.* Et, *q. 19. art. 6. diſp. 1.* §. *ex his conſtat.* Et, *q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 11.* §. *octava concluſio.* Et alibì ſæpè.

CONGREGATIO X.

CORAM CLEMENTE VIII.

Habita eſt hæc Congregatio coràm Sanctiſſimo die 18. Novembris 1602.

In quâ exponi cœpit Molinæ concordia cum Caſſiano, agitatæque ſunt duæ primæ Propoſitiones tertii Scripti, nempè, de naturali hominis lapſi potentiâ ad cognoſcendum bonum & malum, déque ipſius facultate ad utrumque amplectendum. Itémque de gratiæ illuminantis, vocantis, & excitantis ſufficientiâ ad ſalutem.

Vide Hiſt. Congr. de Auxil. l. 3. cap. 15. col. 436. & ſeqq.

CONGREGATIO iſta celebrata fuit apud S. Petrum, cùm præcedentes celebratæ fuerint in monte Quirinali; in quâ non fuit diſputans P. Valentia ſed P. Arrubal. Habita eſt coràm Sanctiſſimo more ſolito, adſtantibus Cardinalibus & Cenſoribus conſuetis die 18. Novembris anno 1602.

Dictâ à Sanctiſſimo Domino noſtro oratione conſuetâ, ſtatìm commendavit brevitatem in diſputando. Et poſt hæc Generalis Societatis dixit Sanctiſſimo: ſi diſputare deberent de quâdam appendice prioris Scripti, in quo agebatur; an homo poſſet pati mortem pro Chriſto? An verò de Tertio Scripto, in quo Sanctiſſimus præcipiebat conferre prædictas Propoſitiones Molinæ cum Caſſiano? Et dicente Sanctiſſimo, ut ageretur de hoc ultimo, incepit P. Arrubal ſub correctione Sanctiſſimi proponere, quòd prima conferenda Propoſitio duas continebat partes; altera an homo habeat naturale judicium ad diſcernendum bonum & malum, abſque diſtinctione aliquâ; altera verò, an homo habeat naturalem facultatem ad idem amplectendum, etiam abſque diſtinctione aliquâ. Et circà primam partem, 1°., inquit, declarabo quæ fuerit ſententia Caſſiani, deindè quid Molina dicat.

Legit ergò Caſſianum *in capite 12. Collat. 13.* qui erat locus de quo agebatur. Quo perlecto, dixit: hæc eſt noſtra reſponſio, quòd Molina cum Caſſiano in hâc propoſitione non convenit. Nam Caſſianus loquitur de ſcientiâ & judicio rationis pertinente ad pietatem & cultum, & ſupponente fidem: At verò Molina loquitur de judicio

dicio rationis non pertinente ad pietatem nec ad cultum, nec ſupponente fidem; ergò non conveniunt. Quòd Caſſianus ſic loquatur oſtendit ex quatuor. I°. Quià ipſe expreſsè dicit remanſiſſe in primo Parente ſcientiam quam à principio à Deo acceperat: acceperat autem ſcientiam naturalem, & cognitionem ſupernaturalem; ergò utramque dicit remanſiſſe. 2°. Ex eo quòd ipſe Caſſianus ponit exemplum in Davide in eodem contextu, qui voluit facere domum Domino, qui actus erat pertinens ad cultum divinum, & fidem in Davide ſupponebat. 3°. Quià S. Proſper optimè intellexit mentem Caſſiani, ſuper iſtum locum ſic illum intellexit; quòd, videlicèt, loquatur de rebus quæ adjuvant & conducunt ad beatitudinem & ſalutem. 4°. Quià ipſe Caſſianus ſentit quòd ſolùm ſint humani actus merita gratiæ, quandò non fiunt ex gratiâ, ſed ex ſolo libero arbitrio. At verò quandò procedunt ex gratiâ, planè affirmat non eſſe merita, nec habere laudem; ut patet ex illo quod dicit: a *Nullius enim laudis eſſet ac meriti, ſi id in eo Chriſtus, quod ipſe donaverat, prætuliſſet.*

a Collat. 13. cap. 14.

Hæc in ſubſtantiâ dixit P. Arrubal circà explicandam Caſſiani mentem. Deindè deveniens ad Molinam, aſſeruit Molinam nullo modo cum Caſſiano convenire in hac primâ propoſitionis parte. Nam, ut ait, citabatur Molina *in diſp. 5. §. ea verò &c.* b quem locum legens, ait: Molina hìc apertè loquitur de judicio rationis reſpectu rerum moralium, nullo modo pertinentium ad pietatem, ſivè cultum, ſivè ſupponente fidem; ſed ſolùm quòd homo habet naturale judicium ad cognoſcendum bonum & malum naturale: quod homini negari non poteſt. Et ex conſequenti Molina loquitur cum diſtinctione, videlicèt, reſpectu ſolius boni naturalis; & ſic diſtinguitur à Caſſiano: præſertìm quià ſententia Molinæ in hâc parte eſt S. Thomæ, qui 1. 2. *q. 63. art. 4.* ait, in hoc diſtingui virtutes morales acquiſitas ab infuſis, quòd *infuſæ attenduntur ſecundùm regulam ſuperiorem; at verò acquiſitæ regulantur per rationem, quâ homo præditus eſt.* Sentit ergo hominem habere naturale judicium rationis ad cognoſcendum bonum & malum.

b Pag. 17. col. 2.

Hæc recordor illum dixiſſe in ſubſtantiâ. Et concludens ait: ſe velle ſcire quod reſponderent, qui Molinæ doctrinam oppugnant in hac parte, ad hoc argumentum: Caſſianus loquitur de judicio rationis pertinente ad cultum Dei & pietatem, & præſupponente fidem; ſed Molina ſolùm de judicio naturali reſpectu boni naturalis; ergò nullo modo conveniunt.

Et ſtatìm Sanctiſſimus præcepit, ut F. Thomas diceret. Qui ad pedes ejus humiliter ſupponens, dixit: prima & fundamentalis inter Caſſianum & Molinam conferenda propoſitio, ſic habet: *quòd homo in naturâ lapſâ habeat naturale judicium ad cognoſcendum bonum & malum; habeatque naturalem facultatem ad utrumque amplectendum, abſque hoc quòd aliquam ponant diſtinctionem.* Quæ, ut conſtat, duas continet partes, & ſecunda oritur ex primâ. Ex induſtriâ enìm judicij & rationis provenit illa formalis libertas & facultas, quæ reſidet in voluntate, ut eſt communis moralium Philoſophorum & Theologorum omnium pariter recepta ſententia, quam & Caſſianus ipſe non ignorans, à judicio rationis incepit, ac tandem in facultatem arbitrij ſuum diſcurſum terminavit, dicens: c *concepit ergò Adam poſt prævaricationem, quam non habuerat ſcientiam mali, boni verò quam acceperat ſcientiam non amiſit.* Ubì præcipuè & principaliter loquitur de judicio & ſcientiâ cujuſcunque boni moralis, fini naturali accommodati, & pertinentis ad legem naturæ; ut ex inductâ Apoſtoli authoritate probat: d *Gentes quæ legem non habent* &c. Quod manifeſtiſſimè procedit de bono morali, fini naturali accommodato. Et clariùs id poſuit dicens paulò inferiùs: *denique ut poſſibilitatem boni eis ineſſe deſignaret, increpat Phariſæos:* e *Quid autem, inquit, etiam*

c Collat. 13. cap. 12.

d Rom. 2. 14.

e Luc. 12. 57.

Digitized by Google

etiam ex vobis ipſis non judicatis quod bonum eſt? Quod utique eis non dixiſſet, niſi eos judicio naturali id quod æquum eſt, ſciſſet poſſe diſcernere. Sentit enìm primum hominem poſt peccatum, ac ſimiliter genus humanum ab eodem propagatum, retinuiſſe ſcientiam boni cujuſcunque moralis ad legem naturæ pertinentis; ità ut nullam ignorantiam, ſeu læſionem, ſivè cæcitatem circà illud incurrerit homo per peccatum. Et hoc potiſſimè intendit, licèt etiàm aliqua accumulet, quæ videntur ad cultum Dei pertinere, ut eſt illud de Davide. Undè conſtat Caſſianum abſque aliquâ limitatione, ſive diſtinctione, abſolutè & ſimpliciter conſtituiſſe in homine poſt peccatum, judicium rationis ad cognoſcendum bonum & malum.

Similiter hoc ipſum Molina expreſſiùs, & diſtinctiùs dixit *diſp. 5.* a ubì utramque ſimul partem concluſionis apponit, & de judicio rationis, & de poſſibilitate, ſeu facultate naturæ. Affirmat enìm *hominem in naturâ lapsâ ſine gratiæ adjutorio poſſe facere opus bonum morale, quod ſit verè bonum, fini naturali accommodatum, ac virtutis opus.* Ubì abſque aliquâ limitatione vel diſtinctione procedit, ut notum eſt. Immò, ut alibì explicavit, nullum eſt opus morale bonum in ſingulari, quod homo non poſſit facere naturæ viribus ſine gratiâ; nullum, inquam, ſivè magnum, ſivè parvum; ſivè facile, ſivè difficile; ſivè minimum, ſivè heroïcum. Quibus verbis non ſolùm abſque diſtinctione loquitur, ſicut & Caſſianus; ſed etiam magìs univerſaliter, omnia moralia opera ſimul complectens. Et ad probandam hanc facultatem naturæ, aſcendit ad radicem intellectûs, & illam probat *in §. ea verò,* b ſic dicens: *Ea verò probari poteſt, quoniam in homine eſt lumen naturale ad cognoſcendum, quid honeſtum, decens, & conſentaneum rectæ rationi ſit, ut experientia ipſa teſtatur &c.* Quo lecto ſubdidit P. Lemos: hìc ſtatuit apertè judicium rationis in naturâ lapsâ ad cognoſcendum bonum & malum abſque limitatione, ſivè diſtinctione aliquâ: immò idem judicium conſtituit in illo homine lapſo, ſicut eſſet in homine ſi in puris naturalibus conderetur, antequàm peccaret, nullam haberet infirmitatem ſeu læſionem in ordine ad cognoſcendum bonum naturale, fini naturali accommodatum. Et quod magìs eſt, Molina ad hanc concluſionem firmandam, utitur teſtimonio ſanctæ Scripturæ in eodem ſenſu quo Fauſtus primitùs uſus fuit. Iſte enim *L. 2. de grat. & humanæ mentis arbitrio cap. 7.* probat in homine hoc manſiſſe rationis judicium, ad cognoſcendum bonum & malum abſolutè, & abſque aliquâ diſtinctione, ex illo: *ad imaginem Dei factus eſt homo;* cujus Fauſti verba ſunt: *De imagine Dei venit, quòd intelligat homo, quòd rectum ſapiat, quòd inter bonum & malum judicio examinante diſcriminet.* Idē omninò, loco nunc citato, dicit Molina.

Et quamvìs ſufficienter conſtet Molinam cum Caſſiano convenire in hâc primâ propoſitione, adhuc quas vires agnoſcat in homine lapſo, declarat magìs c *in diſp. 23. memb. 2. §. Eccleſiaſt. 15°.* quem locum legens F. Thomas, oſtendit quomodò Molina abſque aliquâ prorsùs diſtinctione affirmabat, hominē poſſe eligere, vel non eligere vitam. Immò Molina in eodem ſenſu utitur, quo Fauſtus, illo teſtimonio *Ecclici 15°. Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui;* ut videlicèt intelligatur de homine lapſo, & ante gratiam. Et ut declaret Molina, ſe hoc modo uti illo teſtimonio, rejicit expreſsè explicationem S. Auguſtini circà hoc teſtimonium, quam tradit *L. 3. Hypognoſticon* d *in principio;* quam eſſe S. Auguſtini, Molina non potuit ignorare. Ibì enim S. Doctor dicit locum iſtum intelligendum eſſe de naturâ integrâ, ut verba ipſa ſonant: *Deus ab initio &c.* Quam etiam explicationem ex S. Auguſtino tradit S. Thomas 1. 2. q. 109. *art. 8. ad 3.* ubì etiam tradit aliam; quòd videlicèt intelligatur de homine lapſo, ſed tamen reſtaurato per gratiam. Quæ etiam eſt ſancti

a *§. Vt ad vires pag. 17. col. 1.*

b *Ibid. col. 2.*

c *Pag. 93. col. 1.*

d *Hic non eſt Liber S. Auguſt. ut dictum ſæpè.*

Digitized by Google

ſancti Auguſtini, ut dicam ſtatìm.

Inſuper Molina hanc facultatem naturæ ad amplectendum bonum & malum clariùs explicat §. *Joan.* I. a quo lecto dicit F. Lemos : Quid clariùs, illum ſentire hominem poſſe ſervare mandata viribus propriis, & poſſe ingredi & non ingredi ad vitam ? Quæ fuit illa prima Pelagianorum ſententia.

a *Pag.* 94. *col.* I.

Cùm hæc dicerem, dixit Generalis S. Dominici : hoc ipſum adhuc clariùs dicit Molina ; & legens locum, oſtendit qualiter Molina dicebat hominem poſſe velle omnia mandata ſervare. Quo finiente, proſequens F. Thomas ſuum diſcurſum dixit : immò hanc facultatem naturæ conſtituit, non ſolùm ſequendo Caſſiani ſententiam, ſed etiam verbùm de verbo tranſcribendo. Caſſianus dixit, in optione conſiſtere, ut eligat quam ſequatur ; & Molina idem dicit. Immò ſequitur ipſum Pelagium, qui referente S. Auguſtino *L. de grat. Chriſti cap.* 18. b ſic dicebat : *Habemus facultatem * utriuſque partis, à Deo nobis inſitam, quaſi quandam, ut ità dicam, radicem fructiferam atque fæcundam, quæ ex voluntate hominis diverſa gignat & pariat.* Idem dicit Molina, quòd ex voluntate hominis oritur, quòd velit ingredi vel non ingredi ad vitam, quòd velit ſervare vel non ſervare mandata.

b *Tom.* 10. *num.* 19. *col.* 238.

* *Non legitur in Auguſtino* facultatem, *ſed* poſſibilitatem.

Sed Patres Societatis in defenſionem Molinæ pro inveniendâ diſcordiâ inter Caſſianum & ipſum, quinque in ſubſtantiâ dixerunt. 1m. eſt Caſſianum loqui de ſcientiâ pertinente ad pietatem, quià loquitur de ſcientiâ quæ remanſit in Adam, quam à Deo in ſuâ creatione acceperat : illa autem fuit ſcientia ſupernaturalis. Ad hoc reſpondendum : Caſſianum principaliter locutum fuiſſe de ſcientiâ moralium fini naturali accommodatorum, ut probatum eſt. Et hanc potiſſimè dixit remanſiſſe in ipſo poſt peccatum, & in ejus poſteritate. Licèt autem Caſſianus etiam dicat manſiſſe in genere humano poſt peccatum primi Parentis, judicium naturale, quo poſſet aſſentiri rebus divinis, ſuppoſita præauditione Evangelij ; etiam hoc ipſum dicit Molina *diſp.* 7. Undè cum illo etiam in hac ſcientiâ convenit omninò. Similiter licèt Caſſianus dicat poſſe hominem quærere medicum, & deſiderare ſalutem ; etiam hoc dicit Molina, quòd poteſt petere & deſiderare auxiliũ gratiæ. Undè in omnibus cõvenit cum illo.

2um. Quod prætendunt PP. Societatis eſt ; quòd Caſſianus loquatur de ſcientiâ pertinente ad pietatem, ex exemplo David. Sed jàm modò ex dictis patet quid dicendum ſit.

Illud autem quod 3°. loco adducunt, quòd ſanctus Proſper qui optimè intellexit Caſſianum, ipſum intelligit, quòd loquatur de ſcientiâ boni, quæ adjuvat & pertinet ad ſalutem ; dicendum, optimè hoc concludere contrà ipſum Molinam. SS. enìm Doctores, non ſolùm tribuebant illis contrà quos diſputabant, id quod expreſsè affirmabant, ſed etiam id quod reipsâ, & quòad ſenſum aſſerebant. Undè Caſſiano tribuit ſanctus Proſper, quòd dicat conatus humanos eſſe merita gratiæ ; non propterea, quià id expreſsè affirmabat, immò id expreſsè negabat, ſed ex eo quòd id reipsâ dicebat & affirmabat. Quâ ratione dicit Sanctus Proſper Caſſianum aſſerere, illam ſcientiam pertinere ad pietatem & ſalutem : quià ſi homo nullam habet ignorantiam reſpectu agendorum moralium, & ſi poteſt illa ſervare, poterit ſervare mandata ; ex quo fit conſequens, quòd operetur ad ſalutem & pietatem ; quià ſic operanti dabitur gratia cùm nihil aliud requiratur ut ingrediatur ad vitam, niſi quòd homo ſervet mandata.

Adduxerunt 4°. PP. Societatis Caſſianum aſſerere hominem nullo modo mereri, niſi ſolùm quandò operatur ſine gratiâ, cùm autem operatur ex gratiâ non mereri. Quod tamen Caſſianus nunquàm dixit. Ubìque enìm affirmat hominem conatibus naturalibus antequàm excitetur à gratiâ nihil mereri. Quod autem ait de fide Centurionis, illum nihil mereri, ſi illam fidem Deus illi inſpiraret ; hoc dixit

quià ipſe tenet quòd quandò Deus omnino nos prævenit & excitat, ille actus eſt indeliberatus & naturalis, non procedens à libero arbitrio ut liberum eſt, ſed ut natura eſt; & ex conſequenti ille actus, nec laudem habet, nec meritum, quià libertas eſt fundamentum meriti, quæ in illo actu, ſecundùm Caſſianum, non invenitur. Et hoc ipſum etiàm ſentit Molina, ut alibì explicabitur.

Ad illud autem 5^{m}. quod ex ſancto Thomâ affirmant; Veriſſimum eſt S. Doctorem 1. 2. *q.* 63. *art.* 4. (qui eſt locus citatus) aſſerere in hoc diſtingui virtutes infuſas ab acquiſitis, quòd infuſæ regulantur per altiorem & ſuperiorem regulam; at verò acquiſitæ regulantur per judicium rationis. Cæterùm non dicit ibì S. Thomas, hominem in ſtatu naturæ lapſæ ante gratiam poſſe omnia per judicium rationis regulare abſque ignorantiâ aliquâ. Immò ex profeſſo tractans hoc *q.* 85. *art.* 3. *de peccato originali*, manifeſtè docet genus humanum poſt peccatum primi Parentis incurriſſe primum vulnus naturæ quod eſt ignorantia per defectum prudentiæ. Undè in formâ ad argumentum dicendum, quòd Caſſianus non loquitur de rebus pertinentibus ad pietatem, ſed præcipuè de bono naturali, quod tamen mediatè ad pietatem pertinet, ut dictum eſt. Et eodem prorsùs modo loquitur Molina.

Poſt hæc, prædictus Arrubal inſiſtebat Caſſianum loqui de ſcientiâ reſpectu eorum quæ ad pietatem pertinent; ſed nihil novi dicebat, præter jam dicta: & potiſſimè affirmabat Caſſianum tenere, hominem non mereri, niſi quandò operatur ſine gratiâ, non autem quandò excitabatur à gratiâ. Et iterùm legit illum locum citatum de fide Centurionis, ubì dicit: a *Nullius enim laudis eſſet ac meriti, ſi id in eo Chriſtus, quod ipſe donaverat, prætuliſſet.*

a Collat. 13 cap. 14.

Deindè accedens ad ſecundam partem propoſitionis, videlicèt, de facultate arbitrij ad amplectendum bonum & malum, dixit: Molinam nec in hoc convenire cum Caſſiano; quià Caſſianus loquebatur de facultate arbitrij ad amplectendum ea quæ pertinent ad pietatem & ſalutem, ut patet; quià dixerat; b *dubitari non poteſt ineſſe quidem animæ virtutum ſemina &c.* At verò Molina loquebatur de facultate arbitrij reſpectu boni naturalis. 2°. Quià Caſſianus loquebatur ſine auxilio gratiæ; at verò Molina quadrupliciter locutus fuit de libero arbitrio adjuto per gratiam. 3°. dixit: quòd ſicut dicebat Caſſianus ineſſe omni animæ virtutum ſemina; ità & S. Thomas 1. 2. *q.* 63. *art.* 4. Dixit 4°. Molinam ſtatuere libertatem arbitrij læſam poſt peccatum, quià dicit ipſum non habere tot vires, quales haberet homo in juſtitiâ originali & gratiâ: nec aliquandò invenietur, ait, in Molinâ, ipſum aſſerere libertatem arbitrij infirmam non eſſe poſt peccatum. 5°. dixit: illum locum *Ecclici* 15, de quo notatur Molina, quòd explicationem Semipelagianorum ſequatur, in eodem ſenſu explicari à S. Thomâ 2. 2. Immò & à S. Auguſtino *L. de grat. & lib. arb. cap.* 2. c ubì probat libertatem arbitrij in naturâ lapſâ, ſicut Molina probat. Immò Cardinalis Bellarminus dicit, illud eſſe illuſtre teſtimonium, ad probandum contrà hæreticos hujus temporis libertatem arbitrij. Et ſimiliter ad hoc idem probandum adduxit P. Arrubal tres aut quatuor Scholaſticos; & tandem adduxit Sixtum III. idem omninò dicentem. Et concluſit Molinam ſolùm affirmare libertatem arbitrij in ordine ad naturalia, & in ordine ad ſupernaturalia per adjutorium gratiæ. Similiter dixit: quòd Molina utebatur hoc nomine *optio*, de quo non videtur notandus, quià etiam Scriptura ſacra hoc nomine utitur, *Deuteronomij* 3., *Joſ. ult.*, 2. *Reg.* 24., quæ ſunt loca citata à Molinâ: & etiam quià conſultò dicit Molina in optione noſtrâ conſiſtere, non autem in poteſtate, quià homo poteſt velle ſervare mandata, non autem poteſt illa de facto & in executione ſervare,

b Ibid. cap. 12.

c Tom. 10. num 3. & 4. col. 719.

Et ſtatìm Frater Thomas dixit: alia

quatuor

Digitized by Google

quatuor ſivè quinque dicit Defenſor Molinæ. 1m. eſt Caſſianum loqui de facultate arbitrij reſpectu operum pertinentium ad pietatem; quod probat ex illo loco Caſſiani: a *dubitari ergò non poteſt ineſſe quidem omni animæ naturaliter virtutum ſemina beneficio Creatoris inſerta*. Sed mirum eſt quòd hoc dicatur, cùm expreſſis verbis ibì dicat Caſſianus, quòd conatus illi, niſi excitentur à divinâ gratiâ, non poſſunt ad perfectionem pervenire. Quod ità clarum eſt, ut explicatione non indigeat.

a *Collat.* 13 *cap.* 12.

Quod cùm dixiſſet, ait Sanctiſſimus, ut reſponderet ad id quod dicebant PP. Societatis, videlicet, Caſſianum loqui de rebus pertinentibus ad pietatem, non verò Molinam. Cui F. Thomas: Beatiſſime Pater, ego non repeto: jàm dixi Caſſianum præcipuè loqui de bono morali, fini naturali accommodato, & quomodò ex hoc mediatè ſequebatur, quòd loqueretur de bono pertinente ad pietatem; quod idem facit Molina. Deindè etiam dixi Caſſianum ſentire hominem poſſe naturæ viribus deſiderare gratiam, & ſalutem, & pietatem; quod ipſum ſentire Molinam, jàm etiam dixi.

Et proſecutus, aït: illud 2m. quod adducunt PP. Societatis, Molinam loqui de libero arbitrio adjuto per gratiam, ſtatim in ſecundâ propoſitione declarabo, quam gratiam intelligat, & quomodò in hoc conveniat cum Caſſiano. Undè pro nunc omitto.

Illud autem 3m. quod dicunt, jam non ſolum Molinam, ſed, quod majus eſt, ipſum Caſſianum defendunt PP. Societatis, dicentes ipſum non erraſſe, quià dixit, *ineſſe omni animæ virtutum ſemina*. Adducunt in hujus confirmationem S. Thomam *1. 2. q. 63.* aſſerentem inveniri in homine virtutum ſemina. Sed Pater Reverendus non adfuit ſecundæ & tertiæ Congregationi, in quibus oſtenſum fuit ex S. Thomâ, ipſum non aſſerere eſſe in homine in naturâ lapsâ abſque gratiâ aliquam veram virtutem moralem, de quo ad præſens me ad acta in illis Congregationibus remitto.

Tunc dixit Generalis Jeſuitarum: fuit in illis Congregationibus dictum nullam virtutem moralem perfectam in homine ſine gratiâ inveniri. Cui F. Thomas: jàm dixi, nullam virtutem moralem in eſſe virtutis admittere S. Thomam, ſed omninò contrarium docere; de quo ad Acta me remitto.

Ad illud autem 4m. quod dicunt, non inveniri in Molinâ ipſum dixiſſe non eſſe læſam per peccatum arbitrij libertatem, dicendum, id quidem ſub his formalibus verbis non dixiſſe. Quomodò enìm hæc auderet dicere? ſed illud dixit æquivalentibus verbis, quià omnes actus ſublimes & ſupremos, qui non poſſunt fieri niſi à naturâ ſanâ, naturæ corruptæ attribuit, & ex conſequenti nullo modo infirmam illam, & viribus extenuatam, ut fatentur Concilia, agnoſcit. Quod autem Molina affirmat, non habere hominem in naturâ lapsâ tantas vires, quantas habuit primus Parens in naturâ integrâ cum gratiâ & juſtitiâ originali, nihil omninò juvat, vel ipſum excuſat. Error enìm Pelagianorum, in quo ſemper inſiſto, non fuit, hominem lapſum ſine gratiâ eaſdem habuiſſe vires, quas habuit primus homo ante peccatum cum juſtitiâ originali & gratiâ; (hoc enìm in hoc ſenſu nunquam dicere potuerunt) ſed tantùm aſſerebant eaſdem vires habere hominem nunc & tunc reſpectu omnium bonorum moralium & divinorum mandatorum, ſicut id haberet ſi in puris naturalibus conderetur. Itaque dicunt hominem ſpoliatum fuiſſe donis gratiæ, non autem fuiſſe vulneratum in naturalibus, reſpectu eorum quæ fini naturali ſunt accommodata, nec fuiſſe deordinatum ab ordine rationis.

Illud autem 5m. & ultimum quod aſſerunt Patres Societatis, S. Auguſtinum, (& idem eſt de ſancto Thomâ) *L. de grat. & lib. arb. cap. 2.* b uſum fuiſſe illo teſtimonio *Ecclici 15. Deus ab initio &c.* in eodem ſenſu quo Molina, ad probandum, hominem in naturâ lapsâ habere libertatem, in quo ſenſu adducant

b *Tom. 10. num. 3. & 4. col. 719.*

Digitized by Google

ducant illud S. Auguſtini, ipſe ibì ſe declarat. Totus enìm Liber eſt de gratiâ & Libero arbitrio, & in primis tribus capitibus declarat libertatem arbitrij contrà Manichæos, in 4°. autem ſic incipit : a *ſed metuendum eſt ne iſta omnia divina teſtimonia &c.* ubì agnoſcit libertatem, ſed infirmam & læſam, & ad hoc adducit teſtimonium illud *in cap. 2.* Similiter Cardinalis Bellarminus, & alij Doctores Eccleſiaſtici, & Scholaſtici, ex iſto loco optimè argumentantur contrà Calviniſtas, & Hæreticos hujus temporis, ineſſe homini poſt peccatum libertatem arbitrij, nec eſſe hominem ſicut belluam ſine libertate, ut illi hæretici dicebant. Ex hoc autem non licet inferre ipſos ſenſiſſe colligi ex iſto loco libertatem, quam Molina intendit, videlicèt integram & ſanam ſine gratiâ. Immò ipſe ſanctus Auguſtinus, *Lib. de perf. juſtit.* b dicit, Celeſtium, propter illum locum Scripturæ pravè intellectum, aſſeruiſſe hominem in naturâ lapsâ poſſe ſervare mandata, ſic enìm dicit : *aut quià dictum eſt, ſi voles præcepta, ſervabunt te : quaſi non debeat Deo gratias agere, quià præcepta voluit, qui deſertus omni lumine veritatis hæc velle non poſſet.* Quod eſt advertendum, quià Defenſores Molinæ dicunt, & modò dixerunt, in optione noſtrâ eſſe, velle ſervare omnia mandata, non tamen habere poteſtatem ad illa ſervanda. Sed S. Auguſtinus in loco mox adducto, dicit expreſsè, hominem non velle ſervare mandata, quià eſt lumine veritatis privatus. Undè in ſummâ iſte locus *Eccleſiaſtici 15.*, tres habet ſenſus. Primus eſt, quòd intelligatur de naturâ ſanâ & integrâ, ſic ut iſte locus integritatem ſignificet. Secundus eſt, intelligi de homine in naturâ lapsâ, ſed reformatâ per gratiam, ut S. Auguſtinus dicit, & S. Thomas *1. 2. q. 109. art. 8. ad 3.* ubì aït : *nunc etiàm*, id eſt, in præſenti ſtatu, *quodcunque vult homo, datur ei; ſed tamen quòd bonum velit, habet ex adjutorio gratiæ.* Tertius ſenſus eſt, quòd intelligatur de homine in naturâ corruptâ & ante gratiam; ſed tunc intelligitur de libertate arbitrij infirmâ & viribus extenuatâ, ut Concilia loquuntur.

a *Ibid. col. 721. num. 6.*

b *Tom. 10. cap. 19. n. 41. col. 187.*

POST hæc examinata eſt ſecunda Propoſitio in ordine, quæ ſic habet : *Quòd gratia illuminans, vocans, & excitans ſufficiat ad ſalutem.* Circà quam hæc dixit in ſubſtantiâ P. Arrubal : 1°. quòd Caſſianus tantùm admittebat neceſſariam gratiam excitantem; at verò Molina etiam dicebat eſſe neceſſariam gratiam adjuvantem, ſeu cooperantem. Cui dixit Sanctiſſimus : *dixit adjuvantem, ſed cooperante jàm libero arbitrio.* 2°. dixit P. Arrubal : quòd Caſſianus tantùm admittebat gratiam illuminantem ex parte intellectûs; at verò Molina admittebat gratiam ex parte voluntatis. 3°. quòd gratia, quam admittebat Caſſianus erat exhortatio, quæ reducebatur ad legem atque doctrinam, ut dicebat S. Proſper c *cap. 27. contrà Collat.* : at verò Molina admittebat motionem veram præter exhortationes. Iſta tria probavit aliquibus teſtimoniis Molinæ, quibus dicit ſe admittere motionem ex parte voluntatis. 4°. dixit quòd Concilium Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 5.* ſolùm dicebat eſſe neceſſariam gratiam excitantem, & adjuvantem, quod ſimiliter dicit Molina : non verò dicit Concilium, quòd gratia excitans & cooperans realiter diſtinguantur, aut non; ſed hoc pertinet ad quæſtiones Theologicas : ſicut vera doctrina habet, quòd datur gratia juſtificans animam; & ſimiliter, quòd datur charitas, quæ eſt principium operationis : an verò realiter diſtinguantur, an non, hoc non eſt certum, ſed probabiliter licet ſic vel ſic opinari. Eodem modo admittit Molina gratiam excitantem & adjuvantem, & dicit tantùm non diſtingui, ſed eandem gratiam habere novum influxum in effectum.

c *In Appendice tom. 10. Op. S. Auguſt. cap. 12 n. 37. col. 184.*

Statimque F. Thomas ſic dixit : iſta Propoſitio ſecunda procedit de gratiâ præveniente & præparante; nullam enìm aliam prævenientem & præparantem gratiam neceſſariam ad ſalutem admittit

admittit Caſſianus, niſi ſolùm excitantem, vocantem, & illuminantem; ut patet ex Caſſiano, ſic enim dicit: a *Et rurſus ſi nos nolle & intepuiſſe perſpexerit, adhortationes ſalutiferas admovet cordibus noſtris, quibus voluntas bona, vel reparetur, vel formetur in nobis*; ergò ad reparationem & reformationem voluntatis ſolùm exhortationes dicit eſſe neceſſarias. Idem dicit alibì. b *Dubitari ergò*, aït, *non poteſt, ineſſe quidem omni animæ naturaliter virtutum ſemina, beneficio Creatoris inſerta; ſed niſi hæc opitulatione Dei fuerint excitata ad incrementum perfectionis non poterunt pervenire.* Ergò, argumento deſumpto à contrario ſenſu, (quod etiàm ſecundùm jura ſolet eſſe validiſſimum,) ſi fuerint excitata, ſufficient ad ſalutem.

a Collat. 13. cap. 11. in fine.

b Ibid. cap. 12.

Clariùs autem & diſtinctiùs dicit Molina nullam gratiam ex parte prævenientis & præparantis eſſe ad ſalutem neceſſariam niſi ſolam excitantem. Hoc enim dicit *diſp. 40. §. ex dictis*: c quæ verba poſtquàm eſſent textualiter lecta, dixit F. Thomas: Quid clariùs, ipſum ſentire nullam aliam gratiam eſſe neceſſariam in quantùm prævenientem, niſi ſolam excitantem, allicientem, & invitantem? Dicit tamen, quòd conſentiente jàm libero arbitrio, illa gratia, quæ excitans erat, fit adjuvans & cooperans; ità ut liberum arbitrium ſolùm excitatum incipiat ex ſe, & Deus adjuvet, quià jam per liberum arbitrium incepit, & quià voluit, & ex conſequenti ex merito. Similiter gratia excitans datur ex merito ſecundùm ipſum; quià excitans datur facienti quod in ſe eſt ex viribus naturæ, & quià homo vult. Undè omnem gratiam conſtituit Molina ſub merito, & prævenientem, ſivè excitantem; & cooperantem, ſeu adjuvantem.

c Edit. Antuerp. pag. 164. col. 1.

Non ſolùm autem Molina in hoc ſequitur Caſſianum, ſed etiàm Pelagium ipſum. Pelagius enim, referente S. Auguſtino d *Lib. de grat. Chriſti contrà Pelag. & Celeſt. cap. 10.* videns illam Apoſtoli ſententiam quâ dicit: e *Deus eſt qui operatur in vobis & velle & perficere pro bonâ voluntate*, dogmati ſuo vehementer eſſe contrariam, conatus eſt explicare, vel potiùs deſtruere, ſic dicens: *operatur in nobis velle quod bonum eſt, velle quod ſanctum eſt; dùm nos terrenis cupiditatibus deditos, & mutorum more animalium tantummodò præſentia diligentes futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione ſuccendit, dùm in deſiderium Dei ſtupentem ſuſcitat voluntatem, dùm nobis (quod tamen alibì negare non metuis) ſuadet omne quod bonum eſt.* Quibus verbis admittit ſicut neceſſariam gratiam ſuadentem, ac revelantem, ſuccendentem, & excitantem voluntatem. Et S. Auguſtinus ibì contrà eum concludit, quòd in his omnibus non recedit à lege aut doctrinâ, & quòd multis nominibus verſat ſignificationem legis atque doctrinæ.

d Tom. 10. n. 11. col. 231.

e Philip. 2. 13.

Quatuor autem prætendunt PP. Societatis pro defenſione Molinæ. 1°. Quòd ipſe præter gratiam excitantem, admittit adjuvantem atque cooperantem gratiam, non autem Caſſianus. Advertant tamen, quòd nec in hoc in minimo diſtat à Caſſiano. Etenìm Caſſianus ſemel, iterùm, atque tertiò expreſſis verbis admittit gratiam cooperantem. Et legendo tria loca ex Caſſiano id apertiſſimè declaratum eſt, ſcilicèt *Collat. 13. cap. 8.* ℣. *adeſt igitur*, &, *cap. 13. in principio*, & *eod. cap.* ℣. *gratia ejus, in fine capitis.* Et addidit P. Lemos; nec ſolus Caſſianus gratiam adjuvantem, ſeu cooperantem admittit; refert enìm S. Auguſtinus *Lib. 1. contrà duas epiſt. Pelagg. cap. 19.* Julianum ſub his verbis: f *Dixiſti, in bono opere ſemper à Dei gratiâ adjuvari; quaſi nullâ gratiâ, ſed ſolâ voluntate bonum opus aggreſſus, in ipſo jàm opere divinitùs adjuvetur, pro meritis, videlicèt, voluntatis bonæ.* In ipſo, inquam, jam opere adjuvetur, dicit Julianus; & Molina: conſentiente jam libero arbitrio, Deus cooperatur, pro meritis, videlicèt, voluntatis humanæ.

f Tom. 10. n. 37. col. 427.

Nec obſtat quòd Caſſianus dicitur admittere tantùm gratiam illuminantem

tem

Digitized by Google

tem & exhortantem, ex parte tantùm intellectûs, non autem ex parte voluntatis. 1°. Quià Caſſianus etiàm admiſit gratiam excitantem ex parte volũtatis, ut conſtat ex illis verbis: *qui cùm in nobis ortum quemdam bonæ voluntatis inſpexerit, illuminat eam confeſtim atque confortat.* Non dicit ortum veri intellectûs, vel boni intellectûs, ſed, voluntatis; & illum ortum bonæ volũtatis dicit à Deo confortari, & excitari. Itaque excitationes conſtituit etiàm ex parte voluntatis: nec id negare potuit Caſſianus.

Cæterùm SS. Patres Eccleſiæ contrà Pelagianos & Semipelagianos ſemper intulerunt, non recedere à lege atque doctrinâ quamlibet gratiam excitantem, ſivè ex parte intellectûs, ſivè ex parte voluntatis, quæ tantùm excitaret, invitaret, & alliceret. Nàm omnis talis gratia habet formam legis, & habet ſe ſicut lex atque doctrina, quià tantùm exhortatur, & ſuadet, & illuminat, & excitat: omnia iſta enìm facere poteſt doctrina. Quarè iſta non eſt gratia quæ facit ut faciamus, & quæ operatur ut operemur, & quâ Deus a *operatur velle & perficere pro ſuâ voluntate.*

a Philip. 2. 13.

Ad illud autem quòd dicitur Concilium Tridentinum non requirere niſi ſolam gratiam excitantem & adjuvantem, verum eſt, ſed utramque dicit pertinere ad gratiam prævenientem: at verò Molina ſolùm ad gratiam prævenientem dicit pertinere gratiam excitantem; adjuvantem autem aſſerit eſſe cooperantem, conſentiente jam libero arbitrio.

Similiter, quod adducitur de gratiâ & charitate, quæ, ut probabile eſt, non diſtinguitur realiter, omittimus. Nec enìm quæſtio eſt præſens de diſtinctione illâ metaphyſicâ, ſi diſtinguatur gratia excitans & adjuvans realiter, ſivè formaliter. De hoc enìm non curamus: ſed quæſtio eſt, quòd, ſivè realiter ſivè formaliter diſtinguantur, gratia præveniens in quantùm præveniens, non ſit ſolùm excitans, ſed etiam adjuvans; ità ut non ſit adjuvans conſentiente jam libero arbitrio, vel quià ipſum voluit, ut dictum eſt. Iſta enìm gratia excitans cùm pertineat ad legem atque doctrinam, non facit nos facere, ſed liberum arbitrium, ſolùm excitatum, ex ſeipſo conſentit & operatur, & ſic habet liberum arbitrium aliquid quod non habet à Deo, & per hanc gratiam excitantem non omnia referuntur in Deum. Licèt enìm Molina dicat omnia referenda eſſe in Deum, addit tamen; *ità ut relinquatur induſtria libero arbitrio.* Et explicans quæ induſtria ſervanda ſit, aſſerit, quòd ille actus, in quantùm procedit à libero arbitrio, non eſt à Deo, niſi hâc ratione, in quantùm dedit voluntatem, & in quantùm eſt author naturæ, ut patet. Et F. Thomas legit locum, ſimulque dixit: aſſerit Molina quòd ille actus, in quantùm eſt à libero arbitrio non eſt à Deo; & ex conſequenti, in quantùm liber eſt, non eſt à Deo, & ſic principium quod habet ille actus, non erit à Deo, quià principium quod habet, eſt eſſe à libero arbitrio, & eſſe actum liberum.

Sic philoſophabatur Fauſtus *Lib. 1. cap. 4. cùm autem dicunt* (videlicet Defenſores gratiæ) *omnia in Deum referenda eſſe, quis non ad tàm venerandum nomen omni cordis humilietur affectu?* Et, *cap. 14. imperat nobis, qui propria voluntatis generali diſpenſatione jura diſtribuit; pro eo autem quòd omnia in Deum referenda ſunt, legimus:* b *qui docet hominem ſcientiam.* Ecce in gratiam excitantem, quæ pertinet ad ſcientiam dicit omnia referenda eſſe, non autem in gratiam ſicut in operantem, ut etiam Molina dicit. Similiter addit ibì Fauſtus: *nihil hìc, ut opinor, redolet præſumptionis, præcipuè cùm hoc ipſum inceſſabiliter aſſeram: quòd Deo debeam ipſam voluntatem.* Omnia referebat in Deum, ſed ſicut in dantem voluntatem, ex quo Molina didicit ſuam doctrinam. Immò ipſe Pelagius apud S. Auguſtinum *de grat. Chriſti cap. 4.* c diſtinguit illa tria, poſſe, velle, & operari, id eſt, poſſibilitatem, actionem, & operationem: & poſſibilitatem dicit eſſe à Deo, actionem autem & operationem referri in Deum, quià

b Pſ. 93. 10.

c Tom. 10. num. 5. col. 231.

Digitized by Google

quià ipſe dedit voluntatem. Quod etiam Molina ipſe dicit. Itaque Molina cum Caſſiano, Fauſto, & Pelagio admittit gratiam excitantem quæ non facit facere.

Tunc Generalis Societatis dixit: quòd omnes admittebant gratiam efficacem, & quòd Deus faciebat nos facere, & operabatur ut operaremur; ſed tamen de modo erat difficultas; quià aliqui dicebant illam eſſe efficacem ſecundùm congruitatem, alij verò ità dicebant illam eſſe efficacem, ut non poſſit ei reſiſtere liberum arbitrium, ità ut in ſenſu compoſito non poſſit ei conjungi diſſenſus.

Ad quod dixit Generalis S. Dominici: quòd in ſenſu compoſito non poterat ei conjungi diſſenſus, & quòd debebat eſſe gratia phyſicè movens ad actum, & non ſolùm moraliter; quià erat Pelagianum dicere, quòd ſolùm movebat moraliter.

Tunc Generalis Societatis dixit: quòd multi Doctores dicebant movere moraliter, qui damnandi non erant ſicut Pelagiani. Et interrogando dixit: nunquid omnes erunt Pelagiani? Cui Generalis S. Dominici: omnes qui id jam nunc dicunt, ſunt Pelagiani, & omnes ſunt diſcipuli veſtri. Et iterùm dixit: dicant iſti Patres, ſi gratia excitans ſeu præveniens eſt phyſicè movens voluntatem? Quod cùm illi conceſſiſſent, dixit Generalis: ſcribatur hoc. Sed ſtatìm F. Thomas dixit: amplius debebunt confiteri. Scimus enìm dono Dei, quâ æquivocatione utantur in hâc parte. Dicunt enìm illam excitationem eſſe phyſicam, quià videlicèt eſt actio realis & phyſica. Nunc ergò non loquamur de prædeterminatione, agetur enìm quandò ſua Sanctitas præceperit. Sed dicant Patres Societatis: an admittant gratiam prævenientem, in quantùm prævenientem, applicare & movere liberum arbitrium ad actum verâ efficientiâ reali independenter ab ipsâ cooperatione arbitrij? Ad hoc dicant: ità, vel non. Ipſi autem dixerunt; quòd iſta quæſtio poſtea erat ventilanda, & quòd habebant quinque Theologos quos volebant conſulere ad reſpondendum.

At verò F. Thomas ad pedes Sanctiſſimi orabat ut reſponderent, (ſivè gratia determinet voluntatem, ſivè non,) an ſit efficax, in quantùm præveniens, independenter à libero arbitrio & ſcientiâ mediâ? Sed nec ad hoc directè reſponderunt, ſed dixit Generalis Jeſuitarum, quòd illa efficacia gratiæ prævenientis dicebat reſpectum ad actum liberi arbitrij. Cui ſtatìm F. Thomas: hæc eſt altera æquivocatio, quâ PP. Societatis utuntur, quæ ſic eſt auferenda. Dicant ergò clarè, an ſentiant illam efficaciam gratiæ dicere reſpectum ad actum liberum, ſicut ad cauſam à quâ proveniat ejus efficacia: an potiùs dicat reſpectum ad illum actum, ſicut ad effectùm, ad quem producendum, movet & applicat liberum arbitrium. Tunc Generalis Jeſuitarum dixit: quòd dependebat. Et ſtatìm F. Thomas: Ecce, Beatiſſime Pater, concedit quòd gratia efficax dependet in ſuâ efficaciâ à creaturâ; & ex conſequenti, quòd ſit efficax ab effectu, ut Molina dixit priùs. Sed reſpondit Generalis Jeſuitarum ſe id non aſſerere. Cui F. Thomas: Sanctiſſimus audivit. Et proſecutus dixit aliqua, quibus efficaciam Dei antecedentem humanam libertatem demonſtrabat. Inter quæ dixit: ſanctum Auguſtinum à Pelagio poſtulaſſe gratiam cooperantem, à Juliano autem gratiam excitantem, ſed non excitantem quomodocunque, ſed inducentem ad opus, attrahentem, de facto convertentem, & transmutantem voluntatem: quam excitantem gratiam etiam Eccleſia poſtulabat à Deo, cùm dicebat: *excita corda noſtra*. Eſt enìm duplex excitatio: alia ſuadens, alia inducens & adducens. Et hanc efficaciam antecedentem clamant omnes orationes Eccleſiæ, quæ deſumptæ ſunt ex Concilio Milevitano.

Sed P. Arrubal dicebat: Molinam non dicere gratiam excitantem ſufficere ad ſalutem, ſicut propoſitio, de

X ij quâ

quâ diſſerebatur, aſſerebat. Tunc F. Thomas dixit: hæc propoſitio eſt Sanctiſſimi Domini. Et cùm hæc dixiſſet, interrumpitur à Generali ſui Ordinis, qui & dixit: etiàm Molina dicit gratiam excitantem ſufficere ad ſalutem. Et id legit in Molinâ. Cui ſtatìm Arrubal: legat locum, in quo Molina dicebat, 1°. quòd gratia excitans eſt motio voluntatis. 2°. quòd movebat voluntatem. 3°. quòd voluntas potens reddebatur per illam. 4°. quòd erat principium efficiens actum ſicut habitus. Qui omnia iſta habet.

Tunc F. Thomas aït: nullus, nec ipſe Molina, potuit clariùs explicare ſuam falſam doctrinam, quàm in his quatuor. Dicit enìm quòd ſicut habitus, metaphyſicus, videlicet, vel quilibet alius in voluntate exiſtens, habet iſta quatuor. 1°. Quòd eſt entitas phyſica. 2°. Quòd eſt in voluntate, &, qui illum producit, aliquid reale & phyſicum immittit in voluntatem, & quòd inclinat voluntatem in actum. 3°. Quòd per illum redditur potentia potens ad producendum actum. 4°. Quòd quandò vult voluntas, utitur illo, & ipſe habitus ſimul eſt principium efficiens actûs, quatenùs applicatur & determinatur per voluntatem; non autem ipſe habitus applicat & movet voluntatem ad actum, ſed è converſo. Ità gratia præveniens, ſivè excitans, aït, eſt entitas phyſica, & inclinat voluntatem ad actum pium, videlicèt excitando. 3°. Voluntas potens redditur ad operandum, id eſt, habet poſſe ſupernaturaliter operari: quod poſteà admiſit Pelagius, ut patet ex S. Auguſtino a *Lib. de grat. Chriſti cap. 5.* 4°. Applicata per voluntatem, eſt principium efficiens ſimul cum voluntate ipſum actum. Cæterùm illa gratia non movet voluntatem, nec illam applicat ad actum; ſed ipſa voluntas ex ſeipsâ applicatur ad illum. Itaque illud verbum, *ex ſe*, affirmabat non inveniri in Molinâ. Sed quià erat valdè ſerò, F. Thomas aït: nos, Beatiſſime Pater, pro nunc finimus; & ſic diſſoluta fuit Congregatio.

a *Tom. 10. num. 6. col. 232.*

CONGREGATIO XI.

CORAM CLEMENTE VIII.

Habita coram Sanctiſſimo die 9. Decembris 1602.

In quâ agitatum eſt, utrùm Molina cum Caſſiano conveniat circà Dei dilectionem ſuper omnia ex ſolâ naturæ facultate; & utrùm uterque affirmet Deum noſtros exſpectare conatus ut prævenientem largiatur gratiam; vel ſaltem duos vocandorum ordines ipſi conſtituant, alterum ex præveniente gratiâ, & alterum ex præviis conatibus.

Vide hiſt. Congreg. de Auxil. l. 3. cap. 16. col. 441. & ſeqq.

IN hâc Congregatione non adfuit Generalis Societatis, quià, ut fertur, infirmabatur. Sed nomine ejus fuit Vaſtida ſimul cum Arrubal.

Præmiſsâ à Sanctiſſimo conſuetâ oratione, & adſtantibus Dominis Cardinalibus, cum aſſuetis Cenſoribus, incepit P. Arrubal diſputare tertiam propoſitionem iſtius Scripti, in quo quæritur, an Molina cum Caſſiano conveniat. Quæ tertia Propoſitio ſic habet: quòd poſſit homo ex ſolâ facultate naturæ diligere Deum ſuper omnia. Circà quam in ſummâ propoſuit Arrubal: quòd Molina cum Caſſiano minimè conveniat. Quod ut probaret, dicebat 1°. Caſſianum locutum fuiſſe de charitate ſupremâ. Sic enìm

Digitized by Google

enim illum intelligebat ſanctus Proſper.[a] At verò Molina non loquebatur de charitate ſupremâ, ſed de quolibet actu dilectionis inſufficiente & imperfecto. Ad quod legebat loca Molinæ in quibus verbis aſſerebat imperfectionem hujus actûs. 2°. Dicebat Caſſianum locutum fuiſſe de dilectione Dei ſuper omnia ſimpliciter, ut ſe extendit ad omne genus entis, quià loquitur de ſupremâ: ſuprema autem illa eſt, quâ alia ſuperior non eſt. At verò ſi non ſe extenderet ad omne genus ſimpliciter, & omnem rationem diligendi, non eſſet ſuprema; quià illa quæ ſic ſe extenderet ad iſta eſſet magis ſuprema. At verò Molina non loquebatur de dilectione illâ ſimpliciter, ſed de dilectione in certo & determinato genere entis naturalis, ut conſtabat ex verbis Molinæ, quæ ibì legit: & ſic Molina cum Caſſiano non conveniebat. 3°. Quià Caſſianus loquebatur de dilectione Dei diſponente ad juſtificationem, ut conſtabat; quià loquens de pœnitentiâ David & Latronis, dicebat eos fuiſſe juſtificatos: at verò Molina expreſſis verbis affirmabat illam dilectionem merè naturalem non pertinere ad juſtificationem. 4°. Quià Caſſianus loquebatur de dilectione Dei ſuper omnia validâ, ſufficiente atque robuſtâ ad exequendum quod promittebat; quià aſſeverat quòd per illud nudum propoſitum poterat exequi: at verò Molina loquitur de dilectione Dei ſuper omnia invalidâ, & inſufficienti ad exequendum opus quod promittit, ut legebat in Molinâ, qui dicit illam eſſe inefficacem ad obſervantiam mandatorum. Eſſe autem hanc duplicem dilectionem Dei ſuper omnia invalidam & inſufficientem ſivè parvam, probat ex ſancto Auguſtino *L. de grat. & lib. arb.*, quem locum ibì legebat. Deindè dicebat 5°. liberum arbitrium ſecundùm Molinam eſſe extenuatum & infirmatum viribus, ut legebat in Molinâ, quæ ſunt verba Conciliorum Arauſicani & Tridentini; & ex conſequenti affirmabat Molina non eſſe robuſtum ad diligendum Deum & exequendum opere quod promittebat. Et ibì ſimul dixit: poſſe hominem meliùs in naturâ integrâ quàm infirmâ, habere dilectionem Dei ſuper omnia. Ultimò adducebat 6°. S. Bonaventuram, qui affirmabat hanc dilectionem Dei naturalem poſſe eſſe in homine ex naturæ viribus, ut ex diverſo principio à quo procedit hæc dilectio Dei ſupernaturalis. Simulque legebat in S. Bonaventurâ, quòd iſta dilectio naturalis eſt, ſimillima cum illâ ſupernaturali. Ac deniquè dicebat S. Bonaventura poſſe hominem mori pro amicis ſuis, ſicut pro patriâ &c. Hæc in ſummâ dixit ferè per duas horas. Similiter objiciebat ſibi, quòd quià Molina dicebat illam dilectionem naturalem non poſſe exequi obſervationem omnium mandatorum, præſertim in abſentiâ tentationum, inferebant aliqui contrà Molinam, ipſum ſentire, quòd etiàm in præſentiâ tentationum poterat. At verò, ut dicebat, hoc ex Molinæ litterâ inferri non poterat; quià alio loco explicans hoc verbum, *præſertim*, appoſuit particulam, ſaltem; & alio loco, ſine ullâ particulâ additâ, dicit: non poſſe tentationes vincere. Undè colligebat illam dilectionem non eſſe robuſtam & ſufficientem. Undè & concludebat Caſſianum & Molinam non convenire, ſed diſtare in hâc propoſitione.

[a] L. contrà Collat. cap. 17. in App. tom. 10. Op. S. Aug. cap. 13. num. 37 col. 184.

Statìm autem F. Thomas ſic dixit: Beatiſſime Pater, ad cujus pedes quæcunque dixero humiliter ſuppono, tertia propoſitio in ordine conferenda inter Caſſianum & Molinam, ſic habet: *Quòd poſſit homo ex ſolâ facultate naturæ diligere Deum ſuper omnia.* Et poſtquàm illam recitavit, aït: quæ planè procedit de homine in ſtatu naturæ lapſæ. Hanc Propoſitionem ſic expreſſis & formalibus verbis aſſertam in Caſſiano non invenio; illam tamen tradit ipſe implicitè, reipsâ, & quòad ſenſum *Collat. 13. cap. 12.* ℣. *Dubitari ergò non poteſt ineſſe quidem omni animæ naturaliter virtutum ſemina &c.*, quem ibì legit dicens: quibus verbis doctri-

 naliter

naliter, & ex conſequenti univerſaliter affirmat ineſſe quidem omni animæ naturaliter virtutum ſemina ſecundùm etiàm quòd ſemina iſta ſe extendunt ad ſemina charitatis & dilectionis Dei ſuper omnia, ut illum ibì intelligit S. Proſper *cap. 30. contrà Collat.* dicens: a *& tanta eſt, ſecundùm iſtum, liberi arbitrij vel incolumitas, vel facultas, ut charitatem, quæ in omnium arce virtutum eſt, non ex Dei munere, ſed ex ſolâ habeat voluntate.* Quod ibì legit F. Thomas. Limitat tamen Caſſianus iſtam propoſitionem dicens: illam dilectionem Dei ſuper omnia, niſi ſit excitata opitulatione divinæ gratiæ, non poſſe pervenire ad perfectionem, id eſt, ſalutē & juſtificationem. Hoc enìm intelligit ibì per perfectionem. Et *cap. 14.* explicans illud *Deuter 13. Tentat vos Deus, an diligatis illum*, pro certo præſupponit hominem poſſe ſolis naturæ viribus in naturâ lapsâ diligere Deum ex toto corde & ſuper omnia. De hâc enìm dilectione ex facultate naturæ ibì loquebatur, ut conſtat ex contextu. At verò Molina expreſſiùs, diſtinctiùs, & clariùs ſub formalibus verbis hanc propoſitionem defendit *diſp. 14. memb. 3. §. duo quædam*, b quem locum ibì legit, & poſteà dixit: eodem prorsùs modo limitat Molina hanc propoſitionem, quo Caſſianus. Sicut enìm Caſſianus dixit illam dilectionem, niſi fuerit excitata opitulatione divinæ gratiæ, non poſſe pervenire ad perfectionem, id eſt, ad ſalutem & juſtificationem; ità Molina dicit non pertinere ad juſtificationem. Et legens §. *ſequentem* dixit: nullam aliam invenit differentiam inter hominem in naturâ integrâ cum juſtitiâ originali & donis ſupernaturalibus, & inter hominem in naturâ infirmâ omni gratiâ deſtitutum, niſi quòd ille faciliùs, iſte autem majore cum difficultate poteſt habere hanc dilectionem Dei ſuper omnia: quod etiam Pater Reverendus modò confeſſus eſt dicens: meliùs quidem hominem ſanum, quàm nunc infirmum potuiſſe habere actum illum. Hanc autem facilitatem & difficultatē reſpectu utriuſque hominis in utroque ſtatu, nec Pelagius negavit, ut notiſſimum eſt.

a *In App. tom. 10. Op. S. Aug. cap. 18. n. 42. col. 186.*

b *Edit. Antuerp. p. 50. col. 2. & ſeq.*

Ad illa autem quæ PP. Societatis adducunt pro defenſione Molinæ, in fine hujus Diſputationis, Deo adjuvante, ſatisfaciam. Nunc enìm oportet me ad illas propoſitiones dicere. Undè ſit quarta Propoſitio.

Vix hæc verba protulerat F. Thomas, cùm PP. Societatis dixerunt ſe habere aliquid contrà id quod ipſe dicebat. Quibus F. Thomas dixit: poſteà, Patres, dicetis quidquid placuerit. Tunc Sanctiſſimus præcepit, ut priuſquam diceretur ad alias, finiretur omninò illa tertia propoſitio.

Tunc F. Thomas dixit: quatuor in ſummâ propoſuit R. P. 1°. Caſſianum loqui, teſte S. Proſpero, de dilectione ſupremâ: at verò Molinam non loqui de hâc ſupremâ. Ad quod hæc ſit reſponſio: Caſſianum loqui de dilectione Dei ſupremâ in genere & in ordine ſuo, videlicèt, inter naturalia & moralia; affirmat enìm liberum arbitrium poſſe ſuis naturæ viribus elicere hunc ſupremum actum inter omnes morales actus, videlicèt, dilectionem Dei ſuper omnia; & ex conſequenti, ut ibì deducit S. Proſper, non putat arbitrium læſum in ordine ad finem naturalem. Siquidem conſtituit ipſum habere poſſe omnium ſupremum & perfectiſſimum actum naturalem dilectionis Dei ſuper omnia. Hunc autem eundem ſupremum actum naturalem, clariùs tradit Molina, ut dictum eſt. Undè ſentit liberum arbitrium in ordine ad finem naturalem, non eſſe verè læſum.

Ex eâdem hâc radice patet reſponſio ad 2^{m}. quod opponit pro defenſione Molinæ. Caſſianus enìm loquitur directè & expreſsè de dilectione Dei naturali pertinente ad certum genus entis naturalis: at verò indirectè & reductivè talis dilectio convincitur etiàm ſe extendere ad ordinem ſupernaturalem, & ad dilectionem omninò ſimpliciter; quià habenti talem dilectionem Deus debet dare gratiam: nam cum tali dilectione Dei ſuper omnia

Digitized by Google

omnia nullum compatitur peccatum mortale ; & ex conſequenti, ſi homo naturæ viribus diligit Deum ſuper omnia dilectione naturali, obtinebit gratiam. Hoc enim fuit fundamentum S. Auguſtini contrà Pelagianos, ut patet *ex L. 4. contrà Julian. cap. 3.* a quòd ſi homo habere poteſt naturæ viribus juſtitiam naturalem, Deus qui juſtus eſt, non debet damnare illum hominem juſtum juſtitiâ morali & naturali ; ſed debet illi dare gratiam ſupernaturalem, ut conſequatur gloriam ; & ſic illa datio gratiæ caderet ſub priori merito juſtitiæ naturalis. Hanc autem juſtitiam naturalem habet homo per dilectionem Dei ſuper omnia naturalem. Undè ipſe ſanctus Auguſtinus *Lib. de nat. & grat.* b manifeſtè dicit : quòd ſi aliquis homo ſit in remotiſſimis partibus, ad quem nunquàm pervenit Evangelium, & Chriſti fides, ſi ille poteſt ex naturæ viribus cognoſcere Deum authorem naturæ, Creatorem Cæli & Terræ, & illum diligit juſtè vivendo, ille talis debet eſſe de præmio vitæ æternæ ſecurus, quià Deus illum infallibiliter juſtificabit. Itaque SS. Patres contrà Pelagianos ſemper inſtiterunt in hoc fundamento : quòd ſi homo ex naturæ viribus poteſt elicere actum de objecto pio, & pertinente ad ſalutem, ille actus eſt pius & pertinens ad ſalutem, & ex conſequenti debet produci à causâ piâ & pertinente ad ſalutem. Nam iſta tria in omni Philoſophiâ & Theologiâ ſemper neceſſariò proportionantur : objectum, ſive finis proximus, actus, & principium ; ità ut prima radix à quâ ſumitur eſſentia, & ratio humani actûs, ſit finis & objectum. Undè ſi actus humanus eſt de objecto & fine ſalutari, qualis eſt dilectio Dei ſuper omnia, cùm iſte actus abſque dubio habeat objectum pium & ſalutare, eſſentialiter & ab intrinſeco eſt pius & ſalutaris, & ex conſequenti debet elici à principio pio & ſalutari. Vel ſi homo ex ſolâ facultate naturæ illum elicere poterat, convincitur quòd homo ex ſolâ facultate naturæ producat actum pium & ſalutarem. Et iſta fuit ratio convincens contrà Pelagianos. Cùm autem Molina idem omninò dicat, etiam cum illis manet convictus quòd actum pium conſtituat ex naturæ facultate. Itaque ex dilectione Dei merè naturali ſuper omnia, conſequeretur quòd ſe extendat ad juſtificationem & ſalutem reductivè, ut dictum eſt ; licèt directè & expreſsè videatur ſolùm pertinere ad determinatum genus entis naturalis.

a *Tom. 10. num. 17. & ſeqq. col. 593.*

b *Tom. 10. cap. 2. num. 2 coll. 128. & 129.*

Per hoc etiàm patet, quid dicendùm ſit ad tertiam differentiam quam conſtituunt inter Caſſianum & Molinam. Dicunt enim Caſſianum loqui de dilectione Dei diſponente ad ſalutem, non verò Molinam. Verum eſt enim Caſſianum & Molinam verbis quidem exterioribus ſæpiùs dicere & proteſtari dilectionem illam Dei naturalem, ſicut & quemlibet alium merè naturalem actum, non fieri prout ad ſalutem oportet, nec pertinere ad juſtificationem : at verò quià ponunt hunc actum dilectionis Dei ſuper omnia talibus proprietatibus & conditionibus veſtitum, convincuntur quod reipsâ, velint nolint, illum actum conſtituant ut diſponentem ad juſtificationem. Et quidem Caſſianus ſæpiùs dicit, iſtos actus, è ſolâ facultate naturæ elicitos, non pertinere ad juſtificationem & ſalutem : & præter omnia loca ſæpiùs citata, unus eſt inſignis locus in Caſſiano, qui omnem tergiverſationem totaliter præcludit, *in lib. 12. de inſtit. renunciant. cap. 17.* ubi hæc dicit verba : *Poſtremò inſtruat author ſalutis noſtra, quid nos oporteat in ſingulis quibuſque quæ gerimus, non modo ſentire, ſed etiàm confiteri. Non poſſum ego, inquit* c, *à meipſo facere quidquam ; Pater autem in me manens, ipſe facit opera. Ille ex perſonâ hominis aſſumpti dicit, nihil à ſemetipſo poſſe facere ; & nos cinis & terra, in his quæ ad ſalutem pertinent, arbitramur nos adjutorio Dei non egere ? Diſcamus itaque & nos per ſingula noſtram ſimul infirmitatem, & illius adjutoria ſentientes quotidiè, proclamare cum Sanctis :* d *impulſus verſatus ſum*

c *Joan. 14. 10.*

d *Pſal. 117 13.*

ſum ut caderem, & Dominus ſuſcepit me. a *Fortitudo mea, & laudatio mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem.* Quibus ibì lectis apertiſſimè conſtitit illic negare hos actus pertinere ad ſalutem. Immò dicebat F. Thomas: admiratur maximè Caſſianus, quòd audeat aliquis dicere poſſe hominem terram & cinerem aliquid operari pertinens ad ſalutem ſine Dei adjutorio. In quo multò magìs quàm Molina affirmat id. Etenìm Molina ſolùm ſimplici propoſitione id dicit; at verò Caſſianus cum admiratione maximâ teſtatur, & ex Scripturâ probat non poſſe hominem aliquid facere de pertinentibus ad ſalutem ſine adjutorio Dei. Et *in cap. antecedenti*, etiam poſſe eſſe ex nobis principium vel initium ſalutis, ità ſcribens: *non ſolùm namque ipſam perfectionem oportet credere noſtrâ induſtriâ nos vel labore noſtro poſſidere non poſſe, ſed ne hæc ipſa quidem quæ illius exercemus obtentu, id eſt, labores, conatuſque noſtros, & ſtudia, ſine divinæ protectionis auxilio, inſpirationiſque ejus, & caſtigationis, atque exhortationis gratiâ poſſe perficere, quam, ſcilicèt, cordibus noſtris vel per alium ſolet, vel per ſemetipſum nos viſitans, clementer infundere.* Itaque quòad ſolam vocem exteriorem multò magìs negat Caſſianus quàm Molina illos actus fieri pròut ad ſalutem oportet. Quià tamen, excuſatione non obſtante convictus fuit per S. Proſperum, per S. Auguſtinum, per Cæleſtinum, per Leonem I., per Concilium Arauſicanum II., quòd reipsâ dicebat illos actus fieri ab homine pròut ad ſalutem oportet: cum eo igitur ſimul manet convictus Molina, qui idem omninò dicit, & eandem omninò excuſationem prætendit. Et quidem S. Auguſtinus *Lib. de grat. & lib. arb. cap. 18.* b damnat Pelagianos, quià ex viribus naturæ dicebant oriri dilectionem Dei naturalem ſuper omnia. Ibì enìm explicans illud: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* (quæ dilectio naturalis & moralis eſt, ut conſtat) ſic dicit: *Undè enìm in hominibus charitas Dei & Proximi, niſi ex ipſo Deo? Nàm ſi non ex Deo, ſed ex hominibus, vicerunt Pelagiani; ſi autem ex Deo, vicimus Pelagianos.* Itaque teſte S. Doctore tota victoria Eccleſiæ contrà Pelagianos conſiſtit in negandâ hâc dilectione Dei naturali ſuper omnia; & tota victoria Pelagianorum contrà Eccleſiam conſiſtit in attribuendâ naturæ viribus hâc dilectione Dei naturali ſuper omnia. Et de iſtâ dicebat ſanctus Auguſtinus *Lib. 2. contrà duas Epiſt. Pelagg. cap. 9.* c *Si charitas,* inquit, *ex Deo eſt, tota nobis ex Deo eſt.* Vocat ſanctus Doctor dilectionem Dei naturalem, initium dilectionis, quià, videlicèt, poſitâ illâ ſequebatur, quòd Deus illam perficeret & adjuvaret dilectione Dei ſupernaturali; & illam initialem & naturalem dilectionem Dei ſuper omnia, negat ſanctus Auguſtinus naturæ ſolius viribus. Itaque tàm Caſſianus quàm Molina verbis negant illam dilectionem Dei naturalem eſſe diſpoſitionem ad gratiam & ad juſtificationem, re autem ipsâ uterque id intendit, & dicit. Quâ etiàm ratione homo non poteſt ſuis naturæ viribus ſervare divina mandata, quæ ſunt moralia, ut docet Concilium Arauſicanum, & potiſſimè Milevitanum *cap. 5.* Immò Pelagius in Epiſtolâ ad Demetriadem nihil aliud intendit, niſi quòd homo viribus ſuis poteſt habere bonos mores, id eſt, ſervare legis mandata. Sciebat enìm quòd ſi Eccleſiæ Doctores hoc illi concederent, quòd obtinebat gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari. Quià illi homini debebat Deus dare gratiam, quià non debebat illum damnare, & ſic illa gratia caderet ſub priori merito naturæ. At verò ſanctus Auguſtinus reſiſtit, negando hominem poſſe ex ſe habere bonos mores, vel poſſe divina mandata ſervare, ut ex Concilio Milevitano conſtat.

Ad illud autem 4m, quod adducunt ex S. Auguſtino *Lib. de grat. & lib. arb. cap. 17.* d mirum eſt quomodò non videant verba immediatè ſequentia. Et legens locum, oſtendit qualiter S. Auguſtinus

a *Idem,* ℣. 14.

b *Tom. 10. n. 37. col. 737.*

c *Tom. 10. n. 21. col. 445.*

d *Tom. 10. n. 33. col. 755.*

Digitized by Google

Auguſtinus apertiſſimis verbis dicebat, tàm robuſtam dilectionem, quæ reipſâ operatur magna, quàm & illam parvam, quæ proponit, & non operatur, eſſe Dei donum. Verba Auguſtini ſunt: *Et quis iſtam, etſi parvam, dare cœperat charitatem, niſi ille qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit?* Quomodò ergò iſta contrà ſeipſos adducunt? Immò hoc loco convincitur contrà Molinam, non poſſe hominem habere illam quam ipſe vocat inefficacem dilectionem. Quòd autem Patres Societatis dicunt, dilectionem quam Molina conſtituit eſſe inefficacem, non fuerunt iſti Patres præſentes in Congregatione in quâ ad longum de hâc propoſitione actum fuit, & in quâ P. Valentia, licèt à principio hoc ipſum dixiſſet, illam, ſcilicet, dilectionem eſſe inefficacem, tamen tandem confeſſus eſt, pro tempore quo durabat in animâ eſſe efficacem. Nec aliam majorem efficaciam habet dilectio ſupernaturalis, niſi quòd quandiù eſt in animâ, poſſit omnia contraria vincere. Nàm ſi aufertur ab animâ, non eſt mirum quòd non operetur. Sic & dilectio Dei ſuper omnia, pro tempore quo eſt in animâ operatur magna, ſi eſt; ut dicit Gregorius Magnus; quòd ſi renuit operari, charitas non eſt, id eſt, non eſt dilectio Dei ſuper omnia. Nec modò curo de verbo *præſertim*, vel de verbo *ſaltèm*: quid enìm intendat Molina per iſta verba, ſatis conſtat. Itaque in nullo prorsùs Molina diſtinguitur à Caſſiano.

Ad id autem quod 5°. adducunt de ſancto Bonaventurâ: S. Doctor in verbis citatis, tantùm docet poſſe hominem naturæ viribus producere affectus amoris ergà Deum, non autem dicit ſuper omnia. Et dicit hujuſmodi affectus eſſe ſimiles charitati ſupernaturali. Dicit etiam quòd homo poteſt mori pro amico ſuo, vel pro patriâ; ſed nullo modo dicit, quòd poſſit homo ſine adjutorio Dei mori pro Deo. Benè enìm poteſt homo ex virtute civili, ut S. Auguſtinus dixit, mori pro patriâ, immò aliquandò hæreticus moritur pro errore ſuo; at verò quòd moriatur pro Deo ſine Deo, hoc nec S. Bonaventura dicit, nec id probabile eſt.

Poſt hæc P. Arrubal dixit, prædictum F. Thomam non reſpondiſſe ad omnia quæ ipſe attulerat: & ſimul dixit ſe adduxiſſe illum locum S. Auguſtini *ex lib. de grat. & lib. arb.* ad probandum, eſſe duplicem dilectionem; aliam robuſtam, aliam verò parvam: non autem adduxiſſe ad hoc propoſitum, quòd parva habeatur ex naturæ viribus. Cui ſtatìm F. Thomas: immò ad nihil aliud adductus eſt, niſi ad hoc ut excuſaret Molinam defendentem hanc dilectionem parvam eſſe ſine Dei adjutorio.

Deindè dixit idem Pater Arrubal: Caſſianum loqui de dilectione Dei diſponente ad juſtificationem, quià loquitur de contritione David, & pœnitentiâ Latronis, qui ſtatìm juſtificati ſunt. Prætereà dicebat S. Bonaventuram dicere hominem poſſe mori ex naturæ viribus pro Deo, quià id ibì intendebat: & quòd loquebatur de dilectione ſummi boni. Quod iterùm ibì legerunt. Dicebat etiàm quòd per divina mandata, quæ homo ſervare non poteſt, intelligebat mandata ſupernaturalia; & quòd Concilium Arauſicanum non dicebat aliquid de mandatis naturalibus. Quod oſtendebat legendo *cap. 5.* Concilij Arauſicani.

Ad hæc F. Thomas dixit: quià adducunt contritionem Davidis & Latronis ex Caſſiano, advertant qualiter Caſſianus expreſsè loquens de contritione Davidis, dicat illam non diſponere ad juſtificationem, nec eſſe ejuſdem ordinis cum illâ. Immò dicit tantùm eſſe occaſionem, quâ poſitâ Deus illum juſtificavit. Sic enìm dicit ipſe Caſſianus expreſsè *L. 12. de inſtit. renunt. cap. 11.*: *Vel ſi reminiſcamur*, inquit, *David Regis duo tàm gravia, tàmque immania crimina, uno pœnitudinis ſermone deleta, nec hìc videbimus ad indulgentiam tanti criminis*

 obtinendam

obtinendam, laboris æquiparaſſe merita; ſed Dei gratiam ſuperabundaſſe, qui veræ pœnitudinis occaſione perceptâ, tantam peccatorum materiam ſub unius verbi plenâ confeſſione conſumpſit. Quem locum ibì expreſsè legit P. Lemos, & dixit: ecce expreſsè dicit illam contritionem eſſe ſolùm occaſionem, & non diſpoſitionem. Quod ipſum dixit Molina.

Ad illud autem quod legebat P. Arrubal ex Concilio Arauſicano, dixit F. Thomas: ego non dixi Concilium Arauſicanum *in cap. 5.* hoc dicere, ſed Concilium Milevitanum *in cap. 5.*; hoc legat. Quod cùm non legiſſet, dixit F. Thomas: certum eſt quòd mandata legis, quæ viribus naturæ ſervari non poſſunt, ſunt mandata moralia Decalogi. De quo nullus dubitat, nec dubitare poteſt.

Ad ſanctum Bonaventuram quod attinet, eſt verum quòd dicit circà Deum poſſe hominem habere dilectionem affectuoſam; ſed intelligit eſſe quandam quam Theologi vocant velleïtatem, quam & multi peccatores habent; ſicut cùm dicunt: vellem Deum diligere, vellem peccata relinquere, cum quâ tamen habent propoſitum remanendi in peccatis; at verò dilectionem Dei ſuper omnia actu abſoluto includente propoſitum obſervandi omnia mandata, non tribuit naturæ viribus: & hanc velleïtatem dilectionis dicit eſſe ſimilem cum dilectione Dei ſupernaturali. Similiter non dicit poſſe hominem mori pro tali dilectione Dei ex ſolâ facultate naturæ.

Tunc Pater Vaſtida dixit: S. Bonaventuram aſſerere, poſſe hominem mori pro dilectione Dei naturali ex ſolâ facultate naturæ, qui adducebat, ſcilicèt, ad illud probandum, illud Christi Domini: a *majorem charitatem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*: Ubì loquitur de amicitiâ Dei. Et ſimiliter quià dicit duas illas dilectiones, naturalem, ſcilicèt, & ſupernaturalem, eſſe diverſas ex parte principij, quià altera eſt ex homine, alia ex Spiritu Sancto.

a *Joan. 15. 13.*

Ad hæc dixit F. Thomas: veriſſimè dicit ſanctus Bonaventura, quòd illa imperfecta dilectio Dei, quæ velleïtas eſt, habet aliud principium à dilectione Dei perfectâ & abſolutâ ſuper omnia. Nàm illa prima procedere poteſt ex ſolâ naturæ facultate, nec aliquem ordinem habet cum juſtificatione & ſalute, ut dixi: at verò iſta ſecunda eſt ex Spiritu Sancto, & dicit ordinem ad ſalutem & juſtificationem, quià non ſecum compatitur peccatum aliquod mortale. Et hanc tribuit Molina naturæ viribus, & non Spiritui Sancto. Sanctus autem Bonaventura nullo modo dicit poſſe hominem ex ſeipſo ſine Deo mori pro ipſius dilectione. Illud autem quod addidit ex Evangelio de Chriſto dicente: *majorem charitatem nemo habet &c.* ſic dictum fuit à Chriſto, & ſic adducitur à S. Bonaventurâ, ut ſub hâc univerſali propoſitione ſubſumeret particulares. Univerſalis eſt: *majorem charitatem nemo habet, niſi ponat animam ſuam pro amicis ſuis.* Sub hâc clauduntur illæ particulares; quòd homo ponens animam pro amico ſuo, non poteſt illum plus diligere; & ſimiliter ex hoc concludit Chriſtus Dominus, non potuiſſe nos plus diligere quàm moriendo pro nobis. Itaque S. Bonaventura nullo modo dicit poſſe hominem mori pro Deo ſine Deo. Immò S. Auguſtinus manifeſtiſſimè dicit: *Serm. de Martyribus*, eſſe Martyrium, ſi quis pro Deo moriatur; ſic enìm aït: *Martyrium eſt mori pro Deo, pro virtute, pro juſtitiâ, pro Chriſto, pro fide &c.* Itaque mori pro Deo authore naturæ, & cognito ut tali, eſt actus martyrij. Ex quo Auguſtini loco S. Thomas *2. 2. q. 124. art. 5.* expreſsè dicit, quòd licèt cauſa Martyrij principaliter ſit fides, tamen etiam eſt verum Martyrium mori pro quâlibet virtute, ut pro ſervandâ caſtitate, & pro dicendâ veritate: & adjecit, ad hoc probandum, Martyrium Joannis Baptiſtæ, qui eſt verè Martyr in Eccleſiâ, & tamen non pro confeſſione

expreſsâ

Digitized by Google

expreſsâ fidei, ſed pro quâdam virtute naturali occiſus eſt, videlicet, pro reprehenſione adulterij, quod erat contrà legem naturæ.

TUNC ſua Sanctitas præcepit, ut diceret ad aliam propoſitionem. Quod cùm cœpiſſet facere F. Lemos, PP. Societatis inſtabant ſe habere aliquid quod dicerent. Quibus F. Thomas: ſua Sanctitas præcepit ad aliam propoſitionem progredi; & tamen adhuc inſtabant ſe habere aliquid quod dicerent, & tandem obtinuerunt. Tunc Arrubal dixit hoc argumentum: Dilectio Dei naturalis ſuper omnia eſt immediata diſpoſitio ad gratiam in ſtatu naturæ integræ; ſed S. Thomas dicit in ſtatu naturæ infirmæ poſſe hominem ex ſolis naturæ viribus habere illam; ergò concedit dilectionem ex ſolâ facultate naturæ eſſe immediatam diſpoſitionem ad gratiam. Et ſimiliter P. Vaſtida clamabat, ut ſibi diceretur, ſi dilectio naturalis eſt immediata diſpoſitio ad gratiam, vel non?

Cùm autem videret F. Thomas illorum ergò, re ſæpiùs examinatâ, tempus conſumere, dixit: iſti Patres, idem repetunt in infinitum; ad omnia iſta millies eſt dictum, & millies eſt reſponſum. Undè non oportet me aliud dicere; quià Patres iſti, Beatiſſime Pater, ſolùm prætendunt dilationem, & conſumere tempus. Illis autem magìs clamantibus ut ſibi reſponderet, iterùm F. Thomas dixit: remitto me ad ea quæ ſæpiùs dicta ſunt. Adhuc illi dicebant, ut reſponderetur, & ità clamabant, ut eis diceret ſua Sanctitas: vos putatis *che é ſtate en la placa Svaona*. Et præcepit ſua Sanctitas F. Thomæ ut reſponderet. Et illicò F. Thomas: proponant modò argumentum. Tunc Arrubal iterùm propoſuit idem argumentum longiſſimâ oratione. Cui F. Thomas: ad iſtum longiſſimum proceſſum reſpondeo: Major eſt iſta: dilectio Dei naturalis eſt immediata diſpoſitio ad juſtificationem in ſtatu naturæ integræ. Ad quam dico, dilectionem Dei ſuper omnia ex ſeipsâ, & in ſtatu naturæ integræ diſponere ad juſtificationem, vel potiùs illam ſupponere. Minor autem eſt iſta: quòd S. Thomas illam concedat naturæ viribus in ſtatu naturæ corruptæ. Ad quod dico S. Thomam in illo loco, qui ad hoc citatur *ex 1. 2. q. 109. art. 3.* potiùs totum contrarium omninò dicere. Expreſsè enim affirmat, hominem in ſtatu naturæ integræ potuiſſe viribus propriis elicere dilectionem Dei ſuper omnia; nullo autem modo in ſtatu naturæ infirmæ, ut notiſſimum eſt. Ad quid ergò hoc imponunt S. Thomæ? Undè ad hoc argumentum non reſpondebam, non quòd gratiâ Dei ad id non poſſim reſpondere, ſed quòd cognoſcam Patres Societatis ſolùm prætendere dilationem, idem millies repetendò.

Tunc dixit P. Arrubal: hoc argumentum erat meum, & volebat argumentum alio modo formare. Tunc Sanctiſſimus præcepit ut diceretur ad 4^{am}. Propoſitionem; & ſic ad illam incepit dicere P. Arrubal, ſupponendo, & longiſſimè explicando Caſſianum conſtituere duos ordines hominum qui juſtificantur; quoſdam enìm ait venire ad Chriſtum, & Chriſtum illos ſuſcipere, alios autem trahere quoties vocabantur ad vitam. Et in hoc multùm temporis conſumebat; ità ut diceret illi Sanctiſſimus: *omnes qui ſunt præſentes ſciunt optimè quid dicat Caſſianus, & Proſper*. Deindè dicebat P. Arrubal affirmare Deum exſpectare noſtros conatus, antecedentes omninò omnem gratiam prævenientem, & aliquandò Deum à nobis præveniri. Dicebat enìm quòd poſtquàm Caſſianus præmiſerat illos duos ordines rerum, ſtatìm quaſi concludens dicebat, quòd Deus ità ſemper noſtro in bonam partem cooperatur arbitrio, ut ab eo aliquandò quoſdam conatus vel exigat, vel exſpectet. At verò affirmabat Molinam non dicere Deum exſpectare à nobis bonos conatus omninò antecedentes omnem gratiam. Quod oſtendebat, quià in primo loco

Digitized by Google

qui ad hoc citabatur *ex diſp. 10. ℣. planè*, a ſolùm dicebat Deum eſſe paratum adjuvare conatus noſtros, & ſtare ad oſtium. Ubì jàm ſupponebatur quòd Deus jam pulſaverat ſuâ gratiâ præveniente; quâ pulſatione exſpectabat Deus ut homo cooperaretur, ad illum adjuvandum, & ad ingrediendum. Undè cùm Caſſianus loquatur de exſpectatione conatuum ante omnem gratiam prævenientem, Molina verò de exſpectatione poſt gratiam prævenientem, diſtabat à Caſſiano. Immò erat veritas fidei, quòd Deus, poſtquàm pulſabat ad oſtium cordis, exſpectabat cooperationem noſtram, quià ſine tali cooperatione non fiebat converſio ad Deum.

a §. illud, in fine pag. 32. col. 2.

Deindè ex 2°. loco citato contrà Molinam ex eodem Molinâ *diſp. 9. ℣. etenim*; b etiàm dicebat non inferri Molinam aſſeruiſſe Deum exſpectare conatus noſtros ante omnem gratiam prævenientem, quià ibì in illis verbis, *niſi illa antecedant*, intelligebat cogitationes quæ ſolent excitari ex prædicatione Evangelij, quas cogitationes & ſpecies non ſolebat Deus immittere, ſed illas præſupponere. Itèm hoc probabat; quià Molina ſæpiùs affirmabat Deum ſæpè ſine illis conatibus hominem juſtificare, vel vocare ad ſalutem. Cùm autem dicat ſæpè Deum homines juſtificare ſine illis conatibus, etiàm dicit quòd ſolet Deus vocare ſine illis conatibus. Undè cùm dicit quòd non ſolet Deus gratiam conferre, niſi illa antecedant, neceſſe eſt quòd non intelligat de conatibus illis, ſed de aliis jàm explicatis. Et aliqua ſimilia dixit P. Arrubal, quorum non recordor; & ità diffusè extendebat iſta, cùm eſſet tàm valdè ſerò, ut ei diceret Sanctiſſimus: videte de gratiâ *quâ vobis datur* audientia, & finite. Tunc ipſe tandem finivit.

b §. 1°. pag. 28. col. 1.

Et ſtatìm F. Thomas, quià videbat omnes valdè laſſos, dixit: Beatiſſime Pater, ſub magnâ brevitate dicam. Tunc illi dixit Sanctiſſimus: *dicas*. Et incipiens aït: 4ª. Propoſitio eſt talis: *quòd Deus exſpectet noſtros conatus; quòdque aliquandò nos præveniat*, & referendo illam, iſte P. Reverendus multùm temporis conſumpſit in probando Caſſianum conſtituere illos duos ordines, cùm tamen propoſitio à veſtrâ Sanctitate propoſita duobus verbis hos duos ordines comprehendat, cùm dicit: *Deum exſpectare conatus noſtros*, ut patet ſimpliciter legendo ejus verba. Hoc ipſum dixit in aliis duobus vel tribus locis, ſed iſte ſufficiat. Secundam autem vel ſecundum ordinem præmiſerat *capite præcedenti*, c cùm aït: *prævenit ergò nos miſericordia Dei &c.* Et totus Caſſianus eſt in iſtâ ſententiâ, quòd aliquandò nos prævenimus Deum, & aliquandò ipſe præveniat nos, quòd aliquandò ipſe nos exſpectat, & aliquandò nos exſpectamus eum; & quòd aliquorum Deus eſt ſuſceptor, aliquorum adjutor: ponit tamen differentiam, quòd quandò nos prævenimus Deum, tunc ſalvatur in nobis in illo actu libertas; quandò autem nos Deus omninò prævenit, tunc non ſalvatur in nobis libertas, ut ſtatìm clariùs explicabitur.

c Collat. 13 cap. 12. in fine.

Molina autem, verbis quidem æquivalentibus affirmat Deum exſpectare noſtros conatus, *in illo ℣. planè* d ſuperiùs citato. Quem ibì legens, ſic dixit: ſi Deus eſt paratus adjuvare conatus noſtros, deſiderans ingreſſum; ergò exſpectat ut producantur à nobis illi conatus ut adjuvet illos, & ut ingrediatur. Sed clariùs id dicit *diſp. 9. ℣. etenim*, e quem ibì legens, ſic dixit: ſi Deus non ſolet ſecundùm ſuum communem uſum juſtificandi, (ut ipſe Molina alibì aït) conferre gratiam prævenientem, (de hâc enìm ibì apertè loquebatur) niſi antecedant conatus illi, abſque dubio exſpectat conatus illos, ut gratiam juſtificantem donet ſecundùm ſuum conſuetum modum juſtificandi. Et iſta eſt concordia Molinæ inter adducta loca à Patre Reverendo; quòd videlicèt niſi illi conatus antecedant, ſecundùm communem juſtificandi modum non ſolet Deus dare gratiam prævenientem: at verò præter iſtum conſuetum modum

d Diſp. 10. §. illud pag. 32. col. 2.

e Pag. 28. col. 1.

ſæpè

Digitized by Google

ſæpè ſolet Deus dare gratiam juſtificantem. Et in iſto loco proximè citato planè loquitur Molina de conatibus antecedentibus omnem gratiam interiorem prævenientem; quià loquitur de cogitationibus illis quæ excitantur in homine, audito Evangelio, vel prædicatione externâ, antè omnem interiorem prævenientem gratiam, & iſtos conatus dicit exſpectare Deum, ut det gratiam ſecundùm ſuum communem juſtificandi modum. Et *in eâdem diſp. 9. §. ut quæ hâc*, a poſtquàm conſtituit illam univerſalem & fundamentalem propoſitionem in hâc materiâ; quòd videlicèt, & antè receptionem gratiæ, & in receptione ipſius gratiæ, ac poſteà in augmento ejus, ſemper ſervanda eſt laus & induſtria libero arbitrio propria; propria, inquam, id eſt non accepta à Deo. Sic enìm planè intelligit. Nam ſtatìm proſecutus adjecit hæc verba: *Immò poſt peccatum actuale cujuſque, Deus ità noſtram cooperationem, induſtriam, atque laborem, & liberum cujuſque arbitrium, ad juſtificationem exigit, ut Bernardus, Serm. de eo quod legitur in Job, in ſex tentationibus &c., dixerit: quod in nobis minus eſt, ipſe ſupplet; modicum tamen illud, quodcunque noſtrum eſt, non patitur reſervari. Atque omnia prædicta exigere videtur Deus à peccatore illis verbis Zachariæ 1. convertimini ad me, & convertar ad vos.* Quæ ibì legens Frater Thomas, oſtendit qualiter Molina dicebat, Deum exigere cooperationem noſtram ſemel atque iterùm.

a Pag. 30. col. 2.

Et poſtquàm legit locum, ſic ait: Caſſianus ſub disjunctione dixit, *quòd Deus conatus noſtros vel exigat, vel exſpectet*, quaſi per verbum *exſpectet*, moderatur rigorem verbi *exigere*. Rigidum enìm magìs quid ſignificat *exigere*, quàm *exſpectare*: multa enìm exſpectantur quæ non exiguntur; at verò omnia quæ exiguntur, rigoroſiſſimè exſpectantur, ut etiàm Cicero dixit in ſuis familiaribus Epiſtolis. Undè Caſſianus dixit: *vel exigat, vel ſaltem exſpectet*, quod mitius eſt, temperans rigorem verbi *exigere*. At verò Molina prætermiſſo verbo *exſpectare*, quod mitius quid ſignificabat, ſumpſit verbum *exigere*, in illâ rigoroſâ & ſtrictâ ſignificatione, quâ Caſſianus & Semipelagiani primitùs uſi ſunt; ut, videlicèt, Deus exigat à nobis conatus noſtros & cooperationem noſtram, ità ut ſic illa ſit in noſtrâ poteſtate; ut non ſit priùs in poteſtate Dei illam nobis dantis & tribuentis. In hoc ſenſu dicit Molina, ut conſtat, Deum exigere à nobis cooperationem noſtram. In quo ſenſu uſos fuiſſe Semipelagianos verbo *exigere*, teſtis eſt S. Auguſtinus *Lib. de prædeſt. Sanct. cap.* 11. b Ibì enìm referens Semipelagianorum argumentum, ſic dicit: *Sed cum dicitur, inquiunt, ſi credideris, ſalvus eris* c: *unum horum exigitur, alterum offertur. Quod exigitur, in hominis; quod offertur, in Dei eſt poteſtate.* Et reſpondet ſanctus Doctor: *Cur non utrumque in Dei eſt poteſtate, & quod jubet, & quod offertur?* Et quod magìs eſt, Molina ad probandum Deum ſic exigere cooperationem noſtram, quæ, videlicèt, ità eſt in noſtrâ poteſtate, quòd non ſit in poteſtate Dei illam nobis dantis & tribuentis, adducit illum locum *Zachariæ 1. convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, quaſi noſtra converſio ad Deum ità ſit in noſtrâ poteſtate, quòd nobis à Deo non detur. Cujus loci ſenſus, quem amplectitur Molina, eſt planè Pelagianus, traditus ab ipſo Pelagio, & à primis Pelagianis, ſed refutatus & damnatus à ſancto Auguſtino, *Lib. de grat. & lib. arb.* d *cap. 3.* & *Lib. 2. de peccat. merit. & rem.* e *cap. 5.* quæ loca brevitatis causâ omitto. Immò ſacrum Concilium Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 5. de juſtificatione*, approbat ſententiam & explicationem S. Auguſtini, rejectâ expreſsè explicatione Pelagianorum & Molinæ. Quod etiàm brevitatis causâ omittendum eſt.

b Tom. 10. n. 22. col. 804.

c Rom. 10. 9.

d Tom. 10. n. 10. col. 723.

e Tom. 10. num. 5. col. 42.

Secundam autem partem, quòd Deus aliquandò nos præveniat, conſtituit Molina in multis locis ſuæ doctrinæ. Unus clariſſimus ſufficiet *ex diſp. 14. memb. 5.* f ubì PP. Societatis

f Pag. 54. & seqq.

 poſſunt

poſſunt videre illos duos ordines Caſſiani expreſſiſſimè. Quem locum ibì legens F. Thomas oſtendit qualiter Molina manifeſtè dicebat, quòd Deus ex meritis Chriſti Domini aliquandò dat prævenientem gratiam homini facienti quod in ſe eſt ex naturæ viribus; ecce primum ordinem Caſſiani, quòd, videlicèt, homo prævenit Deum. Aliquandò verò Deus omninò nos excitat: ecce ſecundum ordinem Caſſiani, quòd, videlicèt, aliquandò nos Deus omninò prævenit. Immò, quod eſt advertendum, ſatis Molina ſe explicat, quid ſentiat de illâ gratiâ præveniente, quæ datur homini priùs facienti quod in ſe eſt. Dicit enìm illam non omninò nos excitare, nec omninò eſſe prævenientem, ſed eſſe prævenientem priùs præventam, & non omninò nos excitare.

Similiter quòd iſtos duos ordines conſtituat in eodem prorsùs ſenſu quo Caſſianus, fit manifeſtum: nam ſicut Caſſianus dicit quòd quandò Deus omninò prævenit, illa præventio, quià non eſt in pòteſtate hominis, ſed ſubitò fit, ideo non eſt actus liber, nec homo habet laudem & meritum, largè loquendo de merito; ſimiliter Molina dicit: quòd quandò Deus omninò nos prævenit, ille eſt actus indeliberatus & ſubitò factus, & ex conſequenti non eſt in hominis poteſtate, nec eſt liber, nec habet induſtriam & laudem, quod dicit *in diſp. 9.* [a] illis verbis: *aliquandò vocat Deus eos qui pertinaciter reſiſtunt & contradicunt.* Caſſianus autem dixerat Deum aliquandò vocare invitos, & Molina dicit aliquandò Deum vocare eos qui pertinaciter reſiſtunt & contradicunt. Si enìm cùm vocantur pertinaciter reſiſtunt & contradicunt; ergò nolentes veniunt, & ſic inviti, ſicut dicebat Caſſianus.

[a] *§. patet 3°. ℣. licèt autem pag. 29. col. 2.*

Immò primi Pelagiani hoc ipſum dixerunt. Ut enìm refert S. Auguſtinus *L. 2. contrà duas epiſt. Pelagg. cap. 9.* [b] dicunt ſe confiteri, *gratiam quoque adjuvare uniuſcujuſque bonum propoſitum, non tamen reluctanti ſtudium virtutis immittere:* quaſi bonum propoſitum inceptum ab homine adjuvet ſubſequens gratia. Si enìm ipſa gratia inciperet inſpirare illud bonum propoſitum, tunc dicebant, quòd reluctanti ſtudium virtutis immittebatur. Expreſſiùs autem Molina dicit & urgentioribus verbis, quòd quandò Deus omninò nos prævenit, & quandò gratia incipit omninò inſpirare bonum propoſitum, tunc homines vocantur cùm pertinaciter reſiſtunt & contradicunt, id eſt, pertinaciter reſiſtentibus, contradicentibus, & reluctantibus ſtudium virtutis immittitur; & ſic finivit P. Lemos.

[b] *Tom. 10. n. 22. col. 445.*

Tunc iterùm P. Arrubal dixit: Molinam tantùm aſſerere quòd illi qui priùs fuerant reſiſtentes & pertinaciter contradicentes, poſteà vocati non contradicebant: quod ità omninò videtur dicendum, quià gratia ex nolentibus facit volentes. Ad aliud de *exigere* vel *exſpectare*, reſpondebat: non poſſe negari Deum exigere in nobis cooperationem noſtram & conatum noſtrum, & illum exſpectare, ut dicebat Sacra Scriptura, & S. Bernardus citatus à Molinâ affirmabat, quem ibì legebat. Caſſianus autem dicebat Deum trahere homines invitos, & cogendo. Et ſimiliter Caſſianus non loquebatur de cooperatione noſtrâ, poſtquàm Deus ſtabat pulſans ſuâ gratiâ excitante; ſed loquebatur de conatibus omninò antecedentibus gratiam prævenientem, quos dicebat Deum exſpectare à nobis.

Sed ad hæc dixit F. Thomas: in quo ſenſu Molina dicat Deum vocare eos qui pertinaciter reſiſtunt & contradicunt, eſt in litterâ ſatis notum. Non enìm intendit quòd gratia faciat ex nolentibus priùs, volentes liberè per gratiam; ſi enìm hoc admitteret, verum utique diceret: ſed, ſicut Caſſianus & Pelagiani, dicit homines vocari qui pertinaciter reſiſtunt & contradicunt, ità ut illum primum actum bonum quem habent, non habeant in ſuâ poteſtate, nec liberè ad id volendum moveantur, ſed indeliberatè illum producant. Quæ eſt ipſiſſima ſententia

Caſſiani

Caſſiani. Judicat enim uterque, illum primum bonum motum, quem cauſat motio gratiæ, non eſſe in poteſtate hominis, nec liberè illum producere; quià reputant gratiam incipientem tollere libertatem.

Ad aliud de exſpectatione, conſtat ex dictis Molinam non ſolùm aſſerere, Deum exſpectare cooperationem noſtram, poſtquàm ſtat ad oſtium pulſans ſuâ excitatione; ſed etiam dicere, Deum exſpectare conatus noſtros omninò antecedentes omnem gratiam prævenientem, ut oſtenſum eſt. Cæterùm quià PP. Societatis dicant falſam ſentẽtiam eſſe Deum exſpectare conatus noſtros omninò antecedentes, non autem, Deum exſpectare cooperationem noſtram poſtquàm pulſat (ſic enim dicit alius è a Societate *in Tom. Opuſcul. L. 3. cap. 25. num. 12.* affirmans non poſſe negari, Deum, poſtquàm pulſat, exſpectare cooperationem noſtram ut ei aperiamus;) advertant quòd iſte etiam ſecundus ſenſus videtur apertè damnatus in Concilio II. Arauſicano *can. 4.* b ſic definiente: *Si quis ut à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum exſpectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per S. Spiritûs infuſionem & operationem in nobis fieri confitetur; reſiſtit ipſi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti:* c *præparatur voluntas à Domino; & Apoſtolo ſalubriter prædicanti:* d *Deus eſt qui operatur in nobis & velle & perficere pro bonâ voluntate.* Ubi definit Deum non exſpectare voluntatem noſtram ut purgari velimus, ſed facere ſuâ operatione, ut purgari velimus; ergò poſtquàm Deus excitat, non exſpectat voluntatem noſtram ut purgari velimus, ſed ipſe facit ut purgari velimus. Omnia autem Scripturæ loca quæ dicunt Deum exſpectare, loquuntur in ſenſu valdè alieno à Molinâ. Certum eſt enim Scripturam dicere Deum exſpectare, ſed ipſe exſpectat à nobis quod producit in nobis, exigit à nobis quod cauſat in nobis, jubet nobis quod ipſe dat nobis. At verò Molina cum Caſſiano & Pelagianis dicit Deum exſpectare à nobis quod ità eſt in noſtrâ poteſtate ut non tribuatur nobis à Deo.

a *Suarez.*

b *In App. tom. 10. Op. S. Aug. col. 157.*

c *Proverb. 8. ſecund. LXX.*

d *Philipp. 2. 13.*

Tunc Vaſtida dixit: quià dictum eſt de alio ex Societate, qui tenet Deum exſpectare à nobis, poſtquàm pulſat, cooperationem noſtram; audiant ipſi ſuum Dominicum de Soto id aſſerentem, & explicantem prædictum Canonem 4^m. Concilij Arauſicani II.

Tunc F. Thomas: quid de Soto ad præſens? Sed tamen legat, quid dicat Soto. Et legens nihil dicebat Soto in ſenſu quem ipſi prætendebant.

Similiter Vaſtida adduxit S. Thomam aſſerentem Deum exſpectare, poſtquàm pulſat, cooperationem noſtram. Et locus quem adducebat, erat ſuper Apocalypſim.

Tunc Cardinalis Aſculanus dixit: iſte Liber non eſt S. Thomæ. Similiter F. Thomas aïebat: Liber iſte ſancti Thomæ non eſt. Sed gratis omninò admittimus eſſe S. Thomæ. Legat, & conſtabit nihil pro ſe adducere.

Tunc prædictus Vaſtida dicebat: legamus modò quæ habet, & poſteà examinabitur, ſi eſt vel non eſt ſancti Thomæ. Tunc legit; & apparuit librum illum ſolùm dicere: Deum, poſtquàm pulſat, exſpectare ut aperiatur ei.

Ad quod ſic reſpondit F. Thomas: Jàm dixi, non ſolùm hoc, ſed ſacram Scripturam dicere, Deum exſpectare, Deum requirere à nobis noſtrum conſenſum; ſed de ſenſu eſt difficultas. Molina cum Caſſiano vult Deum ità exſpectare noſtrum conſenſum, ut Deus non cauſet ut habeamus illum, ſed ex nobis conſentire pulſationi. Et hunc dicimus eſſe damnatum ſenſum. At verò Scriptura Sacra & Sancti dicunt Deum exſpectare & requirere cooperationem ac conſenſum noſtrum, priùs ipſum tribuendo nobis, ità quòd ipſe exſpectat à nobis quod nobis tribuit, & requirit à nobis quod nobis dat, & illum cooperatorium conſenſum, quem Deus exſpectat, in nobis cauſat. Undè Deus exſpectat id ad quod producendum nos Deus ipſe movet.

Digitized by Google

movet. Quod, præter Concilium ſuprà inductum dicit apertè Scriptura Sacra in Canticis. Ibì enìm refertur qualiter Sponſus, ipſe videlicèt Chriſtus Dominus, invitabat, & ad oſtium ſponſæ pulſabat dicens: a *Aperi mihi, Soror mea ſponſa, caput meum plenum eſt rore, & cincinni capitis mei guttis noctium*: aliiſque ſuaſionibus invitabat & pulſabat. At verò Sponſa non aperiebat, quià ipſa ex ſe non aperit pulſanti, niſi ipſe Deus qui pulſat, ſimul faciat ut ſibi aperiatur. Ità quòd anima aperit, ſed ideò aperit, quià Sponſus pulſans facit ſibi aperire. Undè ſequitur, quòd cùm videret Sponſus Sponſam non aperire ſuæ pulſationi, ipſe miſit manum per foramen & abſtulit peſſulum oſtij. Sic Deus facit ut ſibi aperiatur, & internâ ſuâ pulſatione, cùm ſibi placet mittit potentiam ſuæ manûs, & facit ut ſibi aperiatur. Et hìc fuit finita Diſputatio præſens, nec enìm recordor ſi aliquid aliud additum fuit. Crediderim omninò quòd nihil aliud dictum fuerit, & exivimus horâ 21ª., poſtquàm per quinque horas duravit prædicta Diſputatio cum illis duobus diſputantibus, qui de novo introducti fuerant à Societate.

a *Cantic. 5. 2.*

CONGREGATIO XII.

CORAM CLEMENTE VIII.

Habita fuit coram Sanctiſſimo 15. Decembris 1602. adſtātibus prædictis Cardinalibus & Cenſoribus. Arrubal & Vaſtidâ diſputantibus cum Lemos.

In quâ diſputatum primò, nùm Molina cum Caſſiano concordet hâc in Propoſitione: Deus quodammodò occaſiones quærit, & exſpectat, ut datio & elargitio ſuæ gratiæ rationabilis videatur. Deindè eorumdem concordia agitata, de viribus in naturâ lapsâ ſufficientibus, tàm ad reſiſtendum gravibus tentationibus, quàm ad ſuperanda ſingula difficilia.

Vide Hiſt. Congr. de Auxil. l. 3. cap. 17. col. 444. & ſeqq.

IN hâc Congregatione actum fuit de duplici Propoſitione, 5ª. videlicet & 6ª. ex illis quatuordecim ſignatis. Quinta ſic habet: *Quòd Deus quodammodò occaſiones quærat, & exſpectet, ut datio & elargitio ſuæ gratiæ rationabilis videatur.*

Circà hanc, ſic dixit P. Arrubal: in hâc propoſitione, ſub correctione Sanctiſſimi, non convenire Caſſianum cum Molinâ, ſed maximè diſtare contendebat. Quod & ſic oſtendere laborabat. Primò legendo locum ex Caſſiano in quo illam affirmabat, nempè *in Collat. 13. cap. 13.* Deindè legit duo loca Molinæ, ex quibus deducebatur iſta propoſitio, ſcilicet, *diſp. 9.* ℣. *etenim quamvis.* Et, *diſp. 10.* §. *illud etiam*, ℣. *profectò hæc.* Quibus lectis, ſic dicebat: quòd in nullo eorum dicebat Molina Deum exſpectare. Deindè quòd licèt ex quodam loco poſſit colligi, quòd Molina dicat Deum exſpectare, hoc tamen concèdi debet; nec enìm negari poteſt, Deum ad dandam ſuam gratiam adultis, exſpectare ut ipſi perveniant ad rationis uſum, illumque rationis uſum exſpectare. Propterea licèt *in illo* ℣. *profectò*, ponat verbum *occaſio*, illud tamen conſtituit in ſenſu valdè alieno à Caſſiano, ut ſtatìm ſe promiſit oſtenſurum. Et tandem quià illa ultima particula, *ut elargitio ſuæ gratiæ rationabilis videatur*, in quâ potiſſimè conſiſtit ſubſtantia hujus propoſitionis,

Digitized by Google

ſitionis, non inveniebatur in Molinâ; nec licitum erat (dicebat) colligere hanc propoſitionem ex eo quòd Molina in diverſis locis aliquandò unum, aliquandò alterum dixiſſet.

Similiterque affirmabat Caſſianum intendere eſſe irrationale quòd Deus ſemper gratiam daret dormienti, & inerti otio diſſoluto; quod tamen non dicebat Molina.

Præthereà dicebat: quòd potiùs ex illo loco *diſp. 10. ℣. profectò*, videbatur concludere contrarium. Ibi enim docet Deum non ſolùm pulſare, quandò ſe apta occaſio offert, ſed etiam ſæpè quandò torpens ac pigrum proſpicit arbitrium; ergò potiùs colligitur, quòd non exſpectet, & quærat occaſiones, ut elargitio ſuæ gratiæ rationabilis videatur: ſiquidem illam dat ſæpè, etiamſi non præcedant illæ occaſiones. Et ad hoc legebat tria vel quatuor loca *ex illâ diſp. 10.* ubì repetebat Molina Deum ſæpè dare gratiam ſufficientem, & nulli eam denegare. Si ergò dicit quòd ſæpè dat, immò ſemper dat, non dicit quòd exſpectet, vel quærat occaſiones, ut det.

Itèm dicebat Arrubal, quòd licèt Molina dicat verbum *occaſio*, tamen in ſenſu valdè alieno à ſenſu Caſſiani. Nam Caſſianus per occaſiones intendit, id quod ipſe dicit *in illo cap. 13.* videlicèt, initia bonæ voluntatis pia, & pertinentia ad ſalutem, & diſponentia ad gratiam & juſtificationem. Quod colligebat 1°., quià S. Proſper, qui optimè mentem ejus penetravit, hoc de illo dicit, quòd conſtituat in illis occaſionibus ſalutis initia. 2°. Quià per illas occaſiones intelligebat illam fidem Centurionis laudabilem & admirabilem, quam mirabilem fuiſſe dicebat Concilium Arauſicanum II. *cap. 25.* a At verò Molina non dicebat illas occaſiones eſſe pias, vel diſponere ad juſtificationem; quod oſtendebat legendo tria vel quatuor loca, in quibus negabat illas occaſiones eſſe etiam remotas diſpoſitiones ad juſtificationem.

a *In App. tom. 10. Op. S. Aug. col. 160. D.*

Præthereà dicebat ſolùm vocaſſe illas occaſiones, in quantùm videlicèt phantaſmata, ſpecies, & cogitationes erant materialiter de objectis ſupernaturalibus; quià Deus non infundebat novas ſpecies, ſed illæ ſpecies ſupernaturales præſupponebantur, & Deus ſe inſerebat. Hoc tantummodò affirmabat, quòd erant occaſiones, ut Deus gratiam infunderet: quòd autem homo ex ſuâ naturali facultate habeat hujuſmodi ſpecies, ex hoc conſtabat, quòd hæreticus audiens prædicatorem, illas ſpecies de illis objectis auditis naturaliter ſumptis poterat formare. Hoc autem non eſt denegandum alteri homini qui convertitur.

Et tandem concludebat P. Arrubal: quòd Caſſianus conſtituebat in illis occaſionibus vigorem quemdam: at verò Molina nullum omninò valorem, nullum vigorem in illis conſtituebat. Ad probandum autem quòd Caſſianus in eis valorem conſtitueret, adducebat illud quod ſanctus Proſper *in Epiſt. ad S. Auguſt.* b refert de illo, quòd videlicèt meritò dicebat conſequi virtutis augmentum. Quòd autem Molina ubique negaret valorem & vigorem, ex aliquibus locis oſtendebat. Similiter legebat prædictus Pater §. *quamvis, ex diſp. 9.* c ubì dicitur, eſſe rationi, Scripturis ſanctis, immò & ipſi experientiæ valdè conſentaneum, ut in diſtribuendis donis ſuæ gratiæ, maximè pendeat à conatu Eccleſiæ, & ab uſu liberi arbitrij.

b *Tom. 2. inter Aug. 225. num. 6 col. 828.*

c *Edit. Antuerp. pag. 28. col. 2.*

Tunc F. Thomas, præmiſsâ debitâ obedientiâ, *Beatiſſime Pater, ad cujus pedes, quæcunque dixero, humiliter ſuppono*, ſic dixit: conferenda propoſitio inter Molinam & Caſſianum, quæ & modò lecta eſt, quantùm ad omnia quæ continet, ſub uno eodemque contextu, expreſſis & formalibus verbis traditur à Caſſiano loco nunc citato. d Sic enim dicit: *Et itâ ſemper gratia Dei noſtro in bonam partem cooperatur arbitrio, atque in omnibus illud adjuvat, protegit, ac defendit, ut nonnunquàm etiàm ab eo quoſdam cona-*

d *Collat. 13. cap. 13.*

tus

tus bonæ voluntatis vel exigat, vel exſpectet; nè penitùs dormienti, aut inerti otio diſſoluto, ſua dona conferre videatur; occaſiones quodammodò quærens, quibus humanæ ſegnitiei torpore diſcuſſo, non irrationabilis munificentia ſuæ largitas videatur, dùm eam ſub colore cujuſdam deſiderij ac laboris impartit; & nihilominùs gratia Dei ſemper gratuita perſeveret; dùm exiguis parviſque quibuſdam conatibus tantam immortalitatis gloriam, tanta perennis beatitudinis dona, inæſtimabili tribuit largitate.

Quo lecto notabat tria in illo dixiſſe Caſſianum. 1°. Quòd Deus exſpectabat. 2°. Quòd Deus quærat occaſiones bonæ voluntatis. 3°. Quòd in ordine ad iſtum finem Deus exſpectat, & quærit illas occaſiones, ut, videlicèt, elargitio ſuæ gratiæ non irrationabilis videatur. Quomodò autem dicat eſſe occaſiones iſtas, magìs explicavit *L. 12. de inſtit. cap. 14.* ubì loquens de Deo ſic dicit: *Præſtò eſt namque occaſione ſibi tantummodò à nobis bonæ voluntatis oblatâ, ad hæc omnia conferenda.* Ecce ibì expreſſis verbis vocat illos præcedentes conatus, tantùm occaſiones: nullam enìm aliam rationem dicit habere Deum gratiæ dandæ, niſi ſolùm rationem occaſionis, non rationem meriti, vel valoris, vel dignitatis. Omnia enìm iſta expreſſis verbis negavit Caſſianus ab illis conatibus, & ſolam rationem occaſionis illos voluit habere. Has autem occaſiones bonæ voluntatis, dicit ideò Deum exſpectare vel quærere, *ut*, videlicèt, *elargitio ſuæ gratiæ non irrationabilis videatur.* Quibus verbis non ſentit quòd quandò Deus dat gratiam homini non præbenti priùs illas bonæ voluntatis occaſiones, ſit tunc irrationale opus, vel contrà rationem procedens, ſic dare gratiam; hoc enìm nunquàm Caſſianus ſenſit: immò in totâ iſtâ Collatione ſæpè dicit, Deum aliquandò nos prævenire, & è contrario aliquandò præveniri à nobis; & quandò Deus omninò nos prævenit, dicit eſſe opus divinæ miſericordiæ, nec reputat illud opus irrationale: immò concludens omnia quæ dixerat in præcedentibus capitibus illius Collationis, poſtquàm multis teſtimoniis Sacræ Scripturæ probaverat aliquandò Deum nos prævenire, & è contrà nos aliquandò prævenire Deum, & poſtquàm multis exemplis ex divinis Litteris utcunque confirmaverat, ut potè de fide Centurionis qui prævenit Deum, de Latrone & Paulo qui omninò fuerunt à Deo præventi, antequàm ipſi præberent aliquam bonæ voluntatis occaſionem, omnia, inquam, iſta concludens ſic dicit *in principio cap. 17. Per hæc igitur exempla, quæ de Evangelicis protulimus monumentis, evidentiſſimè poterimus advertere, diverſis atque innumeris modis, & inſcrutabilibus viis, Deum ſalutem humani generis procurare, & quorumdam quidem volentium & ſitientium curſum ad majorem invitare flagrantiam; quoſdam verò etiàm nolentes invitoſque compellere, & nunc quidem, ut impleantur ea quæ utiliter à nobis deſiderata eſſe perſpexerit, adjuvare; nunc verò etiàm ipſius ſancti deſiderij inſpirare principia, & vel initium boni operis, vel perſeverantiam condonare.* Quibus verbis apertiſſimè fatetur eſſe opus divinæ miſericordiæ, & conſequenter rationi conforme quòd aliquandò Deus nos præveniat. Et *cap. 18. ſequenti* dicit: *& idcircò fide non dubiâ, &, ut ità dicam, palpabili experientiâ comprobatur, univerſitatis Deum, velut piiſſimum Patrem, benigniſſimumque medicum, ſecundùm Apoſtolum,* [a] *indifferenter omnia in omnibus operari, & nunc quidem ſalutis inſpirare principia, & inſerere unicuique bonæ voluntatis ardorem; nunc verò ipſius operationis effectum, & conſummationem donare virtutum.* Ubì aït: hoc conſtare *palpabili experientiâ*; ex quo Molina ſumpſerit illud verbum *experientia*, cùm dixit: *conſtare experientiâ* &c. In quo verbo tantam inſtantiam facit Pater Reverendus, cùm tamen hoc manifeſtè deducatur ex Caſſiano. Quo loco dicit apertè opus eſſe divinæ miſericordiæ, ut Deus aliquandò nos omninò præveniat;

[a] 1. Cor. 12. 6.

Digitized by Google

prævematiat ; non ergò reputat id irrationabile factum. Sentit ergò Caſſianus primò, quòd ſi Deus ſemper gratiam daret omninò præveniendo, & antequàm homo præberet illas occaſiones bonæ voluntatis, tunc videretur irrationabile ; & ideò conſtituit duos illos modos prædictos vocandi & dandi prævenientem gratiam : & inter illos comparativè loquitur, & ſentit eſſe magis rationale, ut Deus gratiam det præbenti priùs illas occaſiones bonæ voluntatis, quàm ſi illam det dormienti, & inerti otio diſſoluto. Hæc de Caſſiani mente.

Molina autem, licèt in eodem uno contextu hanc propoſitionem integram quòad omnia quæ continet, non conſtituat, (nec enìm hoc eſt neceſſarium, ut conveniat in omnibus cum Caſſiano) tamen omnes illius partes tradit expreſsè *in diſp. 10. & 9. In 10ª. quidem §. illud ℣. profectò*, a dicit Deum exſpectare, & Deum occaſiones quærere. *In diſp. autem 9. §. patet 3°. ℣. licèt*, b aliam tertiam partem ſtatuit. Et quidem quòd Molina dicat Deum exſpectare conatus noſtros, jam in præteritâ Congregatione abundè ſatìs videtur oſtenſum, quod & modò ejus Defenſor confeſſus eſt. *Nàm in diſp. 9. ℣. etenìm*, c dicit : Deum non ſolere dare gratiam prævenientem niſi antecedant illi conatus, & ſic exſpectat illos, ut gratiam det. Et *in diſp. 10. ℣. profectò*, ſic dicit : *Profectò hæc omnia apertiſſimè oſtendunt, Deum ſemper paratum eſſe ad opitulandum ; at per nos ipſos ſemper ſtare quòd ad Deum non convertamur, fidemque & gratiam non conſequamur. Apocal. 3°. ſto ad oſtium, & pulſo &c. Planè ſine ullâ intermiſſione ad oſtium cordis ſtat, paratus ſemper conatus noſtros adjuvare, deſideranſque ingreſſum &c.* Et præmiſerat: Deum dare gratiam facienti quod in ſe eſt ex certâ lege ; & in toto iſto §°. id expreſsè tractat, de conatibus, videlicèt, qui antecedunt omnem prævenientem gratiam, quibus ipſa datur. Et ibì iterùm eodem contextu dixerat : d *eis enìm, eatenùs facta eſt poteſtas ut filij Dei fiant ; quatenùs, ſi, quantùm in ſe eſt, conentur, præſtò illis aderit Deus, ut fidem & gratiam conſequantur.* Ubì etiam de conatibus antecedentibus primam gratiam expreſſiſſimè loquitur, & ad id probandum adducit illud : e *Deus vult omnes homines ſalvos fieri &c.*, & explicavit : *ſi ipſi voluerint*, videlicèt, antecedentem gratiam, *faciendo quod in ſe eſt.* Et de iſtis antecedentibus conatibus tandem explicavit illud : f *Projicite à vobis omnes prævaricationes veſtras*, faciendo, videlicèt, quòd in vobis eſt, ut gratiam recipiatis. Et tandem concludit: *Profectò hæc omnia apertiſſimè oſtendunt Deum ſemper paratum eſſe ad opitulandum &c.* Ubì manifeſtiſſimum eſt ipſum ſentire Deum ſtare ad oſtium paratum, & exſpectare illos conatus antecedentes omnem gratiam, ad ipſam gratiam dandam. Immò in eodem contextu ſic dicit : g *Quòd ſi conantibus ex ſuis naturalibus, facientibuſque quod in ſe eſt..... Deus non eſt ſemper præſtò &c.* Ubì verbum, *præſtò eſſe Deum*, ſumpſit ex Caſſiano, loco jam citato. Non enìm ſolùm illius ſenſum tenet, ſed verbum de verbo transſcripſit. Inſuper *in eodem ℣. Profectò* expreſsè dicit Deum quærere occaſiones. Verba ejus ſunt : *Non tamen ſine intermiſſione pulſat ſpecialibus auxiliis, ſed ſæpè, non ſolùm quandò ſe apta occaſio offert, ſed etiam quandò torpens ac pigrum liberum noſtrum proſpicit arbitrium.* Ubì illos duos ordines Caſſiani apertiſſimè tenet ; quòd, videlicèt, aliquandò Deus omninò prævenit eum qui torpens ac pigrum habet arbitrium, id eſt, qui dormit, & eſt inerti otio diſſolutus, ut dixerat Caſſianus : aliquandò verò dat Deus gratiam præventus ab homine per illas occaſiones bonæ voluntatis oblatas. Immò Caſſianus dicit, illas tantummodò eſſe occaſiones, loquens cum hâc excluſivâ, quam Molina non apponit. Similiter Caſſianus ſolùm dicit illos conatus antecedentes eſſe tantùm occaſiones : at verò Molina dicit eſſe *aptam occaſionem* : addidit enìm ad

a Pag. 32. col. 2.

b Pag. 29. col. 2.

c §. ex dictis pag. 28. col. 1.

d §. illud ℣. His enìm p. 32. col. 1.

e 1. ad Tim. 2. 4.

f Ezech. 18. 31.

g Diſp. 10. §. illud ℣. quòd ſi pag. 32. col. 1.

Digitized by Google

majorem expreſſionem verbum *apta.* Ideò autem dixit Molina Deum iſtas occaſiones aptas bonæ voluntatis exſpectare & quærere, ut elargitio divinæ gratiæ magìs rationabilis ſit dum confertur præbenti priùs illas bonæ voluntatis occaſiones, quàm ſi detur pigro & dormienti, & non facienti priùs quod in ſe eſt. Hoc enìm dicit apertè Molina *diſp. 9. §. patet 3°. ℣. licèt autem*, a dicens eſſe rationi valdè conſonum ut hunc potiùs quàm illum miſericorditer adjuvet Deus, utpotè minùs ineptum, & minùs indignum; & ut alibì dicit: ſicut magìs aptum. Quæ eſt ipſiſſima ſententia Caſſiani in omnibus. Et hoc quòad Molinæ mentem.

a *Pag. 29. col. 2.*

Ad excuſationes autem quas prætendit R. P., oſtendendum jam erit ad rem non pertinere, nec Molinam excuſare. 1°. Enìm dicit, non eſſe inconveniens concedere Deum exſpectare conatus noſtros, quià certum eſt, aïebat, exſpectare Deum adultum ut perveniat ad uſum rationis: ad quod breviter dicitur, Deum quidem ad dandam gratiam adulto præſupponere in genere ſubjecti & ratione materialis, quòd ſubjectum ſit aptum, id eſt, capax ad recipiendum illam, & ſic præſupponitur natura capax ad recipiendum gratiam, per hoc quòd habeat rationis uſum. At verò, ut in hoc eodem exemplo perſiſtamus, ſi eſſet lex ut quoties homo perveniret ad rationis uſum, & haberet illum naturalem actum, Deus ſemper gratiam infunderet, procùldubio ille homo naturæ viribus in ſuam inciperet juſtificationem. Molina autem dicit, quòd Deus ità exſpectat conatus noſtros, ut illis poſitis à nobis, ſtatìm certâ lege Deus gratiam conferat, & hanc exſpectationem damnant Concilia. Undè potiùs exemplum adductum retorquetur contrà Molinam, & contrà ipſum convincit.

2°. Dixit prædictus Pater Arrubal, potiùs *ex illo §. profectò* deduci contrarium, videlicèt, quòd Deus non exſpectet, nec quærat occaſionem ad dandam gratiam; ſi quidem manifeſtè ibì aſſerit Molina, quòd non ſolùm Deus dat gratiam quandò ſe offert illa occaſio, ſed alìas ſæpè; non ergò exſpectat ut det gratiam. Ad quod eſt dicendum, ipſum Molinam ſe explicaſſe. Sentit enìm, quòd, ſecundùm communes leges juſtificandi, Deus gratiam non dat, niſi præcedant illæ occaſiones bonæ voluntatis; at verò ſæpè alìas ex ſuâ miſericordiâ utique dat gratiam, quamvìs homo non præbeat illas bonæ voluntatis priores occaſiones. Et iſta eſt illius concordia, ut ipſe illam tradit *diſp. 12. §. ex dictis, ℣. adde etiam.* b in quo etiam cum Caſſiano manifeſtè convenit, ut oſtenſum eſt.

b *Pag. 37. col. 1.*

Quòd autem prædictus Pater adduxit tria vel quatuor Molinæ loca, ad probandum, Deum nunquàm alicui gratiam denegare; ipſemet Molina dicit, nunquàm Deum denegare gratiam facienti quod in ſe eſt, & præbenti illas occaſiones bonæ voluntatis. Immò in locis adductis dicit eſſe incredibile & indignum Dei miſericordiâ, ſi Deus non det gratiam maximè peccatori qui facit quod in ſe eſt ex naturæ viribus. Et addit: Quòd ſi hoc non eſt verum, non tantùm vituperaretur deſperatio Caïni, & Judæ. Indignum dicit eſſe Dei miſericordiâ hoc. In tantum enìm reputat eſſe verum, quòd gratia detur facienti quod in ſe eſt, & præbenti illas bonæ voluntatis occaſiones, ut hoc affirmet ſatìs gravè.

3°. Dixit R. P., quòd licèt Molina utatur voce *occaſio*, illâ tamen utatur in ſenſu valdè alieno à Caſſiano. Nàm Caſſianus per *occaſiones* intelligit bonas voluntates, ut ibì dixerat, & intellexit initia gratiæ, ut S. Proſper infert, & intelligit, actus pios & mirabilem illam fidem Centurionis, quam Concilium Arauſicanum dicit mirabilem. Ad quæ omnia dicendum, Caſſianum verbis prætendiſſe illos conatus ſolùm eſſe occaſiones, ut oſtenſum eſt: at verò S. Proſper attentâ re infert contrà ipſum eſſe initia gratiæ,

&

Digitized by Google

& pertinere ad juſtificationem, ut ſæpiùs dictum eſt. Similiter Concilium Arauſicanum illam fidem Centurionis vocat mirabilem, quià docuit eſſe Dei donum. Et quid mirum quòd Concilium dicat illam eſſe mirabilem, ſi Salvator ipſe illam miratus ſit? At verò Caſſianus aſſerebat illam non pertinere ad juſtificationem nec ad ſalutem, ut ſæpiùs declaratum eſt ex expreſſis verbis illius. Re autem ipsâ convincebatur quòd initium eſſet juſtificationis, ut SS. PP. contrà ipſum concluſerunt. Et quidem Molina id ipſum dicit de fide habitâ naturæ viribus, ut in præcedentibus Congregationibus dictum eſt.

Ad illa autem tria vel quatuor loca ex Molinâ, quibus nituntur probare Molinam non loqui de illis conatibus & occaſionibus ut pertinent ad ſalutem, nec eſſe diſpoſitiones remotas ad gratiam; quare non adducunt locum alium in quo Molina expreſsè dicit illas vocari diſpoſitiones remotas ad gratiam? Videlicèt *q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 11. §. illud addendum eſt, ℣. quin ſicut.* a Quomodò autem Molina in his ſibi contradicat, videant ſui Defenſores. Nec tamen ſibi omninò contrarius eſt; nam intelligi ſatìs poteſt quid dicat. Certè iſte eſt apertus locus, ubì dicit opera moralia eſſe diſpoſitiones ad gratiam. Per opera autem moralia, ut ipſe explicat, intelligit illud, quod naturæ viribus fit. Undè multò magis & expreſſiùs loquitur quàm Caſſianus. Nam Caſſianus nullibi dicit opera naturæ viribus facta eſſe diſpoſitiones remotas ad gratiam, ſed tantùm occaſiones, ut viſum fuit. Cæterùm Molina dicit in illo loco expreſsè eſſe diſpoſitiones ad gratiam.

a *Pag. 372 col. 2.*

4°. Ad illud quod dixit prædictus Pater, Molinam per illas occaſiones tantùm intelligere phantaſmata & ſpecies ſivè cogitationes naturales, quas homo format auditâ prædicatione de objectis ſupernaturalibus materialiter tentis, ſicut illas format hæreticus, vel qui diſſentit, dicendum eſt, hæreticum, vel eum qui Evangelio diſſentit, formare quidem poſſe illas ſpecies & cogitationes naturæ viribus de objectis auditis ad impugnandum vel rejiciendum, & tunc veriſſimum eſt quòd materialiter tantùm illas de objectis ſupernaturalibus auditis format. At verò quandò homo format ſpecies, & cogitat ad credendum, ad amplectendum, ad attendendum, hoc habet ex Deo, hoc donum Dei eſt, id expreſsè dicente Apoſtolo: b *non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Undè nec minimum quid, in ordine ad noſtram ſalutem, habemus ex nobis. Molina autem vult, immò expreſsè dicit, quòd homo ex ſeipſo, ſine Dei adjutorio, poteſt cogitare de credendo, de amplectendâ fide, & poteſt animo illam amplectendi venire; & quòd ſic cogitanti Deus ſe ſtatim inſerit auxilio ſupernaturali: in quo, ut millies dictum eſt, aliquale initium juſtificationis conſtituit ex nobis, ſicut & Caſſianus conſtituit.

b *2. ad Cor. 3. 5.*

Tunc prædictus Arrubal, omnibus prætermiſſis, fecit inſtantiam in illo loco adducto ex Molinâ, ubì dicebat opera moralia eſſe, vel dici diſpoſitiones ad gratiam; & præcipuè dicebat: Jam Pater Dominicanus concedit opera moraliter bona fieri poſſe naturæ viribus, quià dicit Molinam aſſerere illas eſſe diſpoſitiones ad gratiam, & illa opera moralia eſſe naturæ viribus facta.

Tunc F. Thomas dixit: Pater, attendas ad ea quæ dixi. Ego dixi ſecundùm Molinam opera moraliter bona omnia poſſe fieri naturæ viribus, non autem quòd ità ſit. Et tunc ille obmutuit, videns ſuam cavillationem præcluſam.

Et procedens Pater Arrubal dixit: quòd Molina non intendebat per opera moraliter bona, opera facta ſolis naturæ viribus; 1°. quià ipſe adhibet exemplum de obedientiâ Abrahæ cooperante gratiâ, & de operibus Cornelij quæ facta fuerunt ex auxilio gratiæ. Undè concordia Molinæ erat,

Digitized by Google

quòd illa opera moraliter bona, facta auxilio gratiæ, ſunt diſpoſitiones remotæ ad gratiam; & hoc dicebat in iſto loco. At verò in aliis loquebatur de operibus moralibus factis ſolùm naturæ viribus, & hæc aſſerebat non eſſe diſpoſitiones ad gratiam etiam remotas. Et ad hoc probandum, adducebat locum Molinæ *in Appendice ſtatim ſequenti, memb. 12.* [a] ubi contrà aliquos qui idem opponebant Molinæ, ipſe reſpondet, & miratur quòd hoc ſibi objiciatur, quòd dicat propter bonum uſum liberi arbitrij, ſicut propter rationem congruentem, Deum prædeſtinare, cùm ibì neget talem uſum eſſe conditionem propter quam fiat prædeſtinatio. Hæc in ſubſtantiâ dicebat uterque Pater Societatis.

[a] Pag. 373. & ſeqq.

Ad quæ ſic dicebat F. Thomas: non poteſt meliùs intelligi mens Molinæ, quàm ex ipſo Molinâ. Ipſe dicit omnia opera moralia fieri ab homine naturæ viribus: cùm ergò modò dicit quòd propter opera moralia bona Deus dat gratiam, intelligit, propter illa facta ex naturæ viribus; ſic enìm intelligit & loquitur Molina. Nam ſententia Theologorum vera eſt, quòd multoties hominem peccatorem Deus auxilio ſuæ gratiæ movet ad facienda opera moraliter bona, per quæ ipſum diſponit remotè ad gratiam. Undè non obſtat quòd Molina dicat de Abraham, quòd propter obedientiam ejus cooperante gratiâ &c; nam loquens de Cornelio non addit hoc verbum *cooperante gratiâ*, quià ipſe putavit cum Caſſiano, Cornelium propter opera moraliter bona facta ex naturæ viribus, vocatum fuiſſe ad fidem. Ad id autem quod Molina addit in editione Antuerpienſi, reſpondens objectionibus ſibi oppoſitis, inprimìs id non dixit in primâ impreſſione Oliſipponenſi; immò in ſecundâ non dicit aliquid quod illum excuſet. Ipſe enìm *in hoc §. illud* [b] dicit duo. 1m. Eſt, aliquandò Deum dare gratiam propter præviſum uſum liberi arbitrij ex ipsâ gratiâ excitante & cooperante. 2m. Eſt, quòd aliquandò dat gratiam propter opera moraliter bona. Et utrumque probat exemplis. Undè ex eo quòd conſtituat gratiam cooperantem in uno exemplo, non intendit in omnibus exemplis id ipſum. Indè conſultò in aliis exemplis illam non apponit particulam. Quod totum fuit, quià ut S. Thomas docet *1. p. q. 23. art. 5.* hæreſis Pelagiana in hoc potiſſimè conſiſtebat, quòd, videlicèt, detur gratia propter opera meritoria antecedentia iſtam gratiam: at verò error Semipelagianorum, ut diſtinguebatur ab hæreſi Pelagianorum, dicebat gratiam non dari propter merita antecedentia gratiam, ſed propter præviſum bonum uſum ipſius gratiæ. Licèt ſit verum quòd Caſſianus utrumque ſimul amplexus eſt. Et ſimiliter Molina utrumque tenet. Cùm enìm dicit, quòd facienti quod in ſe eſt ex ſolâ naturæ facultate, Deus dat primam gratiam, in hoc convenit formaliter cum Pelagio, & ad hoc alludit, cùm modò dicit, quòd propter opera moraliter bona Deus dat gratiam. Quandò autem affirmat quòd propter præviſum bonum uſum Deus det gratiam, in hoc Semipelagianorum errorem amplectitur. Undè dicit, quòd licèt Deus non ſit alligatus quaſi de juſtitiâ, & propter meritum boni uſûs liberi arbitrij præviſi; tamen valdè conforme rationi eſt, ut propter illum det gratiam. Ubì ponit, quòd propter illum, tanquàm propter congruentiam, det gratiam, vel ſaltèm tanquàm propter occaſionem. Et hoc modo dicit poſſe eſſe diſpoſitiones remotas. Cùm autem in aliis locis negat eſſe diſpoſitiones remotas ad gratiam, fortè intelligit non eſſe diſpoſitiones ex condigno diſponentes.

[b] Pag. 372.

Tunc Pater Arrubal dixit: Molina nullum vigorem agnoſcit in illis occaſionibus, ſivè operibus moralibus factis naturæ viribus: at verò Caſſianus cenſet illas habere vigorem ad gratiam.

Tunc F. Thomas: verbis quidem magìs

magìs expreſsè negat Caſſianus illas occaſiones habere vigorem ad gratiam, quàm Molina; quià referente S. Hilario *Epiſt. ad Auguſt.* a, dicebant Semipelagiani, illa opera antecedentia nihil valere, id eſt nullum habere valorem. Omnem locum ibì legebat. Et *Collat. 13. cap. 12. ℣. dubitari*, dicit Caſſianus ex Apoſtolo; b quòd *nec qui plantat eſt aliquid, nec qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Et tamen licèt hæc verbis diceret Caſſianus ut ſe occultaret, tamen convictus, in Eccleſiâ fuit, quòd conſtitueret valorem in illis operibus.

a Inter Auguſt. nunc 226. num. 2. col. 825. tom. 2.

b 1. Cor. 3. 7.

Ad hæc Arrubal: non dico de valore, ſed de vigore: quià Caſſianus conſtituebat vigorem quem negat Molina.

Sed ad hæc F. Thomas: jam fit quæſtio de terminis merè materialiter tentis. Nunquid valor & vigor, non æquivalent? Et ſi Caſſianus verbis exterioribus negat omnem valorem, etiam negat vigorem, ut eſt evidentiſſimum. Quod ſimiliter Molina verbis negat. Sed uterque convincitur quòd reipsâ conſtituat valorem in illis operibus ſimiliter.

Dicebat autem Arrubal: Caſſianum negare valorem in illis operibus quantùm ad incrementum, non autem quòad initium.

Sed ad hæc dixit F. Thomas: quomodò non recordantur duorum locorum, quæ adducta ſunt in præcedenti Congregatione? Ubi Caſſianus nihil pertinens ad vitam æternam dicit poſſe hominem facere, nec initium; ut jam iterùm oſtendo. Quem locum ibì iterùm legit, & ſecundum omiſit, præcipiente id Sanctiſſimo.

Iterùm P. Arrubal dicebat: hæreſim Semipelagianorum fuiſſe, quòd homines, fide habitâ ex ſeipſis, ſicut merito merebantur augmentum illius, & gratiam, quià S. Proſper dicebat illos dicere, *meritò* &c.

Tunc F. Thomas dixit: S. Proſper dicit illos dicere, meritò id vendicare, quià reipsâ conſtituebant meritum, licèt verbis negarent. Et S. Proſper non attendens ad verba, ſed ad rem ipſam quam admittebant, illis verè tribuit, quòd ponerent meritum.

Prætereà prædictus Arrubal cœpit legere in Baronio, quòd Caſſianus multa vera dixit. Et cùm legeret, dixit ei Sanctiſſimus: quid in hoc prætendis? Cui ſtatìm dixit F. Thomas: jam, Beatiſſime Pater, volunt defendere ab errore Caſſianum ipſum. Poſt quæ, dixit Arrubal: dicit Cardinalis Baronius, quòd ſententia damnata Caſſiani, eſt illa quæ habetur in Collatione 13. impugnatâ à ſancto Proſpero; non autem illa quæ habetur in aliis locis. Cui F. Thomas: niſi illa quæ dicit in aliis locis ſint eadem cum his quæ dicit in Collatione 13.

Poſt quæ ſtatìm Vaſtida legere cœpit in ſancto Auguſtino locum ad perſuadendum, circà mentem Molinæ & ejus intelligentiam, ſtandum eſſe intelligentiæ Societatis, & non aliorum. Cui ſtatìm dixit Sanctiſſimus: *Si intelligentia Molinæ à Societate poſtulanda eſt; ſententia & mens S. Thomæ, non à vobis, ſed à Fratribus Dominicanis exſpectanda eſt.* Cui cùm reſpondiſſet neſcio quid impertinens, Vaſtida, præcepit Sanctiſſimus, ut ad Sextam propoſitionem procederetur.

STATIM Pater Arrubal ſic dixit circà 6am. Propoſitionem, quæ ſic habet: *Quòd homo in naturâ lapſâ ſufficientes vires habeat ad reſiſtendum gravibus tentationibus, & ad ſuperanda ſingula difficilia.* Circà hanc ſic dixit P. Arrubal: hæc propoſitio habetur in Caſſiano, ſed non in Molinâ. Undè cum illo in hâc propoſitione Molina minimè convenit. Verba enìm Caſſiani ità habent: & legens *cap. 12. Collat. 13.*, oſtendebat qualiter ſentiebat poſſe hominem naturæ viribus omnes tentationes & per longum tempus ſuperare, ſicut Job, quem Caſſianus aſſerebat viciſſe inimicum longo tempore, omnes illas graviſſimas tentationes ſuperando. At verò Molina ſolùm dicit poſſe hominem vincere difficilem tentationem in quolibet momento

mento temporis ; & alibì : pro quolibet inſtanti dicit vincere poſſe hominem tentationes. Nullo autem modo dicit, quòd omnes, vel pro longo tempore, vincere poſſit ; ut oſtendebat, lectis quibuſdam Molinæ locis quæ ad hoc faciebant. Et hæc erat, ſecundùm ipſum, prima differentia inter Caſſianum & Molinam.

Secundò dicebat eos inter ſe differre ; quià Caſſianus putavit hominem poſſe vincere tentationes cum laude & victoriâ, ut patet de patientiſſimo Job, quem dicit Caſſianus Diabolum viribus propriis viciſſe, quem & conſtat viciſſe illum cum victoriâ, & laude, ac merito. At verò Molina ſæpiùs teſtatur, non poſſe hominem cum laude & victoriâ inimicum vincere ; immò planè aſſerit, id aſſerere eſſe Pelagianum : ut oſtendebat lectis quibuſdam Molinæ locis, in quibus id affirmat. Undè ſententia Molinæ eſt, poſſe hominem vincere tentationem quamlibèt difficilem, ſine laude tamen & victoriâ, ſivè merito ; ut planè ipſe concedit Molina, ſicut oſtendebat legendo Molinæ verba. Quæ ſententia longè per hoc à Caſſiano & Pelagianis diſtabat. Nàm S. Thomas, in loco citato à Molinâ dicebat poſſe hominem ſine gratiâ reſiſtere tentationi, non autem poteſt ſine gratiâ de tentatione victoriam reportare ; ut oſtendebat legendo verba S. Thomæ.

Tertiò differebant Caſſianus & Molina, quià Caſſianus ſolùm dicit neceſſariam eſſe gratiam ad moderandum tentationes. Undè S. Proſper tribuit Caſſiano, quòd dicat Deum eſſe inſpectorem certaminis, quo Job pugnavit cum adverſario, non autem adjutorem, ſeu operatorem. Cæterùm Molina non dicit Deum eſſe inſpectorem, ſed adjutorem. Prættereà Caſſianus loquebatur de tentationibus quas Job ſuis viribus dixit ſuperaſſe uſque ad extremas anguſtias.

Quartò tandem Molina hanc ſententiam ut probabilem defendebat, non autem ſicut ſuam propriam. Et *in §. fortè mirabitur* [a] *addito in impreſſione Antuerpienſi* dicit hanc eſſe ſuam ſententiam ſolùm quantùm ad hoc quòd pro quolibèt inſtanti temporis poteſt homo tentationem quamlibèt vincere. Tunc legebat quædam Molinæ loca, quibus nitebatur ſuadere illum ſentire, non poſſe hominem viribus propriis vincere tentationem. Hæc in ſubſtantiâ protulit. Jam autem valdè erat ſerò, & F. Thomæ innuebant qui adſtabant, ut breviter proponeret, nè Summus Pontifex nimiùm gravaretur.

Sic ergò incepit F. Thomas de Lemos : ſub correctione Sanctitatis veſtræ, ad hanc dicam propoſitionem breviſſimè, & relinquo multa. Primò quomodò Molina ſententiam, quam dicit eſſe communem omnium Scholaſticorum, aſſerit non reputari tutam in Scholis in multis Provinciis, propter antiqua Concilia & Patres ; quaſi communis Scholaſticorum ſententia teneat doctrinam non tutam, & quæ reputatur contrà antiqua Concilia.

Secundò relinquo qualiter Molina ſciens & videns iſtam doctrinam tutam non reputari, ut dictum eſt, adhuc illam ut probabilem defendit ; immò illam ut ſuam fatetur in prædicto loco.

Omitto etiam quod aït ſe non debuiſſe occultare ea quæ de novo circà illam ſibi occurrebant, ſi fortè aliis decurſu temporis probarentur. Et poſteà videns quòd aliis placuerat, ſicut placere ſolent nova jam planè fatetur eſſe ſuam.

His omnibus, & multis aliis omiſſis, conſtat Caſſianum propoſitionem hanc aſſerere, loco jam lecto. Et *Collat. 7. cap. 8.* quædam adducit verba, quæ videtur tranſcripſiſſe Molina, ℣. *quamobrem*, ubì affirmans adverſarios in malum poſſe nos inſtigare, non autem impellere, dicit : quòd *ſicut in illis eſt inſtigationis copia, ità in nobis virtus reſpuendi, ſivè acquieſcendi libertas eſt attributa.* Ubì per libertatem, planè, ut ipſe declarat, intelligit virtutem, poteſtatem, ſivè ſufficientiam ad conſentiendum ſivè reſiſtendum.

[a] *Diſp. 19.*

memb. 6. p. 81. col. 2.

Digitized by Google

tendum. Molina autem in loco citato, eodem prorſus modo ſumit libertatem ad conſentiendum & reſiſtendum, pro ſufficientiâ, & virtute, ſeu poteſtate; ut ſe ipſe clarè manifeſtat. Reputat enim idem omninò eſſe libertatem ad reſiſtendum, & ſufficientiam, ſivè poteſtatem. Et ubicunque agnoſcit libertatem, ſufficientiam ad hoc agnoſcit; & à quo negat ſufficientiam ex ſuis naturæ viribus ad reſiſtendum, negat ſimiliter libertatem. In quo Caſſianum imitatur reipsâ ac ſenſu, immò voce eâdem. Hoc autem dixerunt primitùs Pelagiani, referente S. Auguſtino *Lib. 1. contrà duas epiſtolas Pelagg. capp. 2. & 19.* a quæ brevitatis causâ omittuntur. In hoc ergò primo cum Caſſiano apertè Molina convenit.

a *Tom. 10. num. 4. & 5. col. 413. & num. 37. col. 427.*

Itèm Molina, cùm dicit poſſe hominem reſiſtere cuilibet gravi tentationi pro quolibet temporis inſtanti, per inſtans, ſivè momentum temporis, non intelligit inſtans temporis phyſicum ſivè metaphyſicum indiviſibile, ſed intelligit inſtans quodlibet moræ, quod diſtinguitur contrà longum tempus; ut ipſe Molina palam dicit b *in hâc eâdem diſp. 19. memb. 3. §. tertia, & in hâc diſp. in principio*; ubi poſtquàm præmiſerat ſe dixiſſe de viribus liberi arbitrij ad reſiſtendum tentationibus ad longum tempus, nunc aſſerit, an ſint vires in homine pro quolibet inſtanti temporis, id eſt, pro brevi tempore, ut opponitur contrà tempus longum. Itaque ſentit Molina, quòd licèt per longum tempus non ſint vires in homine ad ſic reſiſtendum cuilibet gravi tentationi, tamen poteſt omnes ſuperare pro brevi tempore; ſicut ſemper dicit, hominem non poſſe diù ſervare mandata. At verò non diù intendit poſſe hominem mandata ſervare. Contrarium autem dicit S. Auguſtinus *in fine Libri de perf. juſtit. contrà Cœleſtium.* c *Sed planè*, inquit, *quiſquis negat, nos orare debere, nè intremus in tentationem: (Negat autem hoc, quiſquis contendit ad non peccandum gratiæ Dei adjutorium non eſſe homini neceſſarium, ſed ſolâ lege acceptâ, humanam ſufficere voluntatem,) ab auribus omnium removendum, & ore omnium anathematizandum, non dubito.* Et felicis recordationis Innocentius I. *Epiſt. ad Concil. Milevit.* d ſic dicit: *Quid enim acerbius in Deum fingere potuerunt, quàm cùm adjutoria divina caſſarent, cauſamque divinæ, id eſt, quotidianæ precationis auferrent? Hoc eſt dicere: quid mihi opus Deo? Meritò in hos dicat Hymnidicus:* e *ecce homines, qui non poſuerunt Deum adjutorem ſibi.* Quotidianæ precationis neceſſitatem dicit Pontifex ſanctus: & tamen Molina dicit: quòd non indigemus pro quolibet tempore orare Deum, quià naturæ viribus poſſumus vincere tentationem. Similiter Cœleſtinus Papa *in ſuâ Decretali ad Epiſcopos Galliæ*, f ait: *Quod ergò tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio?* Et Molina ait: quòd pro tempore brevi non indigemus auxilio illius. Immò planè, ſi argumentum Molinæ aliquid probat; probat quòd pro longiſſimo tempore poteſt omnes tentationes ſuperare. Ipſe enim ait: quòd quandiù in homine eſt libertas, eſt etiàm poteſtas ad reſiſtẽdum: cùm ergò ſemper, & pro longiſſimo tempore ſit in homine libertas, ut fides habet, concluditur ſecundùm Molinam, quòd ſemper proque omni tempore poteſt reſiſtere. Certè ſi ſua ratio aliquid valet, hoc probat. Cui rationi ſemper SS. Patres reſponderunt: & hominem habere libertatem, non tamen habere ſufficientiam ſine gratiâ ad ſuperanda gravia, & ad ſervanda mandata. Ut in particulari hoc argumentum ſolvit S. Auguſtinus, *L. de perf. juſtit. in tribus locis*, g quæ ibì legit publicè, in quibus S. Auguſtinus illam impotentiam reduxit in peccatum originale; quià Deus à principio hominem fecit rectum, & ipſe injecit ſe in iſtam impotentiam, ſicut ebrio imputatur quòd occidit hominem, & qui ſe immiſit in puteum, imputatur ei quòd non poſſit exire.

b *Pag. 73. col. 2.*

c *Tom. 10. cap. 21. n. 44. col. 190.*

d *Inter Auguſt. olìm 93. nunc 182. num. 3 col. 69. tom. 2.*

e *Pſal. 51. 9.*

f *In App. tom. 10 Op. S. Auguſt. cap. 9. col. 133.*

g *Tom. 10. cap. 2. num. 1. col. 168. & infrà.*

Ad illud autem quod R. P. vult facere oppoſitionem inter ipſum Molinam, & quòd dicat ipſe hominem

non poſſe reſiſtere cuilibet gravi tentationi, pro quolibet inſtanti temporis; clara eſt ſolutio. Nec enìm ſibi contradicit, ſed intendit quòd diù non poteſt quamlibet vincere: at verò per breve tempus poteſt optimè quamlibet ſuperare; ut hìc apertiſſimè declarat.

Ad illud aliud quod Caſſianus dicit, Deum inſpectorem non adjutorem, non verò hoc dicat Molina. Immò hoc Molina optimè dicit. Ipſe enìm fatetur hominem poſſe ſuis viribus, ſine gratiæ adjutorio, pro Deo authore naturæ, & pro lege ſervandâ mori: ergò ſi Deus ad hoc non adjuvat, eſt inſpector tantùm hujus certaminis: ut per ſe patet.

Et ad aliud in quo conſtituitur differentia inter Caſſianum & Molinam: nulla eſt omninò. Si enìm Caſſianus loquitur de tentationibus uſque ad extremas anguſtias, quas Job ſuperavit; Molina quid gravius dicit. Affirmat enìm poſſe hominem pro Deo authore naturæ perpeti mortem, quod majus eſt, & quam paſſus non fuit Job. Nec invenitur in Caſſiano aſſertum, poſſe quemlibet ſuperare tentationes moriendo pro Deo authore naturæ, & pro ſervandâ naturali lege.

Ad illud autem præcipuum, quòd videlicèt Caſſianus loquitur de victoriâ tentationum cum laude, cum victoriâ, cum merito; non verò Molina: quomodò iſta dicant intelligere nemo poteſt. An non eſt actus dignus laude, mori hominem pro ſervandâ naturæ lege? & pro Deo authore naturæ? Quis Catholicus iſta dicat? Et tamen Molina hoc expreſsè concedit. Immò qui ſic moreretur pro Deo, victoriam & gloriam mereretur, ut ſuprà ſatis oſtenſum fuit in præcedenti Congregatione. Et quandò non eſſet meritum de condigno, ad minus eſſet meritum de congruo, quod ſufficeret. Sed ut conſtet quòd Pelagiani non loquebantur ſolùm de victoriâ tentationum cum merito, ſed quòd etiam damnati ſunt, quià dicebant poſſe hominem peccatorem reſiſtere cuilibet tentationi, & ſervare mandata, eſt locus clarus in S. Thomâ *Lib. 3. contrà Gentes cap. 160.* ubì hoc expreſsè dicit. Undè apparet ſtulta Pelagianorum opinio, qui dicebant hominem in peccato exiſtentem ſine gratiâ poſſe vitare peccata. Ecce non loquebantur ſolùm de victoriâ tentationum, ſed hominem peccatorem, in quo non agnoſcebant meritum, affirmabant poſſe ſervare mandata & tentationibus reſiſtere.

Tunc Arrubal fecit inſtantiam: quòd Concilia antiqua tantùm dicebant hominem poſſe ſervare omnia mandata, non autem ſingula ſine gratiâ; quià Cæleſtinus Papa dicebat, in omnibus motibus, actionibus, cauſiſque ſemper Deus ut protector, & adjutor orandus eſt. Et tamen certum eſt quòd in omnibus levibus non indigemus auxilio Dei; ergò loquitur de omnibus pertinentibus ad ſalutem, & quæ ſunt cum merito & victoriâ.

Cui F. Thomas dixit: loquitur de omnibus quæ difficultatem habent, quæ ſine Dei adjutorio, ob infirmitatem naturæ, ſuperari non poſſunt.

Similiter Vaſtida dicebat: audiat Pater Lemos S. Thomam in loco quem citavit, quomodò explicat nos debere orare, ne intremus in tentationem, ut, videlicèt, nos liberet ab omni tentatione; quià licèt ſingula mandata poſſibile ſit virtute naturali facere, non tamen omnia. Ubì S. Thomas reſpondet ad propoſitionem propoſitam, quòd, videlicet, poſſumus ſingula ſuperare.

Tunc F. Thomas: propoſitio à Sanctiſſimo Domino noſtro propoſita non dicit: an homo poſſit ſingula vincere; ſed *an poſſit ſingula difficilia*. De hoc eſt tota difficultas. Et S. Thomas non dicit, nos poſſe vincere ſingula difficilia. Et quià tota difficultas eſt in iſto loco S. Thomæ, quo dicit, nos poſſe vincere ſingula, & ſervare ſingula mandata, oportet ejus veram intelligentiam ex ipſo ſancto Doctore colligere. Et in primis S. Auguſtinus, cujus S. THOMAS FUIT PERPETUUS DISCIPULUS, *Lib.*

Digitized by Google

a Tom. 10. n. 83. col. 164.

Lib. de nat. & grat. cap. 69. a ſic dicit: *Hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Ecce imprimis S. Auguſtinus manifeſtè docet, difficilia nos naturæ viribus facere non poſſe, ſed neceſſe eſſe petere divinum adjutorium. Similiter S. Thomas *1. 2. q. 109. art. 8.* ubì ultimam manum imponit, dicit: hominem poſſe ſine gratiâ habituali juſtificante facere ſingula; at verò non dicit poſſe facere ſingula ſine auxilio gratiæ. Immò *in 2m. ſentent. diſt. 28.* expreſsè dicit ad id eſſe neceſſarium auxilium gratiæ.

Tunc dixit Vaſtida: ego non adduco locum *ex 1. 2.* ſed *ex diſputatis ad 22m. argumentum.* Cui F. Thomas: Pater, tamen dixiſti, quòd in loco à me adducto oſtendebas contrarium. Et ego locum adduxi *ex Lib. 3. contrà Gentes.* Quomodò ergò, cùm tu adducas Quæſtiones diſputatas, dicis te oſtendere tuum intentum in loco à me adducto? Sed quidquid ſit de hoc, quià de accidentibus non curo, ſententiam S. Thomæ, quæ vera eſt, ſivè ex Quæſtionibus diſputatis, ſivè ex aliis locis depromatur, explicabo juxtà mentem ipſius S. Thomæ, quæ, ut dixi, eſt, *ſine gratiâ habituali juſtificante* poſſe hominem ſervare ſingula mandata, non autem ſine auxilio gratiæ actualis. Prætereà dicit, ſine omni auxilio gratiæ poſſe hominem ſervare omnia facilia, ſicut S. Auguſtinus dixit. Sed iſti Patres Societatis, Pater Beatiſſime, ſemper argumentantur ex univerſalibus & communibus, & non adducunt aliquid in ſingulari, & in ſpecie. Oſtendant aliquem locum ſancti Thomæ, ubì dicat poſſe hominem reſiſtere & ſuperare aliquam gravem & difficilem tentationem, nè dicam quamlibet; ut Molina dicit. Hoc oſtendant in ſpecie & in particulari; non autem argumententur ex univerſalibus & communibus, quæ ab ipſo ſancto Doctore intelliguntur, de ſingulis facillimis, virtute naturæ ſuperandis; vel de ſingulis quibuſlibet, etiam difficillimis, ſed ſine gratiâ habituali juſtificante, non autem ſine auxilio gratiæ.

Et ſic finita fuit Diſputatio, faciente ſigno Sanctiſſimo, cùm duraſſet per quatuor horas & dimidiam. Aliqua accidentia omittuntur, quià nec memoria omnia retinere valet. Inter aliqua enìm, cùm F. Thomas adduxiſſet quædam loca Caſſiani, ut videretur apertiùs convenientia Molinæ cum ipſo; dixerunt Jeſuitæ: iſtà dicit Caſſianus in alio loco. Quibus Frater Thomas: nunquid non omnia iſta ſunt Caſſiani, & omnia in materiâ de gratiâ & libero arbitrio, in quò eſt ejus ſententia damnata.

Digitized by Google

CONGREGATIO XIII.

CORAM CLEMENTE VIII.

Hæc Congregatio habita eſt coram Sanctiſſimo die 20 Januarij 1603. omnes conſueti adfuerunt tàm Cardinales quàm Cenſores, præter P. Rada.

Vide Hiſt. Congr. de Auxil. l. 3. cap. 18. col. 448. & ſeqq.

In quâ acriùs diſputatum eſt, num Molina & Caſſianus uniformiter hunc ſancti Pauli exponant locum 1. Cor. 10. Fidelis Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſuprà id quod poteſtis; ſed faciet etiam cum tentatione proventum. Deindè eorum eſt examinata concordia, circà laudem libero ſervandam arbitrio, ante gratiæ receptionem.

PRÆMISSA à Sanctiſſimo oratione conſuetâ, cœpit P. Arrubal proponere Septimam propoſitionem, quòd eadem videlicet ſit expoſitio 1. *Cor. 10.* Caſſiani ac Molinæ; cui & reſpondit ſub correctione Sanctiſſimi: valdè diverſam eſſe expoſitionem hujus loci Caſſiani & Molinæ. Nàm Caſſianus intelligebat illum, ità quòd non eſſet neceſſarium aliquod adjutorium internum ad vincendum graves & diuturniores tentationes. At verò Molina, pro illis vincendis, dicebat eſſe neceſſarium gratiæ auxilium. Undè differens omninò erat explicatio unius & alterius. Quòd autem Caſſianus diceret, poſſe hominem vincere graves & diuturniores tentationes ſine aliquo interiori auxilio gratiæ, probabat ex tribus. 1°. Quià loquens *in cap. 14. Collat. 13.* de tentationibus Job, dicit illum viribus ſuis viciſſe inimicum in illâ mole tentationum, affirmans quòd gratia tantùm adjuvet, ut non fieret anima ejus amens, & impotens ad reſiſtendum. Cùm ergò dicat, tantùm in hoc adjuviſſe gratiam, negat omne adjutorium gratiæ interius. 2°. Quià *in ℣. Et quid eos neceſſe eſt vel tentari &c.* negat gratiæ adjutorium. 3°. Quià *in ℣. cùm verò &c.* expreſsè dicit Deum adjuvare ab extrinſeco, moderando videlicet tentationes, nec aliud adjutorium pro vincendis gravioribus & difficilioribus tentationibus admittit. Et cùm aït, *in ℣. qui ſtat.*: hominem perceptâ gratiâ, vel ſtare per induſtriam, vel cadere per negligentiam poſſe, nomine gratiæ intelligit illam exteriorem, videlicèt, moderationem tentationum.

Dixit etiam P. Arrubal: Caſſianum ſolùm admittere gratiam protegentem exteriùs, quoties loquebatur de gratiâ in Collatione illâ. Undè concluſit: ſententiam Caſſiani eſſe, S. Job illas multiplices tentationes ſuas, quas ſuperavit, ſuperaſſe abſque aliquo gratiæ auxilio ſolis ſuis naturalibus viribus. Molinam autem, dixit, totum contrarium aſſerere: quià *in diſp. 19. memb. 5. §. ad primum*, [a] expreſsè fatetur eſſe neceſſarium gratiæ adjutorium pro vincendis pluribus gravioribus & diuturnioribus tentationibus. Igitur omninò differt à Caſſiani ſententiâ. Et addidit: quòd licèt Molina affirmet poſſe hominem pro quolibet temporis momento imperceptibili quòad ſenſum, & quodammodò indiviſibili, licèt non indiviſibili Mathematicè, ſeu Metaphyſicè. Quæ ſententia Molinæ videbatur expreſsè tradita à S. Anſelmo, & à S. Ambroſio, ſuper illum locum Pauli. Sic enìm uterque dicit: *quòd Deus liberat à tentationibus, vel citò illas auferendo, vel, ſi prolixæ fuerint, tribuendo tole-*

[a] *Pag. 78. col. 1. edit. Antwerp.*

randi

randi virtutem. Sentiunt ergò apertè, quòd quandò tribulatio citò tranſit, habet homo virtutem ad reſiſtendum, abſque eo quòd Deus illam det. Iſta quatuor dixit in ſubſtantiâ.

Statim autem F. Thomas, omnia ad pedes Sanctiſſimi ſupponens, ſic dixit: Caſſiani intentionem & mentem circà prædictum Apoſtoli teſtimonium: a *Fidelis Deus, qui non permittit vos tentari ſuprà id quod poteſtis*, ſatìs apertè Caſſianus ipſe declarat in toto contextu hujus capitis 14. modò citati. In ipſo enim præſupponens expreſsè Deum protegere, defendere, & adjuvare homines in tentationibus ſuis, circà explicandum modum quo Deus illos adjuvet, dicit 1°. Deum non ſic illos adjuvare, ut eiſdem tribuat vires, & det virtutem ad reſiſtendum; ſed unumquemlibet pro viribus arbitrij poſſe tentationes quaslibet ſuperare. Deindè dicit 2°. Deum adjuvare homines in tentationibus ab extrinſeco, moderando videlicèt tentationes, ne graviores conſurgant, quàm ſint vires naturales ad reſiſtendum. 3°. dicit etiam Deum adjuvare homines quodammodò ab intrinſeco, incitando, videlicèt, ad pugnam, & cum ipſo libero arbitrio bene viribus ſuis pugnante, ſimùl cooperando, & virtutem perficiendo. Et ſic intelligit illum locum Apoſtoli: *Fidelis Deus &c.* Fidelis 1°., quià moderatur tentationes, ne exſuperent humanas vires. Fidelis 2°., quià incitat homines ad prælium. Fidelis poſtremò quià in homine benè ſuis viribus pugnante, ſimùl ipſe cooperatur. Non verò fidelis, quià det homini vires & virtutem ad reſiſtendum.

a 1. Cor. 10. 13.

Hanc eſſe Caſſiani mentem verba ipſius expreſsè demonſtrant. Loquens enim *in cap. 14. Collat. 13.* expreſsè de tentationibus, quas Job ſuperavit, *in principio capitis* dicit, Deum non dediſſe vires aut virtutem Job ad reſiſtendum, nec pugnaſſe viribus tributis à gratiâ, ſed viribus ſuis. Et idem dicit ℣. *Et quid.* Et hæc eſt ejus fundamentalis ſententia; ut ſtatìm immediatè *poſt* ℣. *prædictum* ſubintulit ex Apoſtoli teſtimonio dicens: *tale eſt & illud quod ab Apoſtolo dicitur:* b *itaque qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. Tentatio vos non apprehendat, niſi humana. Fidelis autem Deus &c.* Et tale, inquit, eſt illud Apoſtoli, quale videlicet dictum fuit, non dare Deum, videlicet, vires & virtutem ad reſiſtendum; nec hoc modo eſſe intelligenda Apoſtoli verba. Poſtquàm autem aſſeruit Caſſianus, non eſſe ſic intelligendum Apoſtoli dictum, ſtatìm adhibet ſenſum illius teſtimonij, dicens: *cùm verò ſubjungit: fidelis autem Deus, qui non permittit vos tentari ſuprà id quod poteſtis; non utique optat ne eos Dominus tentari permitteret; ſed ne ſuprà id quod poterant ſuſtinere, tentarentur. Illud enim indicat humani arbitrij facultatem, hoc verò Domini gratiam luctamina tentationum moderantis oſtendit.* Ubì affirmat Deum adjuvare moderando tentationes, ne ſuperent naturales vires. Ne autem putaret aliquis ipſum ſolùm aſſerere, adjuvare Deum per illam externam tentationum moderationem, immediatè ſequentibus verbis poſt explicationem prædictam, quaſi omnia concludens, ait: *In his igitur omnibus approbatur, ità ſemper divinam gratiam arbitrium hominis incitare, ut illud non in omnibus taliter protegat ac defendat, ut non etiam propriis eum conatibus congredi adversùs ſpirituales faciat inimicos, in quibus vel gratiam Dei victor, vel infirmitatem ſuam ſuperatus intelligat; & ità diſcat, non de ſuâ fortitudine, ſed de divino ſemper ſperare ſuffragio, atque ad ſuum jugiter recurrere protectorem.* Ubì & protectorem internam gratiam intelligit, ut patet *ex fine capitis 13°.*, ubì loquens de gratiâ interiori, quæ erat in Paulo, cùm ipſe aït: c *Non ego, ſed gratia Dei mecum*, illam gratiam vocat *protectionem*. Deindè *in dicto capite 13.* hoc adhuc expreſſiùs affirmat. Antequàm enim ex profeſſo ageret *in capite 14°.* de tentationibus ſuperatis à Job, præmiſerat *in cap. 13. in principio* illam ſententiam ſuam fundamentalem,

b 1. Cor. 10. 12.

c 1. Cor. 15. 10.

Digitized by Google

lem, quòd, videlicèt, *Deus ſemper in bonam partem noſtro cooperatur arbitrio:* & concluſerat prædictum Caput cum illo loco Pauli: *Non ego, ſed gratia Dei mecum.* Quem ſic explicat: *cùm autem dicit, non autem ego, ſed gratia Dei, virtutem divinæ protectionis oſtendit. Cùm dicit, mecum, non otioſo, neque ſecuro, ſed laboranti, ac deſudanti eam cooperatam fuiſſe declarat.* Ubì apertiſſimè loquitur de gratiâ internâ Pauli, quam dicit non dediſſe vires Paulo, ſed cum ipſo jam benè laborante ac deſudante fuiſſe cooperatam. Et ſtatìm ſubdit *cap. 14.*, quòd etiam in Job probatiſſimo Athletâ ſuo, cùm eum Diabolus expetiſſet ad ſingulare certamen, divinam legimus providiſſe juſtitiam. Quod etiam relativum eſt ad priorem ſententiam, ac ſi clariùs diceret: hoc ipſum quod dictum eſt de Paulo, interiorem, videlicet, ejus gratiam non dediſſe ei vires, ſed tantùm cum ipſo benè laborante fuiſſe cooperatam; dico de Job, quòd, videlicèt, illa gratia interior quam habebat, cùm ab adverſariis tentabatur, non dabat virtutem & vires ad reſiſtendum, ſed tantùm cum ipſo benè laborante fuiſſe cooperatam. Supponit enim Caſſianus id quod in Scripturâ apertiſſimum, videlicet, S. Job, cùm à Diabolo tentaretur, fuiſſe in gratiâ conſtitutum & Dei amicum: hoc enìm ipſe Dominus ore proprio protulerat. Undè ſicut in Paulo, ità in ipſo Job, negat gratiam interiorem dediſſe vires & virtutem ad reſiſtendum; ſed tantùm cum ipſis benè ſuis viribus laborantibus fuiſſe cooperatam.

Tertiò hoc patet *ex cap. 11°. hujus Coll.* ubì conſtituit illam ſuam fundamentalem ſententiam: *Nàm cùm viderit nos Deus ad bonum velle deflectere, occurrit, dirigit, atque confortat.* Sentit ergò Deũ, cùm videret Job non ſolùm ad bonum velle deflectere, ſed ſtrenuè pugnare, occurriſſe ſtatìm, direxiſſe, ac confortaſſe gratiâ interiori. De illâ enìm ibì expreſsè loquebatur. Undè, ut ſemel dicam, ſententia Caſſiani fuit, negare adjutorium gratiæ interioris dantis vires & virtutem homini ad reſiſtendum: quodcunque autem aliud auxilium, ſive totaliter extrinſecum, per moderationem tentationum, ſive quodammodò intrinſecum, per excitantem gratiam, & per cooperantem, cooperante tamen priùs homine viribus ſuis, nullo modo negavit, ſed planè confeſſus fuit Caſſianus.

Molina autem, poſtquàm ſatis diffusè illam ſuam ſententiam fundaverat a, poſſe, videlicet hominem ſuis naturæ viribus, abſque aliquo gratiæ adjutorio, reſiſtere cuilibet gravi vehementiorivè tentationi, in quolibet temporis inſtanti, ſtatìm *in memb. 4.* b opponit ſibi illud Apoſtoli teſtimonium: *Fidelis Deus &c.*, quod & videbat dogmati ſuo vehementer eſſe contrarium. Sic enìm contrà ſe opponit. Tertiò objicit illud Pauli, *1. Cor. 10. Fidelis Deus &c.* Quam objectionem quaſi ſolvens *in memb. 5.* c ſimilibus verbis reſpondet: *Ad primum locum Pauli dicendum eſt, ità eſſe intelligendum: non patietur vos tentari, pluribus, videlicet, & difficilioribus, & diuturnioribus tentationibus, quàm pro ratione auxilij, quod ipſe Deus impenderit, poſſitis commodè ſuſtinere. Indè verò non ſequitur, aliquam eſſe tentationem, quam in poteſtate noſtrâ non ſit, ex noſtris viribus quocunque temporis puncto, ſuperare, ſi pro viribus pugnare voluerimus.*

a *Diſp. 19. per totam.*

b *Pag. 76. col. 2.*

c *Pag. 78. col. 1.*

Hæc Molina. Ubì tria ſimùl affirmat. 1^{m}. Eſt non colligi ex illo loco Apoſtoli, eſſe neceſſarium auxilium gratiæ pro ſuperandâ quâlibet difficiliori tentatione in particulari & diviſivè. In quo cum Caſſiano perfectè convenit. Immò quid gravius videtur aſſerere quàm Caſſianus. Nam Caſſianus pro certo reputat aliquam in particulari poſſe conſurgere ità fortem ac vehementem tentationem, ut eidem vires hominis reſiſtere non valeant. Undè apponit illam reſtrictionem, & poſtulat Deum moderatorem pro qualitate virium naturalium. Cæterùm Molina putat nullam poſſe eſſe ità fortem & vehementem tentationem,

nem,

Digitized by Google

nem, cui homo, etiam abſque iſtâ reſtrictione, ſine moderatione reſiſtere non poſſit, interim dùm judicium rationis non abſorbetur; quià per libertatem naturalem habet ſufficientiam ad reſiſtendum.

2m. Quod dicit Molina eſt, ex illo loco Pauli colligi eſſe neceſſarium auxilium gratiæ interius, pro vincendis pluribus difficilioribus & diuturnioribus tentationibus: at verò non explicat hìc quod auxilium ſit iſtud; ſed tamen ut ex aliis illius locis conſtat *V. G. ex diſp. 36. 37. 38. uſque ad 42. & alibi ſæpè*, ex profeſſo dicit hoc auxilium eſſe excitans, invitans, & alliciens, & ſic voluntatem hominis prævenire; deindè ipsâ voluntate hominis in ſuis viribus operante eſſe cooperans, ſimulque influens in eundem effectum; ubíque autem negat dare auxilium gratiæ vires, tribueréque virtutem interiùs animæ ad benè operandum, & reſiſtendum tentationibus. Nàm illud auxilium in quantùm excitans, manifeſtum eſt quòd vires animæ non tribuit: ſicut ſi ego excitarem aliquem dormientem, non darem virtutem & vires ad ambulandum, ſed ipſe illas ſuâ virtute greſſivâ haberet. In quantùm autem eſt cooperans, multò minùs dat animæ virtutem, quià non agit in ipſam voluntatem, ſed immediatè cooperando in effectum. Et præter multa alia loca, quibus hoc dicit Molina, eſt quidem in ipſo valdè notandum quod dicit *in diſp. 19. memb. 3. §. poſtrema ſit*, a ubì loquens de gratiâ habituali juſtificante, dicit tàm facilè hominem cum illâ labi in peccatum, ac hominem in peccato mortali exiſtentem. Ibique aſſerit tantam impotentiam habere hominem juſtificatum ad reſiſtendum tentationibus, ac hominem in peccato mortali. Et iſta eſt quædam ſua major propoſitio, ex quâ ſubſumit minorem: quòd, videlicet, ſicut qui eſt in peccato mortali poteſt cuilibet reſiſtere, ſed non omnibus; ità qui eſt in gratiâ poteſt cuilibet reſiſtere, ſed non omnibus. Quæ major & minor falſiſſimæ ſunt, & intolerabiles. Quomodò enìm tàm facilè homo juſtificatus cadit, ac homo in mortali conſtitutus? Item, quis dicat tàm impotentem ad non ſuccumbendum tentationibus eſſe hominem juſtum in gratiâ conſtitutum, per quam fit conſors divinæ naturæ, ut dicit b Apoſtolus Petrus, ac homo Dei inimicus? Et quid facit gratia, ſi hoc ità eſt? Vel quas vires tribuit homini? Hìc ſatis aperit Molina, quòd gratia juſtificans non dat vires animæ, & virtutem ad reſiſtendum, ſicut & ipſe Caſſianus de Apoſtoli & Job gratiâ dixerat. Minor etiam falſiſſima eſt, quòd homo in gratiâ juſtificante conſtitutus non habeat potentiam ad reſiſtendum pluribus & diuturnioribus tentationibus; immò potentiam habet per gratiam ad reſiſtendum omnibus; immò quantùm ad perſeverandum, ut docet S. Auguſtinus *L. de dono perſev.*, & S. Thomas *1. 2. q. 109. art. 10.* Licèt de facto nunquam perſeverabit ſine illo magnò auxilio perſeverantiæ.

a *Pag. 71. col. 2.*

b *2. Pet. 1. 4.*

3m. Quod dicit Molina in hâc ſolutione eſt, requiri auxilium gratiæ, ut homo COMMODÈ poſſit reſiſtere tentationibus pluribus & diuturnioribus. Quarè interpoſuit hoc verbum, COMMODÈ? An non erat integer ſenſus, ſi diceret, eſſe neceſſarium auxilium gratiæ ad reſiſtendum diuturnioribus tentationibus? Quare ergò, inquam, interpoſuit verbum COMMODÈ? Niſi quià putat hominem, etiam pluribus & diuturnioribus tentationibus reſiſtere naturæ viribus, licèt non ità COMMODÈ, & ità facilè, quod eſt admittere tantùm auxilium GRATIÆ AD FACILIÙS reſiſtendum, ſicut Pelagius admiſit, pròut refert S. Auguſtinus *Lib. de grat. Chriſti cap. 7.* c Undè homines ſolis viribus ſuis ſine adjutorio gratiæ reſiſtere diuturnioribus & gravioribus tentationibus ſic ſe explicat, quòd intelligat, non poſſe quidem id præſtare commodè & facilè; licèt difficilè, & cum incommoditate poſſit. In eodem enìm Doctore eſt explicatio ſuæ propoſitionis; & quidem ex principiis ipſius

c *Tom. 10. num. 8. col. 233.*

ipſius Molinæ convincitur ipſum ſic ſentire. Primò enim S. Proſper, ex eo quòd Caſſianus dicit Deum non dare virtutem & vires ad reſiſtendum, contrà ipſum convincit ipſum tantùm admittere GRATIAM AD FACILIÙS. Cùm ergò hoc ipſum dicat Molina, ut oſtenſum eſt, ſimùl cum Caſſiano manet convictus, quòd gratiam conſtituat tantùm AD FACILIÙS. Secundò, ratio ipſa hoc demonſtrat; in quâ ſe S. Proſper, credo, fundavit. Nam ſi auxilium gratiæ non dat virtutem ac vires animæ ad reſiſtendum; ergò anima naturaliter habet virtutem ad id; ergò poteſt reſiſtere abſolutè. Qui enìm habet virtutem ad aliquid, poteſt illud facere abſolutè; ergò gratia ſolùm erit neceſſaria ad meliùs, & ad faciliùs. Tertiò, Molina habet pro principio, quòd interìm dùm judicium rationis non abſorbetur, manente in homine libertate, ſemper poteſt ſuperare quamlibet tentationem: ſed ex eo quòd tentationes multiplicantur, & ſunt graviores & diuturniores, ſi tamen non abſorbent judicium rationis, ſemper poterit illis omnibus reſiſtere, quià manente eâdem causâ, manebit idem effectus. Undè ſi omnes definitiones Molinæ attentiùs conſiderentur, nullum adjutorium admittit dans aliquas vires animæ, non dico ſolùm efficaces, ſed nec ſufficientes; ut probatum eſt. Quare, ſicut Caſſianus, negat auxilium interiùs dans virtutem ad reſiſtendum.

Ad illa quatuor quæ PP. Societatis adducunt. Ad 1^{m}. dicitur, quòd etiam Molina in illo convenit cum Caſſiano. Nam quod Caſſianus dicit gratiam protexiſſe Job, ne fieret amens; Molina dicit, quòd interìm dùm rationis judicium non abſorbetur. Cùm enìm abſorbetur, fit homo ad modum amentis, ad modum puerorum, & belluæ, ut aït S. Thomas *2. 2. q. 6.* Quod autem aït Caſſianus, quòd tantùm divina gratia protexit Job ne fieret amens, propterea hoc dicit, quià ipſe tenet gratiam non dare virtutem ad reſiſtendum, ſed hominem ſuâ libertate illam habere; & ex conſequenti gratia curabat ne fieret amens, quià interìm dùm libertatem haberet, poterat ſuis viribus ſe defendere, excitatus à Deo, vel poſtquàm Job operabatur viribus ſuis, ſimul cum illo cooperans. Et hoc ipſum dicit Molina, ut oſtenſum eſt.

Similiter illud 2^{m}. idem omninò probat. Dicit enìm Caſſianus quòd niſi homo haberet vires ad ſe defendendum, non permitteret Dominus illum tentari. Ex hoc non ſequitur negare auxilium excitans, vel cum homine benè operante cooperans; quod expreſsè admiſit Caſſianus.

Ad 3^{m}. ſimiliter. Licèt enìm explicet Caſſianus Deum adjuvare moderando tentationes, non tamen hoc ſolùm dicit, ſed admiſit gratiam cooperantem, cooperante jam homine viribus ſuis.

Ad illud 4^{m}. de Sanctis Anſelmo & Ambroſio, qui aſſerunt quòd Deus, quandò tentatio eſt prolixa, dat reſiſtendi virtutem, vel citò illam aufert, ubì P. Arrubal fundat ſententiam Molinæ, quòd homo poteſt reſiſtere tentationi breviſſimæ, quæ citò tranſit, ipſi SS. Doctores hoc tantùm intendunt, quòd quandò tentatio citò tranſit, regulariter loquendo non eſt fortis & vehemens, undè eidem poſſet homo reſiſtere: at verò quandò eſt prolixa, ſumit majores vires, eſt fortior tunc, eſt gravior, & magis premit; quare eſt neceſſe ut Deus det tolerandi virtutem. Quæ explicatio videtur ſumi ex quâdam regulâ S. Auguſtini *Lib. 5. de civitate Dei*, ubì dicit, quòd ſi ſe offerat duorum aſpectui mulier pulchra, unus conſentit, alter non: quià, videlicet, quandò ſe ſubitò ſic offert, & citò tranſit, tentatio non eſt ità fortis, ſed cenſetur levis. Undè homo poterit naturæ viribus illi reſiſtere. Secùs eſſet, ſi multùm duraret illa tentatio, quià tunc jam redderetur difficilis & vehemens, & eſſet neceſſarium divinum adjutorium. Fateor tamen quòd aliquandò ſubitò ſe poteſt offerre gravis tentatio, quæ

proindè

proindè naturæ viribus non poterit ſuperari; ſed regulariter loquendo tentatio quæ ſubitò tranſit, non cenſetur gravis. Et ſic intelliguntur SS. Doctores Anſelmus & Ambroſius. Quòd ſi PP. Societatis illos duos SS. Doctores viderunt ſuper iſtum locum Pauli; quare non attendunt quid dicant ſuper iſtum locum S. Thomas, S. Auguſtinus, S. Chryſoſtomus, S. Cyrillus, Theodoretus, &c? Verba S. Thomæ ſuper iſtum locum ſunt: quæ & retulit, & poſteà dixit P. Lemos: ſemel, iterùm, atque tertiò docet Deum dare potentiam & conſtantiam ne vincamur, ſed ut nos vincamus. S. Auguſtinus etiam in duobus locis explicat iſtum locum Pauli, *L. de Spirit. & Litt.* breviter, diffuſiùs autem *ſuper Pſal. 61. in fine* a, cujus verba ſunt: *Noli ergò mirari; permittit Deus, & judicio permittit: permittit, & menſurâ, numero, pondere permittit. Apud illum non eſt iniquitas; tu tantùm ad illum pertine; in ipſo ſpem pone: Ipſe ſit adjutor tuus, ſalutare tuum; in illo ſit locus munitus, turris fortitudinis, Refugium tuum ipſe ſit, & non ſinet te tentari ſuprà quàm potes ferre; ſed faciet cum tentatione etiam exitum, ut poſſis ſuſtinere; ut quòd te ſinit pati tentationem, poteſtas ejus ſit; quòd non ſinit ultrà in te fieri quàm potes ferre, miſericordia ejus ſit, &c.* Quæ ubì retulit, ac ſimùl verba Chryſoſtomi, & Theodoreti, qui omnes explicant locum Pauli, quòd Deus dat virtutem ad reſiſtendum, quam virtutem dare Deum omninò negat Molina cum Caſſiano; & ſic finiit F. Thomas.

a *Tom. 4. num. 22. col. 605.*

Tunc P. Vaſtida, ſimiliter & alius adducebant Librum S. Auguſtini *de civitate Dei* ad oſtendendum, S. Auguſtinum ibì non dare explicationem illam de verbo *citò*. Quibus reſpondit F. Thomas: non dico ego S. Auguſtinum explicare ibì S. Ambroſium; ſed quòd ex illo exemplo & doctrinâ S. Auguſtini, ibì conſtat qualiter Sancti non reputant gravem tentationem, regulariter loquendo, illam quæ citò tranſit.

Poſteà inſtabant PP. Societatis contrà id quod à F. Thomâ dictum fuerat contrà Molinam, hominem in gratiâ juſtificante conſtitutum, habere potentiam ad perſeverandum, licèt ut de facto perſeveret, indigeat auxilio perſeverandi. Clamabant enìm eſſe contrà Concilium Tridentinum *Seſſ. 6. can. 22.* dicere hominem juſtificatum habere potentiam ad perſeverandum per gratiam juſtificantem abſque auxilio; quià Concilium dicit: *Si quis dixerit hominem juſtificatum perſeverare poſſe ſine auxilio ſpeciali, anathema ſit.* Ecce dicit, non poſſe perſeverare ſine auxilio ſpeciali. Et clamabant hanc eſſe fidem, & aliud dici non poſſe. Similiter adducebant Concilium Arauſicanum *can. ultimo* dicens: *non eſſe idoneum hominem juſtificatum ad perſeverandum ſine auxilio perſeverantiæ.*

Quibus dixit F. Thomas: Sacrum Concilium intendere, non poſſe hominem juſtificatum ſine ſpeciali auxilio perſeverare, id eſt, eſſe impoſſibile, quòd homo ſine auxilio ſpeciali perſeveret; non tamen negat potentiam eſſe in homine juſto ad perſeverandum. Licèt enìm ad id habeat potẽtiam per gratiam juſtificantem, tamen ut exeat in actum, indiget auxilio ſpeciali. Et eſſe hanc veram intelligentiam Concilij patet, quià S. Thomas *1. 2. q. 109. art. 10.* expreſsè tenet, per gratiam juſtificantem habere hominem potentiam ad perſeverandum. Similiter S. Auguſtinus loquens de primo Parente dicit: ipſum habuiſſe gratiam quâ poterat perſeverare ſi vellet, non tamen habuiſſe gratiam ut de facto perſeveraret. Sic enìm aït, quòd primus Parens non perſeveravit; & ex conſequenti non habuit gratiam ut perſeveraret; ſi enìm habuiſſet illam, utiquè perſeveraſſet: & tamen habuit gratiam quâ potuit perſeverare.

Tunc dixit Archiepiſcopus Armachanus: eſt duplex potentia, alia ab actu ſeparata, alia actui conjuncta. Cui Frater Thomas: ità eſt quòd Concilium loquitur de potentiâ conjunctâ actui, & hanc negat eſſe in

Digitized by Google

juſtificato ſine auxilio ſpeciali; non tamen negat potentiam ab actu ſeparatam.

Sed illi PP. Societatis magìs clamabant eſſe definitum in Concilio: hominem per gratiam juſtificantem non habere potentiam ullam ad perſeverandum. Et dixit Arrubal, quòd pro iſtâ veritate moreretur.

Sed F. Thomas dixit: ego credo me attigiſſe veram Concilij intelligentiam ſecundùm SS. Auguſtinum & Thomam. Quæ ſi ità non fuerint, meam propriam fatebor ignorantiam. Vera enìm intelligentia Conciliorum eſt apud Sanctitatem ſuam, quæ docebit nos omnia; nec eſt hujus loci ex profeſſo diſputare de dono perſeverantiæ, pertinet enìm ad Nonam propoſitionem. Quòad præſens, Molina dicit hominem juſtificatum non poſſe magìs reſiſtere tentationibus, quàm hominem in peccato mortali conſtitutum.

Et Generalis S. Dominici dixit: mirum eſſe quòd Molina dicat, hominem ſine gratiâ poſſe tentationibus reſiſtere; & quòd cum gratiâ neget habere potentiam ad id.

P. autem Vaſtida adduxit ad hoc S. Thomam *1. 2. q. 109. art. 10. ad 1m.* ad probandum per gratiam juſtificantem non habere hominem potentiam ad perſeverandum. Quem locum cùm legiſſet, apparuit ibì tantùm docere ſanctum Thomam indigere hominem auxilio.

Undè dixit ei F. Thomas: contrà ſe ipſum adducit hunc locum; hoc enìm eſt, quòd nos dicimus, hominem juſtificatum indigere auxilio ad perſeverandum.

Arrubal verò nitebatur reſpondere ad illa quæ F. Thomas propoſuerat: & dicebat 1°. Caſſianum aſſerere gratiam in Job ſervaſſe ſolùm illum ne amens fieret, & nihil aliud.

Tunc dixit illi Sanctiſſimus: *Quid eſt hoc aliud?* Ipſe autem Arrubal nunquàm penetravit hoc aliud, quod Sanctiſſimus iterùm poſtulavit dicens: *Quid eſt hoc aliud?* Et ipſe Arrubal totaliter turbatus dicebat ſe non intelligere id quod Sanctiſſimus interrogabat. Et cùm ſic penitùs eſſet ſine intelligentiâ; voce magnâ cum turbatione dixit alius Socius Vaſtida: ipſum aſſerere Caſſianum nihil aliud conſtituiſſe in Job ad vincendas tentationes, niſi ſolùm quòd Deus illum ſervaret ne fieret amens. Poſt quod ad ſe reverſus P. Arrubal dicebat 2°. S. Proſperum affirmare expreſsè, Caſſianum negaſſe, vel negare Deum fuiſſe cooperatorem: quomodò ergò dicitur Caſſianum aſſerere auxilium cooperans fuiſſe in Job? 3°. Dicebat quòd Molina planè affirmabat auxilium dare vim ad operandum, & quòd homo per illud reddatur potens ad operandum. Undè non potuit illi attribui, quòd negaret auxilium dare vim; præcipuè quià uſque adeò PP. S. Dominici fatebantur Molinam aſſerere habitus ſupernaturales dare poſſe, & dare vim. Prætereà dicebat, illum locum Molinæ in quo affirmabat hominem juſtificatum non habere majorem potentiam ad reſiſtendum tentationibus, quàm hominem in mortali conſtitutum, eſſe argumentum cui ipſe Molina reſpondebat. Non poteſt autem pro ſententiâ alicujus deferri id quod eſt argumentum, cui author reſpondet. Itèm dicebat: quòd dato quòd illud aſſertivè diceret, non faciebat abſolutam comparationem inter hominem juſtificatum & peccatorem, ſed ſolùm quantùm ad hoc, quòd ſicut homo juſtificatus poteſt cuilibet in particulari, non poteſt tamen omnibus tentationibus reſiſtere; ità homo peccator cuilibet poteſt reſiſtere, non tamen poteſt omnibus. Itèm ſic ponebat argumentum: Apoſtolus in illo loco, *Fidelis Deus &c.* explicat adjutorium quod Deus promittit hominibus juſtificatis poſt juſtificationem; ſed non promittit illis adjutorium dans potentiam ſimul cum actu; ergò &c.

Ad quod F. Thomas aït: Tuo proprio ore convinceris; nàm Apoſtolus loquitur cum omnibus de Eccleſiâ; non

Digitized by Google

non autem omnes ſunt in gratiâ, ut notum eſt : & illis promittit adjutorium dans vires ad reſiſtendum.

Arrubal autem videns eſſe evidens, Apoſtolum loqui univerſaliter cum omnibus, ſive juſtis, ſive injuſtis, dicebat : licèt cum omnibus loquatur, tamen promittit eis auxilium quod non ſemper dat potentiam conjunctam actui ; ergò &c.

Cui F. Thomas: ad quod propoſitum hoc adducitur ? Quaſi ego dixerim ſenſum Apoſtoli eſſe dari omnibus auxilium ſimul cum actu.

Illicò autem F. Thomas incepit ad ultimum reſpondere, deveniendo uſque ad primum, ſic dicens : in illo loco citato proponit argumentum pro parte quam magìs probabilem reputat. Undè argumentum ut probabile tenet. Immò quandò illi argumento & aliis pro eâdem parte facientibus ipſe reſpondet, dicit quòd ſolutiones ipſorum nunquam ſuum intellectum explere potuerunt. Præcipuè quià *in* §. *fortè mirabitur*, a planè affirmat illam eſſe ſuam ſententiam. Quare argumenta, quæ pro illâ facit, probationes ſunt ſententiæ ipſius. De quo me remitto ad ſæpiùs de hoc dicta.

a *Diſp. 19. membr. 6. pag. 81. col. 2.*

Quod autem dicit Molinam ſolùm facere comparationem quòad reſiſtendum cuilibet tentationi in particulari, vel omnibus ; non ità ſe habet: quià licèt hoc concludat, tamen aſſeruit hanc majorem univerſalem , quòd, videlicèt, ad non ſuccumbendum tentationibus, non eſt major potentia in homine in gratiâ conſtituto, quàm in peccatore. Hanc majorem dicimus eſſe intolerabilem ; ſicut etiam minor falſa omninò eſt, ut probavi.

Ad id quod dicunt Molinam dicere auxilium dare vim, & reddere potentiam potentem ; dicendum quòd in quodam loco ipſe dicit Deum ſuggerere. Nos autem non ſolùm admittimus Deum ſuggeſtorem virium, ſed effectorem.

Cui ſtatìm Vaſtida : relinquamus iſtum locum , nam in aliis dicit expreſsè Deum dare vim & potentiam.

Cui F. Thomas : dicit verbis tantùm, nam ipſe explicat totaliter contrarium ; ſi quidèm ipſe dicit dare vim & potentiam excitando tantùm, invitando, & alliciendo : qui autem ſic excitat, conſtat evidentiſſimè quòd vires non dat, ſed excitat tantùm vires, quas ipſe homo habet. Undè ipſe Molina ſe explicat quomodò dat vires, reipsâ conſtituens nullas dare vires, quod eſt maximè advertendum in ipſo. Quod autem nos ſemper diximus contrà Molinam, eſt quòd ipſe affirmet habitus exercere rationem gratiæ prævenientis & excitantis, & ex conſequenti non dare majores vires ſecundùm hanc rationem , quàm ipſam gratiam excitantem.

Ad illud aliud de S. Proſpero ex contextu ejuſdem Sancti conſtat apertè , quandò dicit Caſſianum negare Deum cooperatorem, intendere quòd neget Deum cooperatorem, id eſt, coadjutorem dantem virtutem homini ad reſiſtendum, ut jam oſtenſum eſt. At verò non dicit S. Proſper, Caſſianum negare alium modum cooperandi, videlicet, poſtquàm jam operatur homo ; quià hoc expreſsè aſſeritur à Caſſiano Itaque *cooperari* ſtat dupliciter : uno modò ità cooperari, ut det virtutem homini ad operandum, & hoc modo conſtituitur gratia coadjuvans à multis Doctoribus, ut coadjuvando det vires. Alio modo *cooperari* ſumitur, ut cooperans dicatur cooperari operante jam alio. Primo modo, non ſecundo dicit ſanctus Proſper Caſſianum negare Deum noſtrum cooperatorem.

Ad illud autem primum quod Caſſianus dicit , tantùm gratiam adjuvaſſe Job ne fieret amens ; jam dixi, quare hoc dicat Caſſianus, quià, videlicet, ſervando mentem & libertatem, in ipsâ agnoſcebat vires naturales ad reſiſtendum. Undè tantùm excludit auxilium dans vires, non autem auxilium excitans vel cooperans ; quià auxilium hoc ipſe expreſsè affirmat, nec illud negat, vel excludere intendit per verbum *tantùm*, ut dixi.

DEINDE præcepit Sanctiſſimus, ut ad aliam propoſitionem, Octavam videlicet, diceretur, quæ ſic habet: *Quòd ante receptionem gratiæ ſervanda ſit laus libero arbitrio.* Ad quam ſic reſpondit P. Arrubal: in ipsâ nullo modo convenire Molinam cum Caſſiano. Locus enim qui adducebatur ex Caſſiano erat *ex capite 14. Collat. 13. de fide Centurionis*, in quâ conſtituebat laudem & meritum. Ex Molinâ autem adducebantur duo loca. Tunc dicebat Caſſianum in illo loco ante omnem gratiam prævenientem concedere libero arbitrio laudem & meritum. At verò Molina in ſecundo loco adducto, loquitur de actu ſupponente prævenientem gratiam. Et ſimiliter in primo loco adducto *ex diſp. 9.* etiam affirmabat loqui Molinam de induſtriâ & laude ante receptionem gratiæ juſtificantis, ſed poſt receptionem gratiæ prævenientis. Et hoc eſt primum, quod in ſubſtantiâ dixit.

Similiter dicebat: quòd Molina non conſtituat ante receptionem gratiæ prævenientis in humanis actibus niſi induſtriam & laudem moralem, ſicut illam conſtituunt SS. Doctores Auguſtinus, Thomas, & alij.

Secundò dixit Caſſianum conſtituere meritum ſive de condigno, ſive de congruo, in illo actu merè naturali; ità quòd ſentiebat Caſſianus, quòd ſi præcedit gratia, tollit meritum. At verò Molina ſæpiùs dixit, nulli poſſe eſſe meritum, niſi præcedat gratia; ergò contrarius eſt Caſſiano.

Tertiò deſcendens ad explicandum ſecundum locum Molinæ *ex diſp. 1. in q. 23.* ubì dicit, quòd ſi præcisè conſideratur influxus liberi arbitrij, hâc præcisâ ratione, non aliter tribuitur Deo niſi tanquàm authori ipſius voluntatis; explicabat Molinam, ut conſtabat ex multis aliis ſuæ doctrinæ locis, ſæpiùs affirmare nullam realitatem, nullamque formalitatem eſſe in actu illo, quæ non ſit à Deo, ut à causâ magis principali. Undè tantùm intendebat negare gratiam prædeterminantem.

Similiter adducebat locum ex S. Proſpero, *L. de vocat. Gent.* ubì dicit, quòd adjutus divino adjutorio ideò meretur, quià poteſt deficere, & quià habet undè cadat: ſed habere undè cadat, ex ſolo homine eſt; ergò ex ſolo homine eſt aliquid quod ſit conditio ad meritum. Itèm quià Molina ſentiebat libertatem in actu nihil omninò reale eſſe in illo, ſed ſolùm denominationem quandam extrinſecam, in ordine, videlicet, ad humanam voluntatem.

Et in iſtis explicandis, & in probando Caſſianum ſentire, quòd ſi gratia præcedebat, tollebatur meritum, multùm temporis conſumebat, adeò ut ei diceret F. Thomas: Pater admittimus Caſſiani hanc eſſe ſententiam. Non conſumas in re adeò clarâ breve tempus quod ſupereſt. Similiter quandò ipſe Arrubal inſiſtebat, quòd Molina non admittebat eſſe aliquam realitatem vel formalitatem in actu ſequente gratiam prævenientem, quæ non ſit à Deo, & cum dependentiâ ab illo; at verò Caſſianus negabat dependentiam liberi arbitrij à Deo: dixit Sanctiſſimus ſemel atque iterùm: *dicit Molina quòd humana voluntas determinat voluntatem Dei, & quòd homo reddit gratiam Dei efficacem, vel inefficacem.* Tandem finiente Patre Arrubal, dixit Sanctiſſimus Fratri Thomæ, ut proponeret breviter.

Undè incipiens dixit: ſuppono Caſſianum aſſerere eſſe laudem & meritum in actu naturali ante omnem gratiam. Similiter ſuppono Molinam *hâc diſp. 9.* verbis expreſſis aſſerere ſervandam eſſe laudem & induſtriam libero arbitrio ante receptionem gratiæ. Quià tamen PP. Societatis dicunt differentiam eſſe, quià Caſſianus dat induſtriam & laudem humanis conatibus ante omnem gratiam prævenientem, Molina verò non; patet nihilominùs quòd etiam Molina loquatur de merito & laude humanorum conatuum ante omnem gratiam prævenientem. Nam ipſe dicit, quòd in Epilogum reducit

reducit omnia *in diſp. 9.* cùm aït: ante receptionem gratiæ ſervandam eſſe induſtriam libero arbitrio; ſed in totâ diſputatione 9. locutus fuit de conatibus antecedentibus omnem gratiam prævenientem; ergò de illis conatibus loquitur in illo Epilogo.

a Pagg. 28. & 29. Minor patet *ex principio diſp. 9.* a §. *quamvis*, & §. *ex dictis*, & §. *ut patet 3°. & ex illis verbis, etenim quamvis &c. quæ habentur in* §. *quod hâc.* Item quid ipſe Molina ſentiat de iſtis conatibus antecedentibus, & quomodò habeant induſtriam, & non à Deo, etiam authore naturæ, exprimit *diſp.*

b Pag. 141. col. 1. *33.* §. *hâc itaque opinione.* b ubì dicit; quòd benè operemur moraliter, in nos ipſos ſicut in particularem cauſam, & non in Deum eſſe referendum. Et quamvìs præmiſerat omnia in Deum eſſe referenda, tamen ſtatìm deſtruit quod ædificavit. Etiam Caſſianus dicit omnia in Deum eſſe referenda *capp. penultimo & ultimo Collat. 13.*; & tamen reipsâ id negat, quià, ſicut Molina, omnia refert in Deum, ſicut in dantem naturam, vel ſicut in ſolùm excitantem. Sanctus Auguſtinus

c Tom. 10. cap. 18. n. 28. col. 55. *Lib. 2. de peccat. merit. & rem.* c dicit: *laborant homines invenire in noſtrâ voluntate, quid boni ſit nobis &c. contrà*

d 1. Cor. 4. 7. *Paulum dicentem*: d *quid habes quod non accepiſti?* Sic Molina in hoc laborat, & ſemi-pius videns contrarium ſuæ ſententiæ illum locum Pauli; *quis te diſcernit? quid habes quod non accepiſti?* illum explicare procurat; ſed tamen planè fatetur, quòd illo conatu, prout præcisè procedit ab homine, & non à Deo, homo aliquo modo ſe diſcernit ab alio. Quid clarius? Dat homini aliquid quod non habet à Deo, quo ſe aliquo modo diſcernat ab alio. Hoc autem quod Molina tribuit homini, quod non ſit ex Deo, eſt totum id complexum: hominem applicari ad operandum, & applicari ad conſentiendum gratiæ excitanti. Nam anteà non applicabatur homo ad operandum & conſentiendum, & modò applicatur, ſed non applicatur à Deo.

Tunc reſpondens Arrubal dixit: oſtendat locum ubì dicat Molina hominem non applicari à Deo ad conſentiendum. Cui Sanctiſſimus: iſta duo loca modò citata. Et F. Thomas: ſtatìm oſtendam locum, quià id dicit Molina *in diſp. 4. & 45.* expreſsè; & clariùs *in diſp. 39.* §. e *Dominicus à Soto.* Modò non oportet interrumpere ſermonem. e Pag. 160. col. 1.

Et proſecutus F. Thomas dixit: PP. Societatis quibuſdam diſtinctionibus metaphyſicis volunt obſcurare doctrinam: dicunt enìm nihil reale vel formale eſſe in illo actu, quod non ſit à Deo; concedit tamen Molina quòd ſub eâ ratione, quâ eſt à libero arbitrio, non eſt à Deo: nec attendunt quòd iſta diverſa conſideratio rationis cum fundamento, ſufficit ad reddendam intolerabilem propoſitionem. Nihil eſt enìm quod non ſit à Deo, ſub quâlibet ratione attendatur. Sicut in materiâ de Trinitate, ſola diſtinctio rationis, ubì nulla eſt diſtinctio, vel realis, vel formalis ex naturâ rei, reddit propoſitiones vel Catholicas, vel contrà fidem. Divina enìm eſſentia & Paternitas ſolâ ratione diſtinguuntur, & tamen hæc propoſitio: Paternitas refertur, Catholica eſt; illa autem: eſſentia refertur, hæretica. Similiter Pater & eſſentia ſolâ ratione diſtinguuntur; & tamen hæc propoſitio: Pater generat, de fide eſt; illa autem: eſſentia divina generat, damnata eſt. Et multa ſimilia poſſunt adduci, quæ omnibus notiſſima ſunt.

Illud autem quod P. Arrubal dicit, Molinam conſtituere hominem cum dependentiâ à Deo: immò nullam dependentiam quòad operari conſtituit reſpectu Dei in homine. Si enìm Deus ipſum non movet & applicat ad operandum, ergò independenter à Deo operatur. Quomodò ergò à Deo dependet in operari? Similiter quod adduxit de SS. Auguſtino & Thomâ, qui tribuunt humanis actibus induſtriam & laudem moralem, quomodò adducatur, non video. Certum enìm eſt actus morales bonos habere laudem

& induſtriam moralem. At verò non dicunt SS. Doctores quòd habeant induſtriam & laudem ante receptionem gratiæ, ut ipſa præveniens gratia eis donetur, ſicut Molina dicit. Qui poſtquàm *in diſp. 9.* explicaverat aſſignandam induſtriam & laudem libero arbitrio ante receptionem gratiæ, ſtatìm hoc declarans *in diſp. 10. ſeq.* dixit: a quòd facienti quod in ſe eſt per illos conatus antecedentes, antè omnem gratiam prævenientem, dari ex certâ lege ipſam gratiam prævenientem; quaſi dicat, hanc eſſe laudem iſtorum conatuum, ut ipſis certâ lege detur gratia. Et multa alia omiſit dicenda F. Thomas ob temporis brevitatem.

a *Pag. 31. col. 1.*

Similiter reſpondit S. Proſperum in prædicto loco, cùm aït, hominem qui benè operatur ex divino auxilio, ideò mereri, quià poteſt deficere, nihil aliud dicere, niſi hominem mereri ex divino auxilio, quià ità operatur liberè ut poſſit deficere.

Ad illud autem aliud quod dixit Pater, Caſſianum, videlicet, aſſeruiſſe, quòd ſi Deus per gratiam incipiebat, quòd tunc non ſervatur laus & induſtria libero arbitrio; veriſſimum eſt, hoc fuiſſe dogma ipſius & primorum Pelagianorum. Affirmabant enìm, quòd ſi Deus omninò incipiebat, & omninò præveniebat, illa inſpiratio boni non erat in liberâ poteſtate hominis. Undè non habebat homo in illâ libertatem, & ex conſequenti nec laudem, nec meritum, quæ ſine libertate eſſe non poſſunt. Undè & primi Pelagiani dicebant, *Deum adjuvare uniuſcujuſque propoſitum bonum, non tamen reluctanti virtutis ſtudium immittere*, ut aït S. Auguſtinus *Lib. 4. contrà duas Epiſt. Pelagg. cap. 6.* b, quod, ut ibì aït S. Auguſtinus, poteſt ſanè intelligi, ſi dicatur quòd voluntas, quæ priùs erat reluctans, divinâ gratiâ non jam reluctans, ſed liberè conſentiens fit. Sed iſte ſenſus non intendebatur à Pelagianis, ut ibì dicebat S. Auguſtinus. Et eodem modo aït Molina *diſp. 45.* c quòd ſi Deus omninò excitat, illa excitatio non eſt actus deliberatus, nec eſt in poteſtate liberi arbitrij, nec homo habet laudem & induſtriam. Undè ut illam habeat, ponit quòd voluntas ante gratiæ receptionem debet habere libertatem & laudem. Ex quo infert quòd aliquandò Deus vocat eos qui reſiſtunt, & pertinaciter contradicunt, id eſt, reluctantes; quià, videlicet, tunc ſuâ libertate non conſentiunt, ſicut ſuâ libertate malum anteà operabantur. Et quidem S. Thomas in duodecim locis referens Pelagianorum errorem, ſemper illum refert ſub his terminis: Pelagiani ponebant quòd homo incipiebat, & Deus perficiebat, & conſummabat. Quod conſultò fecit, quià hoc fuit fundamentum erroris, ex quo ſequebatur, quòd illud inceptum humanum, eſſet meritum gratiæ. Ideò autem dicebant Pelagiani debere hominem incipere, ut ei laus ſervaretur ante receptionem gratiæ; Molina autem in gratiâ præveniente dicit hominem incipere, & ſequi gratiam prævenientem, & ſic ſervari laudem ante gratiæ receptionem. Similiter excitato jam homine, id eſt, priùs naturâ operante, ipſa gratia excitans fit cooperans. Undè ſemper ponit hominem incipere, & Deum perficere & conſummare.

b *Tom. 10. num. 13. col. 475.*

c *Per totam pag. 182. & ſeqq.*

Finito hoc diſcurſu, iterùm Arrubal dixit: quòd Molina in illo loco citato *ex diſp. 33.* non negabat Deum eſſe cauſam quòd nos benè operemur actus morales; ſed tantùm negabat eum eſſe cauſam particularem, quià admittebat Deum concurrere univerſali concurſu.

Cui F. Thomas: univerſali concurſu concomitante & indifferente, ità ut determinetur ab actione creaturæ; quod ipſe Arrubal conceſſit. Tunc F. Thomas: ſed hoc eſt dicere, quòd Deus non facit quòd nos benè operemur.

Tunc Vaſtida: negat ibì Molina auxilium prædeterminans; aliàs etiam prædeterminaret ad malum. Tunc Sanctiſſimus: hoc eſt aliud diſtinctum.

Iterùm

Iterùm Vaſtida dixit: quomodò dicitur de Molinâ quòd tollat libertatem, cùm potiùs Patres Dominicani opponant quòd nimis illam aſſignet arbitrio?

Cui F. Thomas: utrumque concordat: ipſe enim ait, quòd quandò Deus incipit omninò, tunc lædit libertatem; ut autem illam illæſam ſervet, dicit, hominem incipere, & ante receptionem gratiæ, & poſt illam, modo jam explicato.

Iterùm ipſe Arrubal dixit: quià opponitur Molinæ quòd dicat, poſt gratiam excitantem conſentire, provenit ab ipſo libero arbitrio, audiant jam, qui hoc opponunt Molinæ, S. Auguſtinum *Lib. de Spirit. & Litt.* a dicentem, *quod ſuaſionibus agitur &c. conſentire autem, & non conſentire, in noſtrâ eſt voluntate.*

a *Tom.* 10. *cap.* 34. *n.* 60. *col.* 120.

Cui F. Thomas: notiſſimus eſt locus iſte. Legat totum caput uſque ad finem. Et legit. Et ibi dicebat S. Auguſtinus: *Si autem quæratur, quare aliquibus ità ſuadeatur, ut perſuadeatur; nihil aliud dico, niſi,* b *ò altitudo divitiarum! &c.* Tunc F. Thomas: vide reſolutionem S. Auguſtini. Vide perſuaſionem efficacem contrà ſolam excitationem & ſuaſionem.

b *Rom.* 11. 33.

Cui Vaſtida ait: aliud eſt quòd, ut perſuadeatur, remittit S. Auguſtinus ad ſecreta Dei judicia; non autem per hoc docet efficaciam auxilij prævenientis.

Poſt hæc F. Thomas, aperto codice Molinæ, dixit: iſti Patres poſtularunt locum, ubi Molina expreſsè affirmaret Deum non applicare voluntatem ad agendum. Ecce ubi id expreſsè affirmat. Et legens *in diſp.* 39. *in Edit. Antuerp.* §. *deindè eſto* c, ubi expreſsè negat Deum priùs movere & applicare voluntatem ad agendum.

c *Pag.* 161. *col.* 1.

Tunc Arrubal: nos & Molina ſolùm negamus Deum applicare priùs voluntatem, non autem quòd illam applicet.

Tunc Generalis S. Dominici ſimul ac ipſe F. Thomas dixerunt: hoc non eſt applicare ad agendum, niſi priùs natura applicet. Et ſic, facto ſigno à Sanctiſſimo, finita fuit Congregatio longiſſima, quæ per ſex horas integras duraverat. Aliqua alia minutiora facta in hâc Congregatione non apponuntur.

CONGREGATIO
DECIMA QUARTA CORAM CLEMENTE VIII.

Hæc Congregatio coram Sanctiſſimo habita eſt die 27. Januarij 1603. In eâ defuerunt Cardinalis S. Cæciliæ, Epiſcopus Nardocenſis & Magiſter Coronel. Arrubal & Vaſtida pro Molinâ decertarunt.

In quâ Molinæ cum Caſſiano concordia eſt diſcuſſa circà Perſeverantiæ donum; videlicèt, nùm uterque ſolam habitualem gratiam, & auxilium ſufficiens ad id requirat. Hìc obiter actum de Scientiâ-mediâ.

Vide Hiſt. Congr. de Auxil. l. 3. *cap.* 19. *col.* 453. *& ſeqq.*

PROPOSITIO de quâ agebatur erat Nona ex ſuprà-poſitis à principio, quæ ſic habet: *Quòd ad donum perſeverantiæ nihil aliud requiratur, quàm gratia habitualis, & auxilium ſufficiens.* Circà quam ſic incepit proponere P. Arrubal ſub correctione Sanctiſſimi. Hanc propoſitionem, quidquid ſit de Caſſiano, non eſſe ſententiam Molinæ, ſed talem verè eſſe damnabilem contendit. Quod ut probaret, ſupponebat primò, ex S. Auguſtino & receptâ

receptâ ſententiâ, duplex eſſe adjutorium; alterum quo homo poteſt perſeverare, id eſt, ſufficiens ad perſeverandum: alterum verò quo de facto perſeverat. Secundò ſupponebat adjutorium cum quo homo poteſt perſeverare, reſpicere ipſum actum hominis, ut poſſibilem, non verò ut futurum: adjutorium verò quo homo perſeverat de facto, reſpicere ipſum hominis bonum ut futurum. Tertiò ſupponebat hoc donum quod facit homines perſeverare, non eſſe de ſe efficax, & ex naturâ ſuâ intrinſecâ, vel ex ratione ſuæ propriæ entitatis, quià aliàs illa efficacia & ipſe bonus uſus hominis eſſet inſeparabiliter illi conjunctus, ità quòd aliter non poſſet evenire; ſicut color eſt inſeparabilis ab albedine: undè eſſet prædeterminans hominis voluntatem, nec libertatem ſalvaret. Idem enìm eſſe dicebat de ſe efficax, & prædeterminans. Sed auxilium illud eſt efficax, quià prævidit Deus hominem conſenſurum, & infallibiliter perſeveraturum. Et circà explicandam illam præſcientiam, quâ Deus prævidebat, quòd ſi daret tale auxilium, homo perſeveraret, multa dixit. De iſtâ, inquam, præſcientiâ mediâ, & ejus neceſſitate, & quòd Deus indigebat illâ ad ordinandum prudenter res in finem; ſicut quilibet prudens tali ſcientiâ indiget. Immò dicebat, quòd etiam in contrariâ ſententiâ tenebantur fateri, quòd Deus, antequàm daret auxilium de ſe efficax, & prout venit à Deo, cognoſcat propriam naturam illius auxilij efficacis. Deindè aſſerebat, hoc auxilium ſub tali præſcientiâ, quià ſemper inferebat effectum, non eſſe tantùm ſufficiens, ſed efficax: & quòd Molina hoc auxilium efficax conſtituebat ad perſeverandum. Et ad hoc ponderabat tria vel quatuor Molinæ loca. Præterea dicebat, quaſi reſpondens objectioni, non debere dari vitio Molinæ, quòd affirmaret diviſionem auxilij in efficax & ſufficiens ſumi ab effectu. Nam conſuetum erat apud Metaphyſicos, cùm loquuntur de diſtinctione potentiarum & habituum, illa diſtinguere per actus in ordine ad objecta, qui actus ſunt effectus ipſorum habituum. Sic ergò dividens Molina auxilium ſufficiens & efficax, non malè loquebatur, præcipuè, quià in eodem loco, ubì dicebat auxilium efficax ſumi ab effectu, aſſerebat quòd non eſſet prior naturâ conſenſus ipſe, quàm illud auxilium efficax; nec hoc unquàm poſſe oſtendi in Molinâ, affirmabat. Immò ipſe Molina ibì dicebat diviſionem auxilij ſumi ab effectu, qui, ſcilicet, à libertate arbitrij pendet. Et legebat aliqua Molinæ loca, in quibus dicebat efficaciam non provenire ab arbitrio, nec arbitrium dare aliquam vim ſive efficaciam auxilio; ſed quòd auxilium ex Deo ipſo habebat efficaciam: quià Deus prævidendo quòd cum hoc auxilio iſte perſeverabit, volens illi dare tale auxilium, voluit ſimiliter quòd per illud auxilium perſeveraret. Et hoc eſt donum Dei & beneficium ipſius, quià aliis non dedit hoc donum, quos videbat perſeveraturos, ſi eis illud dediſſet. Undè tandem deveniens ad duo loca quæ citabantur ex Molinâ, in quibus illi opponebatur, quòd ſentiret, tantùm eſſe neceſſariam ad perſeverandum gratiam habitualem, & auxilium ſufficiens, legit primum locum *ex diſp. 14. memb. 3. §. Quartò:* a & dicebat Molinam ibì non aſſerere, ſufficere ad perſeverandum auxilium ſufficiens, ſed illud efficax, quo Deus prævidebat illum ſemper perſeveraturum. Deveniens verò ad ſecundum locum qui opponebatur, videlicet, *ex q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. ult. §. ſecundum eſt* b, affirmabat non aſſerere Molinam ſufficere ad perſeverandum auxilium ſufficiens. Quod oſtendebat deſcendendo in particulari per omnes partes illius contextûs. Nam prima propoſitio erat; auxilium perſeverantiæ eſſe donum Dei. Quæ propoſitio de fide erat. Secunda propoſitio erat; quòd nulli Deus negat auxilium, quod ad perſeverandum ſit ſatis. Quæ etiam eſt certa in Conciliis quæ dicunt, quòd

a *Pag. 49. col. 1.*

b *Pag. 387. col. 2.*

quòd Deus neminem deſerit, niſi priùs deſeratur ab eo. Hoc autem auxilium, quod ad perſeverandum ſit ſatìs, eſt auxilium ſufficiens ad perſeverandum. Et Molina in hâc propoſitione tantùm dicit, quòd Deus illud nemini negat; non tamen dicit, quòd illud ſolum ſufficit ad perſeverandum. Tertia propoſitio erat; quòd cum auxilio, cum quo unus uſque in finem vitæ perſeverat, poſſit ſi velit non perſeverare. Quam propoſitionem dicebat pertinere ad fidem, & eſſe doctrinam omnium Sanctorum; quià aliàs ſi non poſſet non perſeverare, non liberè perſeveraſſet. Quarta propoſitio erat; quòd cum auxilio, cum quo unus non perſeverat, poteſt alius perſeverare. Quam ſimiliter ob eandem rationem dicebat eſſe certam & indubitatam. Quinta propoſitio erat; quòd ad donum perſeverantiæ duo requiruntur: unum ex parte Dei, videlicèt, ut illa auxilia conferre ſtatuerit, cum quibus prævidebat adultum pro ſuâ libertate perſeveraturum: alterum ex parte arbitrij, tanquàm conditio ſine quâ voluntas conferendi talia auxilia, non habuiſſet rationem voluntatis conferendi donum perſeverantiæ, nempè ut adultus pro ſuâ libertate ità ſit cum eis cooperaturus, ut perſeveret. Sexta propoſitio Molinæ eſt; quòd non eſt ità intelligendum donum perſeverantiæ eſſe à Deo, quaſi per illud poteſtatem auferat ad non perſeverandum, aut quaſi per Deum ſtet quominùs is perſeveret, qui in peccatum labitur. Undè concludebat, quòd Molina admittat non ſolùm auxilium ſufficiens ad perſeverandum, quod, videlicèt, tantùm reſpicit conſenſum poſſibilem; ſed etiam auxilium efficax, quod ſemper habet conjunctum ipſum actum perſeverandi: & tantùm negat Molina auxilium de ſe efficax, & prædeterminans voluntatem ad perſeverandum; hoc enìm putat tollere libertatem.

Immò affirmabat P. Arrubal, quòd nullus ex antiquis oſtendetur Doctor, qui affirmet auxilium perſeverantiæ eſſe de ſe, & ratione propriæ entitatis, efficax. Immò Doctores, & Sancti planè docent, illud auxilium eſſe efficax ex præſcientiâ futuri conſenſûs; cum quo tamen homo, ſi vult, poteſt conjungere contrarium diſſenſum, & illud reddere inefficax; ut aït Molina. Itaque dicebat illam præſcientiam conditionalium eſſe neceſſariam, ut illud auxilium ſit efficax, ſive vocetur ſcientia-media, ſive non, quià de nomine non curabat; & tota doctrina Molinæ fundabatur in illâ præſcientiâ, quâ Deus videt, quòd homo ſi tali auxilio præveniretur conſentiret. Et ad hoc præcipuè adducebat locum S. Chryſoſtomi *Homil. 4. ad pop.*; ubì dicit, quòd Deus vocat trahendo volentes; non autem cogendo. 2°. Quòd Deus trahit hominem porrigentem manum. 3°. Quòd poteſt homo reddere auxilia efficacia vel inefficacia; ſicut Molina dicit. Et adduxit ſimiliter Stapletonem referentem verba Calvini reprehendentis in hoc S. Chryſoſtomum: ex quo deducebat, quòd qui reprehendunt Molinam, qui dicit eadem verba quæ Chryſoſtomus, conveniunt cum Calvino, qui aſſerebat gratiam debere poni, non ſicut antiquitùs traditum eſt & receptum, ut poſteà noſtræ relinquatur electioni, ſed ponendam eſſe efficacem. Præter Calvinum ergò aſſerebat ſe non invenire alios, qui gratiam de ſe efficacem conſtituerent. Adducebat etiam alios tres vel quatuor authores ad probandum, quòd nos poſſumus reddere efficacia vel inefficacia auxilia divina. Et inter eos potiſſimè adducebat S. Thomam *1. p. q. 19. art. 8.*, ubì affirmabat quòd Deus pro effectibus neceſſariis applicabat cauſas neceſſarias & indefectibiles; pro effectibus autem contingentibus applicabat cauſas ſecundas contingentes & defectibiles: ſed potiſſima cauſa eſt illud auxilium; tale eſt defectibile, & deficere poteſt; non ergò eſt de ſe efficax. Hæc & alia ità intricatè & confuſè proponebat per duas horas, ut vix eſſent humanæ vires ad illa reſumenda. Poſtquàm autem finivit,

Digitized by Google

F. Thomas ex more omnia ad pedes Sanctiſſimi conſtituens, brevitati ſtudens, (nàm & Sanctiſſimus à principio præceperat omnia breviter proponi, poſt cujus præceptum Arrubal duas conſumpſerat horas,) nè ipſi ſimilis exiſteret, maximam brevitatem procuravit ipſe F. Thomas, tractans magìs ſubſtantialia; quare ſic incepit: Jam, Pater Beatiſſime, PP. Societatis omnia quæ contrà efficaciam gratiæ divinæ habent, ſatìs diffusè protulerunt, loquentes de efficaciâ doni perſeverantiæ, quæ eſt efficacia quædam uſque ad finem vitæ continuata. Et conſultò omiſerunt Caſſianum, quià videbant quidquid ex eo legerent, ipſam ſententiam Molinæ ſe lecturos. Dixerunt itaque 1°. Molinam non aſſerere ad perſeverandum non ſufficere gratiam habitualem & auxilium ſufficiens; immò damnabilem dixerunt ſimilem propoſitionem. Ut autem conſtet quomodò Molina ex parte Dei nihìl aliud requirat, niſi auxilium ſufficiens ad perſeverandum, omiſſis, brevitatis causâ, locis adductis, ubì id dicit expreſsè; id manifeſtè conſtat ex S. Hilario *Epiſt. ad Auguſt.* a, ubì referens S. Doctori quàm ægrè ferrent Semipelagiani (quorum caput extitit Caſſianus) doctrinam ejuſdem S. Auguſtini, diſtinguentis aliud auxilium gratiæ dans poſſe perſeverare, & aliud faciens perſeverare, & quo homines de facto perſeverantes ſunt, ſic dicit: *Deindè moleſtè ferunt, ità dividi gratiam, quæ vel tunc primo homini data eſt, vel nunc omnibus datur, ut ille acceperit perſeverantiam, non quâ fieret, ut perſeveraret, ſed ſine quâ per liberum arbitrium perſeverare non poſſet: nunc verò Sanctis in regnum per gratiam prædeſtinatis, non tale adjutorium perſeverantiæ detur, ſed tale ut eis perſeverantia ipſa donetur; non ſolùm ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verùm etiam ut per hoc donum nonniſi perſeverantes ſint. His verbis Sanctitatis tuæ ità moventur, ut dicant quamdam deſperationem hominibus exhiberi. Si enìm, aiunt, ità Adam adjutus eſt, ut & ſtare poſſet in juſtitiâ, & à juſtitiâ declinare; & nunc ità Sancti juvantur, ut declinare non poſſint, (ſi quidem eam acceperunt volendi perſeverantiam, ut aliud velle non poſſint) vel ſic quidam deſeruntur, ut aut nec accedant, aut ſi acceſſerint, & recedant; ad illam voluntatem pertinuiſſe dicunt exhortationis vel comminationis utilitatem, quæ & perſiſtendi & deſiſtendi obtinebat liberam poteſtatem: non ad hanc, cui nolle juſtitiam inevitabili neceſſitate conjunctum eſt.*

a Nunc 226 inter Auguſt. num. 6. col. 827. tom. 2.

Quem locum ibì legens F. Thomas, ſic dixit: conſtat apertè ſatìs Caſſianum & alios Semipelagianos ſolùm negaſſe auxilium efficax, quo homo perſeverabat, & quo perſeverans fiebat; quià hoc putabant tollere libertatem. Admittebant autem eſſe aliud auxilium dans poſſe perſeverare, & omne aliud ſufficiens ad perſeverandum; quià hoc, ut aïebant, libertatem non impediebat. Cùm ergò Molina ſolùm neget auxilium perſeverantiæ, quo homo efficaciter perſeverans fiat, & propter eandem fundamentalem rationem, quià, videlicèt, tollit libertatem, convincitur, quòd tantùm admittat auxilium ſufficiens ad perſeverandum, quod homo ex ſuâ libertate facit efficax, ut palàm dicit Molina.

Secundò dixerunt PP. Societatis, duplex eſſe adjutorium: aliud quo homo poteſt perſeverare; aliud verò quo de facto perſeverat. Et explicantes tertiò quid ſit auxilium quo homo poteſt perſeverare, dixerunt illud eſſe auxilium ſufficiens. Et declarantes quomodò ſit ſufficiens, dixerunt, ideò eſſe ſufficiens, & dare poſſe, quià reſpicit actum & bonum conſenſum liberi arbitrij ut poſſibilem tantùm. In quo jam admittunt auxilium ſufficiens dare poſſe, nec per illud ſolum, hominem operari. Quomodò ergò nobis imponunt, quòd negemus auxilium ſufficiens, ex eo quòd dicimus auxilium ſufficiens dare tantùm poſſe operari, non tamen hominem per illud ſolum de facto operari? Ecce ipſi modò veritate ipsâ convicti, jam fatentur

Digitized by Google

tentur auxilium ſufficiens reſpicere tantùm conſenſum hominis ut poſſibilem, non autem ut futurum, ità quòd homo per illud ſolum de facto non operabitur, licèt poſſit operari.

Prætereà dixerunt PP. Societatis, admittere Molinam auxilium efficax ad perſeverandum; & explicando in quo conſiſtat illius efficacia, affirmant, quòd ideò eſt efficax, quià Deus prævidit cum illo hominem benè operaturum. Et in iſtâ præſcientiâ conditionalium affirmant conſiſtere totam concordiam Molinæ. Et quamvìs modò non liceat ex profeſſo oſtendere hujus ſcientiæ impoſſibilitatem, & qualiter omnium magnarum falſitatum eſt origo & fundamentum, & quomodò eſt azylum in quod refugerunt ſemper Semipelagiani, pro detrahendâ efficaciâ divinæ gratiæ, ipſam malè in libero arbitrio conſtituendo: tamen ad præſens iſta ſcientia conſtituitur à Molinâ, ità quòd ante decretum divinæ voluntatis, per illam Deus præſciat, quòd liberum arbitrium, ſi in iſto vel in illo ordine rerum collocaretur, ex ſe & non ex Deo movente, acturum ſit. Undè aït Molina, ut etiam modo iſti Patres protulerunt, quòd prævidens Deus ante decretum ſuæ voluntatis, quòd ſi daret huic hoc vel illud auxilium de ſe ſufficiens ad perſeverandum, ipſe homo ex ſuâ libertate benè utetur illo & perſeverabit: ità quòd non perſeveret ex vi & efficaciâ auxilij dantis efficaciſſimas vires ad perſeverandum, ſed ex ſeipſo. Undè conſtat, qualiter ex parte auxilij, prout provenit à Deo, eſt tantùm ſufficiens, & fit efficax, quià homo benè illo utitur ex ſeipſo; ità quòd actualitas perſeverantiæ eſt ex homine; potentia verò ſufficiens ad perſeverandum ex Deo tantùm eſt: & quià melior eſt actualitas, ſive actus ſecundus, quàm actus primus; indè colligit S. Auguſtinus, quòd qui ſic antiquitùs philoſophabantur, melius quid tribuebant homini quàm Deo. Itaque videt Deus per illam conditionatam ſive mediam præſcientiam, quòd Deus dat poſſe & ſufficiens auxilium, homo verò ex ſe dat ipſum actualiter operari. Videt quòd auxilium, prout provenit à Deo, non dat bonum uſum arbitrij, ſed quòd homo ex ſe dat ipſum bonum arbitrij uſum. Videt Deus per illam præſcientiam, quòd divina gratia non ſubdat ſibi liberum arbitrium, ſed è contrà; quòd liberum arbitrium ſubdat ſibi gratiam ipſam. Videt Deus per illam præſcientiam, id quod homo ex ſe facturus eſt, non autem id quod Deus eſt facturus, ut ipſe homo faciat. Videt Deus per illam ſcientiam mediam auxilia divina ex modo motionis divinæ eſſe indeterminata & indifferentia ad operandum, & quòd homo ex ſuâ libertate illa determinat, & facit efficacia eſſe. Et tandem videt Deus illâ præſcientiâ, quòd homo incipiat, & Deus ut famulus ſubſequatur; & quòd efficacia perſeverantiæ eſt in arbitrio, & non in Deo. Nam illa media præſcientia eſt purè ſpeculativa, non verò practica & cauſa rerum. Undè videt efficaciam in objecto, & in bono uſu liberi arbitrij, qui auxilium, ex parte Dei ſufficiens, facit efficax; quod expreſsè concedit Molina. Ipſe enim Molina, qui conſtituit efficax auxilium perſeverantiæ per iſtam præſcientiam, explicat quomodò ſit efficax, vel à quo provenit ejus efficacia; dicens *in diſp. 40.* [a] quòd à libero arbitrio provenit, & quòd liberum arbitriū pro ſuâ libertate facit illud efficax.

[a] *§. Hinc quintò pag. 166. col. 1.*

Nec obſtat, quòd P. modò dixit; quòd Molina *in illâ diſp. 40.* aſſerebat, quòd ſimul pendet ab arbitrij libertate. Nam in hoc ſolùm dicit, quòd bonus uſus arbitrij, qui reddit efficax auxilium, ſimul pendet ab arbitrij libertate; quià, videlicet, ſimul tempore eſt, & auxilium illud, & arbitrij bonus uſus, licèt in prioritate naturæ præcedat ille bonus uſus, illius auxilij efficaciam, quam facit. Quià autem PP. Societatis propoſitionem eſſe erroneam vel damnabilem aſſeruerunt: quòd bonus uſus in aliquo priori antecedat efficaciam auxilij; videant

 jàm

Digitized by Google

a Pag. 172. col. 1. jam quàm apertis verbis affirmetur à Molinâ *diſp. 41. §. dixi toties* [a], ubì legendo oſtendit Molinam dicere auxilium gratiæ cooperantis, in quo eſt efficacia, eſſe *poſterius naturâ*, quàm influxus liberi arbitrij; quià, videlicet, ille influxus reddit illud auxilium efficax.

Quod autem dixerunt PP. Societatis, nihil malè locutum fuiſſe dividendo auxilium ſufficiens & efficax ab effectu, ſicut habitus per actus, qui ſunt effectus, diſtinguuntur à Metaphyſicis. Præter dicta, quomodò non vident, quòd in hoc ipſo ſe condemnant? Sententia eſt enim omnium Philoſophorum & Theologorum, quòd habitus, ſive potentia ſpecificatur per actus, ſicut actus per objecta; quià verò ſpecificans prius naturâ & ratione debet eſſe, quàm ſpecificatum, utì eſt evidentiſſimum; ideò dicunt actum ſpecificantem conſiderari dupliciter; uno modo, ut effectus eſt, & ſic eſt poſterior habitu, nec illum ſpecificare, vel diſtinguere poteſt; alio modo conſideratur in ratione finis, & ſic ſpecificat habitum: quâ ratione conſideratur ut prius naturâ ipſo. Præterea non advertunt Molinam non conſtituere bonum uſum arbitrij effectum gratiæ prævenientis, ſed cauſam, vel rationem, ut illa efficax ſit. Quod claris verbis in ſuâ Concordiâ affirmat, ut aſſiſtentes omnes ſciunt.

Similiter quod adducunt ex Molinâ, quòd ipſe Molina in aliis locis ſuæ Concordiæ expreſsè dicit; hominem ſuo bono uſu non dare vim & virtutem, ſive efficaciam auxilio, non contradicit his, quæ ſæpiùs repetit, nempè hominem reddere auxilium efficax & eſſe auxilium efficax ab effectu. Nam ſolùm intendit, quòd homo non dat vim & virtutem auxilio in genere cauſæ efficientis; nec enim erat tàm ſtultus Molina, ut diceret hominem ut cauſam efficientem dare vim & virtutem auxiliis gratiæ; ſed tantùm dicit, quòd reddit ſuâ cooperatione auxiliũ efficax, vel diſpoſitivè, vel meritoriè.

Eſt exemplum Theologicum ad hoc accommodatiſſimum. Dicunt Theologi, quòd habitus infuſus, ſicut à Deo ſolo efficienter producitur, ità à Deo ſolo efficienter augetur; at verò homine operante intenſiùs, ità, videlicet, ut habens habitum charitatis ut quatuor, operetur ut octo; tunc Deus eſt qui efficienter auget habitum charitatis ad octo. Sed homo illo actu intenſiori ſe diſponit, ut Deus augeat efficienter habitum, & ſimiliter meretur ut Deus illum augeat. Ità dicit Molina, quòd poſito ex parte Dei auxilio ſufficiente ad perſeverandum, ipſe homo ex ſe benè utens illo, diſponit ſe, & meretur, ut Deus cum illo cooperetur, & efficaciam tribuat efficienter illi auxilio, ſed poſtquàm homo operatur, ut ex ſuprà-dictis locis cõſtat.

Inſuper P. Arrubal pervenit ad propoſitionem Molinæ, & illam diviſit in ſex vel ſeptem partes. Breviter dicam id in quo eſt maxima æquivocatio, quæ propoſitiones Catholicas reddit hæreticas, & è converſo. Propoſitio Molinæ eſt: cum quo auxilio unus perſeverat, poteſt non perſeverare, & cum quo auxilio non perſeverat, poteſt perſeverare. Iſta propoſitio: cum quo auxilio perſeverat, poteſt non perſeverare, facit duplicem ſenſum, Catholicum alterum, alterum contrà Catholicam veritatem procedentem. Catholicus ſenſus eſt: homo cum quo auxilio perſeverat, poteſt non perſeverare, id eſt, potentiam liberam habet ad non perſeverandum, quià auxilium illud efficax perſeverantiæ non tollit mutabilitatem, & liberam potentiam voluntatis: & ſic procedunt, & intelliguntur SS. Patres, & Concilia quæ definiunt hominem cum auxilio perſeverantiæ efficaci, cum quo de facto perſeverat, poſſe non perſeverare, id eſt, habere potentiam liberam ad non perſeverandum, licèt non habeat illam conjunctam cum actu non perſeverandi, quià hoc facit gratia, ut cùm poſſit non perſeverare, de facto perſeveret. Alius ſenſus contrà veritatem fidei, ut putamus, eſt: homo cum quo auxilio perſeverat, poteſt non perſeverare, id eſt, poſſibi-

le

Digitized by Google

le eſt quòd cum quo auxilio perſeverat, non perſeveret. Vel fieri poteſt, ut cum quo auxilio de facto perſeverat, non perſeveret. Vel habet potentiam conjunctam cum actu non perſeverandi. Vel habet potentiam, ut, ſcilicèt, habeat donum perſeverantiæ, & non perſeveret. Vel habet potentiam ut conjungat ſimul cum dono perſeverantiæ non perſeverare ipſum. Et in hoc ſenſu dicebant Semipelagiani, habentem donum perſeverantiæ, poſſe non perſeverare, & poſſe illud contumaciter amitti. Et in hoc eodem ſenſu accepit ſanctus Auguſtinus verbum *poteſt*, quandò contrà ipſos dixit: *L. de dono perſev. cap. 6.* a quòd *donum perſeverantiæ non poteſt contumaciter amitti*, id eſt, non eſt poſſibile ut contumaciter amittatur. Dicit enìm; *Quomodò poteſt contumaciter amitti, per quod fit ut non amittatur?* Et in hoc eodem ſenſu loquitur Concilium Tridentinum *ſeſſ. 6. can. 22.* cùm dicit: *non poſſe hominem perſeverare ſine ſpeciali auxilio perſeverantiæ*, id eſt, non eſſe poſſibile; quòd perſeveret homo ſine ſpeciali dono perſeverantiæ. Et utrumque iſtum ſenſum facere verbum *poteſt* in prædictis propoſitionibus, eſt ſententia expreſſa S. Auguſtini, S. Thomæ, & Magiſtri ſententiarum. S. Auguſtinus *L. de corrept. & grat. cap. 9.* b loquens de prædeſtinatis, aït: quòd *qui prædeſtinati ſunt filij Dei, perire non poſſunt*, id eſt, non ſtat ſimul, nec ſtare poteſt, quòd filij Dei ſint prædeſtinati, & pereant. Sic explicat hanc propoſitionem S. Thomas, *1. p. q. 23. art. 6.* ubi dicit: impoſſibile eſſe quòd quis ſit prædeſtinatus, & damnetur, licèt potentiam habeat ex ſe ut damnetur. Nam prædeſtinatio non tollit potentiam liberam, & intrinſecam hominis, quâ damnari poteſt. Idem dicit *1. 2. q. 10. art. 4.* cùm aït: *Si Deus movet voluntatem ad aliquid, impoſſibile eſt poni ut non moveatur.* Et, *2. 2. q. 24. art. 11.*, aït: *quòd ex parte Spiritûs S. moventis animam ad diligendum Deum, charitas impeccabilitatem habet ex virtute Spiritûs S., quæ infallibiliter operatur quodcunque voluerit. Undè impoſſibile eſt hæc duo eſſe vera, quòd Spiritus S. velit aliquem movere ad actum charitatis, & quòd ipſe charitatem amittat peccando.* Et *q. 23. de verit. art. 5. ad 3.* dicit: *quamvis non eſſe effectus non poſſit ſimul ſtare cum divinâ voluntate, tamen potentia deficiendi effectum, ſimul ſtat cum divinâ voluntate. Non enim ſunt iſta incompoſſibilia: Deus vult iſtum ſalvare, &, iſte damnari poteſt. Sed iſta ſunt incompoſſibilia: Deus vult iſtum ſalvari, &, iſte damnatur.* Itaque impoſſibile eſt ſimùl ſtare iſta duo: iſte habet donum perſeverantiæ, &, nòn perſeverat.

a Tom. 10. num. 10. col. 826.

b Tom. 10. num. 23. col. 763.

Dixerunt etiam Patres Societatis, auxilia non eſſe de ſe efficacia, ſicut albedo eſt de ſe color. Ad quod dicendum: auxilia quibus Deus operatur & velle, ex vi motionis divinæ, & pròut veniunt à Deo ut inſtrumenta divinæ voluntatis volentis efficaciter hominem converti, eſſe efficacia antecedenter ad humanam converſionem, & independèter ab illâ, ipſâ efficaciter cauſare, quià voluntati Dei, in cujus virtute operantur illa auxilia, nullus reſiſtit.

Præatereà adduxerunt PP. Societatis S. Chryſoſtomum; S. Thomam, & alios pro ſententiâ Molinæ. Sanctus autem Chryſoſtomus ibì expreſſè dicit, Deum non trahere omnes cogendo, ſed volentes; quod veriſſimum eſt. Illud autem quod dicit, in quo Patres Societatis faciunt inſtantiam, quòd, videlicet, poſſumus inefficacia reddere divina auxilia; non eſt ſenſus quòd auxilium perſeverantiæ, vel quodcunque aliud efficax ex vi divinæ virtutis & motionis, arbitrium reddat inefficax: ſed quod S. Doctor affirmat hoc eſt, quòd quandò Deus incipit per auxilium ſufficiens movere hominem ad bonum, ſi ipſe homo non reſiſteret illi, Deus, qui incipit, daret fortius auxilium efficax, & perficeret. Undè quià homo reſiſtit ſufficienti, reddit illud inefficax ex culpâ ſuâ, & ſe impedit ne ulteriùs auxilium efficax recipiat. Et iſta eſt intelligentia S. Chryſoſtomi.

Ad S. Thomam: mirum eſt certè, quòd

Digitized by Google

quòd in illo loco citetur S. Doctor, cùm ibì ex profeſſo damnet ſententiam Molinæ, & conſtituat auxilium efficax ex vi motionis divinæ, & pròut venit à Deo antecedenter, & independenter ab humani arbitrij cooperatione. Nàm ibì dicit contingentiam (& idem eſt de libertate) provenire ſicut à primâ radice ab efficaciâ divinæ voluntatis. Et *in ſolut. ad 1.* adducit ex S. Auguſtino, quòd ſi Deus vult aliquid, neceſſe eſt ipſum eſſe, neceſſitate conditionatâ. Et *in ſolut. ad 3.* reſpondet ad fundamentum horum principiorum. Facit enìm ibì argumentum, quòd neceſſitas ex priori proveniens, id eſt, neceſſitas antecedens humani arbitrij libertatem, tollit libertatem, & eſt neceſſitas abſoluta; ſed divina voluntas eſt prior humanâ voluntate; ergò infert neceſſitatem abſolutam tollentem libertatem. Et reſpondet: quòd poſteriora habent neceſſitatem ex prioribus ſecundùm modum priorum; & quià divina voluntas vult humanam voluntatem habere neceſſitatem conditionatam, & non abſolutam, talem tantummodò habet. Hæc eſt ſolutio & ſententia S. Thomæ. In corpore autem articuli, qui eſt locus citatus in contrarium, nihil contrarium dicit, ſed tantùm affirmat, quòd pro effectibus neceſſariis Deus applicat cauſas ſecundas indefectibiles, quæ, videlicet, deficere non poſſunt; pro effectibus autem contingentibus applicat cauſas contingentes, quæ ex intrinſecâ ſuâ naturâ poſſunt deficere: ſed tamen in hoc facit divina motio, ut cùm poſſint deficere, defacto non deficiant. Undè S. Thomas ſæpiùs docet, quòd licèt cauſæ ſecundæ ſint defectibiles, & deficere poſſint, tamen ex virtute Dei applicantur immutabiliter propter efficaciam moventis; ut ex locis S. Thomæ modò inductis fit manifeſtum. Nec iſta applicatio ſe tenens ex parte Dei, eſt cauſa ſecunda, ut iſti Patres putant; ſed applicatio cauſæ ſecundæ: nec illa applicatio eſt defectibilis, vel poteſt deficere, ut opinantur.

Ultimò adduxit Stapletonem referentem Calvinum, qui dicebat: non debere poni gratiam ſicut antiquitùs ponebatur, ut, videlicet, electioni poſteà detur locus, quâ poſſit acceptare, vel refragari; ſed debere conſtitui efficacem de ſe. Cujus Calvini ſententia fuit damnare antiquam ſententiam SS. Patrum, qui ità affirmabant divinam gratiam de ſe eſſe efficacem, & independenter à libero arbitrio, ut tamen libertatem & electionem non auferret: ſed verè illam cauſare, & verè manere hominem cum potentiâ liberâ ad diſſentiendum; ut definit Concilium Tridentinum. Hanc gratiam efficacem negat Calvinus, affirmans quòd ità debet poni de ſe efficax, ut libertatem auferat voluntatis. Undè ſententia Calvini fuit, iſtam conſequentiam & illationem eſſe evidentem, datur gratia antecedens ex vi divinæ motionis efficax; ergò tollitur libertas arbitrij. Et in hoc eodem principio ſteterunt eodem prorsùs modo Pelagiani, dicentes: gratiam antecedentem efficacem tollere libertatem. Cùm ergò utrique convenirent in hoc principio, quòd gratia efficax præveniens, & libertas arbitrij non ſimùl ſtant, Pelagiani elegerunt libertatem, & negarunt antecedentem efficacem Dei motionem; ſicut facit Molina. Calvinus autem ex illis duobus elegit efficaciam gratiæ, ut negaret libertatem. Videamus ergò qui conveniant cum Calvino. Ipſe dicit eſſe bonam conſequentiam: datur efficacia gratiæ; ergò tollitur libertas. Molina dicit quòd ſi ponatur efficacia gratiæ, tollitur libertas; ergò cum illo convenit approbando illius conſequẽtiam & illationem. Nos autem dicimus cum S. Auguſtino, optimè ſtare ſimul efficaciam gratiæ divinæ prævenientis cum libertate, & illam efficaciam gratiæ cauſare ipſam actualem libertatem, & bonum uſum liberum. Certè nullum talem Patronum ſuæ doctrinæ habet Calvinus, quàm ſit hæc nova doctrina Molinæ. Et tunc finivit F. Thomas.

Cui dixit unus ex adſtantibus: ad illud

illud, *de permovere*. Dixerat enim P. Arrubal: quòd Molina admittebat permovere Deum, quod ſignificabat movere uſquè in finem, quod, ut aïebat, magìs quid eſt, quàm *præmovere*. Cui F. Thomas dixit: Molinam dicere Deum *permovere*, non ex vi motionis ſuæ & divini auxilij, ſed *permovere* uſque in finem, quià dat auxilia, quibus præſcit hominem pro ſuâ libertate benè uſurum, & perſeveraturum uſque in finem. Hoc autem reipsâ non eſt Deũ *permovere*, ſed quòd videat hominem ſeipſum *præmovere* uſque in finem.

Tunc iterùm P. Arrubal dixit, ut crediderim, tria. 1ᵐ. Eſt S. Thomam in illo loco affirmaſſe illam applicationem eſſe cauſam ſecundam, & ex conſequenti debere eſſe defectibilem, & poſſe deficere; quià dicebat, quòd illa motio erat quid creatum, & ex conſequenti cauſa ſecunda. 2°. dixit, ſcientiam illam conditionalium, ſive mediam, non eſſe ſpeculativam, ſed practicam, & directivam ad operationem, quâ indigebat quilibet prudens, ne imprudenter in ſuis actibus procederet: quià ſi neſciebat, quòd poſito hoc ſequatur aliud, quod eſt ſcientiæ mediæ officium, non poterat ità ordinare res in finem, ut finem conſequantur. Et in hoc inſiſtebat. 3°. dixit: illum locum adductum ex Molinâ, *ex diſp. 41.*, non eſſe intelligendum, quòd gratia ut cooperans poſterior ſit naturâ, quàm influxus liberi arbitrij; quià, ut etiam modò Pater Thomas dixit, non potuit dicere Molina quòd gratia cooperans ſit poſterior tempore influxu liberi arbitrij; ſed ipſe Molina utrumque dicit, & quòd ſit poſterior tempore & naturâ; ergò non refert hoc ad conſenſum liberi arbitrij, ſed ad ipſam gratiam prævenientem, poſtquàm aliquandò tempore, aliquandò naturâ poſterior eſt gratia ut cooperans.

Cui F. Thomas: perlege ulteriùs litteram, & apparebit Molinam expreſſis verbis dicere, quòd comparatione influxûs arbitrij ſit poſterior ille concurſus gratiæ cooperantis. Quem locum cùm legeret, vidit apertè Molinam, illam poſterioritatem naturæ referre ad concurſum liberi arbitrij: & repentè ſic legens turbatus eſt. Sed ſtatim iterùm dixit: quòd cùm Molina diceret, quòd etiam erat poſterior tempore, non poterat id comparari cum concurſu liberi arbitrij.

Cui F. Thomas: quandò littera eſt manifeſta & clara, ut quid utimur argumentis? Et procedens ipſe F. Thomas legit iterùm locum, & alium *ex diſp. 40.*, in quâ clariùs loquebatur ipſe Molina; & dixit Molinam conſequenter loqui; & id quod dixerat, *in diſp. 40.* modò id expreſſiùs declarat.

Tunc dicebat P. Arrubal, vel Vaſtida: ipſe Molina ibì dicit, quòd ille influxus gratiæ cooperantis nec tempore nec naturâ antecedit influxum liberi arbitrij.

Quibus F. Thomas: cùm Molina dicat, quòd ille influxus gratiæ cooperantis ſequatur poſteriùs naturâ influxum liberi arbitrij, quomodò poteſt dicere, quòd antecedat illum? Immò hoc eſt quod dicit, quòd ſequatur ad influxum arbitrij, & quòd non antecedat illum.

Tunc iterùm illi dixerunt: dicit Molina quòd ille influxus gratiæ cooperantis, & influxus liberi arbitrij ſimùl ponuntur in rerum naturâ; ergò ſunt ſimùl naturâ, ſecundùm Molinam.

Quibus F. Thomas: non dicit Molina, quòd illi duo influxus ſint ſimul naturâ; ſed quòd ſimul ponantur in rerum naturâ, id eſt, quòd ſimul in inſtanti eodem temporis fiunt, & ponuntur in rerum naturâ, licèt gratia cooperans poſterior naturâ ſit influxu liberi arbitrij. Et iſta eſt ſententia Molinæ, quæ eſt ipſa fundamentalis ſententia Pelagianorum: quòd, videlicèt, quià ego operor, Deus mecum cooperatur: ut ſemper refert ſanctus Auguſtinus; quòd, videlicet, homo incipit, & Deus adjuvat.

Ad illud autem de Scientiâ mediâ: ipſi PP. Societatis admittunt, id quod certiſſimum eſt, illam præſcientiam eſſe, non practicam, ſed ſpeculativam.

Cui

Cui Arrubal: hoc negamus. Cui F. Thomas: hoc eſt manifeſtum ex iis quæ dixiſti. Nam videt Deus per illam, quod liberum arbitrium factum eſt, ſi ſic & ſic ponatur; & hoc videt ante actum divinæ voluntatis, quæ eſt cauſa prima practica & operativa. Et quod dicunt Jeſuitæ quòd dirigit ad operationem: non eſt ità, ſed ſpeculativè conſiderat operationem. Poſſumus enim ſpeculari naturam artificij; quæ cognitio, non practica, ſed ſpeculativa eſt, ut eſt notiſſimum.

Tunc iterùm Arrubal: ſine iſtâ præſcientiâ conditionalium, non poteſt prudens ordinare media in finem; immò tenentes contrariam ſententiam hoc ipſum debent fateri de auxilio efficaci, quòd, videlicèt, ſcit Deus, quòd ſi illud dederit homini, ipſe convertetur. Undè hoc ſcit per ſcientiam mediam.

Cui F. Thomas: etiam in hoc primo, *Latet anguis in herbâ*. Licèt enim homo indigeat hujuſmodi conſiderationibus & conditionibus ad ordinandum res in finem, quià aliàs cæco modo procederet; quià non habet in ſuâ poteſtate quòd ſic vel ſic eventus rerum eveniat; Tamen Deus, qui ſcit quòd omnia quæcunque vult, poteſt facere, & qui ſcit quòd voluntati ejus nullus reſiſtit, non indiget his imperfectis conſiderationibus; ſed tantùm ex eo quòd vult efficaciter aliquid fieri, ipſum fiet, & divinus intellectus ordinabit media ut fiat. Similiter Deus cognoſcit quidem quòd ſi ponatur auxilium efficax, convertitur homo; quià ſcit quòd voluntas ſua efficax, in cujus virtute operatur, ſemper impletur. At verò hoc non cognoſcit per Scientiam-mediam, ſed per ſcientiam naturalem & ſimplicis intelligentiæ, quâ ſeipſum comprehendit, & omnia poſſibilia & neceſſaria objecta cognoſcit. Sicut enim per illam cognoſcit, quòd ſi homo fiet, erit rationalis; ità cognoſcit, quòd ſi ponat auxilium efficax convertet hominem; quià illa eſt ratio propria auxilij efficacis. Nec enim in Deo reperitur niſi duplex ſcientia ſecundùm omnes Theologos: ſcientia, videlicèt, ſimplicis intelligentiæ, & viſionis.

Tunc neſcio ad quod propoſitum dixerunt PP. Societatis: quòd Molina conſtituebat auxilium efficax, per quod Deus convertebat.

Cui F. Thomas: converti debet ex vi auxilij, non ex vi præſcientiæ.

Tunc Sanctiſſimus dixit P. Arrubal: *iſta præſcientia eſt quâ Deus dona ſua præſcivit, & quià vidit quòd ipſe facturus eſt, ut homo faceret, non quâ videt quid homo ex ſe facturus eſt.*

Arrubal autem nihil ferè habuit quod reſponderet: Sed dicebat, illud auxilium ad perſeverandum eſſe donum Dei, & quòd ità dicebat Molina.

Tunc dixit Frater Thomas: quòd Molina ponebat auxilium generale ad perſeverandum.

Tunc Vaſtida dixit: quòd non ponebat niſi particulare & ſpeciale; ut ipſe Molina ſæpiùs dicebat.

Cui F. Thomas: verum eſt Molinam aliquandò dicere illud eſſe ſpeciale auxilium; ſed tamen legatur attentè, & apparebit, quòd vocat ſpeciale, ut diſtinguitur contrà concurſum generalem ordinis naturalis. At verò non admittit eſſe ſpeciale in ordine gratiæ, ſed affirmat quòd eſt ſufficiens, & ſimiliter datur omnibus qui ſunt in gratiâ, ſive perſeverent, ſive non perſeverent. At verò Concilium Tridentinum *Seſſ. 6. can. 22.* requirit ad perſeverandum ſpeciale auxilium perſeverantiæ, quod Deus dat prædeſtinatis & electis, & illis qui de facto perſeverant, quià per ipſum perſeverantes fiunt; quod Molina non admittit, qui dicit: perſeverare certò ex præſcientiâ, non ex vi auxilij. Circà quod notandus eſt inſignis quidam locus S. Thomæ *q. 6. de veritate art. 3.* ubì expendens omnes cavillationes in hâc materiâ, dicit: *quòd qui ponunt totam certitudinem prædeſtinationis ex parte præſcientiæ futuri eventûs, non autem ex parte ordinis,*

ponunt

Digitized by Google

ponunt hominem ſeipſum per ſe diſcernere ab alio ; & quòd datur cauſa prædeſtinationis ex parte prædeſtinati ; & quòd prædeſtinatio non eſt ſecundùm gratuitam Dei voluntatem , quod eſt contrà Scripturam Sacram , & Sanctos. Hæc S. Thomas. Modò Molina quinquiès aut ſexiès dicit, totam certitudinem prædeſtinationis ex parte præſcientiæ conditionatæ eſſe, ſicut ex primâ radice; ità quòd, illâ deficiente, nulla eſſet certitudo in effectibus prædeſtinationis: ergò contrà illum concludit S. Thomas, quòd omnia iſta tria convenientia admittat. Et quidem 1^m^., quod eſt cauſa aliorum, ipſe Molina expreſsè admittit *diſp. 41.*, ubì concedit expreſsè , quòd ex bono uſu, quatenùs præcisè procedit ex libero arbitrio, ſe diſcernit aliquo modo ab alio.

Tunc Arrubal explicans illum locum S. Thomæ, neſcio quâ explicatione, in confirmationem ſuæ explicationis adduxit locum S. Auguſtini *ex Lib. de dono perſev. cap. 14.* [a], *ex quo*, inquit, *apparet habere quoſdam in ipſo ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, ſi congruo ſuis mentibus, vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant: & tamen ſi Dei altiore judicio, à perditionis maſsâ non ſunt gratiæ prædeſtinatione diſcreti, nec ipſa eis adhibentur vel dicta divina vel facta, per quæ poſſent credere, ſi audirent utiquè talia, vel viderent.* In quo dicebat, ut ipſe explicabat, quòd Tyrij & Sidonij cùm auxiliis ſufficientibus convertentur ad fidem.

[a] Tom. 10. n. 35. col. 840.

Quem locum explicans F. Thomas dixit: ibì loqui S. Auguſtinum in litterâ de miraculis, & Paſſione extrinſecâ Chriſti Domini, quibus dicebat illos homines Tyrios & Sydonios moveri objectivè, non effectivè ad fidem. Ad hoc autem ut de facto convertantur, & veniant ad fidem, requirit efficax auxilium Dei ipſos convertentis ad fidem. Quod in toto contextu contrà Pelagianos docuerat. Sacra enìm Scriptura dicit: [b] *compelle eos intrare*, ad ſignificandam efficaciam divinæ gratiæ convertentis homines ad fidem. Et Concilium Tridentinum vocat hanc motionem, *impulſum*. Et Paulus: [c] *qui filij Dei ſunt, ſpiritu Dei aguntur.* Et S. Auguſtinus hoc explicans, dicit: *aguntur enìm, ut agant, non ut ipſi nihil agant.* Hæc autem omnia non ſonant, aut ſonare poſſunt excitationem, ſive ſuaſionem, ſed efficaciam gratiæ trahentis, & ſubdentis ſibi arbitrium liberum. Et ſic finita eſt Congregatio.

[b] Luc. 14. 24.

[c] Rom. 8. 14.

CONGREGATIO DECIMA QUINTA CORAM CLEMENTE VIII.

Hæc Congregatio habita eſt coram Sanctiſſimo die 17. Februarij 1603. adſtiterunt omnes Cardinales Sacri Officij. Ex Conſultoribus autem defuit Pater Rada.

In quâ de Molinæ cum Caſſiano concordiâ actum eſt. 1°. circà liberi conatus arbitrij ad ſalutem neceſſarios ante gratiæ receptionem. 2°. An homini conanti ex naturalibus viribus, ità detur gratia, ut illi conatus nec ſint meritorij, nec ſemper neceſſarij.

Vide Hiſt. Congreg. de Auxil. l. 3. cap. 20. col. 457. & ſeqq.

a *Suprà col.* 8.

IN hâc Congregatione examinata fuit Decima propoſitio in ordine ex ſuprà relatis a, ſimul cum Undecimâ. Decima autem ſic habet: *Quòd omnia quæ ab eo dicuntur de conatu liberi arbitrij, reducantur ad actus neceſſarios ad juſtificationem.* Circà quam ſic incepit, præcipiente Sanctiſſimo, proponere P. Arrubal.

Sub correctione Sanctiſſimi, noſtrum reſponſum eſt, Molinam in hâc propoſitione cum Caſſiano non convenire. Quod ut oſtenderet, dicebat: ſe meliùs id facere non poſſe, quàm aperiendo doctrinam Caſſiani, & doctrinam Molinæ. Caſſianus enim omnia quæ de illis conatibus affirmabat, reducebat ad actus neceſſarios ad juſtificationem; utì conſtat de pœnitentiâ David elicitâ naturæ viribus, & de fide Centurionis, & de fide Latronis naturali, quæ omnia ordinabat ad gratiam ut merita ipſius, licèt non ut meritum æquivalens. Quod potiſſimè probabat ex illo: *nullius enim valoris eſſet ac meriti &c.* Itaque Caſſianus in illis naturæ conatibus agnoſcebat vigorem aliquem reſpectu gratiæ.

At verò Molina nullum vigorem, meritum, nec valorem conſtituebat in illis naturæ operibus antecedentibus gratiam. Undè non illa ordinabat ad gratiam, nec quæ de illis dicebat, ad actus neceſſarios ad juſtificationem reducebantur. Quod autem ità ſit in Molinâ, conſtat ex ipſis locis adductis contrà ipſum ex ſuâ Concordiâ.

Ius. Locus adducebatur *ex diſp. 9. §. quòd hâc.* b *Etenim*, aït, *quamvìs Deus illam gratiam non conferat propter ea quæ antecedunt, ſed merè gratis, nihilominùs, niſi illa antecedant, conferre eam non ſolet.* Cujus loci intelligentiam dicebat Arrubal eſſe iſtam: quòd, videlicet, Molina ibì non loquatur de conatibus antecedentibus ipſam gratiam prævenientem, ſed de quibuſdam ſpeciebus, phantaſmatibus, apprehenſionibus, quæ Deus præſupponit, ut gratiam prævenientem conferat, ſicut ſupponit uſum rationis in adultis ad gratiam dandam. Et quòd iſta ſit intelligentia Molinæ, ex hoc conſtare dicebat, quòd ipſe dicat, quòd Deus ſæpè omninò prævenit, & gratiam tribuit, etiamſi illa non antecedant. Id autem quod ſæpè fit, regulariter fit; & ex conſequenti non ſentit Molina, quòd regulariter Deus non det prævenientem gratiam, niſi antecedant illi conatus; nec de illis conatibus loquitur. Secundò id conſtat, ut dicebat, quià *in diſp. 10.* c Molina affirmat, Deum ſemper dare gratiam, etiam maximo peccatori, quâ ipſe poſſit converti: ſi ergò maximo peccatori, qui illos bonos conatus non habet, dicit Molina quòd Deus ſemper dat

b *Pag. 30. col. 2.*

c *§. hâc ergò pag. 33. col. 1.*

dat ſufficientem gratiam, non ſentit quòd illam non dat, niſi illi conatus antecedant. Undè ex illo loco non colligitur, quòd iſti conatus reducantur à Molinâ, ut neceſſarij ad juſtificationem.

IIus. Locus Molinæ qui adducitur contrà ipſum, eſt *ex diſp. 12. §. ex dictis. ℣. adde*, a ubì ſic habetur: *Adde etiam quòd, quamvis omninò nullum meritum antecedat auxilium gratiæ prævenientis, attamen quòd peccator aptus reddatur, ut juxtà leges à Deo conſtitutas, illud recipiat, multùm pendet à libero arbitrio ejus, qui illud eſt recepturus, & à conatu Eccleſiæ.* Quem locum ſic intelligebat: quòd ibì non loquebatur de illis conatibus antecedentibus gratiam, ſed de conatibus Eccleſiæ & miniſtris illius, à quibus pendet quòd homines recipiant gratiam prævenientem.

a *Pag. 37. col. 2.*

IIIus. Locus adducebatur *ex diſp. 10.* ſed iſte in ultimum locum magìs explicandus relinquebatur. Undè pro 3°. explicabat illum locum *ex q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 11. §. illud.* b Ibì Molina dicit: quòd *propter opera moraliter bona, facta ab exiſtente in mortali, conſuevit Deus citiùs opitulari uni quàm alteri.* In quo loco affirmabat Molinam non loqui de operibus moralibus factis ex ſolâ facultate naturæ; ſed de operibus moralibus factis ex auxilio divinæ gratiæ. Et hanc eſſe Molinæ intentionem aſſerebat conſtare ex tribus. 1°. quià ipſe Molina *in diſputatione 37.* c planè affirmabat gratiam prævenientem non dari propter illum uſum merè naturalem; ſed merè gratìs: ergò cùm poſteà *in quæſtione 23.* in loco citato, aït Deum conſueviſſe illam dare propter bona opera moralia, facta ab exiſtente in mortali, non loquitur de operibus moralibus, ſolis naturæ viribus factis, ſed productis ab auxilio gratiæ. 2°. Quià Molina in iſto loco adducto in contrarium, planè dicit: illa opera moraliter bona, facta ab exiſtente in mortali, ſolere vocari remotas diſpoſitiones ad gratiam: ſed ipſe Molina expreſsè *diſp. 6.* d aſſerit conatus merè naturales non eſſe remotas diſpoſitiones ad gratiam; ergò non loquitur in iſto loco de operibus merè naturalibus, cùm aït ſolere vocari diſpoſitiones remotas ad gratiam; ſed loquitur de operibus moralibus factis ab exiſtente in mortali ex auxilio prævenientis gratiæ. 3°. Ipſe Molina *eâdem quæſt. 23. memb. ſequenti, ſcilicet 12. addito in 2ª edit.* e expreſsè dicit, ſe non aſſerere dari gratiam propter conatum liberi arbitrij, ſicut propter diſpoſitionem vel congruam, ſicut à quibuſdam intelligebatur. Cùm ergò Molina hoc expreſsè affirmet, non poteſt ei hoc aliquâ ratione attribui, nec ex iſto loco, ad quem ipſe reſpondet, poterit hoc aliquo modo colligi.

b *Pag. 372. col. 2.*

c *Pag. 150. col. 1.*

d *§. libertà. pag. 29. col. 1.*

e *Pag. 373. & ſeqq.*

IVus. Locus eſt ille, de quo poteſt eſſe major difficultas, ut dicebat Arrubal, videlicet, *ex diſp. 10.* f ubì dicit: *quòd quoties homo facit quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus, Deus dat prævenientem gratiam.* Sed ex iſto loco nullo modo colligitur, quòd illi conatus antecedentes reducantur ad ipſam gratiam, ſive ad actus neceſſarios ad juſtificationem. Quod ut oſtenderet, dicebat 1°., & legebat aliqua Molinæ teſtimonia, quæ ſine dubio ſunt plurima, ubì aït, illos conatus non eſſe merita gratiæ, nec habere vigorem, valorem, aut commenſurationem cùm gratiâ: ſed dari gratiam merè gratìs. 2°. Dicebat illam dari ex meritis Chriſti. 3°. Si aliquis inſiſtebat in illâ certâ lege quam Molina conſtituit; nec ex hoc infertur illos conatus reduci ad actus neceſſarios ad juſtificationem: quià iſta lex nihil eſt aliud quàm voluntas Dei, quâ decrevit dare omnibus gratiam ſufficientem ad ſalutem, non propter illos conatus, ſed merè gratìs: ità quòd illa lex non fundabatur in aliquo merito illius hominis ſic conantis.

f *§. illud etiam pag. 31. col. 2.*

Et ad manifeſtandum hoc, adducebat aliqua exempla. Sicut eſt certa lex, ut ſi applicetur Baptiſmus huic parvulo, detur gratia; & tamen non

infertur,

Digitized by Google

infertur, quòd gratia ſit debita illi homini, ſed merè gratìs datur. Itèm eſt lex, ut qui accedit ad Sacramentum imprimens caracterem, recipiat illum caracterem; & tamen non debetur caracter homini ſic accedenti, ſed merè gratìs illi datur. Ità eſt lex in Eccleſiâ, ut aſſiſtat Spiritus Sanctus veſtræ Sanctitati ſe applicanti ad definiendum res fidei; & tamen illa aſſiſtentia Spiritûs Sancti non eſt debita. Sic licèt ſit certa lex de dandâ gratiâ homini facienti quod in ſe eſt ex naturæ viribus; non tamen licet indè deducere, quòd illa gratia ſit debita illis conatibus, vel quòd gratìs illis non detur. Quià illi conatus antecedentes omnem gratiam prævenientem non ſunt pij, nec procedunt ex fide, undè non dicunt ordinem ad ſalutem. Quià ſolùm illi conatus, qui ſunt pij, & procedunt ex fide, dicunt ordinem ad ſalutem, & ſunt neceſſarij ad juſtificationem. Quæ eſt ſententia S. Auguſtini *Lib. 4. contrà Julian. cap. 8.* a ubì dicit: quòd ſine fide non ſunt verè bona. Et *epiſt. 105. ad Sixtum* b, dicit: quòd in fide incipit eſſe bonum quod ad ſalutem pertinet. Et *Lib. de prædeſt. Sanctorum*, hoc ſæpiùs dicit. Immò Concilium Tridentinum *Seſſ. 6. cap. 8.* de juſtificatione dicit: ideò dici ex fide hominem juſtificari, quià fides eſt initium, fundamentum & radix juſtificationis. Undè abſque fide dicebat nihil poſſe pertinere ad ſalutem.

a *Tom. 10. num. 51. col. 609.*

b *Nunc 194 num. 9. col. 718. tom. 2.*

Adducebat etiam S. Leonem Papam in Sermone quodam, ubì diſtinguebat duplex bonum opus; alterum morale, habens bonitatem moralem, non autem pertinens ad ſalutem: alterum verò pertinens ad ſalutem, quod proindè procedebat ex fide; quià ſine fide non placebant Deo illa opera, in ordine, videlicet, ad ſalutem. Sic ergò concludebat: quòd cùm Molina loquatur de illis conatibus naturalibus ante fidem, ſentit illos nec pertinere, nec reduci ad ſalutem.

Immò addebat: quòd S. Thomas *q. 14. de verit. art. 11.* dicebat: quòd ſi homo nutritus in ſylvis ductum rationis ſequatur in appetitu boni & fugâ mali, certiſſimè eſt tenendum, quòd Deus illum illuminabit. Et *ſolut. ad 2.* aït: quòd ſi fecerimus quod in nobis eſt, ut, ſcilicèt, ductum rationis ſequamur, Deus nos illuminabit &c. Undè inferebat eſſe ſententiam S. Thomæ: quòd facienti quod in ſe eſt ex naturæ viribus Deus det gratiam; petebatque P. Arrubal ut PP. Dominicani cum illis convenirent in hoc, ut viderentur Doctores qui intelligunt S. Thomam, & ſe eſſe paratos ad oſtendendum plures ità intelligere ſententiam S. Thomæ. Et hoc ſemel atque iterùm replicabat, ut fieret conventio iſta inter utroſque. Simulque adducebat Canum & Medinam, qui idem omninò dicebant: quòd, videlicèt, facienti quod in ſe eſt ex naturæ viribus, Deus tribuit gratiam. Et tandem concludebat argumento, ſuo judicio, efficaciſſimo, in hunc modum: Quandò homo ante fidem facit quod in ſe eſt, vel operibus naturæ, vel auxilio gratiæ, Deus dat illi fidem; & tamen illud opus non eſt initium ſalutis, nec ad illam pertinet; ergò conatus naturalis facientis quod in ſe eſt, ad ſalutem non pertinet ſecundùm Molinam. Minorem probabat; quià fides, ut Concilium Tridentinum docet ubì ſuprà, eſt initium ſalutis; ergò ante illam non eſt initium ſalutis. Et his dictis finivit.

Mox F. Thomas ad Sanctiſſimi pedes omnia ex more conſtituens quæ diceret, ſic incepit: Relinquo, Beatiſſime Pater, quæ parata habebam, ut ad excuſationes prætenſas ſæpiùs, ſæpiùſque repetitas, quibus PP. Societatis excuſant Molinam, & quibus, ut crediderim, ſæpiùs eſt manifeſtatum non excuſari, iterùm dicam; quià ut S. Proſper *epiſt. ad S. Auguſt.* c aït: *Neceſſarium & utile eſt, etiam quæ ſcripta ſunt, ſcribere, ne benè exiſtimetur, quod non frequenter arguitur.* Dicit Molina *diſp. 10.* quòd facienti quod in ſe eſt ex naturæ viribus, Deus certâ lege dat gratiam prævenientem,

c *Nunc 225. inter Aug. num. 9. col. 825. tom. 2.*

Digitized by Google

tem ; ergò ſentit illos conatus præcedere , & gratiam ſubſequi ; ergò ſentit conatus illos eſſe neceſſarios ad juſtificationem & gratiam. Nec enim aliâ ratione Pelagiani & Semipelagiani convicti ſunt , conſtituiſſe illos conatus reduci ad gratiam, niſi quià dicebant , illos præcedere , & gratiam ſubſequi : ut teſtis eſt S. Auguſtinus *epiſt.107. ad Vitalem* : a *Recognoſcis me , ut puto , in iis , quæ nos ſcire dixi , non omnia quæ ad fidem Catholicam pertinent, commemorare voluiſſe ; ſed ea tantùm , quæ ad iſtam , quæ inter nos agitur, de divinâ gratiâ quæſtionem : utrùm præcedat hæc gratia , an ſubſequatur hominis voluntatem ?*

a *Nunc 217 n. 17. col. 805. tom. 2.*

Igitur tota quæſtio erat , quòd Pelagiani conatus bonæ voluntatis præcedere, & gratiam ſubſequi dicebant , & ex hoc SS. Patres convincebant illos pertinere ad ſalutem. Nec valet reſpondere conatus illos eſſe imperfectos , non commenſuratos cum gratiâ, nec habentes valorem aut vigorem. Nam hæc excuſatio in terminis expugnata eſt à S.P. Auguſtino *L.2. contrà duas epiſt. Pelagg. c. 8.* b Ibi enim referens S. Doctor quoſdam aſſerere incipere ab homine imperfectam boni cupiditatem, & quià imperfecta , nec erat meritum gratiæ, nec ad illam pertinebat. Contrà quos aït ſanctus Auguſtinus : *verùm & ſic gratiam Dei dicunt ſecundùm merita noſtra dari* ; id eſt, quantumvìs dicant eſſe imperfectos, & non habere commenſurationem cum gratiâ ; tamen & ſic dicunt gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari. Et reddit rationem, dicens ; *ſi enim ſine gratiâ per nos incipit cupiditas boni, ipſum cœptum erit meritum &c.* Videant ergò PP. Societatis, ſi Molina dicit, quòd per nos incipit imperfecta cupiditas boni illis bonis conatibus naturalibus , & vel jam inferant ; ergò *illud cœptum erit meritum.*

b *Tom. 10. num. 18. col. 443.*

Itèm *eâd. diſp.* c Molina dicit : ideò Deum dare ex certâ lege gratiam prævenientem facienti quod in ſe eſt conatibus illis, *ut hâc ratione, dùm ſumus in viâ , ſemper in manu liberi arbitrij noſtri ſit poſita ſalus noſtra.* Quomodò ergò non dicunt ordinem ad ſalutem, conatus qui ſalutem ponunt in manibus noſtris ?

c *Diſp. 10. §. illud pag. 32. col. 2.*

Tertiò , eâdem *diſp.* d dicit : *eatenùs facta eſt poteſtas ut filij Dei ſint, quatenùs , ſi ipſi conentur, Deus dabit illis fidem & gratiam quâ ratione in poteſtate eorum eſt ut filij Dei fiant* ; ergò reducit illos conatus ad gratiam : ſi quidem poſitis illis , immò quià ratione ponuntur , ponetur ſimul in homine fides, ponetur gratia , ponetur deniquè poteſtas ut ſit filius Dei.

d *Diſp. 10. §. illud etiàm p. 32. col. 1.*

Prætereà quartò præmiſerat Molina *in diſp. 9.* e *quòd niſi conatus illi præcedant* (nàm illum loqui ibì de conatibus ſtatim manifeſtabo) *non ſolet Deus dare prævenientem gratiam* ; non ſolet, inquam, ſecundùm communem curſum ſuæ providentiæ, ut alibì aït : ergò ut detur gratia, ſaltem ſecundùm communem curſum providentiæ, neceſſe eſt quòd illi conatus præcedant.

e *§. Quod hâc ♰. etenim pag. 30 col. 2.*

Prætereà *in diſp. 11.* f aït : quòd quandò alicui prædicatur exteriùs Evangelium , antequàm ipſe interiùs moveatur à Deo , ſi ipſe ſuis viribus expenderet quæ ipſi opponuntur, evitabit per hoc infidelitatis peccatum ; ergò ille conatus ad gratiam pertinet, quià peccatum infidelitatis, quod eſt contrà ordinem gratiæ, non expellitur niſi per aliquid quod reducatur ad gratiam.

f *Pag. 36.*

Prætereà Sextò *in diſp.12.* g aït Molina : hominem his conatibus *reddi aptum, ut ſecundùm communes leges à Deo ſtatutas, recipiat gratiam* : id autem per quod homo redditur aptus ad recipiendam gratiam, ad ipſam neceſſariò reducitur. Et *in diſp. 9.* h præmiſerat , illos conatus reddere hominem aptum, ut *diſpoſitiones* ad gratiam : quod eſt notandum ; licèt neget eſſe diſpoſitiones quæ habent vim, valorem, & commenſurationem cum gratiâ. Et *diſpoſitiones* vocat etiam illos conatus *diſp. 45.* i Et, *q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 11. §. illud* : k ſentit ergò dicere ordinem ad

g *§. Ex dictis. ♰. adde etiàm pag. 37. col. 2.*

h *Pag. 30.*

i *§. Ex his patet. pag. 184. col. 2.*

k *Pag. 372. col. 2.*

Digitized by Google

ad gratiam; quià principium Phyſicum eſt ſatis tutum, quod Molina ignorare non potuit : quòd diſpoſitiones reducuntur ad formam ad quam diſponunt.

Prætereà Septimò aït Molina *in diſp.* a §. Quod ad primũ. pag. 179. col. 2. *44.* a *: motus gratiæ prævenientis eſſe aliquandò debiles propter modicam præparationem & conatum noſtrum* : ubì menſurat gratiam & ejus quantitatem per naturam ; ſentit ergò illos naturales conatus reduci ad gratiam. Itèm dicit : poſſe hominem naturæ viribus mori pro Deo authore naturæ, & ſervandâ ejus lege naturali : ubì ponit initium Martyrij in naturâ ; manifeſtum eſt igitur illum ſentire illos conatus pertinere ad ſalutem & gratiam.

Omitto quod Molina dicit, vocationem internam ad fidem multùm pendere à conatibus illis. Omitto quòd affirmat Deum ſe illis conatibus inceptis ab homine inſerere. Omitto quòd aït Deum elevare eundem naturalem conatum ad ordinem & ſtatum ſupernaturalem. Immò graviùs loquitur Molina quàm Caſſianus. Quià Caſſianus non dicit Deum ex certâ lege dare gratiam illis conatibus ; nec dicit quòd per illos ponitur ſalus in manibus noſtris ; nec dicit conatum illum elevandum ad ordinem ſupernatutalem : ſed tantùm aït : quòd cùm Deus videt ad bonum velle deflectere, occurrit & dirigit.

Prætereà ultimò Molina *q. 23. art.* b §. Sit nihilominùs P. 389. col. 2. *4. & 5. diſp. 2.* b Et, *q. eâd. diſp. 3.* c dicit illos conatus merè naturales eſſe c Pag. 396. effectus prædeſtinationis, vel pertinere ad prædeſtinationis effectum. Quidquid enìm, ſive unum, ſive aliud dicatur, in idem cedit : ſentit ergò illos conatus dicere ordinem ad juſtificationem & gratiam. Effectus enìm prædeſtinationis dicit ordinem ad prædeſtinationem ipſam, ſicut ad cauſam, & ordinatur in finem prædeſtinationis, & dicit ordinem ad alios effectus prædeſtinationis, inter quos numeratur. Et iſta ſit demonſtratio ad hominem, ex conceſſis procedens. Nec enìm vacat modò ex profeſſo diſputare, quantâ abſurditate dicatur conatus illos merè naturales eſſe effectus prædeſtinationis. Qui enìm excuſant Molinam ab errore Pelagianorum, per hoc quòd Molina conſtituat illos conatus eſſe prædeſtinationis effectus, non advertunt quòd per hoc, ipſum magìs accuſant, magìs faciunt cum Pelagianis convenire. Quod ſic breviter modò oſtenditur. Conatus naturales antecedentes omnem gratiã prævenientem, ſunt effectus prædeſtinationis ; ergò ordo prædeſtinationis & gratiæ incipit in illis conatibus, & in naturâ, qui eſt Pelagianorum error. 2°. Illi conatus antecedentes ſunt effectus prædeſtinationis ; ergo vel pertinent ad ſubſequentes effectus prædeſtinationis, vel ad primum omnium. Non ad ſubſequentes, ut eſt manifeſtum ; ergo pertinent ad primum ; ergo in illis conatibus incipit exordium juſtificationis ; quià exordium juſtificationis incipit in primo effectu prædeſtinationis. Hoc autem eſt Pelagianum, & contrà Concilium Tridentinum *Seſſ. 6. cap. 5.* ubì dicitur : quòd exordium juſtificationis ſit à Deo per Jeſum Chriſtum gratiâ præveniente. Prætereà 3°. ſi illi conatus ſunt effectus prædeſtinationis, quarè ergo timent Defenſores Molinæ concedere alios effectus dari propter illos conatus, quià ſecundus effectus prædeſtinationis poteſt dari, & ſæpiùs datur propter primum. 4°. Effectus prædeſtinationis provenit à Deo authore gratiæ, & in finem ſupernaturalem ordinatur : ſed Molina *diſp. 33.* d dicit : illos conatus d §. Septimum. pag. 338. col. 2. naturales ſolùm procedere à Deo authore naturæ, & in Deum authorem naturæ referri. Nec modò diſputo, quomodò nec in ſententiâ illius procedunt à Deo authore naturæ ; ſed admiſſo hoc gratìs, ſentit Molina apertè effectum prædeſtinationis ſolùm procedere à Deo authore naturæ ; ergo ſentit quòd in naturâ, & non in gratiâ incipit prædeſtinatio.

Inſuper Molina *q. 23. art. 4. & 5. diſp. 2.* e Et, *eâd. q. diſp. 3.* f dicit iſtos eſſe e §. Sit nihilominùs pag. 388. col. 2. effectus prædeſtinationis ; & *in illâ diſp. 2.* dicit illos non eſſe ex meritis Chriſti ; quid ergo aliud ſentit, niſi quòd f Pag. 399. effectus

effectus prædeſtinationis non habetur ex meritis Chriſti, ſed ex naturalibus? Abſit hoc; quià Chriſtus Dominus fuit cauſa meritoria totius noſtræ prædeſtinationis, & totius effectûs illius, nec aliquis effectus prædeſtinationis poteſt haberi ſine meritis Chriſti. Quià ergo omnia iſta dicit, manifeſtè concedit effectum prædeſtinationis in naturâ incipere, & non in gratiâ; quod proculdubio eſt Pelagianum.

Modò reſtat reſpondere cuidam fundamento, in quo innituntur falſiſſimè tenentes illam ſententiam. Dicunt enim quòd S. Thomas, & Apoſtolus aliqua naturalia agnoſcunt effectus prædeſtinationis; ſecundùm illud: a *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Omnia, inquam, etiam naturalia, ſecundùm illud: b *ſive manducatis, ſive bibitis, ſive quid aliud faciatis, omnia in gloriam Dei facite.* Undè & manducatio hominis juſti relata à charitate in Deum, ſive formaliter, ſive virtualiter, eſt meritoria gloriæ, ſive augmenti illius; & ex conſequenti eſt effectus prædeſtinationis: poterit ergo ſimiliter eſſe effectus prædeſtinationis conatus merè naturalis.

a *Rom. 8. 28.*

b *1. Cor. 10 31.*

Ad hoc dicendum: ſecundùm Apoſtolum & Catholicam doctrinam eſſe verè effectus prædeſtinationis ſecundos; nam effectus primarij prædeſtinationis debent eſſe quid ſpirituale in ſubſtantiâ. At verò illa naturalia quæ ſunt effectus prædeſtinationis producuntur à Deo authore gratiæ, & habentur ex Chriſti Domini meritis, & ad illa movet Deus auxilio ſpeciali gratiæ, & in finem ſupernaturalem ordinantur; ut de manducatione hominis juſti docet Apoſtolus, quæ relata ab homine in gloriam Dei, eſt meritoria, & effectus prædeſtinationis. Quâ etiam ratione dicit S. Thomas, quòd aliquandò Deus movet hominem infidelem & peccatorem ſpeciali auxilio ad opera pietatis, quæ proindè poſſunt pertinere ad effectus prædeſtinationis. Cæterùm quòd opus merè naturale, nec productum ab authore gratiæ, nec habitum ex meritis Chriſti, nec effectum ex peculiari auxilio gratiæ, ſit effectus prædeſtinationis, ut Molina dicit, nihil eſt aliud quàm aſſerere prædeſtinationem incipere in naturâ, & non in gratiâ. Qui manifeſtè eſt Pelagianorum error.

Modò reſtat dicere ad objecta. Dixit 1°. Pater Reverendus in illo loco *diſp. 9. ℣. etenim* c, non loqui Molinam de iſtis conatibus; jam aliàs oſtendi qualiter apertè de iſtis conatibus loquatur; quià loquitur de cogitationibus, quibus homo vult expendere quæ proponuntur &c. Littera eſt clariſſima, & quandò Littera eſt aperta, non oportet uti conſequentiis ad intelligentiam ipſius, benè autem quandò eſt dubia. 2ª. autem Ratio ob quam ſibi perſuadent, eſt, quià dicit alibì Molina ſæpè Deum juſtificare ſine illis conatibus. Ad hoc dicendũ ipſum Molinam ſe concordaſſe; quod & modò PP. Societatis dixerunt: inquit enim Molina, quòd ſecundùm communem curſum Deus non juſtificat ſine illis præcedentibus conatibus; licèt ſæpè præter illum communem curſum juſtificet. 2ª. Ratio fuit: quòd Molina dicebat *diſp. 10.* ſemper Deum maximis peccatoribus dare auxilia ſufficientia; ergò non ſentit non dari ſine illis conatibus. Ad quod Reſpondetur Molinam ibì dicere Deum dare gratiam prævenientem maximis peccatoribus, ſi ipſi fecerint quod in ſe eſt.

c *§. Quod hîc pag. 36 col. 2.*

Tunc Vaſtida dixit: ubì dicit hoc Molina? Cui F. Thomas legendo *in diſp. 10.* oſtendit, qualiter Molina dicebat eſſe incredibile & indignum divinâ miſericordiâ, quòd ſtatuerit non dare gratiam nec maximis peccatoribus, quidquid ipſi facerent naturæ viribus. Eccè ubì clarè hoc dicit Molina. Cui Vaſtida: non dicit, ſi fecerint quod in ſe eſt. Cui F. Thomas: dicit, quidquid ipſi fecerint naturæ viribus. Quod idem omninò eſt.

Circà 2m. locum, addidit F. Thomas: dixit Reverendus Pater, illum intelligi, quòd redditur aptus per conatum Eccleſiæ, non per illos conatus. Sed mirum eſt quòd hoc dicant, cùm in illo loco expreſsè Molina ponat iſtam

copulativam:

Digitized by Google

copulativam: *quòd multùm pendet à libero arbitrio ejus qui vocatur, & à conatu Eccleſiæ.* Quare ergò ità clarè aſſumit unam partem, & relinquit aliam?

Circà 3m. locum dixerunt, Molinam ibì non loqui de operibus moralibus factis naturæ viribus; quià *diſp. 37.* a dixerat Molina, non dari gratiam propter prævisum uſum, ſed merè gratìs. Quomodò PP. Societatis non vident, quòd etiam Caſſianus *Collat. 13. cap. 13.* nihil aliud dicit niſi quòd gratia datur merè gratìs, & merè gratuitò; & tamen convictus fuit quòd illos conatus reducat ad juſtificationem. Cùm ergò Molina idem dicat, eodem modo cum illo manet convictus, 2a. Ratio iſtorum Patrum eſt; quòd Molina in illo loco *ex q. 23.*, loquitur de operibus moralibus, quæ vocantur diſpoſitiones remotæ ad gratiam: At verò ipſe clariſſimè *diſp. 6.* dicit, opera merè naturalia non eſſe diſpoſitiones remotas ad gratiam. Ad hoc videtur dicendum 1°., id quod S. Proſper dicit Caſſiano: *Nónne Caſſianus benè incepit dicendo omnium bonarum voluntatum à Deo prodire principium; & tamen ſtatim contrarium poſuit?* Undè *cap. 33. contrà ipſum* b aït S. Proſper: *conſideratis ergò his definitionibus tuis, non eſt occultum, quantùm ab illius ſententiæ ſanitate deſciveris, in quâ, quod tribuendum erat gratiæ, fallaciter prædicando, Catholicarum tibi aurium judicia conciliare voluiſti; quibus de præmiſſæ profeſſionis fronte ſecuris, facilè ſequentia irreperent, ſi prima placuiſſent.* Sic debemus conſiderare omnes definitiones Molinæ. *In diſp. 6.* negat opera moralia eſſe diſpoſitiones ad gratiam; ſed *in diſp. 9.* quaſi ſe corrigens, affirmat illos conatus eſſe diſpoſitiones, licèt non habentes vim & meritum: ut patet *ex §. ex dictis.*

a *§. Diſputatione pag. 150. col. 1.*

b *In App. Op. S. Aug. tom. 10. nunc c. 14. n. 44. col. 188,*

Deindè in 4°. loco.... Et cùm iſta verba protuliſſet F. Thomas, dixit ei P. Arrubal: quare non reſpondet ad id quod dicit Molina *memb. 12.*? Cui F. Thomas: Molina *in memb. 12.* quod eſt longiſſimum, & ideò non lego, laborat reſpondere objectioni factæ, quâ intendebatur ipſum conſtituere rationem congruentem ex parte prædeſtinati, ob quam Deus illum prædeſtinaret; & tandem non reſpondet, nec ſatisfacit. Legatur attentè, & apparebit quomodò non ſatisfacit.

In 4°. loco de faciente quod in ſe eſt, dixerunt Jeſuitæ 1°.: Molinam non ponere meritum, valorem, vigorem, & commenſurationem ad gratiam in illis conatibus: at verò Caſſianum in illis poſuiſſe vigorem & meritum. Ad quod dicendum: hanc excuſationem traditam fuiſſe verbis tantùm à Caſſiano, ſicut & à Molinâ. Caſſianus enìm etiam negabat conatus illos reduci ad juſtificationem. Dicebat enìm, quòd *niſi opitulatione Dei fuerint excitata, ad perfectionis incrementum pervenire non poterant; quià nec qui plantat eſt aliquid, nec qui rigat &c.* Ex quo loco ſanctus Hilarius *epiſt. ad Auguſt.* c de Semipelagianis, quorum caput fuit Caſſianus, refert illos ſic dicere: *nec negari gratiam, ſi præcedere dicatur voluntas, quæ tantùm medicum quærat, ipſa autem nihil valeat omninò.* Et relictis aliis multis, hoc eſt palmarium argumentum. S. Proſper *Carm. de ingrat. cap. 38.* agens contrà Caſſianum, de illo & de cæteris Semipelagianis dicit:

c *Nunc 226 inter Aug. num. 2. col. 825. tom. 2.*

Quid prodeſt verbis commentum Pelagianum
Reſpuere, & ſolâ damnatos plectere voce?

Quid erat commentum Pelagianum, niſi illos conatus pertinere ad juſtificationem & gratiam? ergò hoc verbis reſpuebat Caſſianus; hoc ergò ſolâ voce plectebat, ſicut & Molina.

Deindè Reverendus Pater, circà legem quam conſtituit Molina, adhibet quædam exempla, quæ jam olìm in terminis allata ſunt à P. Valentiâ in Octavâ Congregatione, quibus credo me ſatisfeciſſe. Undè non oportet me iterùm reſpondere. Prætereà adjecit ſanctum Auguſtinum *L. 4. contrà*

Julian.

Digitized by Google

Julian. Et *Epiſt.* 105. *ad Sixtum*, Et *Lib. de prædeſt. Sanctorum*, dicentem: ſine fide non placere opera in ordine ad ſalutem, nec pertinere ad pietatem. Mirum eſt certè, quòd contra ſe adducant hæc PP. Societatis. Nam iſta doctrina S. Auguſtini Catholica eſt. Cæterùm de hoc damnatur Molina, quòd velit ante fidem, & ante auxilium aliquod gratiæ, conſtituere illos conatus naturales reduci ad ſalutem, quomodòcunque reducat, ſive mediatè, ſive immediatè, ſive per ſe ſive per aliud. Propoſitio enim à Sanctiſſimo propoſita, eſt fortiſſimè propoſita, & omnia iſta comprehendit; quià dicit quòd omnia reducantur ad actus neceſſarios ad juſtificationem.

Similiter adducunt Concilium Tridentinum *Seſſ.* 6. *cap.* 6. quod docet illud: juſtus ex fide vivit, eſſe intelligendum quià fides eſt initium & fundamentum ſalutis. Hæc eſt Catholica veritas. Sed de hoc damnatur Molina; quià initium ſalutis conſtituit in his conatibus merè naturalibus ante fidem.

Adducunt etiam S. Leonem aſſerentem duplicia eſſe opera: alia bona bonitate morali, & iſta ante fidem non pertinere ad ſalutem. Veritas eſt iſta quam S. Pontifex docet. At verò Molina vult ante fidem & auxilium gratiæ conatus naturales pertinere ad ſalutem.

Id autem quod adducunt ex ſancto Thomâ, jam ad P. Valentiam, qui incipit, *in hoc loco*, dictum fuit: quòd ibì S. Thomas loquatur de fide explicitâ, & ponit exemplum in Centurione. Ubì etiam docet; quòd *ſi puer in ſylvis ſequatur ductum rationis in fugâ mali & appetitu boni, Deus illum illuminabit.* Hæc conditionalis eſt vera. Sequi autem ductum rationis, eſt ſervare legem naturæ, quæ conſiſtit in rationis ductu. Millies autem S. Thomas docet, hominem non poſſe ſolis naturæ viribus ſervare legem naturæ, & ductum rationis. De aliis autem authoribus minoris notæ, non curamus.

Quòd autem dicunt PP. Societatis de conferendis authoribus, dicimus non oportere de novo videre Doctores; ſunt enim ſæpiùs viſi & reviſi. Et ad illud efficax argumentum; quod ultimo loco conſtituit R. P. dicendum: quòd ſi ante fidem homo operatur actu merè naturali ſolis naturæ viribus, Deus non dabit ei certò gratiam. Nec de hoc eſt voluntas generalis & communis Dei; ſed aliquandò dat, aliquandò non dat, prout ſibi placet, & quandò ſibi placet. Si autem ille facit opus bonum ex divino auxilio prævenientis gratiæ, quo vocatur ad fidem, tunc ante ipſam fidem eſt certum quòd eſt in homine illo initium ſalutis. Hoc enim expreſsè dicitur in Concilio Tridentino *Seſſ.* 6. *cap.* 5. his verbis: *Docet prætereà S. Synodus initium juſtificationis ſumendum eſſe à Deo per Jeſum Chriſtum prævenienте gratiâ, id eſt à vocatione, quâ vocatur ad fidem.* Cum hoc tamen verum eſt quod Concilium dicit *in cap.* 6. *ejuſd. ſeſſ.* quòd fides eſt initium & fundamentum juſtificationis; quià illa vocatio quæ eſt ante fidem, reducitur ad fidem; & ſic verum eſt quòd fides eſt initium & fundamentum juſtificationis.

Et modò recordor quòd S. Auguſtinus dicit *Lib. de prædeſt. Sanct. cap.* 14: a *Quid opus eſt, ut eorum ſcrutemur opuſcula; qui priuſquàm iſta hæreſis oriretur, non habuerunt neceſſitatem in hàc difficili ad ſolvendum quæſtione verſari? quod proculdubio facerent, ſi reſpondere talibus cogerentur.* Quandò ergò aliqui Doctores obiter & tranſeunter dicunt aliqua, non ex profeſſo rem diſputantes, non ſumitur efficax argumentum. Sic multi dicunt de faciente quod in ſe eſt obiter aliquid, quod non eſt adducendum, nec extendendum, ſed piè explicandum juxtà regulam traditam à S. Thomâ in materiâ de Trinitate, quæ deſervit multùm pro his temporibus. Invenit S. Thomas in Doctoribus ſacris Chryſoſtomo, Ambroſio, & Auguſtino hanc propoſitionem: *ſapientia de ſapientiâ, bonitas de bonitate.*

a *Tom.* 10. *num.* 27. *col.* 808.

Ec

bonitate. Et, inquit S. Thomas, intelligunt SS. Doctores, Filius qui eſt ſapiens de Patre qui eſt ſapiens, Filius qui eſt bonus de Patre qui eſt bonus. Aliquandò enim SS. Doctores ad ſignificandum unitatem eſſentiæ cum Trinitate perſonarum, uſi ſunt propoſitionibus non in tantâ proprietate. Undè propoſitiones iſtæ non ſunt extendendæ, ſed piè explicandæ. Sic ſi inveniuntur aliqui non ità propriè loqui in materiâ de gratiâ, præcipuè ante ortam hæreſim Pelagianorum, vel obiter tantùm de eâ dicentes, oportet illos explicare, nec eorum propoſitiones extendere. Et hìc finivit F. Thomas.

Tunc Arrubal dixit: quòd S. Auguſtinus in primo loco adducto ſubjungit quædam verba, quibus declarat ſe non damnare ſententiam quæ dicit ſolùm bonam voluntatem præcedere gratiam; ſed quæ dicit quòd gratia datur quià volumus. Dicit enim: *hoc eſt, ut clariùs id eloquar an ideò detur quià volumus, vel per ipſam hoc etiam in nobis Deus efficiat ut velimus*. Molina autem non dicit, quòd datur gratia, quià volumus.

Cui F. Thomas: immò hoc ipſum dicit. Nam in ſancto Auguſtino idem eſt, voluntatem præcedere gratiam, & quòd detur quià volumus; & ſi datur quià volumus eſt meritum: ut probat S. Auguſtinus. Molina autem dicit quòd datur quià volumus; quià dicit quòd eâ ratione quâ conamur, eſt in poteſtate noſtrâ ut ſimus filij Dei, & ut detur nobis fides & gratia, quià conamur, id eſt, quià volumus. Ad hoc punctum difficultatis reſpondeat.

Tunc P. Arrubal dixit: quòd illud verbum *& eâ ratione*, cadebat ſuper illa verba immediata, *dabitur ei fides & gratia*; ità ut ſit ſenſus: quòd eâ ratione quâ habet fidem & gratiam, habet in poteſtate ut filius Dei fiat; quià illud verbum *& eâ ratione* applicabatur ad verba immediata, non mediata.

Cui F. Thomas: ad omnia verba, tàm mediata, quàm immediata applicatur, ut conſtat; quià dicit: quòd ſi homo viribus naturæ conatur, Deus dabit illi gratiam & fidem, *& hâc ratione*, quià, videlicèt, conatur, & datur ei fides & charitas, & habet in ſuâ poteſtate ut ſit filius Dei. Itèm, quià dicit: *eatenùs, quatenùs*. Similiter quià dicit: *quòd hâc ratione quâ conatur, ponitur ſalus animæ in manu arbitrij noſtri*. Quem locum ibì legit. Et ſic P. Arrubal tandem tacuit, & tacendo viſus fuit fateri vim rationis.

Deindè aliqua dixit Arrubal; præcipuè, quòd ille locus, ubì dicebat Molina, quòd motus gratiæ prævenientis erant debiles, propter modicam præparationem & conatum, intelligebatur de gratiâ præveniente reſpectu ſubſequentis actûs, qui tamen ſupponebat conatum & præparationem factam ex priore gratiâ præveniente. Deindè dicebat: quòd de effectibus prædeſtinationis nihil intendebat dicere uſque ad propoſitionem de prædeſtinatione. Et iterùm inſtabat quòd S. Thomas *in quæſtionibus diſputatis* dicebat: quòd facienti quod in ſe eſt ex naturæ viribus, Deus dabat gratiam. Et hoc ipſum aſſerebat P. Vaſtida, qui & adduxit alia duo loca: alterum *ex Lib. 2. ſent. diſt. 28. q. 1. art. 4. ad 4.*, ubì S. Thomas dicebat: quòd ſi homo faciat quod eſt in naturali ratione, Deus illi dabit fidem. Et alium *ex L. 2. ſent. diſt. 5.* ubì dicebat: quòd ſi liberum arbitrium non eſt ſufficiens, non habet id in ſuâ poteſtate.

Quibus F. Thomas dixit: iſta loca ſunt jam adducta à Patre Valentiâ, & à me explicata. Undè nihil oportet de novo dicere: quià, ut alibì dictum eſt, S. Thomas in illo loco *ex 2. ſent.* ſolùm negat hominem indigere gratiâ habituali, ad ſe diſponendum ad gratiam. At verò non negat auxilium actuale; ut patet *ex eâd. q. & art. ſol. ad 1.* Et in alio loco, *ex diſt. 5.* dicit S. Thomas: liberum arbitrium per ſe eſſe ſufficiens ſine gratiâ aliquâ habituali ad ſe diſponendum ad gratiam,

tiam, adjutum tamen à Deo, præveniente auxilio gratiæ actuali.

Et cùm P. Vaſtida diceret: S. Thomas dicit: *per id quod eſt in naturali ratione.* Dixit F. Thomas: jam hoc ſæpiùs declaratum eſt. Et cùm iterùm PP. Societatis peterent, ut fieret iſta conventio, ut viderentur Doctores, quid de mente S. Thomæ in hâc parte ſentirent, reſpondit F. Thomas: ſunt viſi ſæpiùs & reviſi, nec oportet quærere occaſiones dilationis. Jam enìm recordor me in Diſputatione octavâ adduxiſſe quinque vel ſex Patres ex Societate, qui dicunt illud: *facienti quod in ſe eſt* &c. intelligendum eſſe de faciente ex auxilio gratiæ, nec poſſe aliter intelligi. Primus eſt Illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus, P. Suarez, P. Vaſquez, P. Valentia, P. Stapletonius. Et quidem S. Thomas apertiſſimè 1. 2. declarat illud dictum: *facienti quod in ſe eſt*, eſſe intelligendum, de faciente quod in ſe eſt ex auxilio gratiæ.

Tunc Jeſuitæ dixerunt: mutaſſe S. Thomam ſententiam, in quantùm dixerat in Sententiis, illud *facere quod in ſe eſt*, eſſe diſpoſitionem ad gratiam. Quibus P. Lemos: S. Thomas non mutavit ſententiam: ſed magìs illam & diſtinctiùs explicavit 1. 2. Generalis autem S. Dominici dixit: Si ſanctus Thomas mutavit ſententiam, quare vultis ſequi ſententiam mutatam? Vel ut quid illam pro vobis adducitis? Et his finitis, ex juſſu Sanctiſſimi deventum eſt ad Undecimam propoſitionem, quæ ſic habet: *Quòd homini ex naturalibus conanti detur gratia; ità tamen ut conatus illi non ſint meritorij gratiæ, nec ſemper neceſſarij.*

CIRCA hanc P. Arrubal dixit priùs: Concluſionem habere duas partes: aliam, quòd ex naturalibus conanti dabatur gratia, ità quòd illi conatus non ſint meritorij: alteram quòd non ſemper ſunt neceſſarij. Deindè dicebat: Molinam cum illâ non convenire cum Caſſiano; quod & promittebat demonſtrare. 1°. Quià SS. Patres non inferebant ex Caſſiano meritum, per illationem & conſequentiam; ſed quià expreſſis verbis ipſe Caſſianus conſtituebat meritum; ut conſtabat *ex cap. 13. Collat. 13.* ubì dicebat: *hominem illis conatibus mereri.* Et ex illo alio loco: *nullius valoris eſſet ac meriti &c.* Ubì affirmabat fuiſſe valoris ac meriti illam Centurionis fidem, quià fuit ex naturæ viribus. Quod S. Proſper dicebat, referens eum dixiſſe merito fidei alia ſubſequentia mereri. Itèm dicebat: quòd in tantùm Caſſianus aſſerebat meritum in illis operibus, ut affirmaret expreſsè, quòd ſolùm eſt meritum ex naturæ viribus, & quòd quandò adeſt gratia, non eſt meritum: quià ſibi hoc videbatur dicere Caſſianus in illis verbis: *nullius enìm valoris eſſet ac meriti, ſi in eo Chriſtus, quod ipſe donaverat, prætuliſſet:* ergò aſſerit, quòd, ſi Deus adjuviſſet per gratiam, non eſſet meritum: & quòd ideò habuit meritum, quià ex ſolis naturæ viribus operatus fuit. 4°. dicebat: quòd quandò ipſe Caſſianus *in cap. 16. Collat. 13.* negabat meritum, cùm ait: *Nemo autem æſtimet hæc à nobis fuiſſe prolata ut nitamur adſtruere ſummam ſalutis in noſtra fidei ditione conſiſtere; ſecundùm quorumdam profanorum opinionem, qui totum libero arbitrio deputantes, gratiam Dei diſpenſari ſecundùm meritum uniuſcujuſque definiunt;* hoc tantùm intendebat Caſſianus: quòd, videlicèt, univerſaliter omnes qui juſtificabantur, mererentur priùs conatibus naturalibus antecedentibus. Hoc enìm ſignabant illa verba: *totum deputantes arbitrio;* & illud aliud: *uniuſcujuſque.* Et in hoc damnabat Pelagianam hæreſim ſicut profanam; quià univerſim in omnibus hominibus dicebat meritum præcedere ipſam gratiam. At verò ipſe Caſſianus non negavit, quòd in aliquibus meritum præcederet gratiam. Immò ejus ſententia fuit, conſtituere duos rerum ordines in hominibus, quorum aliqui conatibus naturalibus merebantur gratiam, alij verò præveniebantur omninò. Cæterùm in

Digitized by Google

primo ordine hominum admittebat verè meritum reſpectu gratiæ; & hoc dicebat Arrubal eſſe expreſſum in S. Proſpero, qui hos duos ordines conſtituiſſe Caſſianum planè affirmabat, in loco quem ibì legebat.

Secundam autem partem propoſitionis, quòd illi conatus non ſemper ſunt neceſſarij, dicebat expreſsè ipſe Caſſianus in loco quem ibì legebat. At verò Molina totum contrarium affirmabat: quòd, videlicèt, illi conatus facientis quod in ſe eſt, nullo modo ſunt meritorij, nec valorem habent, nec commenſurationem. Quod ibì verbis Molinæ in aliquibus locis legebat. Itaque concludebat Caſſianum conſtituere illos conatus meritum gratiæ, Molinam verò id negare. Nec recordor quòd aliquid aliud dixit.

Tunc F. Thomas ſic dixit: Beatiſſime Pater, breviter. Molina in hâc propoſitione omninò convenit cum Caſſiano, & re, & aliquandò verbis ipſis. Quod ut clariùs conſtet, dicam ad excuſationes, quibus illum excuſant PP. Societatis. *1°.* dixerunt, SS. Doctores non per illationem & conſequentiam deduxiſſe meritum ex verbis Caſſiani. S. Proſper *cap. 16. contrà Collator.* a ex eo quòd Caſſianus dixit: *nàm cùm viderit nos Deus ad bonum velle deflectere, occurrit, dirigit, atque confortat. Ad vocem enìm clamoris tui, ſtatìm ut audierit, reſpondebit tibi* b: *&, invoca me, inquit, in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me;* dicit: *Quis non videat, quòd hæc doctrina meritum libero aſſignat arbitrio, quo præveniatur gratia, quæ ei famuletur reddens debitum, non conferens donum? Quæ definitio in Epiſcoporum Palæſtina Synodo, etiam à Pelagio anathemate damnata eſt.* Ecce illatio eſt iſta, & conſequentia ex ſancto Proſpero inferente meritum ex aliis verbis Caſſiani.

a *In App. tom. 10. Op. S. Auguſt. cap. 9. num. 23. col. 179.*

b *Iſaï. 30. 19. Pſalm. 49. 20.*

Tunc P. Arrubal dixit: non dico ego niſi quòd non ſolùm inferebant meritum, ſed quòd illud expreſsè conſtituebat Caſſianus.

Cui F. Thomas: hoc eſt primum; paulatìm dicemus ad 2m. 3m. & 4m. Itèm ex eo quòd Caſſianus dicit, ineſſe animæ naturaliter virtutum ſemina, infert S. Proſper *Lib. contrà Collator. cap. 27.* c *Qui ergò dicit, ſine ullo opere gratiæ, naturaliter omni animæ ſemina ineſſe virtutum; quid laborat oſtendere, niſi de iſtis ſeminibus quadam germina præcedentium Dei gratiam pullulare meritorum?* Itaque jàm Patres ex verbis aliis meritum inferunt contrà Caſſianum, & illum convincunt, quòd, velit nolit, fatetur meritum.

c *Ibid. cap. 13. n. 40. col. 185.*

2°. Dixit R. P. Caſſianum expreſſis verbis in illis conatibus meritum affirmare. Verum quidem hoc eſt. Cæterùm ipſe Caſſianus expreſsè declarat, quòd intelligat per verbum *meritum*, videlicèt, ſolam occaſionem, quam Deus exſpectat, ut det gratiam: ut patet *ex cap. 13. Collat. 13. Occaſiones*, inquit, *quodammodò quærens, quibus humanæ ſegnitiei torpore diſcuſſo, non irrationabilis munificentiæ ſuæ largitas videatur, dùm eam ſub colore cujuſdam deſiderij ac laboris impartit.* Ubì ità Caſſianus exinanivit illos conatus, ut diceret eſſe occaſiones, & ſub colore cujuſdam laboris Deum dare gratiam. Adhuc non audet eum vocare laborem; ſed ſub prætextu & colore laboris. Certè Molina hos conatus non ita voce & verbis deprimit. Itèm Caſſianus *Lib. 12. inſtit. cap. 14.* ponit excluſivam dicens: *quòd Deus præſtò eſt ad iſtam gratiam dandam, tantummodò occaſione bonæ voluntatis oblatâ.* Ubì dicit tantùm eſſe occaſionem. Quid clariùs? Et iſta propoſitio licèt habeatur *in dicto Lib. 12.*, qui non ità damnatus eſt quàm Collatio 13.; tamen in illis propoſitionibus in quibus convenit cum propoſitionibus damnatis *in 13. Collat.*, pariter damnatus manet. Et hæc eſt una, quòd, videlicèt, *Deus præſtò ſit ad dandam gratiam occaſione tantummodò bonæ voluntatis oblatâ.* Et quidem, quòd ipſe Caſſianus intenderit ſaltèm voce negare meritum, fit manifeſtum; quià ipſe pro fine habebat ſalvare gratiam ſemper dari gratìs: ſi autem expreſsè poneret meritum,

Digitized by Google

meritum, hoc apertè deſtrueret: non ergò debebat ponere meritum.

3°. PP. Societatis imponunt Caſſiano rem ſtultiſſimam, ut illum faciant diſtingui à Molinâ. Dicunt enim ipſum dicere: quòd quandò eſt gratia nullum ſit meritum; & quòd tantùm ſit meritum, quandò homo naturæ viribus operatur ſine gratiâ. Hoc ità ſtultum eſt, ut nunquàm aſſeruerit Caſſianus. Immò Pelagius ipſe nunquàm hoc auſus fuit dicere. Ad minùs enim omnes admittebant gratiam ad faciliùs merendum & operandum; ergò non dicunt illam tollere meritum. Sententia ergò Caſſiani & aliorum Pelagianorum fuit: quòd ſi Deus auxilio gratiæ dabat virtutem animæ, & illam movebat ſuâ virtute ad gratiam & fidem, quòd tunc tollebatur libertas, & ex conſequenti meritum. Et hoc dicit, cùm ait Caſſianus: *Nullius enim valoris eſſet ac meriti &c.* At verò ipſe Caſſianus ad merendum dicit eſſe neceſſariam illam gratiam excitantem, ſine quâ dicebat, ſemina virtutum, & conatus iſtos naturales non pervenire ad perfectionis incrementum, id eſt, ad meritum: in ipſo enim eſt perfectionis incrementum.

Illud autem quod 4°. dicunt, Caſſianum conſtituiſſe duos rerum ordines; verum eſt: quorum alij incipiebant, & Deus ſubſequens adjuvabat; & alij præveniebantur à Deo. Et hoc verum eſt. Quâ ratione S. Proſper contrà ipſum convincit quòd utrumque errorem complexus fuerit, & Manichæi, & ipſius Pelagij. Tam Manichæus enim, quàm Pelagius, & Caſſianus, immò & Lutherus, & Calvinus reputabant hanc eſſe evidentem conſequentiam; quòd ſi Deus virtute ſuâ efficaci movet hominem, perit liberum arbitrium. Undè Manichæus, Lutherus, & Calvinus, quià voluerunt negare hominis libertatem, admittebant Deum ſic efficaciter movere homines. Pelagius autem voluit firmando ſententiam ſalvare hominis libertatem, negavit illam virtutem gratiæ. Caſſianus verò utrumque amplectitur; dùm ut ſalvet libertatem in aliquibus, ait: quoſdam homines incipere; & Deum adjuvare. In aliis autem admittit motionem & virtutem Dei prævenientis, & in illis dicit perire libertatem. At verò Molina, licèt verbis neget in illis conatibus meritum, re tamen ipſâ meritum in illis admittit, ut ſæpiùs probatum eſt, & tunc illos conatus dicit eſſe occaſiones, quibus Deus dat gratiam, ſicut ait Caſſianus, ut jàm ex profeſſo in examine quartæ propoſitionis fuit manifeſtatum. Undè cum Caſſiano convenit. Et admiſſo gratis Caſſianum verbis meritum ponere, Molinam verò in verbis negare; cùm tamen eadem conſtituat principia ſicut & Caſſianus, ex quibus meritum omninò infertur, quid retulerit? Erit ſolùm differentia inter illos in ſolâ voce. Undè erit ad ſummum differentia inter Molinam & Caſſianum, quæ eſt inter Caſſianum & Pelagium. Etenim convictus fuit Caſſianus, quòd conveniret cum Pelagio, licèt verbis videretur diſconvenire. Sic Molina re omninò convenit cum Caſſiano, licèt verbis aliquibus fortè differat.

Similiter Molina illos duos ordines conſtituit, ſicut Caſſianus. Ipſe enim dicit: quòd aliquandò homo incipit faciendo quod in ſe eſt, ut Deus ſtatìm ſequatur adjuvans, & tunc ſalvatur libertas: aliquandò verò Deus omninò prævenit, & tunc trahit eos qui pertinaciter reſiſtunt & contradicunt, id eſt, trahit homines ſine libertate, & quodammodò coactè: non quòd ità cogantur ut velint nolentes, hoc enim impoſſibile eſt; nec hoc dixit vel intendit Caſſianus cùm aſſeruit: *quòd quandò Deus omninò prævenit, trahit invitos*; ſed intendit, quòd à principio homo malum liberè volebat, & illud intendebat, ſubitò autem præveniebatur à Deo ut bonum vellet actu indeliberato, & non libero. Undè quodammodò cogebatur, quià non volebat liberè: immò liberè malum intendebat quandò interrumpebatur illis motibus indeliberatis.

beratis. Hoc autem ipſum dicit Molina, & in eodem ſenſu; quòd, ſcilicèt, quandò Deus omninò prævenit motibus illis indeliberatis, trahit eos qui pertinaciter reſiſtunt; quià, videlicèt, anteà volebant malum, & ſubitò ſine libertate quaſi coguntur contrà ſuam voluntatem apprehendere bonum. Undè Molina hos duos ordines Caſſiani, venientium cum libertate, ex eo quòd priùs faciunt quod in ſe eſt, & venientium ſine libertate, ex eo quòd omninò præveniuntur à Deo, conſtituit. Et contrà hanc ſententiam expreſsè definit Cæleſtinus Papa in ſuâ Decretali, cùm dicit: *quòd Deus operatur in cordibus hominum, atque in ipſo libero voluntatis arbitrio.* Quare Pontifex Sanctus appoſuit illud ſecundum ? Nunquid non ſufficiebat dicere Deum operari in cordibus hominum ? Sed hoc ideò factum fuit, ut damnaret ſententiam quæ dicit Deum operari iſtis motibus indeliberatis ſolùm in voluntate ut neceſſaria eſt ; quæ eſt expreſſa ſententia Molinæ; non autem operari in libero arbitrio ut liberum eſt. Contrà quam ſententiam definit Summus Pontifex, Deum non ſolùm operari in cordibus hominum, ſed etiam in libero ipſo voluntatis arbitrio, movendo ipſum ad libertatem, illam cauſando & conſervando, & applicando liberum arbitrium ad ipſum actum liberum. Et ſic finivit F. Thomas.

Statìm Pater Arrubal dixit: Manichæum non admiſiſſe liberum arbitrium in homine. Cui F. Thomas: poſuit duas animas in homine à duobus principiis omninò determinatas ad bonum ſive ad malum. Tunc Arrubal : itaque negavit liberum arbitrium. Cui F. Thomas: negavit liberum arbitrium ex influxu & motione illorum principiorum.

Similiter dixit P. Arrubal: quòd Lutherus poſuit hominem merè paſſivè ſe habere. Tunc Sanctiſſimus aït: *quòd ſolùm de Caſſiano ageretur.* Et P. Arrubal dixit; Caſſianum ideò ex unâ parte aſſeruiſſe gratiam Dei gratìs dari, & ex aliâ poſuiſſe illos conatus non æquales ad gratiam ; quià fuit in iſto errore, quòd illi non tollebant gratuitam gratiam. Et neſcio ſi aliquid aliud dixit. Tunc Vaſtida dixit: quòd in præcedenti propoſitione dixerat F. Thomas ſex de Societate tenere, quòd facienti quod in ſe eſt ex auxilio divino datur gratia, & non aliàs: & dixit: quòd Cardinalis Bellarminus ſolùm dicebat : quòd illud *facere quod in ſe eſt*, ſit diſpoſitio ad gratiam. Suarez autem id non dicebat. Si autem Valentia id affirmabat, ipſe pro ſe reſponderet. Solus Vaſquez id aſſerebat. Similiter dixit: dictum fuit ex S. Auguſtino, quòd ante exortam hæreſim Pelagij, quidam breviter ſcripſerant, & ex iis non eſſe ſumendum efficax argumentum ; ergò, aïebat, ſumimus nos efficax argumentum, qui adducimus authoritatem hominum qui ſcripſerunt poſt exortam Pelagianam hæreſim.

Cui F. Thomas: ſive ante ſive poſt illam hæreſim, qui non ex profeſſo, ſed breviter & tranſeunter de hoc ſcripſerunt, hoc dicimus non eſſe efficax argumentum. Et ſic finita fuit Congregatio cùm duraſſet per quatuor horas, & dimidiam.

CONGREG.

Digitized by Google

CONGREGATIO DECIMA SEXTA CORAM CLEMENTE VIII.

Hæc Congregatio habita eſt coràm Sanctiſſimo aſſiſtētibus DD. Cardinalib⁹. conſuetis, uno excepto S. Cæciliæ, die 14. April. 1603. Ex Cenſoribus defuit Epiſcopus de Nardo. Loco autem Generalis Dominicanorum abſentis, adfuit P. Regens Magiſter Didacus Alvarez.

In quâ agitatum primò, num Caſſianus & Molina conveniant, quòd propter bona opera naturalia detur gratia. Deindè an uterque ſentiat, hominem poſſe quærere medicum, & ſanitatem deſiderare?

Vide Hiſt. Congr. de Auxil. l. 3. cap. 21. col. 460. & ſeqq.

IN hâc Diſputatione actum fuit de illâ propoſitione à Sanctiſſimo aſſignatâ Duodecimâ videlicèt, inter illas quæ de convenientiâ Molinæ cum Caſſiano traditæ ſunt; quæ & talis eſt: *Quòd propter bona opera naturalia detur gratia; & quòd tamen utrique temperent eodem modo hanc propoſitionem.*

Cui reſpondens P. Arrubal, ſub correctione Sanctiſſimi dixit; Molinam hanc propoſitionem non dicere aliquo modo; undè cum Caſſiano in illâ nullo modo convenire poſſe aſſeruit; prædictamque propoſitionem damnabilem eſſe addidit: non tamen in Molinâ inveniri. Quod ut oſtenderet, multa diffusè proſecutus eſt. 1°. Oſtendebat legendo tria loca in quibus Molina dicebat, non dari gratiam propter opera naturalia. Primus *ex diſp. 9. in principio* a, ubì ait: *non dari gratiam propter diſpoſitiones naturales.* Et *§. quod hác in eâd. diſp.* b ait: *quibus Deus eam gratiam non conferat propter ea quæ antecedunt.* Itèm referebat ex alio Molinæ loco, nempè *ex diſp. 37. in principio.* c Ex hoc inferebat Molinam non aſſerere dari gratiam propter opera merè naturalia; cùm id expreſsè in prædictis locis neget.

a Pag. 28. col. 1.

b Pag. 30. col. 2.

c Pag. 150. col. 1.

Sed, ut aïebat, veniendum ad loca in quibus attribuebatur Molinæ hæc propoſitio, dicens quòd ex illis id nullo modo colligebatur. Nam duo præcipuè loca ſunt, quibus id Molinæ attribuitur; alter eſt *ex q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 11. §. illud addendum eſt. ℣. quin ſicut.* d ubì licèt Molina dicat: *ſolere Deum dare gratiam, magis uni quàm alteri; propter opera moraliter bona facta ab exiſtente in mortali;* tamen per opera moralia non intelligit opera naturalia facta ſolis naturæ viribus, nec hoc poteſt ex verbis Molinæ concludi; ſed intelligit per opera moralia, opera facta ex auxilio divinæ gratiæ. Nam ipſe Molina in Concordiâ, ſæpiùs per opera moralia intelligit, non ſolùm opera naturalia, ſed etiam ſupernaturalia. Ad quod legebat aliqua loca Molinæ, in quibus opera moralia vocabat ſupernaturalia, & ſupernaturalia appellabat moralia. Immò dicebat hoc ità eſſe notum, quòd, videlicèt, non intendat in prædicto loco per opera moralia, opera ſolùm naturalia, ut *in memb. 12.* e *addito in impreſſione Antuerpienſi*, referat, quòd licèt ſibi fuiſſet objectum *ex dicto §. illud addendum*, quòd ſentiret prædeſtinationem aliquandò fieri propter prævisum ex gratiâ uſum, non tamen propter opera moralia, id eſt, naturalia, affirmaret dari gratiam. Undè ipſe ad hoc reſpondens, addidit illud verbum: *cooperante gratiâ*, manifeſtans ſe loqui de operibus ex gratiâ, & nullo modo de operibus naturalibus omninò gratiam antecedentibus. Et non ſolùm Molina per opera moralia

d Pag. 372. col. 2.

e Pag. 378. col. 1. & 2.

Digitized by Google

moralia intelligit illa, quæ ſupernaturalia ſunt, ex auxilio gratiæ provenientia; ſed etiam id frequentiſſimum eſt in Doctoribus ità verbum pro verbo uſurpare. In primis ſanctus Thomas *3. part. de pœnit. q. 85.* aït: quòd timor Domini eſt initium ſalutis; & tamen non potuit intelligere, quòd timor ſolis naturæ viribus factus, ſit ſalutis initium: intelligit ergo quòd timor ſit ex auxilio Dei proveniens; & ſic timor, qui eſt bonum morale, ſecundùm S. Thomam ex auxilio ſupernaturali procedit. Idem S. Thomas *2. 2. q. 29. art. 2.* loquens de hoc timore, expreſsè illum vocat bonum morale, dicens *ad 2m.* quòd timores important bonum morale per converſionem ad Deum. Ubì nomine timoris convertentis in Deum, neceſſe eſt quòd intelligat bonum morale proveniens ex auxilio divino. Et aliqua ſimilia loca ex authoribus aliquibus paucis adducebat, ad oſtendendum quòd per opus morale intelligant non opus naturale, ſed illud quod fit ex auxilio gratiæ. Sed potiſſimè adducebat Bullam Pij V. ſæpiùs ab iis adductam, in quâ diſtinguebat Pontifex opera moralia ex objecto & circumſtantiis, ab operibus meritoriis. Ubì per opera moralia intelligit etiam illa quæ fiunt ab auxilio gratiæ, antequàm ſint gratiâ informata. Et idem adducebat ex Concilio Tridentino *Seſſ. 6. de juſtificat.*, ubì diſtinguebat contritionem, & alia ſimilia opera, quæ aliquandò fiunt prout ad ſalutem oportet ex divino auxilio, antequàm gratiâ informentur; quæ tamen ſunt bona moralia, licèt fiant ex auxilio gratiæ. Ex his omnibus concludebat: per opera moralia, non ſolùm ipſe Molina, ſed etiàm alij Doctores, & S. Thomas intelligunt, non ſolùm opera naturalia ex naturæ viribus facta, ſed etiàm illa quæ fiunt ex divino adjutorio. Ergo non convincitur Molina, quòd in illo loco adducto *ex q. 23.* affirmet dari gratiam propter opera naturalia, ex eo quòd dicat dari propter opera moraliter bona. Nec id colligi poteſt ex tali loco.

Præctereà Molina in illo loco dicit, ſe loqui de operibus moralibus quæ ſunt diſpoſitiones ad gratiam, & quæ hoc modo conſueverunt dici: ſed iſtæ diſpoſitiones quæ conſueverunt dici diſpoſitiones remotæ ad gratiam, ſunt opera non naturalia ex ſolis naturæ viribus elicita, ſed opera moraliter facta ex divino adjutorio: ergò de illis Molina loquitur, &, ut dicebat, dicuntur remotæ diſpoſitiones ad gratiam, quià tempore antecedunt iſtam gratiam, nec ſunt ſub aliquâ ratione meritoriæ; ad differentiam ultimæ diſpoſitionis, quæ ſimùl eſt cum ipſâ infuſione gratiæ, & eſt meritoria gloriæ, licèt non gratiæ: præcipuè quià ipſe Molina loquitur de operibus naturalibus, quæ ſunt diſpoſitiones ad gratiam remotæ. Sed ipſe *diſp. 6.* a manifeſtè dicit: quòd opera ſolis naturæ viribus facta non ſunt remotæ diſpoſitiones ad gratiam; ergò non poteſt contrà ipſum concludi, quòd loquendo de operibus moralibus, quæ ſunt remotæ diſpoſitiones ad gratiam, intelligat opera ſolis naturæ viribus facta. Hæc in ſubſtantiâ mihi videtur dixiſſe in Molinæ defenſionem circà illum locum *ex q. 23.* a §. liberum pag. 19. col. 1.

2us. Autem locus, ex quo attribuebatur Molinæ quòd diceret dari gratiam propter opera naturalia, habetur *ex diſp. 44. §. quod ad primum attinet*, b quem ibì legit, & circà illum ſic dicebat: quòd ex iſto loco multò minùs colligebatur, quòd diceret dari gratiam propter opera naturalia. Nàm in illo loco ſolùm Molina dicebat: *quòd motus gratiæ ſæpè erant debiles, tùm propter modicam præparationem & conatum noſtrum.* Nec enim ibì agebat quòd daretur, vel non daretur gratia; ſed ſolùm reddebat rationem ob quam gratia præveniens erat aliquandò debilis; & dicit: quòd aliquandò id provenit propter modicam præparationem & conatum noſtrum. Ubì ſolùm ſunt iſta verba: *conatus noſter & præparatio.* In quo loco non loquitur de conatu noſtro antecedente omnem gratiam b Pag. 179. col. 2.

Digitized by Google

gratiam prævenientem, qui conatus eſt omninò naturalis; ſed loquitur de conatu noſtro qui ſequitur ad unam gratiam prævenientem, & antecedit aliam. Et reſpectu illius quam antecedit, dicitur antecedere gratiam prævenientem; non autem quòd antecedat omnem primam gratiam prævenientem.

Quod ſimiliter ſic probabat 1°.; quià Molina ibì loquebatur expreſsè de gratiâ præveniente, quæ in decurſu totius humanæ vitæ contingit; hæc autem, conſtat quòd non eſt omnium prima præveniens. Et quòd de iſtâ loquebatur Molina, patet, quià verbis antecedentibus præmiſerat: vix enìm invenietur Chriſtianus, qui decurſu vitæ, vel in concionibus, vel exhortationibus, vel dùm ſe præparat, & accedit ad Confeſſionem & Communionem, vel in aliis ſimilibus eventibus, non experiatur motum aliquem gratiæ, ac devotionis ſenſibilis, quem ſi advertere velit, facilè poterit in ſeipſo agnoſcere.

2°. Quià Molina loquebatur de conatu noſtro qui eſt præparatio ad gratiam, id eſt, qui eſt diſpoſitio ad gratiam; nam idem eſt præparatio ad gratiam, & diſpoſitio ad gratiam, ut etiam colligitur ex Concilio Tridentino, quod aliquandò præparationem vocat diſpoſitionem: cùm ergò ipſe Molina neget, ut ſuprà eſt manifeſtatum, opera naturalia eſſe diſpoſitiones remotas ad gratiam, negat conſequenter eſſe præparationes ad illam; & ex conſequenti, per conatum noſtrum præparantem ad gratiam, non intelligit conatum omninò naturalem, ſed illum qui ſit ex priore gratiâ præveniente, licèt aliam prævenientem antecedat, ut dictum eſt.

Quòd autem Molina dicat, aliquandò dari minorem gratiam propter minimum conatum noſtrum, docet apertè Cajetanus *3. parte* agens de reminiſcentiâ operum priorum. Dicit enìm quòd aliquandò non reſurgat homo in tantâ gratiâ, ſicut ante peccatum habuerat propter imperfectum conatum contritionis; qui ponit impedimentum. Et idem dicit Cardinalis Toletus. Qui tamen conatus ſecundùm Cajetanum & Toletum eſt contritio noſtra, non ſolùm habita naturæ viribus, ſed ex auxilio gratiæ proveniens. Qui conatus, ſicut potuit eſſe nullus, ità potuit eſſe remiſſus & imperfectus; & propter ipſum dabatur debilis gratia. Et hoc eſt quod aït Molina. Nec recordor ſi aliquid aliud propoſuerit ſubſtantiale. Undè dicebat Molinam hanc propoſitionem damnabilem, *quòd detur gratia propter opera naturalia*, non dicere: nec per hoc quòd damnetur iſta propoſitio, aliquo modo damnabitur Molina.

De temperamento autem quo Caſſianus temperabat prædictam propoſitionem, conſtat, quòd dicebat illa opera naturalia propter quæ gratia dabatur, non eſſe meritoria gratiæ, ſicut Pelagius conſtituebat, in ordine ad omnes, videlicèt, univerſim homines. Hoc enìm temperamentum apponebat *in cap. 16. Collat. 13.* Itèm aliud affirmabat, videlicèt, illa opera naturalia, ob quæ gratia dabatur, non eſſe merita ad condignitatem & paritatem: affirmabat autem eſſe merita gratiæ in aliquibus perſonis, in illo ſecundo, videlicèt, ordine vocatorum, quem conſtituebat; & eſſe merita gratiæ, ſed non ad paritatem. Molina autem ſicut negavit dari gratiam propter bona opera naturalia; ità negavit ſemper illa aliquo modo eſſe merita gratiæ; ut ex multis ſuis locis conſtabat.

Prætereà ultimò dicebat P. Arrubal: non licere colligere, ex eo quòd Molina dicat, quòd ſæpè quandò ſe occaſio offert, Deus dat gratiam, quòd ſentiat illa opera naturæ eſſe occaſiones ob quas Deus gratiam tribuat. Et ad hoc adducebat locum Molinæ *ex 1. 2.* ubi dicebat: quòd opera naturalia erant congruentes diſpoſitiones ad gratiam. Vel ut formalior ſit ſermo; dicebant minorem repugnantiam cum illâ: ſicut ſiccitas in ligno minorem repugnantiam dicebat cum igne; licèt

Digitized by Google

ſæpè Deus gratiam non daret. Hæc meo judicio ſunt quæ in ſubſtantiâ protulit P. Arrubal. Nec enìm aliud memoriâ teneo.

Tunc F. Thomas de Lemos, præmiſſo ex more, quòd ad pedes Sanctiſſimi ponebat omnia quæcunque dicturus erat, ſic incepit: Quòd Caſſianus dicat dari gratiam propter opera naturalia, & PP. Societatis fatentur, & littera Caſſiani ſatìs apertè demonſtrat. Licèt enìm verbis formalibus & expreſſis hanc propoſitionem non teneat, illam tamen dicit verbis omninò æquivalentibus *in Collat. 13. cap. 11.* cùm aït: *aliquandò Deum noſtri miſereri, quià nos volumus.* Ex quo loco, & ſimilibus aliis, quæ brevitatis causâ omittuntur, S. Proſper *L. contrà Collat. cap. 6.* a ſic contrà eum dicit: *Quomodò autem non advertis, te in illud damnatum incidere, quod, velis nolis, convinceris dicere, gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari; cùm aliquid præcedere boni operis ex ipſis hominibus, propter quod gratiam conſequantur, affirmas?* Affirmabat ergò Caſſianus dari gratiam propter opera naturalia.

a *In App. tom. 10. Op. S. Auguſt. cap. 3. num. 8. col. 174.*

Volens autem ſe occultare & abſcondere Caſſianus, nè convinceretur cum Pelagio conſentire, temperabat hanc propoſitionem, dicendo: illam gratiam non dari propter opera naturalia, ſicut propter merita; ſed dari propter illa, ſicut propter parvas exiguaſque occaſiones. Hoc enìm dicit *cap. 13. Collat. 13.* ubì illa opera vocat *occaſiones quas Deus exſpectat à nobis.* Et *Lib. 12. de Inſtit. cap. 14.*, protulit illa verba: *Præſtò eſt namque Deus, occaſione ſibi tantummodò à nobis bonæ voluntatis oblatâ, ad hæc omnia conferenda.* Occaſione, inquit, tantummodò à nobis bonæ voluntatis oblatâ. Ubì ſolam rationem cujuſdam occaſionis in illis operibus agnoſcit reſpectu gratiæ; non autem rationem meriti. Immò rationem meriti per illam excluſivam omninò negat in operibus illis.

Præterea id patet; quià Caſſianus ut exinaniret voce-tenus illa opera naturalia, propter quæ dicebat Deum dare gratiam, adhuc non auſus fuit illa opera appellare laborem, ſed tantùm colorem laboris, dicens: Deum dare gratiam *ſub colore cujuſdam laboris,* & deſiderij, & ſub ſpecie laboris. Tantùm autem abeſt, quòd verbis affirmaret illa opera eſſe merita gratiæ, quòd nec laborē in illis operibus affirmabat.

Præterea 3°. quià *in eodem cap. 13.* totis viribus laborat Caſſianus, quòd gratia quæ datur illis naturæ operibus, ſemper gratuitò perſeverat. Et tamen ſi conſtitueret illa opera naturalia antecedentia gratiam meritum ipſius, cui infallibiliter gratia daretur, ſatìs videbat quòd gratia, ut potè tunc debita, non gratuita perſeveraret: igitur meritum in illis operibus negabat.

Inſuper S. Proſper apertè dicit *in Lib. de ingratis cap. 38.* Semipelagianos (quorum caput fuit Caſſianus) verbis quidem commentum Pelagianum reſpuere, & voce ſolâ damnatos errores Pelagij damnare: ſed damnatus error Pelagij erat, quòd gratia dabatur propter merita naturæ; ergò verbis & ſolâ voce Caſſianus meritum in illis operibus negabat.

Præterea idem S. Proſper *eod. cap. 6. contrà Collat.* b ſic dicit: *Non enim nullius meriti haberi poteſt petentis fides, quærentis pietas, pulſantis inſtantia:* præcipuè cùm omnes ejuſmodi, & accipere, & venire, & intrare dicantur. Ubì ex eo quòd Caſſianus affirmabat dari gratiam petentibus &c., Proſper contrà ipſum infert, quòd ponat gratiæ merita. Si autem, ut PP. Societatis volunt, verbis formalibus & expreſſis Caſſianus admittebat meritum in illis operibus naturæ, quid opus erat, ut S. Proſper per illationes & conſequentias illum convinceret quòd meritum conſtitueret, meritum ex aliis principiis inferendo & deducendo? Eſſet certè ſuperfluus & vanus ſancti Doctoris labor, cùm idipſum apertiſſimè expreſſis verbis Caſſianus fateretur. Ìtem ſi Caſſianus ità expreſſis verbis meritum admittebat in illis naturæ operibus, expreſsè

b *In App. tom. 10. Op. S. Auguſt. cap. 3. num. 8. col. 174.*

preſsè in damnatam incidebat hæreſim Pelagianam. Quod ſi ſic erat, quare SS. Doctores Hilarius, Proſper, & Fulgentius, & Eccleſia ipſa per tot annos laboravit ad damnandam hæreſim Semipelagianam, cùm apertiſſimè formalibus verbis damnata apparuiſſet in primis Pelagianis? Non ergò Caſſianus ità erat ſtultus, quià acutus valdè erat, ut verbis expreſſis damnatam Pelagij hæreſim affirmaret, ſed occultabat ſe, & expreſſis verbis negabat meritum, re autem ipsâ conſtituebat. Et hoc deduxerunt SS. Doctores ex illius principiis, & de hoc ipſum convixerunt. Immò apertis verbis meritum negat in illis operibus Caſſianus ipſe, ut *cap. 16. Collat. 13.* his verbis: ***Nemo autem æſtimet hæc à nobis ob hoc fuiſſe prolata, ut nitamur aſtruere ſummam ſalutis in noſtræ fidei ditione conſiſtere, ſecundùm quorumdam profanam opinionem, qui totum libero arbitrio deputantes, gratiam Dei diſpenſari ſecundùm meritum uniuſcujuſque definiunt.*** Igitur Caſſianus in ſubſtantiâ dixit tria. 1m. Eſt dari gratiam propter opera naturalia naturæ ſolius viribus facta. 2m. Non dari illam gratiam propter illa opera, ſicut propter merita. 3m. Dari propter illa, ſicut propter quaſdam occaſiones.

Hæc autem tria, Molina expreſſiùs affirmat. Dicit enim: quòd datur gratia propter illa opera naturalia, & quòd ipſa non ſunt merita, ſed occaſiones. Et quidem hoc primum, in quo eſt tota difficultas, quod à PP. Societatis negatur, inveniri in Molinâ oſtendemus. In primis in ipſo reperitur verbis omninò æquivalentibus, ſicut de Caſſiano diximus. Apertus eſt ille locus *ex diſp. 10.* a ubi ait: quòd ***facienti quod in ſe eſt ex naturæ viribus Deus certâ lege dat gratiam***; & quòd ***hâc ratione in manibus arbitrij eſt noſtra ſalus***; & quòd ***hâc ratione***, dicit ſecundò, ***in poteſtate arbitrij eſt ut filij Dei ſimus.*** Sed omiſſo ad præſens loco iſto, quià jàm in præcedenti Congregatione dictus fuit & examinatus, jàm venio ad loca in quibus Molina apertiſſimis verbis hanc ſtatuit propoſitionem: quòd propter opera naturalia detur gratia. Quam eſſe damnabilem jàm PP. Societatis confeſſi ſunt.

a *Edit. Antuerp. p. 31.*

Ius. Locus habetur *ex diſp. 44. §. **quod ad primum***, b quem ibi legens, ſic dixit F. Thomas: apertè dicit Molina ***gratiam eſſe debilem propter conatum noſtrum***; & loquitur de conatu noſtro naturali ſolis naturæ viribus elicito: nam loquitur de conatu noſtro antecedente gratiam prævenientem; hic autem conatus eſt merè naturalis. Immò verba ſequentia hoc manifeſtè declarant, cùm ſtatim ſubinfert: c ***quià ergò quandò motus gratiæ prævenientis ſunt admodùm debiles, parùm lucis & claritatis, modicumque affectûs & fervoris ſuperaddunt actibus intellectûs & voluntatis, quos homines ſolis ſuis viribus naturalibus, quòad ſubſtantiam, poſſent elicere.*** Ecce apertè loquitur de conatu ſolis naturæ viribus elicito quòad ſubſtantiam actûs, & de conatu qui evehitur, & fit à gratiâ præveniente ſupernaturalis, & ordinatur ad finem ſupernaturalem. Loquitur ergò de conatu merè naturali, qui per gratiam prævenientem elevatur ad gratiæ ordinem. Immò ratio quâ PP. Societatis utuntur ad probandum, illum loqui hic de conatu præſupponente priorem gratiam antecedentem, quam & modò protulerunt, convincit quod intendimus. Modò dixerunt Molinam loqui de gratiâ præveniente quæ ſe offert in toto vitæ decurſu; gratia autem iſta præveniens, ſumpta ſecundùm hanc generalitatem gratiæ prævenientis, conſtat apertè, quòd etiam includit primam omnium gratiam prævenientem; loquitur ergò Molina de conatu arbitrij noſtri merè naturali, qui totam illam prævenientem gratiam in totâ ſuâ latitudine antecedit. Unde quâ parte antecedit omnium primam gratiam prævenientem, eſt conatus merè viribus naturæ factus: & ſic intendit, quòd propter conatum illum debilem, datur etiam prima omnium gratia præveniens, etiam debilis. Immò Molina,

b *Pag. 179. col. 2.*

c *Ibidem.*

lina, vel ſolùm loquitur de primâ omnium gratiâ præveniente, vel ſaltem, ut temperatè loquar, principaliter loquitur de illâ; quod manifeſtant verba immediatè ſequentia, modò adducta. Et per hoc patet reſponſio ad omnia quæ circà iſtum locum dixit Pater R. Quod enìm aït de conatu noſtro, non eſt dubium quòd conatus ſit & propriiſſimè noſter, quià procedit à gratiâ: ipſa enìm facit illum eſſe conatum noſtrum, & propriiſſimum & liberrimum; ut aït S. P. Auguſtinus. Quod etiam dicit, quòd loquitur de conatu noſtro, qui eſt præparatio, ſive diſpoſitio ad gratiam, & ipſe negat conatum naturalem eſſe diſpoſitionem remotam, minùs excuſat, ut conſtabit cùm circà ſecundum locum hanc excuſationem ſecludam. Igitur ex proprio contextu hujus loci conſtat, quòd loquatur Molina de conatu noſtro naturali antecedente etiam omnium primam gratiam prævenientem.

IIus. autem locus magìs inſignis eſt, qui habetur *ex q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 11. §. illud addendum eſt*, ubì ſic dicit: a *Quìn ſicut unum peccatum permitti ſolet in pœnam alterius peccati; ſic propter eleemoſynas, & alia opera moraliter bona, facta ab exiſtente in lethali peccato, conſuevit ſæpè Deus opitulari citiùs, ac magis uni quàm alteri, ut à peccato reſurgat: eâque ratione ejuſmodi opera non immeritò appellari conſueverunt* DISPOSITIONES REMOTÆ AD GRATIAM. Qui locus ut intelligatur, conſideranda ſunt valdè & verba antecedentia & ſequentia. Antecedenter enìm in §. *poſtremò* b, agens ex profeſſo de prædeſtinatione, ſic concludit: *Ergò quòd voluntas illa Dei æterna, quâ adultis ea media ex ſuâ parte conferre ſtatuit, quibus in Beatitudinem perveniunt, rationem prædeſtinationis habuerit, tanquàm à conditione ſine quâ eam rationem non habuiſſet, ex eo fuit dependens, quòd adulti ipſi eo modo pro innatâ ſuâ libertate uſuri erant ſuo arbitrio, ut ad eam pervenirent, idque Deus altitudine ſui intellectûs prævìderit.* Ubì manifeſtè dicit: quòd voluntas Dei æterna, ut haberet rationem prædeſtinationis, pendens fuit à præviſo bono uſu arbitrij ex gratiâ: pendet ergò voluntas Dei in prædeſtinando, ab homine, ſicut à conditione ſine quâ voluntas Dei non prædeſtinaret. Hìc bonum uſum futurum ex gratiâ dicit conditionem eſſe, ut voluntas Dei rationem habeat prædeſtinationis. Et ſtatìm addit: c *Illud addendum eſt: quamvìs Deus alligatus non fuerit uſui liberi arbitrij præviſo, aliiſque circumſtantiis ex parte adulti prædeſtinandi, ut hoc vel illo modo illi providere ac opitulari conſtitueret, potuiſſe tamen ad circumſtantias & ad uſum reſpicere, decenſque ac rationi valdè conſentaneum fuiſſe, ut id ità faceret, in multiſque reipsâ ad multa reſpexiſſe, conſtituendo aliqua propter circumſtantias & & uſum præviſum, quæ alioquìn non conſtituiſſet.* Ac ſi clariùs dicat: non ſolùm futurus bonus uſus præviſus ex gratiâ, eſt conditio ad prædeſtinationem; ſed etiam addendum eſt, quòd quamvìs Deus alligatus non ſit, ut ſemper ſic prædeſtinet quem videt benè uſurum gratiâ, ità ut pro menſurâ illius boni usûs, ſit prædeſtinatio, (hoc enìm contrà Henricum anteà damnaverat Molina) tamen decens fuit, & valdè rationi conſonum & aliquandò ità factum eſt, ut propter illum bonum uſum præviſum Deus prædeſtinet. Quod probat Scripturæ teſtimoniis citatis à P. Reverendo. Statìm autem in eodem contextu aït: d *Quìn ſicut unum peccatum permitti ſolet in pœnam alterius peccati; ſic propter eleemoſynas, & alia opera moraliter bona, facta ab exiſtente in mortali peccato, conſuevit ſæpè Deus opitulari citiùs &c.* Ac ſi clariùs dicat: non ſolùm bonus uſus futurus præviſus, eſt conditio à quâ dependet, ut voluntas Dei æterna habeat rationem prædeſtinationis; nec ſolùm Deus aliquandò prædeſtinat propter illum bonum uſum præviſum futurum ex gratiâ: *quìn*, id eſt, adde, vel addendum eſt ulteriùs, quòd propter opera moraliter bona, facta videlicèt, ſolis naturæ viribus, aliquandò

a Pag. 372. col. 2.

b Pag. 371. col. 2.

c Pag. 372. col. 1.

d Pag. 372. col. 2.

quandò Deus conſuevit opitulari magìs uni quàm alteri. Nam illud verbum, *quin*, aliquid diſtinctum addit ſuper ea quæ priùs dicta fuerant. Cùm ergò priùs in primâ parte contextûs, locutus fuerit Molina de futuro uſu prævíſo ex gratiâ, & addat: *quin propter opera moraliter bona, facta ab exiſtente in lethali peccato &c.* abſque dubio per opera moraliter facta, intelligit opera naturalia antecedentia omnem gratiam, propter quæ dicit Deum opitulari magìs uni quàm alteri.

Et iſta eſt aperta intentio Molinæ; & hæc eſt intelligentia contextûs. Hoc autem ideò fecit Molina, ut in fine ſuæ Concordiæ aperiret, ad quem finem dictam ſuam Concordiam ordinaret, videlicèt, ad firmandas has duas concluſiones: quòd Deus aliquandò prædeſtinat propter bonum uſum futurum ex gratiâ: & quòd aliquandò uni & non alteri gratiam tribuit propter opera naturalia: ut ſic in fine Concordiæ ſuæ unico contextu utrumque errorem ſimul & Pelagianorum & Semipelagianorum ſuaderet. Error enìm Semipelagianorum ut aliquo modo diſtinctus ab errore Pelagianorum fuit, (ut docet S. Thomas *1. p. q. 23. art. 5. ℣. alij autem*, ubì ſuppreſſo nomine intelligit Semipelagianos; & S. Proſper *epiſt. ad Aug. in principio & in fine*) quòd Deus prædeſtinabat quos benè videbat uſuros ſuâ gratiâ. At verò; (ut idem S. Thomas *articulo citato*, & S. Proſper *eâdem epiſt.* a *ad Auguſt. ℣. quidam verò horum docent*) error Pelagianorum fuit, quòd dabatur prima gratia, & primus prædeſtinationis effectus propter opera naturalia antecedentia ipſam gratiam. Hunc ergò utrumque errorem unico contextu complectitur Molina; primum in primâ parte contextûs, & ſecundum in ſecundâ, ut deduxi modò.

a *Nunc inter Auguſt. 225. n. 4. col. 822. tom. 2.*

Immò ipſe Molina verbis immediatè ſequentibus hoc clariùs declarat: quòd, videlicet, totum ſuum intentum in hâc Concordiâ tendat ad utramque iſtam concluſionem firmandam: Sic enìm poſt prædicta verba immediatè concludit: b *Porrò ut univerſim, quoad hactenùs dicta, quaſi minorem quamdam propoſitionem ſubſumamus, undè noſtrum inſtitutum concludamus; quæ auxilia & dona confert Deus in tempore, propter aliquem bonum uſum liberi arbitrij antecedentem, & quæ peccata permittit, aut quam pœnam aliam infligit propter malum arbitrij uſum antecedentem, eadem ex æternitate conferre, permittere, aut infligere ſtatuit; propter eundem bonum vel malum uſum prævíſum futurum ex hypotheſi, quòd hunc vel illum ordinem rerum condere vellet.* Ubì ſemel atque iterùm loquitur de bono uſu antecedente gratiam; ergò loquitur de bono uſu merè naturali ante omnem gratiam. Hic enìm uſus ſolet vocari in Molinâ, uſus antecedens. Nam Molina formaliter loquitur in ſuis propoſitionibus; formaliter autem uſus ſequens priorem gratiam, licèt antecedat aliam ſequentem gratiam, non vocatur uſus antecedens gratiam, ſed uſus ſequens illam.

b *Pag. 372. col. 2.*

Et hæc ſit 1a. Ratio, quòd loquatur de operibus naturalibus antecedentibus omnem gratiam prævenientem. 2°. Quià ut dixit, verbum *quin* hoc apertè ſignificat. In primâ enìm parte contextûs loquitur de bono uſu ſequente gratiam; cùm ergò dicit in ſecundâ parte, *quin propter opera bona moraliter facta*, addit aliquid, dicens: quòd etiam propter opera naturalia aliquandò Deus conſuevit &c. 3°. Quià ipſe Molina ſuo exemplo hoc declarat, dùm aït: *quin ſicut peccatum permitti ſolet &c.* Eſt enìm ſenſus: quòd ſicut in pœnam alterius mali moralis facti naturæ viribus, Deus permittit aliud malum morale; itá propter opera moraliter bona, facta, videlicet, ex ſolis naturæ viribus, conſuevit Deus opitulari magìs uni quàm alteri. Aliàs ſtultiſſimum eſſet Molinæ exemplum, quod PP. Societatis de ſuo authore non dicent. Prætereà, quià hoc ipſum declarat, cùm aït: *ejuſmodi opera moraliter facta, ſolere vocari diſpoſitiones ad gratiam.* In hoc

Digitized by Google

enim tangit ſententiam aliquorum Scholaſticorum, qui pauci ſunt, duo, ſcilicèt, vel tres, qui dicunt opera bona naturalia poſſe dici remotas diſpoſitiones ad gratiam: ſed ipſi ſe explicant, quòd nomine *diſpoſitionis* lato vocabulo ſumpto, intelligunt quamdam minorem repugnantiam; ſicut ſiccitas in ligno, hâc ratione, dicitur minùs propriè remota diſpoſitio ad ignem, non quòd illâ poſitâ ponatur ignis, ſed quòd ſiccitas minorem repugnantiam dicit ad ignem, quàm humiditas. At verò Molina dicit illa opera moraliter bona, videlicèt, naturalia hâc ratione dici remotam diſpoſitionem; quià propter illa conſuevit Deus dare gratiam. Hoc autem Scholaſtici nullo modo dixerunt. Igitur Molina dicit dari gratiam propter opera naturalia; negat tamen in illis eſſe meritum, ſicut Caſſianus, ut eodem modo temperet hanc propoſitionem. Præterea Molina dicit gratiam dari propter opera moraliter facta: ſed ipſe Molina *diſp. 5. & 19. & ſæpè aliàs*, ad opera moralia non requirit auxilium gratiæ: ergò loquitur de operibus moralibus factis ſine auxilio divino: non enim meliùs poteſt intelligi Doctor aliquis in aliquâ parte, quandò ipſa eſſet dubia, niſi per alia quæ aliàs ipſe dixit. a

a Poterat etiam hæc adduci ratio: quòd Molina aït: *propter opera moraliter facta*. Non dicit: propter opera moralia. Verbum autem *formaliter* ſignificat modum, & non tantùm moralitatem ex parte objecti. Ut omnia loca à PP. Societatis adducta demonſtrant.

Ad excuſationes autem prætenſas, eſt modò dicendum. Adduxit R. P. tria loca Molinæ *ex diſp. 9. & diſp. 37. §. ſeptimum*, in quibus Molina dicit: non dari gratiam propter opera naturalia; undè contrarium ſibi attribui non poteſt. Ad hoc dicendum: quòd in illis locis negat dari gratiam propter illa opera naturalia ſicut propter meritum; in aliis autem à me modò adductis & manifeſtatis, dicit dari gratiam propter opera naturalia, non tamen ſicut propter meritum, ſed ſicut propter *occaſiones*, ut ipſe Caſſianus dixit. Et iſta eſt concordia ipſius, niſi Patres velint Molinam ſibi ipſi contrariari.

Ad illud autem aliud quod adducitur ex S. Thomâ *ex 3. part. de initio timoris, & ex 2. 2. q. 19. & ex Concil. Trident.*: quòd, videlicèt, opera bona moralia dicant fieri ex auxilio divinæ gratiæ. Hoc nos fatemur, & ſemper confeſſi ſumus, quòd opera moraliter bona ſuprema & difficilia non poſſunt fieri ſolius naturæ viribus. PP. autem Societatis, quare non recordantur, quòd in omnibus Congregationibus præcedentibus fecerunt ſupremam inſtantiam, quòd omnia opera moraliter bona poſſunt fieri ex naturæ viribus? Ecce modò planè contrà ſeipſos fatentur omnia opera moralia & bona fieri ex auxilio gratiæ; & ad hoc adducunt S. Thomam, & Concilium. Verum eſt ergo, quòd opus morale bonum, ſi fuerit difficile, fit ex auxilio divino, ut de timore aït S. Thomas, & Concilium Tridentinum de contritione.

Illud autem quod adducit de contritione, quòd, videlicèt, eſt meritoria non gratiæ ſed gloriæ; non attinet ad rem. Omnibus enim eſt in confeſſo, quòd contritio, quæ ſimul tempore eſt cum infuſione gratiæ, conſideratur in prioritate naturæ in genere cauſæ materialis ut antecedit gratiam, & ſic nec meritoria eſt gratiæ, aut gloriæ. Conſideratur etiam ut poſterior naturâ quàm gratia, à quâ informatur, & ſic eſt meritoria, non gratiæ, quià hoc repugnat, ſed gloriæ.

Utrùm autem Molina in iſto loco ſumat opus moraliter bonum hoc modo, vel potiùs loquatur de opere facto ex ſolis naturæ viribus; non ex aliis locis in genere adductis, ſed ex proprio contextu in particulari eſt declaratum.

Similiter definitio Pij V. quæ ſæpiùs eſt adducta, intendit definire contrà aliquos qui negabant ullum opus morale ex objecto & circumſtantiis etiam minimum poſſe fieri ab homine naturæ viribus, qui extinguebant liberum arbitrium. Et contrà iſtos definit, aliud eſſe opus morale bonum ex objecto & circumſtantiis, aliud verò meritorium. Prima ergo explicatio eſt, quòd condiſtinguit opus morale

morale bonum ex objecto & circumſtantiis contrà opus ex objecto & circumſtantiis ſupernaturale, & hoc vocat meritorium; quià opus meritorium eſt nobiliſſimum, inter omnia opera ſupernaturalia, & denominatio fit à nobiliori. 2. Intelligentia eſt, quòd nomine operis moralis, quod condiſtinguit contrà opus meritorium, intelligit opus morale, ſive fiat ex ſolis naturæ viribus, ſive ex auxilio divinæ gratiæ; quod planè admittimus. At verò Molina, ut patet ex contextu, loquitur de opere bono morali facto ex ſolis naturæ viribus.

Ad illud autem quod ulteriùs dicit R. P.: quòd Molina *in memb. 12. addito in Edit. Antuerp.* explicat ſe *in §. illud addendum*, dicens: a quòd non intelligat aſſerere prædeſtinationem fieri etiam aliquandò propter præviſum uſum; non autem reſpondet ad hoc de operibus moralibus, quià illud primum fuerat ſibi objectum, non verò hoc ſecundum. In quo intendit P. R., quòd non ſit fundamentum in litterâ Molinæ, ut ei attribuatur quòd dicat dari gratiam propter opera naturæ. Ad hoc dicendum: quòd illud quod tunc non fuit objectum Molinæ, nunc objicitur illi, quià hoc ipſe dicit. Nec eſt mirum, quòd à principio cùm exiit Concordia Molinæ in lucem, qui notavit illud primum, non notaverit illud ſecundum; quià decurſu temporis quantò magis tractatur de examinandâ falsâ aliquâ doctrinâ, tantò plura inconvenientia in ipsâ manifeſtantur, quæ à principio non erant ità aperta & cognita. Ad propoſitum autem præſens, cùm PP. Societatis fateantur Molinam nihil ſe explicare, *in ſuper-addito memb. 12.* circà hoc quod ſibi opponitur modò de operibus moralibus, propter quæ dicit dari gratiam, conſtat quòd extrà rem omninò hoc adducant. Quantùm autem ad id in quo ſe explicat, minùs juvat. Ipſe enìm Molina dicit *in illo memb. 12.* ſe *in memb. 11. antecedente in illo §. illud addendum*, non dixiſſe prædeſtinationem fieri aliquandò propter prævisum bonum uſum arbitrij; ſed quòd propter unum effectum prædeſtinationis datur alius. Iſta eſt tota ejus excuſatio: ſed parùm retulerit, quòd verbis hoc dicat, ut ſe excuſet, ſi littera *in illo §. illud addendum*, apertiſſimè manifeſtat illum loqui, non de effectibus prædeſtinationis, ſed de prædeſtinatione ipsâ. Hoc enìm 1°. conſtat, quià loquitur de prædeſtinatione, & voluntate Dei prædeſtinantis, cùm aït: quòd voluntas Dei habens rationem prædeſtinationis, pendens fuit ſicut à conditione à prævisò uſu arbitrij ex innatâ libertate. Hìc apertè loquitur de ipsâ eſſẽtiâ prædeſtinationis. Et ſtatìm in illo contextu aït: *illud addendum &c.* Ubì Molina conſtituit definitionem prædeſtinationis pro definito. Definitio enìm prædeſtinationis ſecundùm ipſum eſt: *divina voluntas conſtituens hominem in tali ordine rerum, ubì præſcit ipſum benè uſurum*. Et hoc ſignìficat, cùm aït: *ut hoc vel illo modo illi providere & opitulari conſtitueret.* Loquitur ergo abſque dubio de prædeſtinatione ipsâ, & non de effectu illius. Et tandem in margine habet: b *Deum in prædeſtinandis rationem aliquam habuiſſe uſûs liberi eorum arbitrij.* Undè loquitur de ipsâ prædeſtinatione, quam dicit fieri aliquandò propter prævisum uſum arbitrij.

a §. non poſſum p. 373. col. 2.

b Pag. 374. col. 1.

Ad illud autem aliud principale quod dixerunt PP. Societatis; quòd Molina non loquatur de operibus moralibus factis ex ſolâ naturæ facultate, ex eo quòd loquitur de operibus moralibus *quæ vocantur diſpoſitiones ad gratiam*, & ipſe negat apertè *diſp. 6.* c opera naturæ eſſe etiam *remotas diſpoſitiones ad gratiam*. Ad hoc, quid juvat Molinam, quòd in illo loco hoc neget, ſi in quatuor contextualibus poſteà id expreſsè affirmat? Ipſe *in diſp. 9.* d dicit: illa opera naturalia eſſe *diſpoſitiones ad gratiam*. Et *diſp. 44.* e vocat illa opera naturalia *præparationem*, id eſt, diſpoſitionem ad gratiam: quià idem eſt, ut etiam PP. Societatis concedunt, præparatio atque diſpoſitio. Et *in diſp. 45. §. ex his patet* f, id expreſſiùs affirmat: *Ex his patet*, inquit,

c §. liberum pag. 19. col. 1.

d Pag. 28. col. 1.

e §. quod ad primum p. 179. col. 2.

f Pag. 184. col. 2.

inquit, *hos duos motus gratiæ prævenientis actiones eſſe vitales intellectûs & voluntatis, multùmque pendere à libero arbitrio, immò & liberum arbitrium poſſe illos deſiderare & petere à Deo, & quodammodò ſeipſum* APTARE *&* DISPONERE, *ut juxtà communem curſum & ordinem divinæ providentiæ, faciliùs ſibi à Deo donentur.* Et in iſto loco *ex q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 11. §. illud addendum eſt* a, hoc iterùm confirmat. Si ergo PP. Societatis notant Molinam ſibi contrariari, neceſſe eſt dicere, quòd in pejus in ſequentibus diſputationibus ab illâ ſextâ mutavit ſententiam. Et certè dicendum eſt Molinæ, ſicut S. Proſper *Lib. contrà Collator. cap. 4.* b dicit Caſſiano: *Doctor Catholice, cur profeſſionem tuam deſeris? Cur ad famoſam falſitatis caliginem, relictâ ſereniſſimæ veritatis luce, devolveris?* Si *in diſp. 6.* dixit opera naturalia non eſſe diſpoſitiones remotas ad gratiam; quare devolvitur ad hanc falſitatis caliginem, ut id poſteà in quatuor locis affirmet? Sed nec eſt contrarius Molina in iſtis locis. Legantur, & apparebit concordia. *In diſp.* enim *6.* c ſic dicit: *Liberum noſtrum arbitrium cum ſolo concurſu Dei generali nihil efficere poteſt, non ſolùm quod vitam æternam, aut gratiæ incrementum promereatur, ſed neque quod, tanquàm ordinem ad finem naturalem tranſcendens, commenſuratum cum fine ſupernaturali aliquo modo ſit, etiam tanquàm remota diſpoſitio ad gratiam.* Ubi apertè dicit, opera naturalia non eſſe diſpoſitiones remotas ad gratiam in ordine & gradu ſupernaturali. In quo & in Philoſophiâ errat, & graviùs in Catholicâ veritate: quià Philoſophia abhorret audire aliquam eſſe diſpoſitionem etiàm remotam ad aliquam formam, quæ non ſit ejuſdem ordinis cum tali formâ. Veritas autem Catholica contrà Pelagianos & Semipelagianos docet opera naturæ non eſſe diſpoſitiones ad gratiam.

a Pag. 372. col. 2.

b In App. tom. 10. Op. S. Auguſt. cap. 2. num. 7. col. 173.

c Pag. 19. col. 1.

Illud autem aliud quod recordor dixiſſe R. P. anteà ex Cajetano, & Cardinali Toleto; quòd propter minorem noſtrum conatum, quo reſurgimus à peccato, datur nobis minor gratia ex antiquâ amiſsâ: R. P. in hoc quaſi tranſeunter & paucis verbis inſinuavit, immò dixit, quòd ſicut auxilium quod ad aliquid datur, poteſt fieri quòd non operetur, ità poteſt eſſe remiſſior hominis operatio: in quo alludit ad ſuam ſententiam, quòd, videlicet, auxilium datur indifferenter, & quòd homo illud determinat ad hanc majorem vel minorem intenſionem, ſicut aliquandò illud reddit caſſum. Ad quod dicendum: quòd d *Spiritus ubi vult ſpirat*; & quòd e *diviſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus*; & quandò Spiritus ſanctus vult quòd iſte homo recuperet totam gratiam amiſſam, & reſurgat ferventer, datur auxilium ad hoc: & quandò vult, propter ſua alta judicia à nobis minùs comprehenſibilia, quòd non recuperet totam gratiam, ſed in minori reſurgat, tunc ad id dat auxilium proportionatum, faciens ſic hominem facere, & operans ut homo operetur; non autem quòd liberum arbitrium determinet illud auxilium, vel caſſum reddat, ut duæ cauſæ partiales. Dicunt enim Patres Societatis, quòd poſito auxilio ut quatuor, arbitrium poteſt actum intenſum ut centum producere. Sed ille exceſſus ſuprà auxilium, cui attribuetur: niſi ſolis naturæ viribus? Quis hoc dicat? Et hæc ſufficiant circà prædictam propoſitionem.

d Joan. 3. 8.

e 1. Cor. 12. 4.

Tunc P. Arrubal iterùm conabatur ad aliqua, quæ P. Lemos protulit, reſpondere. Dicebat 1°. in Societate nullum aſſerere, quòd ſuprà latitudinem auxilij, quis poſſit operari; ſed intrà latitudinem auxilij, unus plùs, alius minùs operatur. Deindè dicebat, quòd Caſſianus admittebat in operibus naturæ meritum, licèt non ad paritatem, ut conſtabat *ex cap. 13. Collat. 13.*, quod ibì legit; & ſic dicebat eſſe intelligendum Caſſianum.

Dicebat 2°. Caſſianum, cùm *in capite 16.* negat meritum, negare meritum ſicut à Pelagio conſtituebatur reſpectu omnium, non autem in parte

Digitized by Google

parte reſpectu ſecundi ordinis hominum, quos ipſe conſtituebat mereri gratiam ſuis naturæ operibus. Et dicebat, quòd S. Proſper aliquandò diceret ipſum Caſſianum ponere meritum, ſicut *in epiſt. ad Auguſt.* : *Auxilium gratiæ merito credulitatis acceperunt &c.* Aliquandò autem meritum inferebat ex ipſius aliis principiis.

Similiter dicebat : quòd ſicut modò definitâ veritate contrà Calviniſtas multi Doctores ſcribunt ; ità & tunc SS. Proſper, Hilarius, & Fulgentius contrà Semipelagianos tractabant.

Et cùm vellet ad aliud poſt hæc tranſire P. Arrubal, dixit F. Thomas: ſatisfaciam ad iſta, ſi placet. Cùm autem vellet dicere, proſecutus eſt, dicens : quòd ex illo loco Molinæ *ex diſp. 44.*; non probabatur Molinam ibi dicere illum conatum eſſe merè naturalem ; quià etiamſi loquatur de gratiâ præveniente in genere, quæ toto vitæ decurſu ſe offert, tamen non dicit, quòd conatus, qui eſt præparatio ad gratiam, antecedat omnem gratiam prævenientem ; & omnium primam, nec id colligebatur ex verbis ſubſequentibus ; quià in illis non dicebat, quòd propter illud opus naturale factum quòad ſubſtantiam, & elevatum à gratiâ, daretur gratia debilis.

Similiter dicebat circà ponderationem alterius ſecundi loci, quòd non obſtabant quæ fuerunt adducta ; quià Molina per verbum *antecedentem uſum* non intelligebat, eum qui antecedit omnem gratiam, ſed qui ſequitur ad unam, & antecedit aliam.

Similiter affirmabat, quòd verbum *quin* aliud addebat ſuprà anteà dicta. Undè ſenſus Molinæ erat : quòd propter bonum uſum futurum ex gratiâ habituali & juſtificante dabatur alius effectus prædeſtinationis, immò propter opera moraliter facta ex auxilio gratiæ prævenientis ante juſtificantem gratiam, aliquandò Deus conſuevit &c.

Dicebat 3°. quòd ex exemplo Molinæ aliud non colligebatur ; quià exemplum quantùm ad hoc tenebat, quòd ſicut propter peccatum Deus permittebat aliud, ità & propter bonum opus morale futurum ex divino auxilio, Deus conſuevit citiùs opitulari uni quàm alteri.

Ad illud autem de diſpoſitionibus dicebat : quòd ſatis admittitur, ſi admittatur ſic ſe habere bona opera naturalia ad gratiam, ſicut ſiccitas in ligno. Undè concordia Molinæ erat iſta : quòd cùm negat opera moralia eſſe diſpoſitiones remotas ad gratiam, loquitur de illis poſitivè conferentibus ad gratiam. Cùm autem dicit illas eſſe diſpoſitiones ad gratiam, loquitur de illis in quantùm removens prohibens, quæ de per ſe non conducunt ad gratiam. Et hoc modo dicebat eſſe intelligendum S. Thomam *in 2m. diſt. 28. art. 4.* cùm aït : *actus naturales eſſe diſpoſitiones ad gratiam.*

Similiter dixit : quòd cùm Molina eſſet optimus Philoſophus, vel ſaltèm mediocris, non eſt judicandum ipſum dixiſſe contrà omne rationis & Philoſophiæ lumen, opus naturale, cùm non ſit ejuſdem ordinis cum gratiâ, eſſe diſpoſitionem ad illam.

Similiter P. Vaſtida adducebat Stapletonium in quodam loco, & legebat quomodò propter minorem conatum arbitrij dabatur minor gratia. Ubì Stapletonius ad hoc ipſum Molinam citabat : immò hoc ſancto Thomæ attribuebat.

Similiter dicebat Vaſtida : quòd petebat, ut ſibi diceretur quid ſentirent PP, Prædicatores de illâ ſententiâ Cajetani : quòd cum æquali lumine gloriæ perfectiùs intellectus nobilior videret Deum. Nam P. Lemos in quibuſdam concluſionibus tenebat illam ſententiam Cajetani, illamque defendebat.

Statim, licèt multi ex aſſiſtentibus inſinuarent P. Lemos, ut nihil ampliùs diceret, tùm propter moram temporis, tùm etiam quià veritas ſatìs erat manifeſtata; tamen licentiâ à Sanctiſſimo obtentâ, dixit ſe breviſſimè non ad omnia, ſed ad aliqua principalia

 reſponſurum,

Digitized by Google

reſponſurum. Et incipiens ab hoc ultimo adducto à Vaſtidâ, dixit: Ego in Capitulo Generali Romæ celebrato juſſus ſum præſidere cuidam publicæ diſputationi, in quâ ſuſtentans defendebat illud Cajetani de æquali lumine gloriæ. Quem locum ità explicavi, ut expreſsè dicerem Cajetanum in illo loco debere intelligi, non quòd cum æquali lumine gloriæ intellectus in naturalibus perfectior intenſiùs Deum videat; hoc enìm dici non poteſt: ſed intendit quòd perfectiùs videt Deum, id eſt, actu in ſe perfectiori materialiter, ad modum quo S. Thomas *1. 2. q. 5. art. 4.* dicit quòd anima beati poſt reaſſumptionem corporis habebit perfectiorem actum quo videat Deum, quàm ante reaſſumptionem: quià, videlicet, ille eſt actus totius conjuncti & compoſiti; non tamen perfectiori modo ex parte objecti videt Deum. Et quidam Illuſtriſſimus fuit præſens huic diſputationi, qui ſcit ità me locutum fuiſſe. Teſtis eſt etiam P. Vaſtida. Sed quidquid ſit de Cajetano & ejus doctrinâ; modò Cajetanum non defendimus, nec de hoc agitur. Similiter & Sanctiſſimus dixit: modò de hoc non agitur.

Et proſecutus F. Thomas dixit: quòd PP. Societatis dixerunt, Molinam non dicere illum actum merè naturalem elevari à gratiâ. Jàm ſuprà relinquitur comprobatum, nec oportet iterùm loca Molinæ legere, in quibus hoc apertè ſæpiùs affirmat; ut patet *ex diſp. 45. §. accipe ergò* a, & ex multis aliis, quæ ob brevitatem omittuntur.

a *Pag. 184. col. 1.*

Ad illud autem quod dicunt de diſpoſitionibus; quòd, videlicèt, opera naturalia ſunt diſpoſitiones remotæ ad gratiam, non conferentes ad illam poſitivè, ſed per accidens removendo prohibens. Hoc nullo modo dici poteſt; quià nec per ſe, nec per accidens ordinem dicunt ad gratiam, nec prohibens tollitur niſi per auxilium gratiæ, ut alibì oſtendimus, præcipuè quià Molina non conſtituit illa opera naturalia eſſe per accidens ad gratiam, ſed aït, per ſe conducere ad illam, ut patet: nam *in diſp. 9.* b præmittit quòd homo per bona opera moralia eſt minùs indignus & minùs ineptus; ſed *in diſp. 12. §. primò, ℣. adde* c, aït hominem per opera naturalia eſſe aptum ad gratiam.

b *§. Patet tertiò p. 30. col. 1.*

c *℣. adde etiam. pag. 37. col. 2.*

Similiter quod ex Stapletone adducunt, quòd juxtà capacitatem conatûs detur gratia, ità quòd intenſio illius conatûs non habeatur ex gratiâ; nihil retulerit quòd malè ſentiat Stapletonius in hoc ſequens Molinam, ut ipſe Stapletonius formalibus verbis teſtatur. Quòd autem adducit ad hanc ſuam ſententiam Stapletonius S. Thomam: ſcilicèt, quòd S. Thomas *2. 2. q. 24. art. 2.* expreſsè explicans illud: d *& unicuique dedit ſecundùm ſuam virtutem*, dicit intelligendum eſſe, *quòd tantùm datur de charitate, quantùm homo habet de conatu arbitrij in actu ex priori auxilio gratiæ.* Itaque neceſſarium eſt, quòd tantùm detur de gratiâ & charitate, quantùm habetur de conatu arbitrij; ſed tantùm habetur de conatu, quantùm datur de priori auxilio, quod cauſat illum conatum.

d *Matth. 25. 16.*

Quià autem dixerat P. Arrubal: quòd nec Caſſianus affirmabat opera naturæ eſſe diſpoſitiones ad gratiam; dixit F. Thomas: P. Arrubal in ſecundâ Congregatione ex illis quibus ipſe interfuit, tenaciſſimè fecit inſtantiam, quòd Molina non admittebat illa opera naturæ eſſe diſpoſitiones ad gratiam, id verò concedere Caſſianum: & hanc inter utrumque conſtituit differentiam, quod, ut crediderim, habebitur in Actis; (omnia enìm quæ hìc aguntur, ſcribuntur in Actis) & tamen modò dicit P. Arrubal Caſſianum non conſtituere illa opera diſpoſitiones ad gratiam. Oportet quòd recordetur ſui ipſius.

Similiter ad id quod adducunt ex S. Thomâ *in 2m. diſt. 28. art. 4.*, ubì dicit, quòd actus naturales ſunt diſpoſitiones ad gratiam; (qui locus eſt multotiès adductus) ſæpiùs diximus S. Thomam ibì non aſſerere, quòd actus naturalis ex ſolis naturæ viribus factus,

Digitized by Google

factus, ſit diſpoſitio ad gratiam, ſive per ſe, ſive per accidens; ſed ut patet ex illo *art. 4. & ex 3. 2. & 1.* agit ibì de operibus naturalibus ex objecto & circumſtantiis, quæ non fiunt ab aliquâ gratiâ habituali, benè tamen ab auxilio actuali prævenientis gratiæ. Et mirum eſt, quòd PP. Societatis velint tribuere S. Thomæ, quod negant ſuo Doctori Molinæ.

Ad illud autem quod per admirationem dicit P. Arrubal, quòd Molina fuit optimus Philoſophus, nec ſit credendum quòd aſſeruerit aliquid ità contrà Philoſophiam & rationis lumen, quòd, videlicèt, opus merè naturale ſit diſpoſitio ad gratiam, cùm non ſit ejuſdem ordinis cum illâ: Sciant PP. Societatis, hoc fuiſſe officium arbitrij gratiâ deſolati. Nunquid enìm acutiſſimus Philoſophus fuit Pelagius, & ità acutus, ut ad illum expugnandum deſtinaverit Deus acutiſſimum Auguſtinum? Et tamen quià eum ob ſua crimina deſeruit divina gratia, hoc ipſum contrà omnis Philoſophiæ principium dixit: quòd opera naturæ diſpoſitiones erant ad gratiam. Acutiſſimus fuit Celeſtius, acutiſſimus Fauſtus, & Caſſianus: Et tamen hoc ipſum dixerunt.

Ad id autem ultimum & principale, quod aït P. Arrubal, Caſſianum verbis expreſſis conſtituiſſe meritum; oportet aperire totaliter contrarium. Et quidem *in cap. 13. Collat. 13.* ſic dicit: *Nec eſt quià illius in cruce Latronis præceſſerat fides, idcircò pronunciandum eſt, non ei beatam commorationem Paradiſi gratuitò eſſe promiſſam &c.* In quo loco ipſa verba manifeſtant, illum non loqui de merito in propriâ acceptione meriti; nam etiam apud Calepinum, verbum *mereri* ſumitur lato modo, pro eo quòd eſt obtinere, aſſequi, vel conſequi. Et iſto modo hìc ſumitur verbum *mereri* à Caſſiano, ut clariùs apparet ex verbis ſequentibus, cùm aït: *Quòd verò ſub breviſſimo temporis puncto indulgentiam horum criminum promeretur, Domini miſerentis eſt donum.* Eſt exemplum accommodatiſſimum. Canit Eccleſia, & compoſuit Gregorius magnus: *O felix culpa; quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem!* Si culpa, & potiſſimè primi Parentis quæ omnibus nocuit, quomodò meruit? Etenìm meritum omne ſivè de congruo ſivè de condigno repugnat culpæ: quià ut S. Auguſtinus aït: *non meretur peccator terram quam calcat.* Non ergò verbum *meruit* hìc ſumi poteſt pro merito; ſed eſt ſenſus: O felix culpa, quæ talem ex divinâ ſolâ miſericordiâ obtinuit Redemptorem! O felix culpa, quæ cùm ex ſe poſtularet Deum ultorem & juſtiſſimum damnatorem, talem ex ſolâ divinâ clementiâ obtinuit & conſecuta eſt Redemptorem! Non ergò in hâc parte Caſſianus utitur nomine meriti, niſi in hâc phraſi, ut ex contextu oſtenſum eſt.

Ad id autem quod dicunt PP. Societatis Caſſianum negaſſe meritum reſpectu omnium, ſicut ponitur à Pelagio, non autem reſpectu aliquorum. Immò totum contrarium conſtat ex contextu. Nam *in cap. 15.* præmiſerat illos duos ordines rerum, quorum quidam trahuntur inviti & ſine libertate, alij autem ſuâ libertate benè operantur, & Deus illis dat gratiam; & ſecundo iſto ordine conſtituerat fidem Latronis, & fidem Centurionis. Videns autem quòd ſtatìm contrà ipſum ſequebatur, quòd in illis operibus naturæ factis ab illis hominibus, quos numeravit in illo ſecundo ordine vocatorum, conſtitueret meritum, volens ſe occultare, & huic tacitæ objectioni reſpondere, ſtatìm *in cap. 16.* aït: *Nemo autem æſtimet hæc à nobis ob hoc fuiſſe prolata, ut nitamur adſtruere ſummam ſalutis in noſtræ fidei ditione conſiſtere, ſecundùm quorumdam profanam opinionem.* Hæc, id eſt, quæ dixerat de fide Centurionis & Latronis, quâ prævenerunt Deum, ut ponamus in illis meritum. Nam ſi ſic diceremus, incideremus in damnatam hæreſim Pelagij. Negat igitur meritum, non ſolùm reſpectu omnium in univerſali, ſed potiſſimè reſpectu illorum, quos

Digitized by Google

quos dixerat ſuis bonis operibus Deum prævenifſe. Et benè dicit Caſſianus, quòd ſi illis hominibus adſcriberet meritum, incideret in damnatam hæreſim Pelagij. Nam quòad intenſionem, tàm hæreſis eſt Pelagij aſſerere huic ſoli homini dari gratiam ob meritum naturæ, ſicut ſi dicatur quòd datur omnibus in univerſim hominibus gratia ex meritis; licèt differentia ſit, quòad majorem, vel minorem extenſionem. Similiter quod dicit Caſſianus, quòd totum adſcriberetur libero arbitrio, etiam conſequenter loquitur. Nam ſi aliqui homines merentur gratiam, totum deputatur libero arbitrio ipſorum; quià ei deputatur & meritum, & præmium, & totum eſt ſuum. Aliam etiam ſolutionem præcludi oportet, quâ dixerunt Patres Societatis: Caſſianum negare meritum de condigno, non de congruo.

Tunc Arrubal: non dixi de condigno, aut congruo; ſed ad paritatem. Tunc P. Lemos: non eſt aliud meritum, niſi vel de condigno, vel de congruo, nec oportet in materialibus inſiſtere. Idem omninò eſt meritum ad æqualitatem ſive paritatem, ac meritum de condigno; & meritum non ad paritatem, & meritum de congruo. Dico igitur: quòd Caſſianus omne meritum, tàm ad paritatem, quàm non ad paritatem, negavit; quià utrumque damnatum apertiſſimè videbat in prioribus Pelagianis. Ipſi enìm teſtante S. Auguſtino *L. 2. contrà duas epiſt. Pelagg. cap. 8.* a dicebant præcedere in homine imperfectam boni cupiditatem, id eſt, imperfectum meritum, non ad paritatem & æqualitatem; & tamen S. Auguſtinus ait: b *Verùm & ſic gratiam dicunt ſecundùm merita noſtra dari....... ſi enim per nos ſine gratiâ incipit cupiditas boni; ipſum cæptum erit meritum,* id eſt, quantumvìs dicant eſſe imperfectum, & non ad paritatem, ponunt ibì meritum, quià ponunt gratiam aliquo modo debitam. Cùm ergò Caſſianus hoc videret, manifeſtum eſt

a *Tom. 10. num. 17. col. 442.*

b *Ibid. num. 18. col. 443.*

ipſum verbis negare eſſe meritum, quamvìs magìs priincipaliter neget meritum ad paritatem, ut ex litterâ contextûs conſtat.

Tunc P. Arrubal dixit: quòd Caſſianus utatur vocabulo *meriti* in propriâ acceptione, patet; quià dicit quòd retributio fit illis operibus, vel remuneratio.

Tunc P. Lemos dixit: quòd fit retributio illis operibus, ſicut quibuſdam occaſionibus, non autem ſicut meritis; ut patet apertè, quià præmiſerat: *occaſiones quærens quibus &c.* Et alibì: *occaſione tantummodò à nobis bonæ voluntatis oblatâ.* c Quandò autem expreſſis & formalibus verbis hæc ſunt aperta in contextu, non eſt ampliùs commorandum. Et ſic finita fuit iſta diſputatio circà illam Duodecimam propoſitionem.

c *Lib. 12. inſtit. cap. 14.*

CUM autem Sanctiſſimus dubitaret propter temporis anguſtias de aliâ Decimâ-tertiâ propoſitione aggredi diſputationem, F. Thomas humiliter petivit, ut PP. Societatis dicerent, & quòd ipſe nihil omninò diceret.

Tunc Sanctiſſimus præcepit ut ad Decimam-tertiam procederetur, quæ talis eſt: *quòd poſſit homo medicum quærere, & ſanitatem deſiderare.* Cui reſpondens P. Arrubal, dixit: in hâc propoſitione Molinam cum Caſſiano non convenire. Quòd enìm Caſſianus illam diceret, erat manifeſtum: Molina autem, ut dicebat, non dicit: quòd poſſit homo medicum quærere, nec ſanitatem deſiderare; quià auxilium gratiæ, quod dicit Molina poſſe naturæ viribus deſiderari, ſanitas animæ non eſt. Deindè dicebat: quòd loca adducta ex Molinâ id non probabant. Nàm primus *ex diſp. 9.* non eſt affirmativus; ſed tantùm dicit: quòd licèt homo poſſit deſiderare auxilia gratiæ, hoc totum nullius valoris eſt: in quo id non affirmabat; ſicut nec aliquid affirmativè dicebat Paulus, dicens: d *ſi linguis hominum loquar & Angelorum &c.* Et quandò Molina

d *1. Cor. 13. 1.*

lina id aſſertivè diceret, quòd poteſt homo naturæ viribus deſiderare auxilia gratiæ, nihil protuliſſet quod à multis Scholaſticis non fuerit priùs dictum, qui affirmant poſſe hominem actu imperfecto deſiderare ſuam beatitudinem & ſalutem. Et de hoc imperfecto deſiderio loquebatur Molina. Et in particulari adducebat Catechiſmum Romanum, in quo habetur, *quòd naturæ eſt hominis pro ſe orare.* Idem adducebat ex S. Macario, & Bibliotecâ SS. Patrum. Idem affirmabat ex S. Thomâ *2. 2. q. 83. art. 10.* ubì dicit: *naturæ eſt hominis orare.* Immò S. Thomas *1. p. q. 12. art. 1.* aït: *quòd eſt in homine naturale deſiderium ad Deum videndum.* Quid autem magis eſt Deus, quàm auxilium gratiæ. Et in hoc finaliter perſiſtebat, & quædam alia ſimilia ad iſtum finem ordinata dixit. Sed præcipuè adduxit Reſponſiones quaſdam & Scripta FF. Prædicatorum, in quibus dicebant quòd Molina non ponit actum imperfectum deſiderandi, nàm ſi hoc dixiſſet non veniret damnandus.

Quo finito, quià valdè ſerò erat, & Sanctiſſimus gravabatur, dixit F. Thomas: circà iſtam propoſitionem ſæpiùs dictum eſt, & ad illa nos remittimus. Cui tamen præcepit Sanctiſſimus ut diceret. Et ſic incepit: breviſſimè oſtendam ſolam Theologiæ Regulam, quâ intelliguntur & explicantur omnia, quæ à principio ſunt poſita, & in quo ſenſu ſunt accipienda. Et hæc eſt talis: omnes Theologi fatentur, quòd ſi alicui Pagano proponatur res fidei, vel aliquod bonum maximum ſupernaturale, quòd poterit ipſe ſolis naturæ viribus habere quemdam imperfectum actum, quem vocamus velleïtatem, qui etiam ſolet eſſe de impoſſibilibus, quo vellet illud bonum, ſub communi tantùm ratione boni. non autem ut ſupernaturale eſt, nec actu abſoluto, ſive efficaci. At verò Molina dicit hanc propoſitionem cum quatuor conditionibus aggravantibus in infinitum. 1°. Quòd poteſt deſiderare auxilium gratiæ, ut ſupernaturale eſt; ut patet ex *diſp. 9.*, & *45. §. ex dictis.* 2°. Quòd ille actus eſt abſolutus, & non ſolùm velleïtas: ut dicit *diſp. 14.* 3°. Quòd poſito illo deſiderio Deus gratiam prævenientem tribuit. 4°. Quòd idem actus elevatur, & fit ſupernaturalis. Hæc quatuor à nullo Scholaſticorum dicuntur. Undè ad illud quod adducunt PP. Societatis ex noſtris Scriptis, dicendum: quòd nos ibì diximus poſſe hominem habere prædictam velleïtatem, & nihil aliud; & remittimus ad Scripta noſtra. Ad Catechiſmum autem Romanum, & ad id quod adjecit ex S. Macario, qui dicunt eſſe naturæ hominum orare; reſpondendum 1°. intelligi, quod in naturâ humanâ eſt capacitas ad orandum, quæ non eſt in lapide, ſicut in Libro de prædeſtinatione Sanctorum Auguſtinus aït: quòd *credere, naturæ eſt hominum*, id eſt, eſt capacitas in naturâ humanâ ad credendum.

Tunc Arrubal aït: non dicit Auguſtinus, quòd credere ſit naturæ hominum; ſed quòd poſſe credere eſt naturæ hominum.

Cui F. Thomas: de poſſe credere dico, quòd Auguſtinus, cùm aït poſſe credere eſt naturæ hominum, pro poſſe credere intelligit eſſe in homine capacitatem ad credendum, & ad fidem habendam.

Tunc P. Arrubal iterùm: aliquid aliud ſuper capacitatem dicit Auguſtinus.

Cui F. Thomas: nihil aliud ibì intelligit, ſecundùm omnium Theologorum interpretationem, & veritatem, niſi ſolam capacitatem: & aliud tribuere ſancto Auguſtino, eſt velle ipſum eſſe.....

Tunc P. Arrubal expreſſis verbis confeſſus fuit, quòd ibì intelligebatur capacitas animæ.

Cui ſtatim F. Thomas: jam convincitur, & fatetur de ſolâ capacitate intelligendum eſſe S. Auguſtinum. 2°. Intelligendum eſt, quòd cùm Catechiſmus, & alij Doctores dicunt: quòd animæ eſt hominum orare pro ſe, intendunt

Digitized by Google

tendunt quòd natura inclinat ad orandum pro ſe illa quæ ſunt proportionata naturæ, (ſicut Paganus, vel Philoſophus poterat à Deo authore naturæ, quem cognoſcebat, petere filios, uxorem, divitias, honorem, & alia pertinentia ad præſentem vitam; non autem quòd petere poſſint ſupernaturalia ut ſic.

Tunc Arrubal: etiam Molina non dicit, quòd poſſit homo naturæ viribus petere ſupernaturale ut ſic.

Cui P. Lemos: dicit expreſsè quòd poteſt petere auxilium gratiæ, ut eſt ad ſalutem neceſſarium, & ſatagere ſe ad id diſponere, ut patet *ex diſp. 9. & diſp. 45. §. ex dictis.*

Ad id autem quod adducitur ex S. Thomâ *1. p. q. 12. art. 1.* nolunt PP. litteram hujus articuli intelligere. Idem S. Thomas *Lib. 3. contrà Gentes cap. 51. vel 52.* loquens de deſiderio Angelorum, intelligit: quòd deſiderium ſit ad Deum authorem naturæ, non autem ad Deum clarè viſum ut authorem ſupernaturalium; & ſic intelligitur à Cajetano, Ferrarâ, & omnibus. Inquirit ergò S. Thomas in illo articulo: *utrùm beatitudo ſit poſſibilis?* Reſpondet concluſione affirmativâ: *poſſibilis eſt beatitudo.* Et probat hâc ratione: *Viſis effectibus naturale eſt deſiderare videre cauſam; ſed hoc deſiderium, cùm ſit naturæ, non eſt de impoſſibili; ergò poſſibile eſt ut videatur cauſa; & ſic beatitudo eſt poſſibilis.* In quâ ratione nullo modo intendit S. Thomas, quòd ſit in homine naturale deſiderium ad videndum Deum authorem ſupernaturalem; ſed tantùm ad Deum authorem naturæ, ſecundùm quòd cauſa eſt illorum effectuum naturalium: quià autem Deus ut author naturæ non poteſt videri, niſi etiam videatur ut author gratiæ, fit, ut ſi videre Deum, ut author naturæ eſt, ſit poſſibile, etiam ſit poſſibile videre Deum ut author gratiæ eſt. Hæc eſt ratio S. Thomæ. Nullo modo autem intendit quòd naturale deſiderium ſit ad videndum Deum authorem ſupernaturalem, ut PP. Societatis prætendunt. Hoc eſt omninò etiam contrà ſententiam S. Thomæ.

Tunc ultimo loco adduxerunt Magiſtrum Soto, qui dicebat: *hominem naturæ viribus poſſe petere à Deo & velle ipſum inflectere, & placare.*

Cui Pater Lemos: etiam Soto tantùm dicit, quòd Deum authorem naturæ poterat naturæ viribus velle inflectere & placare, ſi eum offendiſſet, deſiderio quodam, ut diximus, naturali & imperfecto. Et ſic finita fuit Congregatio, cùm duraſſet per quinque horas & dimidiam.

Digitized by Google

CONGREGATIO DECIMA SEPTIMA CORAM CLEMENTE VIII.

Habita fuit hæc Congregatio 5. Maij 1603. coràm Sanctiſſimo aſſiſtentibus Cardinalib⁹. omnibus uno excepto Burgheſio, ſimulq; omnibus Cenſoribus uno excepto Abbate de Farniâ Ordinis S. Benedicti.

In quâ Tertij Scripti à Sanctiſſimo dati poſtrema demùm examinata eſt Propoſitio, circà Molinæ cum Caſſiano concordiam, de gratuitâ Prædeſtinatione. Ubì obiter actum eſt de Scientiâ-mediâ, & variè à Clemente VIII. Molinæ Defenſores fuère exagitati.

Vide Hiſt. Congr. de Auxil. l. 3. cap. 22. col. 465. & ſeqq.

IN hâc Congregatione actum fuit de illâ ultimâ Propoſitione inter omnes illas Quatuordecim, quæ pro convenientiâ Molinæ cum Caſſiano examinabantur ex Sanctiſſimi præcepto; quæ propoſitio de prædeſtinatione procedebat, & erat hujuſmodi: *Quòd nemo illorum velit fateri prædeſtinationem merè gratuitam aliquorum eſſe non omnium.*

Circà hanc propoſitionem, P. Artubal ſic dicebat, ſub correctione Sanctiſſimi: Caſſianum non negaſſe prædeſtinationem gratuitam aliquorum eſſe, nec in hoc erraſſe; ſed in hoc erravit, quòd conſtituerit duos ordines rerum, in quorum primo Deus gratuitò aliquos prædeſtinabat, illos omninò præveniendo; in ſecundo autem non prædeſtinabat omnes gratuitò, ſed propter præcedentia initia naturæ, quæ in ipſis prævidebantur. Deindè dicebat Molinam ſæpè dicere prædeſtinationem omninò gratuitam eſſe reſpectu ipſorum prædeſtinatorum. Quod ut ſuaderet, plurima Molinæ loca legebat, potiſſimè *ex diſput. 1. quæſt. 23. membro 10.* a in quibus Molina ſæpiſſimè affirmabat prædeſtinationem non fieri ob præſcientiam boni uſûs, nec propter bonum uſum præviſum; ſed ſolùm eſſe referendam in gratuitam Dei voluntatem: aſſerebatque ità Molinam hoc clamare, ut etiam ſurdi hoc poſſint audire, ut Molina teſtabatur *in memb. 12.* b *addito poſt primam impreſſionem*: ubì dicebat ſe clamare ſæpiùs in Concordiâ, quòd prædeſtinationem non poneret propter præſcientiam boni uſûs, ſed merè gratuitò. Similiter aſſerebat quòd ſi ipſe Molina ſuam doctrinam in quodam folio ſcripſiſſet, omnibus appareret quomodò non conſtituat prædeſtinationem propter præſcientiam boni uſûs, ſed merè gratuitam reſpectu omnium eorum qui ſalvantur. Similiterque affirmabat, tàm certum eſſe Molinam conſtituere prædeſtinationem gratuitam aliquorum, & non propter præviſum uſum, ſicut erat certum hanc ſcripſiſſe Concordiam.

a *§. Hinc efficitur p. 355. col. 1.*

b *§. Non poſſum pag. 373. col. 2.*

Quòd autem Molina, aiebat, illum locum Pauli: c *qui vult omnes homines ſalvos fieri*, ſic explicaret, ut intelligeretur de omnibus univerſim hominibus, ſi nempè ipſi voluerint, nihil in hoc dicit, ex quo colligatur ipſum negare prædeſtinationem gratuitam eſſe aliquorum, vel prædeſtinationem fieri propter præſcientiam boni uſûs. Nàm unus Scripturæ locus poteſt habere plures litterales ſenſus. Immò ipſe S. Auguſtinus, qui intelligit illum locum in aliquibus locis doctrinæ ſuæ de aliquibus hominibus, videlicèt, *Lib. de Spirit. & Litt.*; etiàm illum intelligit ſicut ipſe Molina, videlicèt, de

c *1. Tim 2. 4.*

de omnibus hominibus, ſi tamen voluerint ſalvari.

Prætereà dicebat: duplicem quæſtionem hìc eſſe diſtinguendam; alteram in prædeſtinatione, & alteram in reprobatione. Nàm reprobatio ſecundùm S. Auguſtinum, certum erat quòd fiebat propter peccatum originale. Quam ſententiam Auguſtini Magiſter Bannez rotundè dicebat eſſe improbabilem. Sed de iſtâ quæſtione, dicebat Arrubal, ad præſens non agitur; ſed de aliâ, quæ eſt circà prædeſtinationem. Quod autem Molina affirmabat, hoc erat, quòd reprobatio fiebat propter demeritum & peccatum originale; quod tenebat cum S. Auguſtino, & cum multis aliis, qui hanc ſententiam amplectuntur. Cæterùm de prædeſtinatione ipſe nunquàm dixit, quòd fieret propter præſcientiam: immò cum S. Thomâ, & S. Auguſtino affirmabat eſſe gratuitam; & ad hoc propoſitum intelligebat *illum §um. Molinæ: utrùm autem S. Thomas tantùm intenderit illud primum. Ex q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 6.* a Ubi fatebatur Molina, ſe cum S. Thomâ, & communi Scholaſticorum ſententiâ tenere illud primum, videlicet, prædeſtinationem eſſe abſque prævisis operibus. An verò S. Thomas teneat illud aliud ſecundum, quòd, videlicèt, etiàm reprobatio fiat ſine prævisione demeriti, ut verba S. Thomæ redolere videntur, alij judicent, dicebat Molina.

a *Pag. 331. col. 2.*

Prætereà aſſerebat prædictus Pater Arrubal, ità eſſe conſtituendam prædeſtinationem gratuitam reſpectu aliquorum, ut non conſtituatur impoſſibilis, vel inexplicabilis. Nàm imponebatur S. Auguſtino, quòd ipſe diceret concordiam liberi arbitrij cum gratiâ eſſe impoſſibilem. Ad quod ipſe reſpondens aïebat, ſe non dixiſſe impoſſibilem concordiam liberi arbitrij cum gratiâ, ſed eſſe difficilem. Molina autem ità illam explicat, ut nonnihil claritatis adducat circà illam.

Prætereà dicebat myſterium prædeſtinationis in hoc eſſe ſitum, quòd Deus velit gratìs prædeſtinatos conſtituere in illo ordine rerum, ubì ſciebat illos benè uſuros auxilio gratiæ. Pelagiani autem errabant, quià dicebant, Deum prædeſtinare illos quos videbat benè uſuros ante auxilium gratiæ.

Et circà prædictam præſcientiam, dicebat Arrubal illam tradi ab Auguſtino *Lib. de dono perſev. cap. 14.* b agente de Tyriis & Sydoniis. Ubì & reſpondebat S. Proſpero, qui interrogabat de tali præſcientiâ *in epiſtol. ad Auguſt.* Et ipſe S. Auguſtinus *in illo cap. 14.* reſpondet, admittendam eſſe præſcientiam illam. Secundò præſcientiam iſtam, ſive prædeſtinationem ſecundùm illam dicebat eſſe admittendam, ex eo quòd nec Cæleſtinus, nec Concilium Arauſicanum aliquid definierint contrà illam præſcientiam: quod erat evidens ſignum, quòd illa continebat ſanam doctrinam. Aliàs, cùm de ipsâ tunc ageretur, damnaretur à Concilio, & à Cæleſtino. Tertiò id nitebatur probare; quià per iſtam præſcientiam ſalvatur, quomodò divina prædeſtinatio non tollat libertatem, & optimè utrumque conciliatur, & hæreſis hæreticorum hujus temporis optimè confutatur. Nàm, ut aïebat, hæreſis Semipelagianorum non ità extenſa fuit, ſed in quâdam parte minimâ orbis. Cæterùm hæreſis hæreticorum hujus temporis maximè extenſa eſt. Undè oportet illam magìs damnare.

b *Tom. 10. n. 35. col. 839.*

Prætereà dicebat: quòd etiam PP. Dominicani illam præſcientiam tenentur admittere ante decretum divinæ voluntatis. Nàm ipſi dicunt: quòd Deus ſcit, quòd ſi datum fuerit alicui auxilium efficax, ipſe certiſſimè convertitur; ergò hoc eſt ſcibile per ſcientiam mediam. Et in hoc multùm inſtabat. Atque ultimò adduxit in confirmationem hujus ſuæ ſententiæ hos Doctores: Gregorium de Valentiâ, D. Cardinalem Bellarminum, & Stapletonium, & neſcio ſi quem alium hujuſmodi conditionis. Similiter P. Vaſtida legebat quemdam ex hujuſmodi modernis

Digitized by Google

dernis. Crediderim fuiſſe Stapletonium. Et Pater Arrubal ponderabat, quòd iſti Doctores ſcribebant contrà Hæreticos hujus temporis. Undè videbatur quòd Spiritus Sanctus illos illuminaret de veritate tenendâ, & quòd veritatem contrà hæreticos hujus temporis affirmarent, conciliantes humanam libertatem cum divinâ prædeſtinatione per illam præſcientiam mediam. Et ultimò concludebat: quòd præſcire Deum abſolutè aliquid fore futurum antecedenter ad ſuam liberam voluntatem, erat Pelagianum. At verò præſcire aliquid ſub conditione futurum eſſe ante determinationem divinæ voluntatis, non erat Pelagianum.

Cùm autem adduxiſſent iſti Patres hujuſmodi Doctores modernos, ex ſuâ familiâ, in confirmationem ſuæ doctrinæ, dixit eis Pontifex Summus: *Non habetis alios Doctores, Fulgentium, Proſperum &c. ut hìc illos adducatis?* Finito iſto ipſorum diſcurſu, (nec enìm recordor, ſi in ſubſtantiâ aliquid aliud propoſuerunt per duas ferè horas) deſtiterunt. Sed notandum quòd loquebatur Arrubal cum maximâ audaciâ, & multa acria contrà Fratres Prædicatores dicebat. Quæ omnia nihil facimus; quià ad rerum ſubſtantiam non pertinent.

Tunc ex more F. Thomas, omnia ad pedes Sanctiſſimi conſtituens, ſic incepit: prædeſtinatio electorum, quam conſtituit Molina, ipſiſſima eſt quam primitùs conſtituerunt Semipelagiani, relati à S. Proſpero *in epiſt. ad ſanctum Patrem Auguſtinum*. Quatuor enìm in ſummâ, ut ex illâ epiſtolâ ſatis conſtat, de divinâ prædeſtinatione Semipelagiani conſtituerunt.

Im. erat; prædeſtinationem Electorum non fieri ſecundùm propoſitum abſolutum Dei ante omnem præſcientiam boni uſûs ſive abſolutam ſive conditionatam: quià, ut dicebant, aliàs tolleretur libertas, hominibuſque imponeretur fatalis quædam neceſſitas. Hoc fuiſſe unicum & ſingulare Semipelagianorum fundamentum refert de ipſis S. Proſper in prædictâ epiſtolâ, cujus verba ſunt: [a] *Removeri itaque omnem induſtriam, tollíque virtutes; ſi Dei conſtitutio humanas præveniat voluntates; & ſub prædeſtinationis hoc nomine, fatalem quandam induci neceſſitatem.*

[a] *Nunc inter Auguſt. 225. num. 3. col. 821. tom. 2.*

Ex hoc fundamento, aliud inferebant in hunc modum: prædeſtinatio Electorum eſt ſecundùm præſcientiam boni uſûs futuri; ità quòd tota certitudo prædeſtinationis ex illâ præſcientiâ oriebatur. Hoc IIm. refert ſanctus Proſper dixiſſe Semipelagianos his verbis: [b] *Penè omnium par invenitur & una ſententia, quâ propoſitum & prædeſtinationem Dei ſecundùm præſcientiam receperunt.* Itaque propoſitum admittebant; ſed ſecundùm priorem præſcientiam. Quod immediatè antecedentibus verbis magìs explicaverat idem S. Doctor, cùm inter illa tria, de quibus poſtulabat ab Auguſtino informari, unum erat: [c] an propoſitum divinum ſubdatur in certitudine præſcientiæ; an verò præſcientia ſubdatur certitudini propoſiti? Hoc refert S. Proſper his verbis: *Ac primùm, quià plerique non putant Chriſtianam fidem hâc diſſenſione violari, quantùm periculi ſit in eorum perſuaſione, patefacias. Deindè, quomodò per ipſam præoperantem & cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium. Tùm utrùm præſcientia Dei ità ſecundùm propoſitum maneat, ut ea ipſa quæ ſunt propoſita, ſint accipienda præſcita? An per genera cauſarum, & ſpecies perſonarum, iſta varientur? ut, quià diverſæ ſunt vocationes, in his qui nihil operaturi ſalvantur quaſi ſolum Dei propoſitum videatur exiſtere; in his autem qui aliquid boni acturi ſunt, per præſcientiam poſſit ſtare propoſitum; an verò uniformiter? licèt dividi præſcientia à propoſito temporali diſtinctione non poſſit; præſcientia tamen quodam ordine ſit ſubnixa propoſito: & ſicut nihil ſit quorumcunque negotiorum, quod non ſcientia divina prævenerit; ità nihil ſit boni, quod in noſtram participationem non Deo authore defluxerit.*

[b] *Ibidem num. 8. col. 824.*

[c] *Ibid. n. 8. col. 824.*

Quo loco integrè lecto, dixit F. Thomas: tota quæſtio inter Catholicos & Maſſilienſes, hæc fuit: an prædeſtinatio haberet certitudinem ex propoſito, vel illam haberet ex præſcientiâ? ut hìc palàm dicit S. Proſper.

Ex utroque iſto fundamento, quòd, videlicèt, prædeſtinatio non erat certa ex propoſito, ſed ex ſolâ præſcientiâ, intulerunt Semipelagiani illud IIIm. fundamentum propoſitum in propoſitione, quam Sanctitas Veſtra præcepit examinari. Dicebat enim prædeſtinationem non eſſe gratuitam reſpectu aliquorum in particulari, ſed ex parte Dei communem & æqualem eſſe reſpectu omnium. Hoc idem de Semipelagianis refert S. Proſper ſub his verbis: a *Hæc enim ipſorum definitio & profeſſio eſt: omnem quidem hominem, Adam peccante, peccaſſe; & neminem per opera ſua, ſed per Dei gratiam regeneratione ſalvari: univerſis tamen hominibus propitiationem, quæ eſt in Sacramento Sanguinis Chriſti, ſine exceptione eſſe propoſitam; ut quicunque ad fidem & ad Baptiſmum accedere voluerint, ſalvi eſſe poſſint. Qui autem credituri ſunt, quivè in eâ fide, quæ deinceps per Dei gratiam ſit juvanda, manſuri ſunt, præſciſſe ante mundi conſtitutionem Deum, & eos prædeſtinaſſe in Regnum ſuum, quos gratìs vocatos, dignos futuros electione, & de hâc vitâ bono fine exceſſuros eſſe præviderit.* Quem locum integrum ibì recitavit F. Thomas, & ſimiliter alium ſimilem qui in eâdem habetur epiſtolâ his verbis: b *Itaque quantùm ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam: quantùm autem ad arbitrij libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo ſponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.* Parique modo alium tertium locum ad hoc ipſum propoſitum legit *ex eâdem epiſtolâ.* c *Propoſitum autem vocantis gratiæ, in hoc omninò definiunt, quòd Deus conſtituerit nullum in Regnum ſuum, niſi per Sacramentum regenerationis aſſumere, & ad hoc ſalutis donum omnes homines univerſaliter, ſivè per naturalem, ſive per ſcriptam legem, ſive per Evangelicam prædicationem vocari. Ut, & qui voluerint, fiant filij Dei; & inexcuſabiles ſint, qui fideles eſſe noluerint: quià juſtitia Dei in eo ſit, ut qui non crediderint, pereant: bonitas in eo appareat, ſi neminem repellat à vitâ, ſed indifferenter univerſos velit ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Quo lecto dixit F. Thomas: conſtat apertè Semipelagianos aſſerere, prædeſtinationem ex parte Dei eſſe indifferentem, & æqualem, & ſolam differentiam inter prædeſtinatos & non prædeſtinatos eſſe ex parte præſcientiæ boni uſûs; ità quòd Deum prædeſtinare nihil aliud erat, quàm vocare gratìs hominem in illâ occaſione, ubì ſciebat ipſum benè uſurum auxilio gratiæ, & in ipſo perſeveraturum: qui autem ſic non prævidebantur benè uſuri, manebant reprobati. Et dicebant quòd prævidebantur benè uſuri ſub auxilio gratiæ. Itaque auxilium gratiæ admittebant, quod eſt valdè conſiderandum. Potiſſimùm autem in hanc præcipitabantur ſententiam, propter pravam intelligentiam hujus loci D. Pauli: *qui vult omnes homines ſalvos fieri.* Contendebant enim Apoſtolum, prædeſtinationem communem, & ex parte Dei æqualem reſpectu omnium conſtituiſſe, nec poſſe prædictum locum reſtringi ad prædeſtinationem in particulari aliquorum; in tantùm ut Caſſianus reprehenderet ſanctum Auguſtinum ob hoc, *in Collat. 13. cap. 7.* his verbis: *Qui enim ut pereat unus ex puſillis non habet voluntatem, quomodò ſine ingenti ſacrilegio putandus eſt, non univerſaliter omnes, ſed quoſdam ſalvos fieri velle pro omnibus?* Et paulò inferiùs: *Præſto eſt ergò quotidiè Dei gratia, quæ dum vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, cunctos abſque ullâ exceptione convocat dicens:* d *venite ad me omnes qui laboratis, &c.* Hoc ergò erat 3m. fundamentum Semipelagianorum.

IVm. & ultimum ipſorum fundamentum, quod evidentiſſimè ex prioribus ſequebatur, erat: quòd prædeſtinatio

a Ibid. n. 3. col. 821.
b Ibid. n. 6. col. 823.
c Ibid. n. 4. col. 822.
d Matth. 11.

tinatio fiebat propter præſcientiam boni uſûs; hoc eſt clariùs dicere, quòd prædeſtinatio reddebatur certa propter præſcientiam boni uſûs. Idem eſt omninò, (quod eſt attentè conſiderandum) prædeſtinationem eſſe certam propter præſcientiam boni uſûs, & fieri prædeſtinationem propter illam præſcientiam. Hoc dixerunt Semipelagiani, ut refert S. Proſper *in prædictâ epiſtolâ*, illis verbis: a *Penè par omnium invenitur & una ſententia, quâ propoſitum & prædeſtinationem Dei ſecundùm præſcientiam receperunt: ut ob hoc Deus alios vaſa honoris, alios contumeliæ fecerit, quià finem uniuſcujuſque prævíderit, & ſub illo gratiæ auxilio, in quâ futurus eſſet voluntate & actione, præſcierit.* Sub ipſo, dicit, gratiæ auxilio. Itaque præſcientia boni uſûs ſub gratiæ adjutorio, certa ex ſolâ præſcientiâ eſt prædeſtinatio Semipelagianorum. Ex his quatuor fundamentis circà divinam prædeſtinationem, conſequenter loquendo, inferebant Semipelagiani omnes alios ſuos errores, quos circà divinam gratiam affirmabant.

a *Inter Auguſt. 225. num. 8. col. 824. tom. 2.*

Quòd autem Molina hæc ipſa quatuor fundamenta apertè teneat, oſtendendum eſt modò: & quidem illud Im. Semipelagianorum fundamentum, quòd prædeſtinatio non ſit ſecundùm propoſitum, ante omnem præſcientiam mediam, ſicut unicum ſuæ doctrinæ fundamentum elegit Molina; ut conſtat apertè *ex q. 14. art. 13. diſp. 53. memb. 2. §. nunc ad id, uſque, perit namque arbitrij libertas.* b Et etiam *ex q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 12. §. illud addamus, uſque, non poſſit non evenire.* c Ubì expreſſis & formalibus verbis dicit cùm Semipelagianis, prædeſtinationem ſecundùm propoſitum Dei abſolutum ante præſcientiam inferre fatalem neceſſitatem. Et probat fatalem neceſſitatem argumentò quodam factò à Tullio, ut in terminis refert S. Thomas *Lib. 3. contrà Gentes cap. 94.* ubì dicit illud argumentum Ciceronis frivolum eſſe. Itaque Molina in ipſiſſimis terminis primum fundamentum Semipelagianorum tenet; quod etiam fuit primorum Pelagianorum, ut dicit S. Auguſtinus *Lib. 2. contrà duas epiſt. Pelagg. cap. 5.* d Et *de corrept. & grat. capp. 2. 3. 4. & 5.* quod pro nunc omitto.

b *Pag. 254. col. 1.*
c *Pag. 378. col. 2.*
d *Tom. 10. num. 8. col. 436. & 437.*

Ex iſto fundamento infert Molina illud aliud IIm., quòd, videlicèt prædeſtinatio ſit ſecundùm præſcientiam boni uſûs, ità ut ab ipſâ præſcientiâ proveniat tota certitudo in prædeſtinatione. Ità dicit expreſsè Molina ſæpè in Concordiâ; ut patet *ex q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 11. §. ſecunda concluſio.* e Et §. *ex his*, f ℣. *ut enim.* Et §. *tertia concluſio in principio, & in medio, & in fine.* g Ubì multotiès repetit, à ſolâ præſcientiâ, & non aliundè provenire certitudinem prædeſtinationis.

e *Pag. 357. col. 1.*
f *Pag. 358. col. 2.*
g *Ibidem.*

Ex utróque autem hoc fundamento, quòd prædeſtinatio eſt ſecundùm præſcientiam, & non ſecundùm propoſitum, infert Molina illud IIIm. Semipelagianorum fundamentum: quòd nempè, prædeſtinatio non ſit gratuita reſpectu aliquorum in particulari. Hoc 1°. dicit expreſſis verbis *q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 13. §. verùm non arbitramur.* h ubì id tenet formalibus verbis.

h *Pag. 383. col. 2.*

Et quià Semipelagiani propter pravam intelligentiam illius loci D. Pauli: i *qui vult omnes homines ſalvos fieri*, id affirmabant; & jàm Molina propter eandem pravam intelligentiam ejuſdem loci id tenet; ut conſtat *ex q. 23. diſp. 1. memb. ult. §. credens autem Auguſtinus.* k ubì ſic ait: *credens autem Auguſtinus cum iis, quæ de gratiâ adversùs hæreſim Pelagianam ex Scripturis rectiſſimè docuerat, conjunctum eſſe, prædeſtinationem Dei æternam non fuiſſe ſecundùm merita, qualitatemque uſûs liberi arbitrij à Deo prævisi; ſed ſolùm ſecundùm Dei electionem & beneplacitum (quod in quò ſenſu veriſſimum ſit, membro 12. explicatum eſt) juxtà eam ſententiam, Paulum ad Roman. 9. multis in ſuorum operum locis interpretatus eſt, reſtrinxitque illud 1. ad Timot. 2. vult omnes homines ſalvos fieri; ut non de omnibus univerſim hominibus, ſed de ſolis prædeſtinatis intelligeretur.*

i *1. Tim. 2. 4.*
k *Pag. 386. col. 1.*

Digitized by Google

a Horribilis & impia exprobratio S. Auguſtino facta à Molinâ.

a *Quæ doctrina plurimos ex fidelibus, præſertim ex iis qui in Galliâ morabantur, non ſolùm indoctos, ſed etiam doctos, mirum in modum turbavit, nè dicam illius occaſione ſalutem eorum fuiſſe periclitatam. Nè enim ejuſmodi Doctrinæ adhærerent, hæreſi potiùs Pelagianæ ex parte aſſentiendum putabant, varioſque alios errores circà parvulorum prædeſtinationem confingebant.* Hactenùs Molina. Quem locum ibì legit F. Thomas, & dixit; quòd magis & acriùs increpat Molina S. Auguſtinum, quàm Caſſianus ipſe. Si quidem dicit doctrinam Auguſtini turbaſſe fideles, & occaſione illius ſalutem illorum fuiſſe periclitatam. Et quod dicit: quòd doctrinæ Pelagianorum adhæſerunt, nè aſſentirent doctrinæ S. Auguſtini. Id ipſum fecit Molina. Ex eo enìm quòd divertit à doctrinâ S. Auguſtini, acceſſit ad Pelagianos. Non enìm poteſt dari medium in hâc parte. Si enìm cum S. Auguſtino non teneatur prædeſtinatio ſecundùm propoſitum, quam ex Apoſtolo ſæpiùs prædicat, neceſſe eſt quòd prædeſtinatio ſecundùm præſcientiam defendatur cum Pelagianis & Semipelagianis.

b Pag. 274. col. 1.

Idipſum dicit Molina expreſſiùs *q. 19. art. 6. diſp. 1. §. ex his conſtat,* b his verbis: *Ex his conſtat, in Deo optimo maximo conſtituendam eſſe volitionem, tùm bonitate ac pietate ejus digniſſimam, tùm libero arbitrio creato, probationique, quâ ad præmij palmam nos perducere conſtituebat, maximè conſentaneam, quâ, videlicèt, homines omnes, & Angelos, quos condere ſtatuebat, ex æternitate voluerit ſalvos fieri, ſempiternamque vitam, mediaque ad eum finem neceſſaria, eis conferre; ſub conditione tamen, ſi per ipſos, aut primum Parentem non ſtaret. Undè ceſſat objectio quam ſæpiùs Auguſtinus repetit, quæque in causâ fuit ut teſtimonium Pauli, non de omnibus univerſim hominibus exponeret, ſed ad tres illas expoſitiones relatas confugeret. Sæpè enim objicit, pueros in uteris maternis interdùm perire ante Baptiſmum; neque tamen per pueros, neque per Parentes, neque etiam per miniſtros Eccleſiæ ſtare, qui percuperent eis ſubvenire, & remedium Baptiſmi ad ſalutem adhibere; nec tamen poſſunt. Non ergò Deus vult omnes univerſim homines ſalvos fieri, etiam ſub conditione illâ, ſi per ipſos, aut Parentes, aut miniſtros Eccleſiæ non ſtaret. Ad hanc enìm difficultatem reſpondendum eſt: Deum, ſpectatâ primâ conditione generis humani, velle omnes homines nemine excepto, ſalvos fieri, ſi per ipſos vel primum Parentem, cui primò dona gratuita, toti ſoboli per generationem commmunicanda, collata ſunt, non ſtet. Poſitâ verò ruinâ generis humani, & beneficio redemptionis, velle etiam omnes ſalvos fieri, ſervatâ tamen conſtitutione curſuque cauſarum univerſi, dependenterque à libero arbitrio hominis, ut explicatum eſt.* Qui locus, cùm eſſet lectus, conſtabat, quòd reprehendebat Molina Auguſtinum, ſicut confugientem ad illas tres explicationes &c. Et ibì Molina dicit: quòd ceſſat objectio S. Auguſtini de parvulis, & reſpondet illi, ut appareat quomodò ſententiam S. Auguſtini in materiâ de prædeſtinatione teneat, qui reſpondet fundamento Auguſtini, quo de Pelagianis triumphavit.

Et *in quæſt. 23. art. 4. & 5. diſput. 1. memb. 6.* ſatis declarat ſe tenere contrà SS. Auguſtinum & Thomam. Nàm *in §. utrùm autem,* c dicit de S. Thomâ, quòd fortè non tàm durè ſentit de Deo, ut prædeſtinationem conſtituat ſecundùm propoſitum, & ante præviſionem boni uſûs. Et *in §. quod ad Auguſtinum,* d dicit: ſententiam Auguſtini conſtituentis prædeſtinationem ſecundùm propoſitum fuiſſe eo tempore novam. Et hoc ipſum dixerunt Semipelagiani de ipsâ, ut refert S. Proſper Epiſtolâ ſæpiùs citatâ ad Auguſtinum. Deindè dicit: quòd quià S. Auguſtinus ſentit prædeſtinationem fieri ſine præſcientiâ, turbavit multos. Ubì jam Molina expreſsè dicit ſanctum Auguſtinum illius ſententiam de præſcientiâ non tenere. Et iterùm ibì dicit: nec ſanctum Thomam, nec ſanctum Auguſtinum attendiſſe ad tollendam duritiem illius propoſitionis.

c Pag. 331. col. 2.

d Pag. 332. col. 1.

Digitized by Google

nis. Et ſolùm Molina ad hoc attendit.

Hùc uſque legit F. Thomas locum iſtum. Omiſit tamen alia & alia, quæ Molina dicit, graviſſima. Statìm enìm ſubdit: a *Interìm verò dùm ſub eâ quaſi caligine, D. Auguſtinus ad hoc non attendit.* Doctrina tamen S. Auguſtini de prædeſtinatione eſt doctrina & fides Eccleſiæ, per tot Pontifices approbata. Undè ſi S. Auguſtinus eſt in hâc parte *in caligine*, fit conſequens quòd Eccleſiæ doctrina ſub caligine ſit. Hoc dicit Molina. Nec enìm ignorare potuit doctrinam Auguſtini de prædeſtinatione per Eccleſiam eſſe approbatam, & confirmatam.

Maxima Molinâ S. Auguſtino illata injuria.

Et iterùm *in §. ex his patet*, b ubì planè docet: quòd etiamſi Thomas & Auguſtinus contrariam teneant ſententiam, non eſſe recedendum à doctrinâ quam ipſe Molina è contrario tradit.

b *Pag. 333. col. 1.*

Et prætereà, quid Molina ſentiat de hâc ſuâ, de prædeſtinatione, doctrinâ, & quomodò apertè fateatur eſſe contrà SS. Auguſtinum & Thomam, clarè dicit *memb. 11. §. de ſecundâ:* c ubì dicit: quòd de hâc ſecundâ quæſtione; (quòd, videlicet, prædeſtinatio non ſit ſine præſcientiâ) parùm, vel nihil, tàm Patres, quàm Doctores Scholaſtici locuti ſunt. Fatetur ergò expreſsè ſuam doctrinam novam, & à nullo traditam. Doctrina autem nova in materiâ graviſſimâ de prædeſtinatione, qualis erit?

c *Pag. 369. col. 2.*

Et tandem Molina *eâd. diſp. memb. ultimo §. licèt ſemper, ℣. ac quamvìs ij hæretici.* d concludit, & apertè dicit totam Eccleſiam uſque ad tempora Molinæ, non abundè & perfectè tradidiſſe concordiam liberi arbitrij cum gratiâ, & quòd ipſe ſolus eam invenit. Sed omnia iſta omitto, & concludo hoc III^m. punctum; quòd expreſsè tenet Molina, prædeſtinationem Electorum non eſſe gratuitam reſpectu aliquorum in particulari. Secundò quòd propter falſam intelligentiam hujus loci S. Pauli: e *qui vult omnes homines ſalvos fieri*, cum Semipelagianis erraverit. Tertiò quòd increpat ſanctum Auguſtinum, ſicut & Caſſianus; immò multò acriùs.

d *Pag. 387. col. 1.*

e *1. Tim. 2. 4.*

IV^m. & ultimum punctum & fundamentum Semipelagianorum fuit, quòd prædeſtinatio fieret propter præſcientiam boni uſûs, id eſt, ex operibus, contrà D. Paulum. In hoc puncto eſt tota difficultas, & excuſatio Molinæ, & eorum qui ipſius tenent ſententiam. Dicunt enìm ſæpiùs, & ipſe Molina dixit in locis citatis à R. P. Arrubal, quòd ipſe ponit prædeſtinationem gratuitam, & non propter prævisum meritum; & hoc modo putant ſe excuſari ab errore Semipelagianorum. At verò ex tribus fundamentis prioribus, quæ Molina tenet expreſsè, evidentiſſimè infertur hoc ultimum: quòd, videlicèt, prædeſtinatio ſit propter præſcientiam boni uſûs. Undè, velit nolit, convincitur Molina, quòd dicat prædeſtinationem fieri propter præviſum uſum. Nam Molina multotiès dicit totam certitudinem prædeſtinationis provenire à præſcientiâ illâ mediâ; ergò tenet, quòd prædeſtinatio eſt certa propter præſcientiam illam; ergò tenet quòd prædeſtinatio ſit propter præſcientiam. Idem enìm omninò eſt, eſſe prædeſtinationem certam, & eſſe prædeſtinationem. Undè quod eſt cauſa unius, eſt cauſa alterius. Et mirum eſt quòd de hoc poſſit eſſe dubitatio. Sed nè dicatur quòd ego hoc inferam; S. Thomas id apertè demonſtrat *q. 6. de verit. art. 3.* cujus titulus eſt: *An prædeſtinatio ſit certa?* Et ex profeſſo tractans quæſtionem *in corpore articuli* ſic dicit: *Non enìm poteſt dici quòd prædeſtinatio ſuper certitudinem providentiæ nihil aliud addit, niſi certitudinem præſcientiæ; ut ſi dicatur: quòd Deus ordinat prædeſtinatum ad ſalutem, ſicut & quemlibèt alium, cum hoc tamen de prædeſtinato ſcit, quòd non deficiet à ſalute. Sic enìm dicendo, non diceretur, prædeſtinatum differre à non prædeſtinato ex parte ordinis, ſed tantùm ex parte præſcientiæ eventûs; & ſic præſcientia eſſet cauſa prædeſtinationis, nec prædeſtinatio eſſet per electionem prædeſtinantis: quod eſt contrà authoritatem Scripturæ, & dicta Sanctorum.* Iſte locus inſignis eſt,

Digitized by Google

& tollit omnes æquivocationes in hâc parte. Ex eo enim quòd in prædeſtinatione conſtituatur tota ipſius certitudo ex parte præſcientiæ eventûs, ſicut apertè milliès dixit Molina, infert S. Thomas, quòd prædeſtinatus non differt à non prædeſtinato ex parte ordinis, ſed tantùm ex parte præſcientiæ eventûs: quod etiam ex modò lectis Molinæ locis fit manifeſtum. Ex hoc rursùs infert S. Thomas, quòd præſcientia eſt cauſa prædeſtinationis. Et hoc ex ultimo concludit quòd prædeſtinatio non eſt ſecundùm liberam prædeſtinantis electionem; quod, inquit S. Thomas, eſt contra Scripturæ authoritatem, & dicta Sanctorum. Ubì S. Thomas, qui non ſolet in ſuâ doctrinâ qualificare, hâc in parte, divinâ providentiâ ſic ordinante, quià id neceſſarium erat pro his temporibus, qualificavit hanc præſcientiam, quòd procedat contrà authoritatem Scripturæ & dicta Sanctorum. Convincit ergò S. Thomas, quòd ſi præſcientia dat prædeſtinationis certitudinem, quòd præſcientia ſit cauſa prædeſtinationis. De hoc ergò manet convictus Molina.

Sed & ipſe Molina hoc etiam affirmavit. Quamvìs enim voluerit latere, ſatis tamen ſe explicavit *eâd. diſput. memb. 11. §. octava concluſio,* a quæ ſic habet: *Sumptâ in particulari prædeſtinatione cujuſque adulti, quæ reipsâ jam ex æternitate fuit in Deo; ſanè ſicut præcedente concluſione eſt oſtenſum; rationem ſeu conditionem, ſine quâ in Deo non fuiſſet prædicta præſcientia, eſſe quòd adultus ipſe pro ſuâ libertate ità ſit cooperaturus per ſuum arbitrium, ut ad vitam æternam perveniat: ſic etiam ab hoc ipſo ſimili modo fuit dependens, quòd reliquum, quod eadem prædeſtinatio includit, vel ſortiretur rationem prædeſtinationis, vel retineret ſolùm rationem providentiæ circà illum in beatitudinem. Probatur concluſio: quoniàm reliquum ſine illâ præſcientiâ, nempè ratio eorumdem numero mediorum, cum propoſito mandandi eam executioni ex parte Dei, non eſt prædeſtinatio, ſed providentia ſolùm circà illum ad beatitudinem; prædeſtinatio verò addit præſcientiam illam; ergò ſi, quòd adultus pro ſuâ libertate ſit ità cooperaturus, ut ad vitam æternam perveniat, eſt ratio & conditio, ſine quâ in Deo non fuiſſet iſta præſcientia, erit etiam id à quo fuit dependens quòd reliquum, quod ea prædeſtinatio includit, vel ſortiretur rationem prædeſtinationis, vel retineret ſolùm rationem providentiæ circà illum in beatitudinem.*

a Pag. 365. col. 1.

Hanc concluſionem ibì integram legit F. Thomas, & poſteà ſubdidit: In primis Molina hìc dicit, idem omninò eſſe, quòd aliquid ſit cauſa, ratio, vel conditio prædeſtinationis; & hoc verum eſt. Deindè dicit 2°., quòd ſicut præſcientia pendet à bono uſu; ſic pendet prædeſtinatio, ut diſtinguitur à communi providentiâ, ab eodem bono uſu. Sed ipſe Molina *in §. antecedenti* b dicit: quòd illa præſcientia ità pendet ab illo bono uſu, quòd non quià Deus præſcivit, homo cooperaturus ſit, ſed quià ipſe cooperaturus eſt, ideò Deus præſcivit; ergò ſimili modo dicit: quòd non ideò quià Deus prædeſtinavit, ille cooperaturus eſt, ſed quià homo cooperaturus eſt, ideò Deus illum prædeſtinavit. Concedit ergò, quòd quià cooperaturus eſt homo, ideò Deus illum prædeſtinat; ergò propter bonum uſum prædeſtinat.

b Pag. 364. col. 2.

In hâc concluſione ſatìs apertè Molina dicit prædeſtinationem fieri propter bonum uſum; & tamen modo prædicto propoſuit, aliquo modo latenter, nè ab omnibus intelligeretur. Sed omninò clariùs & expreſſiùs dicit prædeſtinationem fieri propter bonum uſum *eod memb. 11. §. poſtremò,* c ubì ſic dicit: *quià cum auxiliis ex parte Dei, cum quibus unus juſtificatur & ſalvatur, alius pro ſuâ libertate nec juſtificatur nec ſalvatur &c.* ſtatìm ſubdit: *Sed quòd hi cum majoribus auxiliis prædeſtinati & ſalvi non fuerint, illi verò cum minoribus prædeſtinati, ac ſalvi fuerint, non aliundè fuit, niſi quià illi pro innatâ libertate noluerunt uti ità ſuo arbitrio, ut ſalutem conſequerentur; hi verò maximè.* Non aliundè, inquit, niſi

c Pag. 372. col. 2.

niſi quià iſti voluerunt, illi noluerunt. Docet ergò apertè, quòd, quòd iſti ſint prædeſtinati & ſalvati, non aliundè fuit, niſi quià ità voluerunt operari. Quià ergò propter bonum uſum ſunt prædeſtinati, *& non aliundè*, dicit Molina expreſsè, & dicit multoties, de ejus ſententiâ non poteſt dubitari. Et tamen iſti PP. Societatis volunt quòd iſta non intelligantur. Inſuper Molina dicit: quòd præſcientia boni uſûs eſt diſtinctivum prædeſtinationis à communi providentiâ, ſicut rationale eſt diſtinctivum hominis ab animali; & ex conſequenti præſcientia boni uſûs conſtituit prædeſtinationem certam ſuper communem providentiam incertam: ut prædeſtinatio formaliter & abſolutè, ut diſtinguitur à communi providentiâ, eſt certa ſolùm propter præſcientiam; & ex conſequenti prædeſtinatio ſit propter præſcientiam. Nam, ut dictum eſt, idem eſt prædeſtinatio certa, & prædeſtinatio; & quidquid eſt cauſa prædeſtinationis certæ, eſt cauſa prædeſtinationis ipſius, ut S. Thomas docet loco citato.

Et per hoc patet ad excuſationem unicam Molinæ & ſuorum Defenſorum. Dicunt enìm Molinam in locis inductis ſæpiùs aſſerere, prædeſtinationem Dei eſſe merè gratuitam, & in ſolam Dei voluntatem reduci. In aliis autem locis modò inductis dicit: prædeſtinationem eſſe quià cooperaturus eſt homo. Undè concordia eſt, ablatâ quâdam æquivocatione, facillima. Cùm enìm dicit prædeſtinationem non eſſe propter bonum uſum, ſed merè gratuitam, loquitur de prædeſtinatione ut eſt communis providentia. Cùm autem loquitur de prædeſtinatione ut diſtincta eſt à communi providentiâ, dicit illam eſſe propter præſcientiam boni uſûs. Ipſe enìm Molina componit ſimùl ſtatum providentiæ cum prædeſtinatione, & dicit: quòd Deus conſtituat hunc hominem in illo ordine rerum, ubì præſciat illum benè uſurum: ſed quòd ponatur in illo ordine rerum, ubì ex parte Dei habeat auxilia quibus poſſit, dicit Molina, quòd non habet cauſam. At verò quòd gratìs homo poſitus in illo ordine rerum, maneat prædeſtinatus vel præſcitus, hoc habet cauſam ex parte ſui prævisi. Quamvìs etiàm ipſe Molina cauſam conſtituat, ut homo ponatur in illo communi ſtatu providentiæ; ſed hoc modò omitto. Sat eſt, quòd licèt communis providentia non habeat cauſam ſecundùm Molinam, tamen prædeſtinatio certa, ut prædeſtinatio certa eſt, cauſam habet ex parte prævisi uſûs, ſecundùm Molinam.

Quod autem dixit R. P., quòd ſi Molina ſcripſiſſet in folio ſolo hanc doctrinam, appareret ejus veritas. Immò potiùs ſi in folio ſcripſiſſet, non eſſent tot tegumenta quibus tegeretur.

Ex hâc autem prædeſtinatione ſecundùm præſcientiam, non ſolùm hoc abſurdum ſequitur, ſed multa alia graviſſima. Etenìm convincitur quòd prædeſtinatio nullo modo habet certitudinem; ſed quòd incerta maneat omninò: quià, ut S. Thomas demonſtrat *1. p. q. 14. art. 13.*, & omnes Philoſophi fatentur, in cauſâ indeterminatâ & indifferenti ad plura, impoſſibile eſt quòd certò aliquis cognoſcatur effectus; ſed liberum hominis arbitrium, in quibuslibet occaſionibus & circumſtantiis ponatur, indeterminatum & indifferens manet ad volendum & non volendum; ergò niſi ad unum voluntas determinetur, non poteſt Deus præſcire quid determinatè in particulari liberum arbitrium facturum ſit. Undè cùm inquirimus ab his Patribus, cur liberum arbitrium in hâc vel illâ occaſione poſitum, hoc facturum eſt? nihil aliud reſpondent, niſi quià ſic facturum eſt. At verò nos dicimus: ideò ſic facturum eſt, quià Deus ità voluit & ordinavit quòd hoc faceret & vellet. Itaque eâdem viâ quâ invenerunt iſti Patres hanc mediam ſcientiam, vel potiùs illam reſuſcitarunt, ad dandam certitudinem divinæ providentiæ, eâdem

Digitized by Google

dem viâ, quod majus eſt, divinæ prædeſtinationis certitudinem totaliter auferunt, & omnem rationem prædeſtinationis deſtruunt.

Præterea, hæc præſcientia, ſecundùm quam volunt eſſe prædeſtinationem, libertatem arbitrij tollit omninò; nec Calvinus aliud accommodatius medium poterat invenire ad deſtruendam arbitrij libertatem. Quòd enìm tollat libertatem, ipſe Molina, quod majus eſt, expreſsè dicit, *q. 14. art. 13. diſp. 52. §. quæret fortaſsè, ℣. nec ſatis.* a ubì planè dicit: quòd ſi Deus præſciret ante actum ſuæ voluntatis, in quam partem eſſet inclinanda ſua voluntas, quòd non maneret integra libertas in illâ; quià ſtante illâ ſcientiâ, non poterat aliud operari: ergò multò à fortiori, ſi Deus præſcit voluntatem creatam hoc operaturam, cùm ipſa non poſſit aliud operari ſtante præſcientiâ, etiam non maneret libera. Si enìm hæc præſcientia à divinâ voluntate infinitâ aufert libertatem, à fortiori, à voluntate creatâ, finitâ, limitatâ libertatem auferet.

a *Pag. 228. col. 2.*

Id ipſum 2°. docet expreſsè S. Thomas *1. 2. q. 109. art. 1.* Ubì apertè docet: quòd quamvìs potentia quælibet ſit perfectiſſima, impoſſibile tamen ſit quòd exeat in actum ſine Dei motione. Impoſſibile eſt ergò quòd Deus præſciat voluntatem humanam exire in actum liberum ſine Dei voluntate, & motione, & applicatione, ſicut iſta media ſcientia conſtituit. Immò ſcit Deus quòd liberum arbitrium hoc modo nunquàm operabitur, nec exibit in actum liberum, & ſic erit liberum in potentiâ, nunquàm tamen ſic erit liberum in actu ſecundo, & in exercitio.

3°. Quià ut dixerunt Doctores Lovanienſes: voluntas poſita in illo ordine rerum, non operatur certò ex efficaciâ & virtute auxiliorum, ſed ex ſuâ propriâ naturâ, & innatâ libertate: Ergò ſua natura eſt habere infallibilem ordinem & nexum cum illis auxiliis datis in illâ occaſione, & ſic erit à naturâ determinatâ ad id abſque libertate. Quæ ratio, meo judicio, fundatur in hoc puncto: quòd ſi præſcientia illa eſt certa & neceſſaria, etiam objectum illius debet eſſe certum & neceſſarium, ut notum eſt; objectum autem illius eſt: liberum arbitrium ſic conſtitutum operabitur: ſi autem hoc eſt objectum neceſſarium, vel debet eſſe neceſſarium ex ſuppoſitione, vel neceſſarium ſimpliciter & abſolutè: at non eſt neceſſarium ex aliquâ priori ſuppoſitione voluntatis divinæ vel humanæ; & ſic erit neceſſarium abſolutè & ſimpliciter, & ex naturâ intrinſecâ voluntatis conſtituetur determinata ad ſic operandum; & ex conſequenti tollitur ab eâ libertas.

Præterea ex hâc prædeſtinatione ſecundùm præſcientiam ſequitur quòd Deus prædeſtinat quòad malum culpæ, quæ eſt hæreſis blaſphema. Hoc docet S. Anſelmus *L. 1. ad Monimum.* Tunc dixit P. Arrubal: non eſt Anſelmus *ad Monimum.* Tunc P. Lemos: benè dicit R. P.; Fulgentius, dico, *ad Monimum.* Nàm erravit lingua. Et proſecutus, legit in S. Fulgentio qualiter affirmabat *in fine primi Libri*, quòd Maſſilienſes imponebant ſancto Auguſtino, quòd ex modo conſtituendi prædeſtinationem, videlicèt, ſecundùm propoſitum, ſequeretur Deum prædeſtinare ad culpam. Quibus reſpondebat S. Proſper, ut ibì referebat S. Fulgentius, *Lib. 1.*, quòd potiùs ex prædeſtinatione ſecundùm præſcientiam, ſequatur Deum prædeſtinare ad culpam. *Qui præſcientiam Dei*, inquit, *in nullo ab ipſius prædeſtinatione deſeruit, quod tribuendum eſt Deo de bonis, hoc etiam ei de malis conatur adſcribere &c.*

Quo loco lecto, dixit P. Lemos: ſic etiam nobis opponitur modò idem. Nàm cum S. P. Auguſtino in eâdem causâ patimur idem; cùm tamen Molina conſtituens prædeſtinationem ſecundùm præſcientiam, conſtituat Deum ad malum culpæ prædeſtinare, ut SS. Doctores Proſper & Fulgentius deducunt. Et ratio ipſa ſuadet. Si enìm Deum prædeſtinare ad bonum, eſt

Digitized by Google

eſt conſtituere hominem in illo ordine rerum, ubì ſcit illum benè uſurum; pari modo conſtituere hominem in illo ordine rerum, ubì ſcit Deus hominem malè uſurum, erit etiam prædeſtinare ad malum culpæ. Scio quoſdam reſpondere, non eſſe eandem rationem: ſed tamen SS. Doctores eandem rationem eſſe dicunt. Et ratio diverſitatis, quæ ab aliquibus adducitur, currit de ſtatu communi providentiæ, non autem quoàd certam prædeſtinationem, ut dictum eſt.

Igitur concludendo, Molina hìc ſeptem dicit. 1°. Prædeſtinationem non eſſe ſecundùm propoſitum. 2°. Eſſe ſecundùm præſcientiam. 3°. Non eſſe gratuitam reſpectu aliquorum in particulari. 4°. Eſſe propter præſcientiam boni uſûs. 5°. Non eſſe certam. 6°. Auferre hominis libertatem. 7°. Denique prædeſtinationem fieri ad malum culpæ. Quarè prudenter ſatìs ac doctiſſimè Doctores Lovanienſes dixerunt de iſtâ ſententiâ, conſtituente prædeſtinationem ſecundùm præſcientiam: a *Sententia hæc, Dei bonitatem obſcurat: juſtitiam enervat; Scripturis illudit; Patrum teſtimonia in alienos ſenſus detorquet; humanæ rationis corruptioni applaudit; humilitatis fundamentum evertit; precandi neceſſitatem non magnam relinquit; propriarum virium fiduciam ingenerat; in ſalutis negotio, quod præcipuum eſt homini donat, quod minus Deo; gratiam Dei libero ſubdit arbitrio, & ejus pediſſequam facit; in ſummâ à Pelagio non ſatìs procùl abſcedit; Lutheri verò, Calvini, & aliorum noſtræ tempeſtatis Hæreticorum ſententiam, dùm ab eâ videri vult quàm longiſſimè recedere, potentiùſque debellare, magìs imprudens ſtabilit, atque confirmat.*

a *Cenſ. Lovan. anni 1558. contrà propoſſ. Jeſuitt. in cẽſurâ propoſitionis ultima ſeu trigeſima-prima. Eadem ferè habet cẽſura Duacenſis ejuſdem anni.*

Jam ad ea quæ P. Arrubal dixit, eſt veniendum. 1°. Aſſeruit, hìc diſtinguendam eſſe duplicem quæſtionem; alteram de reprobatione, & alteram de prædeſtinatione. Verum eſt, ità eſſe diſtinguendum. Quod autem dicit, ſententiam Auguſtini eſſe, quòd reprobatio fiat propter peccatum originale, & quòd quidam dixit non eſſe probabilem, eſt dicendum ſententiam S. Auguſtini in hâc parte, eſſe probabiliſſimam. Et ſi tempus adeſſet, manifeſtarem quòd S. Thomas, nec in hâc parte contrarius ſit S. Auguſtino, quem Magiſtrum tenet in omnibus, ſed quòd ejus ſententiam teneat. Si autem alius contrarium dixit, nos non defendimus eum, nec omnes qui ſic vel ſic loquuntur.

Quod autem P. Arrubal etiam dixit: quòd S. Thomas, & S. Auguſtinus ſolum illud primum affirmabant, ſcilicèt prædeſtinationem non eſſe ex meritis, non autem reprobationem; quòdque hoc dicebat Molina *in illo §. utrùm autem D. Thomas*: b mirum eſt quòd hoc dicatur; cùm conſtet apertè Molinam ibì diſtinguere duo. 1m. Eſt prædeſtinationem & reprobationem fieri non ſine præſcientiâ. 2m. Eſt quòd fiant præſcientiâ. Et illud primum dicit Molina ſe amplecti; non verò hoc ſecundum, quod facit prædeſtinationem duram. De hoc primo loquebatur apertè Molina, non de alio.

b *Quæſt. 23. diſput. 1. memb. 6. p. 331. vol. 2.*

Similiter quod dicit P. R.: S. Auguſtinum dixiſſe, concordiam liberi arbitrij cum gratiâ eſſe difficilem; non verò impoſſibilem: ità verum eſt. Sed oportet advertere, quòd demonſtrare poſſumus non repugnare libertatem cum prædeſtinatione ſecundùm abſolutum Dei propoſitum. At verò perfectè penetrare & comprehendere modum quo iſta concordentur, excedit capacitatem præſentis ſtatûs.

Ad illud aliud: quòd prædeſtinatio ſecundùm propoſitum abſolutum, ſine ordine ad libertatem, eſt ſententia Calvini; ſæpiùs dictum eſt Calvinum dixiſſe Deum ità prædeſtinare abſoluto propoſito, ut non remaneat locus libertati. Quæ eſt hæreſis damnata. Sed ejus conſequentiam approbant PP. Societatis, dicendo abſolutum prædeſtinationis propoſitum libertatem lædere. Nos autèm contrà utroſque cum Apoſtolo, & S. Auguſtino fatemur, prædeſtinationem ſecundùm abſolu-

 tum

Digitized by Google

tum Dei propoſitum libertatem cauſare, firmare, & ad illam ſicut ad effectum dicere ordinem, non ſicut ad cauſam à quâ dependeat, ut Molina vult. Undè qui dicunt divinæ prædeſtinationis propoſitum libertatem auferre, cum Calvino conveniunt, & ejus approbant peſſimam illationem.

Ad illud aliud: quòd hæreſis Semipelagiana fuit in quâdam parte orbis, nec ità diffuſa fuerit, ſicut hæreſis horum temporum, quæ pernicioſior eſt: dicendum cum S. Auguſtino *L. 4. contrà duas epiſt. Pelagg.* mediâ viâ eſſe procedendum: ità enim recedendum eſt à Manichæo, ſivè Calvino, ut non incidatur in Pelagium; & ità relinquendus eſt Pelagius, nè accedatur ad Manichæum ſeu Calvinum: quià utraque hæreſis damnabilis eſt, & utramque damnat S. mater Eccleſia. Et præterea S. Auguſtinus, & S. Hieronymus *Epiſt. ad Cteſiphontem*, dicunt hæreſim Pelagianorum omnium pernicioſiſſimam; quià expreſsè & Dei omnipotentiam tollit, & libertatem arbitrij negat, & Deum pediſſequum hominis conſtituit. Undè S. Auguſtinus dixit: quòd ſi ex neceſſitate illarum eligenda eſſet, ipſe magis in hâc parte eligeret errorem Manichæorum, quàm Pelagianorum.

Ad illud aliud: quòd S. Auguſtinus exponit illud: *qui vult omnes homines ſalvos fieri, 1 Tim. 2. 4.* ſi ipſi voluerint; quod etiàm poterat adduci ex SS. Hieronymo & Ambroſio: in quo volunt fundare PP. Societatis voluntatem conditionatam, & non abſolutam Dei in prædeſtinando; dicendum: quòd SS. Doctores hoc nullo modo intendunt dicere, quòd Deus prædeſtinat homines, *ſi ipſi voluerint*, id eſt, dependenter ab humanâ libertate, ut Molina intelligit; ſed intelligunt, quòd Deus prædeſtinat homines volentes, & non renitentes, aut invitos; ità ut, ſicut ſæpè dicit Auguſtinus, præparetur ipſorum voluntas à Domino. Ad explicandam etiam humanam libertatem, quæ non aufertur per divinam voluntatem, dixerunt SS. Doctores illam particulam, *ſi ipſi voluerint*. Cæterùm in quibuſdam hominibus ſentiunt quòd Deus facit ut velint. Quod in aliis locis ſuæ doctrinæ manifeſtarunt. Quam explicationem S. Thomas ad hoc propoſitum tradit *Lib. 3. contrà Gentes cap. 90. in fine*. Ibì enìm referens quædam Scripturæ loca de his conditionibus: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata* a *&c.* aït: *Hæc pro tanto inducuntur, ut homines eſſe liberi arbitrij demonſtretur; non autem ut humanæ electiones à divinâ providentiâ ſubſtrahantur.* Sic SS. Doctores dicunt Deum velle ſalvare omnes, ſi ipſi voluerint, ut homines libertatem habere in negotio ſuæ ſalutis demonſtretur; non ut divina prædeſtinatio humanæ libertati ſubdatur.

a Matth. 19. 17.

Quod autem adducitur ex S. Damaſceno de voluntate antecedente, non juvat; quià mentem Damaſceni S. Thomas explicat *1. p. q. 19. art. 6.* ubì voluntatem antecedentem & conſequentem dicit eſſe reſpectu diverſorum objectorum, videlicèt, objecti in communi & in univerſali, quod attendit voluntas antecedens; & reſpectu objecti in particulari, hìc & nunc, cum omnibus circumſtantiis, quod attendit voluntas conſequens. Itaque voluntas Dei conſequens, nòn eſt conſequens humanam voluntatem, ut iſti Patres Societatis intelligunt. Ubicunquè enìm vident in Doctoribus voluntatem Dei conſequentem, intelligunt eſſe conſequentem ad humanam voluntatem; quaſi non ſit alia voluntas conſequens. Et eodem modo ubicunquè inveniunt præſcientiam, ſtatìm applicant ad hanc ſuam mediam ſcientiam; quaſi nulla alia præſcientia ſit in Deo, niſi iſta fictitia & impoſſibilis.

Ad illud aliud: quòd S. Auguſtinus *in Lib. de dono perſever. cap. 14.* b admittit præſcientiam; dicendum: quòd S. Auguſtinus admittit equidèm præſcientiam, ſed quæ ſequitur ad electionem & divinum propoſitum. Hoc enìm docet frequentiùs. *Lib. de prædeſt. Sanctor. cap. 10.* c aït: *prædeſtinatione*

b Tom. 10. n. 35. col. 839.

c Tom. 10. n. 19. col. 803.

Digitized by Google

natione quippè Deus iſta præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus. Et ſæpiùs clamat: *Si præſcivit, utique ſua dona præſcivit; ſi præſcivit, dona, quibus nos liberare dignatur, præſcivit.* Et *cap.17.* [a] dicit: Filium damnare iſtam præſcientiam, quâ Deus præſciat quid homo ex ſe, & non ex Deo, ſit facturus. Et *Lib. de corrept. & grat.* [b] inquit: *quicunque ergò in Dei providentiſſimâ diſpoſitione præſciti, prædeſtinati &c.* Ecce præſcientiam ubique poſt electionem conſtituit. Et *Lib. de prædeſt. Sanctor. cap. 9.* [c] inquit: *Quid enim eſt verius, quàm præſciſſe Chriſtum, qui, & quandò, & quibus locis in eum fuerant credituri? Sed utrùm prædicato ſibi Chriſto à ſeipſis habituri eſſent fidem, an Deo donante ſumpturi, id eſt, utrùm tantummodò eos præſcierit, an etiam prædeſtinaverit Deus, quærere ac diſſerere, tunc neceſſarium non putavi.* Et poſt pauca expreſsè conſtituit illam præſcientiam poſt electionem divinam.

[a] *Tom. 10. n. 34. col. 813.*

[b] *Tom. 10. n. 14. col. 757.*

[c] *Tom. 10. n. 18. col. 803.*

Ad aliud: quòd nec Concilium Arauſicanum, nec Cæleſtinus hanc præſcientiam damnarunt, ex quo inferunt non eſſe damnabilem: reſpondendum, eam damnaſſe, damnando id quod ex ipsâ infertur, videlicèt, gratiam dari ſub merito. Aliquandò enìm Concilia attendunt potiſſimè ad finem, ad quem alia ordinantur, & illo damnato, damnantur alia conſequenter.

Ad aliud: quòd etiam FF. Dominicani tenentur fateri iſtam præſcientiam: mirum valdè eſt, quomodò iſta contrà ſeipſos opponant. Prædicanda enìm eſt præſcientia conditionata, & ab omni Catholico admittenda; ſed illa quæ ſequitur ad Decretum Dei ſivè abſolutum, ſivè conditionatum, non autem quæ antecedat Dei Decretum, ſi fuerit præſcientia de cauſis liberis & contingentibus. Nàm de objectis conditionatis neceſſariis, alia eſt ratio. Undè breviter in triplici genere & ordine conſtituenda ſunt decreta conditionalia. In primo ordine ſunt omnia decreta conditionata abſolutè neceſſaria; ſicut ſunt: Si Thomas diſputat, loquitur; ſi Petrus currit, movetur, &c. & iſta cognoſcuntur per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, antè omne decretum liberum voluntatis divinæ. Alia conditionata ſunt, quæ inter ſe dicunt infallibilem connexionem, liberam tamen inter antecedens & conſequens; ſicut: ſi dederit Deus alicui auxilium efficax, convertetur; ſi dederit auxilium perſeverantiæ, perſeverabit; ſi Judas habuiſſet contritionem, juſtificaretur &c. & iſta decreta etiam cognoſcuntur à Deo ante actum ſuum liberum. Alia ſunt in tertio ordine, quæ inter ſe nullam infallibilem connexionem dicunt inter antecedens & conſequens; ſicut: ſi Thomas diſputat, alius in campo moritur &c. & iſta ante decretum divinæ voluntatis ſic volentis & determinantis, non ſunt à Deo certò ſcibilia. Hujuſmodi eſt illud: *4. Reg. 3. Si percuſſiſſes quinquies, vel ſepties, percuſſiſſes Syriam uſque ad conſummationem.* Quid enìm habebat percuſſio terræ materialis, cum devaſtatione illius Provinciæ, ex naturâ rei & objecti, antequàm à Deo ità determinaretur? Et idem eſt de illo *Matth. 11. ſi in Tyro & Sydone factæ fuiſſent virtutes &c.* Cognovit enìm Chriſtus Dominus illarum gentium certam futuram converſionem in decreto conditionato divinæ voluntatis, quo decreverat ipſe cum Patre Æterno convertere gentes illas, & illis auxilium efficax gratiæ dare, ſi apponerentur illis illæ conditiones de prædicatione externâ Chriſti, & de patratione miraculorum ipſius. Nàm antè hoc decretum divinæ voluntatis (niſi convenire velimus cum Pelagio) non convertuntur homines ſolâ externâ Chriſti prædicatione, aut miraculorum viſione; nec in illis tantùm id potuit Chriſtus certò cognoſcere.

Dicunt prætereà PP. Societatis, ſe non poſſe intelligere, quomodò cum abſoluto decreto divinæ voluntatis ſtet libertas arbitrij: ſed oportet confiteri hoc eſſe opus divinæ Omnipotentiæ. Et ad divinam Omnipotentiam

Digitized by Google

reducit hoc S. Auguſtinus *in Enchir. cap. 96.* a ubi dicit: quòd *niſi hoc credamus, periclitatur ipſum noſtræ fidei confeſſionis initium, quâ nos in Deum Patrem Omnipotentem credere confitemur. Neque enim ob aliud vocatur Omnipotens, niſi quià quidquid vult, poteſt, nec voluntate cujuſpiam creaturæ, voluntatis Omnipotentis impeditur effectus.* Et *epiſt. 107. ad Vitalem.* b *Nolentes credere, omnipotentiſſimâ facilitate convertit.* Quod enim eſt hominibus difficillimum, in ordine ad omnipotentiam Dei eſt facillimum. Et S. Thomas *in 2m. diſt. 25. q. 1. art. 2. ad 1m.* ait: quòd *licèt Deus voluntatem de uno in aliud mutet, nihilominùs hoc ſuâ omnipotentiâ facit, ut illud in quod mutatur, voluntariè velit.* Immò hoc argumentum, quòd libertas non ſtat cum divinâ voluntate efficaci antecedente, propoſitum fuit à Spiritu Sancto, & ſolutum per os Pauli *ad Rom. cap. 9.* Poſtquàm enim dixerat Spiritus Sanctus: *non eſt volentis, nec currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Et iterùm: *cujus vult miſeretur, & quem vult indurat.* Statìm opponit ſibi: *Quid ergò queritur? voluntati ejus quis reſiſtet?* Ac ſi apertè dicat: ſi voluntati Dei nullus reſiſtit, & ipſa vult iſtius miſereri, non alterius; quid conqueritur Deus de nobis, quòd non faciamus quod ipſe non dedit? Non poteſt nobis imputari quòd non operemur; quià voluntate divinâ omnia ſunt prædeterminata. Cui argumento reſpondet Spiritus Sanctus retundendo humanam ſuperbiam: *O homo, tu qui es, ut ſic reſpondeas Deo?* Ex quo loco S. Auguſtinus & S. Thomas dicunt Apoſtolum inter proponendum argumentum, tradidiſſe ſolutionem. Ex eo enìm quòd voluntati Dei nullus reſiſtit, & ipſe vult quod ego infallibiliter modò diſputem, & liberè diſputem, neceſſe eſt utrumque evenire, & quòd ego diſputem, & quòd liberè diſputem. Utrumque enìm vult Deus, & ſubſtantiam, & modum: & ſi ego neceſſariò diſputarem, potius divinæ voluntati volenti me liberè diſputare, contradicendo reſiſterem. Undè tradit S. Thomas illam regulam, *Lib. contrà Gentes cap. 94.* maximè obſervandam. Videlicèt, *cùm de divinâ providentiâ & voluntate ſit ſermo, non eſſe ſic dicendum: Deus hoc voluit, & præordinavit; ergò hoc erit; ſed debere ſimul modum cum ſubſtantiâ apponere, ſic dicendo: Deus voluit ut hoc fieret neceſſariò; ergò neceſſariò eveniet: Deus præordinavit hoc fieri contingenter; ergò fiet contingenter: Deus prædeſtinavit hoc fieri liberè; ergò fiet liberè.*

a Tom. 6. col. 231.

b Nunc 227 tom. 2. n. 24. col. 807.

Tunc P. Arrubal iterùm inſtabat: quòd etiam præſcientiam conditionatam debebant admittere FF. Dominicani, repetens illud argumentum à principio factum, quià, videlicet, Deus ſciebat, quòd auxilium efficax hominem converteret. Nec modò, ut dicebat, agebatur de modo quo eſt efficax, ſed abſolutè, quo auxilio efficaci homo converteretur.

Ad quod F. Thomas dixit: dixi modò, quòd Deus in auxilio efficaci, ex Deo & ejus voluntate cognoſcit, quòd ſi apponatur, hominis convertet voluntatem; quià hoc eſt cognoſcere efficaciam ſuæ virtutis. At verò aliam præſcientiam, quâ Deus cognoſcat efficaciam voluntatis humanæ ante efficaciam divinæ: hanc præſcientiam damnamus.

Cùm autem ipſe magìs inſtaret in eodem argumento, dixit ei F. Thomas: Quarè non procedis ulteriùs Pater? Vides manifeſtiſſimè argumentum ſolutum. Alia eſt enìm præſcientia, quâ Deus cognoſcat efficaciam ſuæ voluntatis convertentis hominis voluntatem; & hanc admittimus. Alia eſt quâ cognoſcat efficaciam voluntatis humanæ quæ antecedat efficaciam voluntatis divinæ; ut vos Patres vultis: & hanc negamus omninò.

Tunc Archiepiſcopus Armachanus dixit F. Thomæ: ſi cognoſcebat Deus ante actum ſuæ voluntatis, quòd ſi Judas haberet contritionem, converteretur?

Cui reſpondit F. Thomas: jàm dixi, quòd quædam conditionata cognoſcuntur

Digitized by Google

gnoſcuntur certò ante omnem actum tàm abſolutum quàm conditionatum liberæ voluntatis Dei. At verò iſtud conditionatum: ſi Judas haberet actum contritionis juſtificaretur, cognoſcitur à Deo ante decretum Dei abſolutum, non tamen ante decretum conditionatum, quo Deus decreverat quòd ſi ab homine poneretur contritio, ſalvaretur. At verò illud aliud, de quo fit argumentum, quòd, videlicèt, ſcit Deus quòd ſi iſte haberet auxilium efficax, converteretur; hoc Deus cognoſcit ante omnem actum divinæ voluntatis; quià per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ cognoſcit Deus hoc objectum neceſſarium: quòd ſi voluntas ſua efficax aliquid voluerit, ipſum erit. Et in hoc objecto cognoſcit Deus, quòd ſi auxilium efficax alicui detur, convertetur. Hoc enim nihil eſt aliud, quàm cognoſcere efficaciam & naturam ſuæ voluntatis.

Cùm autem iterùm inſtaret Pater Arrubal in eodem argumento dicens: quòd ipſe non loquebatur de modo quo auxilium eſt efficax, ſed de iſtâ propoſitione: quòd ſi auxilium eſt efficax, homo convertetur; quià cognoſcit Deus ante decretum ſuæ voluntatis; reſpondit F. Thomas: tota difficultas eſt in modò quò auxilium eſt efficax, vel ex parte Dei, vel ex parte hominis. Si fuerit efficax ex parte Dei, certò cognoſcet Deus, quòd obtinebit effectum; ſi autem fuerit efficax ex parte hominis, non poteſt certò cognoſcere Deus quòd facturus ſit homo; quià hoc nec certum eſt, nec cognoſcibile, ut dixi. Itaque regulando conditionata per abſoluta; fit claritas hujus doctrinæ. Nam ſicut eſt verum & certum, quòd homo habens auxilium efficax ex parte Dei convertetur; ità cognoſcit Deus, quòd ſi homo habuerit tale auxilium efficax, convertetur. Similiter, ſicut qui habet tantùm auxilium ſufficiens, eſt certum quòd non convertetur, nec Deus poteſt ſcire, quod convertetur. Quæ omnia ſunt ſatis notanda.

Tunc P. Arrubal, ad alia pergens conabatur explicare, quòd quandò Molina dicebat S. Auguſtinum eſſe in illâ quaſi *caligine*, loquebatur de Auguſtino, antequàm ſcripſiſſet Libros de prædeſtinatione Sanctorum, & de dono perſeverantiæ; & quòd intelligebatur eſſe in caligine mundi hujus.

Cui primò dixit Sanctiſſimus: *quòd Molina loquebatur impudentiſſimè.* Et F. Thomas dixit: quòd ut S. P. Auguſtinus teſtabatur *in principio libri de prædeſtinatione Sanctorum*, a eadem dicebat in iſtis duobus Libris, quæ priùs contrà Pelagianos dixerat in Libris plurimis; nempè in Libris de peccato originali; de naturâ & gratiâ; de gratiâ Chriſti; de correptione & gratiâ; in Libris quatuor contrà duas epiſtolas Pelagianorum; in Libris ſex contrà Julianum, quibus per multos annos impugnaverat Pelagianos. Et Sanctiſſimus addidit: *& expugnavit.*

a Tom. 10. num. 1. col. 789.

Et F. Thomas proſecutus, dixit: Undè contrà ſanctum Auguſtinum loquitur Molina in doctrinâ approbatâ ab Eccleſiâ. Quod autem dicit de caligine mundi; quomodò dicatur, ſcire non poſſumus. Nàm iſta littera hoc manifeſtat. Et illam legens, viſum fuit, quomodò dicebat Molina Auguſtinum eſſe circà materiam prædeſtinationis in quaſi *caligine*. Simulque legit alium locum F. Thomas, contrà id quod P. Arrubal dixerat: quòd Molina dicebat Deum cognoſcere id quod in ſe facturus erat, ut faceret homo. Quod dixerat reſpondens Sanctiſſimo reprehendenti Molinam, quòd poneret præſcientiam de eo quod homo erat facturus, non de eo quod ipſe erat facturus, ut faceret iſte homo. Contrà hoc oſtendit F. Thomas tria loca in Molinâ, ubì totaliter contrarium dicebat. 1us. *ex q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 10.* §. *undè quandò*, ℣. *ergò actus ille.* b Et § *quòd enim actus*: c ubì dicit quòd ille actus liber ſit, nullò modo eſt effectus gratiæ prævenientis: ſed ſolius arbitrij. 2us. Locus legebatur *ex quæſt. 14. art. 13. diſp. 29.* §. *poſtremò*, d ubì dicit: quòd concurſus

b Pag. 156. col. 2.

c Ibidem.

d Pag. 126. col. 2.

Digitized by Google

Dei particularis ad opera ſupernaturalia liberi arbitrij, hoc eſt, gratia liberum arbitrium præveniens, non eſt cauſa efficax hujuſmodi operum. Tertius locus oſtendebatur *ex eâd. q. 14. art. 13. diſp. 52. §. ſciſcitabitur, ſub finem, ℣. itèm quòd res libero arbitrio prædita*, a ubì dicebat Molina: quòd liberum arbitrium in tali vel tali ordine collocatum, in unam vel alteram partem ſe flectat, non provenire ex eo, quòd Deus velit id ab eo fieri; ſed ex eo, quòd homo ipſum liberè velit facere. Ex quibus, ſic intulit Frater Thomas: Qui hæc dicit, quomodò ſentit Deum facere, ut homo faciat? Vel quomodò admittit, quòd Deus præſciat id quod ipſe homo facturus eſt?

a *Pag. 228. col. 1.*

Tunc P. Vaſtida legebat quemdam locum in Molinâ, in quo affirmabat, quòd facit Deus hominem operari.

Cui Frater Thomas dixit: quòd Deus facit ſecundùm Molinam moraliter tantùm attrahendo, incitando, vel excitando; ut ipſe milliès ſe explicando dixit.

Poſteà oſtendebat idem Pater Vaſtida alium Molinæ locum, ubì dicebat: illa auxilia eſſe efficacia.

Cui & F. Thomas dixit: aſſerit eſſe efficacia ab effectu cum dependentiâ ab humanâ libertate; ſicut ipſe manifeſtè dixit: quòd efficacia vel inefficacia ſint, pendere à liberó arbitrio.

Poſt hæc ipſe Vaſtida dixit: quòd illa Cenſura Lovanienſis adducta, ſolùm procedebat contrà illos, qui dicebant electionem ad gloriam fieri ex bonis operibus; quià iſta propoſitio erat ultima, quæ in illâ Cenſurâ adducebatur. Secundò dixit: quòd FF. Dominicani publicaverant hanc Cenſuram per Hiſpaniam, aſſerentes jàm contrà Molinam eſſe determinatam; & quòd Epiſcopi ex Hiſpaniâ hoc ſcribebant. Cui F. Thomas: ego non ſcripſi. Sunt autem multi Romæ qui hæc ſcribunt. Et Sanctiſſimus dixit Patribus Societatis: *etiam vos multa ſcribitis*. Et ſic videtur mihi finitam fuiſſe hanc celebrem Congregationem. Si enim aliquid aliud actum fuit, non recordor. Ex ſubſtantiâ autem nihil credo prætermiſſum.

Cum iſtâ decimâ-ſeptimâ Diſputatione, finitum fuit Scriptum tertium ſuprà relatum b, cum omnibus illis quatuordecim Dubiis in illo contentis; quæ omnia ad amuſſim examinata fuère. Et ſtatim deſcenſum fuit in decimâ-octavâ Congregatione ſequenti ad examinanda Dubia in quarto Scripto contenta, pròut ſequens indicat pagina.

b *Col. 7. 8.*

CONGREG.

CONGREGATIO
DECIMA OCTAVA CORAM CLEMENTE VIII.

Habita eſt coram Sanctiſſimo 9. Junij 1603. Defuit ſolus Cardinalis Aſculanus.

In quâ diſputatum eſt, an ea quæ de attritione & contritione docet Molina opponantur iis quæ de eiſdem Tridentinum ſancivit Concilium Seſſ. 14. cap. 4. & Can. 5.

Vide Hiſt. Congreg. de Auxil. l. 3. cap. 23. col. 472. & ſeqq.

Vide etiam ſuprà col. 7. in fine.

IN hâc Congregatione actum fuit de illâ Propoſitione à Sanctiſſimo propoſitâ, in 4°. Scripto dato ſuper hanc cauſam ab eodem Sanctiſſimo, quæ eſt talis: *An Concilium Tridentinum Seſſ. 14. cap. 4. & can. 5. obſtet his quæ de attritione & contritione docet Molina?*

Ad quod ſic reſpondit P. Arrubal, ſub correctione Sanctiſſimi: non obſtare Concilium doctrinæ Molinæ. Ad quod oſtendendum legit verba Concilij in utroque loco, & ſimiliter legit verba Molinæ *in diſp. 14. ſtatim in principio*; & poſteà hæc in ſubſtantiâ protulit: ſe non poſſe negare hanc doctrinam de contritione & attritione, eſſe Molinæ; præſertìm poſt §. *fortè mirabitur* additum in impreſſione Antuerpienſi. Similiter dicebat Molinam aſſerere contritionem & attritionem cum propoſito non ampliùs peccandi, & cum ſpe veniæ, poſſe elici naturæ viribus. Cæterùm nullo modo contradicebat Concilio; quià Concilium loquebatur de contritione & attritione cum propoſito ampliùs non peccandi, & cum ſpe veniæ, quæ ſit pia & pertinens ad ſalutem: & hanc definit eſſe Dei donum, nec haberi naturæ viribus. At verò Molina non loquebatur de contritione & attritione piâ & pertinente ad ſalutem; ut ipſe proteſtatur ſæpè. Illam autem dicebat eſſe contritionem & attritionem piam & ad ſalutem pertinentem, quæ procedebat ex fide & motivo illius. At verò contritio quam aſſignabat Molina, non procedebat ex motivo fidei. Et multùm temporis conſumebat in probandò, quòd Concilia ſolùm loquuntur de attritione & contritione pertinente ad ſalutem; quià ſemper, cùm dicunt attritionem aut contritionem eſſe Dei donum, addunt illam particulam; *pœnitere prout ad ſalutem oportet.* Quod oſtendebat ex Concilio Tridentino *Seſſ. 6. cap. 3.*, & ex Arauſicano II. *capp. 7. & 25.* ubì loquens de his quæ homo non poteſt facere ex naturæ viribus, ſemper dicit: *non poſſe facere aliquid prout ad ſalutem oportet*, quod fit ex fide. Nitebatur etiam probare ex aliquibus locis S. Auguſtini. Quæ omnia, quià jàm in præcedentibus Congregationibus ſatìs dicta ſunt, & relata, non oportet iterùm illa hìc adducere.

Deindè dicebat quatuor reſultare difficultates. Iª. erat, quià Concilium videbatur aſſerere, etiam attritionem quæ procedit ex motivo naturali, qualis eſt illa quæ procedit ex conſideratione turpitudinis peccati, eſſe Dei donum. Turpitudo autem peccati, illiuſque conſideratio videtur pertinere ad naturalem rationem; ergò Concilium dicebat etiam iſtam eſſe donum Dei, licèt non procedat ex motivo fidei. Ad quod reſpondebat: quòd etiam turpitudo peccati conſideratur, non ſolùm ut eſt contrà rationem naturalem, ſed

ſed etiam ut eſt contrà rationem ſupernaturalem ; & de hoc ſecundo modo loqui Concilium. Et ad hoc probandum adducebat S. Thomam, aſſerentem duplicem eſſe regulam; aliam inferiorem, videlicèt, rationem ; & aliam ſuperiorem, videlicèt, lumen ſupernaturale. Et adducebat Soto, & alios qui interfuerunt Concilio: & tamen affirmant cum attritione naturali factâ ex ſolis naturæ viribus, poſſe hominem accedere ad Sacramentum Pœnitentiæ, & recipere gratiam. Undè in primo, quòd illa poſſit haberi ſolis naturæ viribus convenit cum Molinâ. Secundum verò, quod dicitur à Soto, negatur, aïebat, à Molinâ.

IIa. difficultas erat ; quià Concilium dicebat : dolere de peccato propter pœnas inferni, eſſe donum Dei. At verò Molina affirmabat poſſe hominem dolere propter pœnas Inferni ex naturæ viribus ; & ſic videbatur Concilio contrariari. Sed nec in hoc erat contrarius, dicebat Arrubal; quià ſuppoſitâ vel fide vel prædicatione de pœnis Inferni, poterat homo naturæ viribus habere dolorem de illis, quæ tamen non procederet vel ex fide, vel ex pietate ; ſed ex naturâ. Et ad hoc adducebat aliquos Doctores, qui hoc affirmant, quòd, videlicèt, circà res cognitas per fidem, V. G. circà beatitudinem, poteſt homo habere deſiderium, & ſimiles actus ex naturæ viribus. Et ità loquitur Molina : undè non contradicit Concilio.

IIIa. difficultas erat; quià Concilium docet attritionem cum ſpe veniæ, eſſe donum Dei. At verò Molina dicebat, attritionem cum ſpe veniæ, non eſſe donum Dei; ergò contrariabatur Concilio. Sed nec in hoc erat contrarius ; quià Concilium loquebatur de ſpe veniæ piâ : Molina autem non loquitur de hâc. Immò ipſum Concilium agnoſcebat aliquam veram fiduciam in hæreticis, quæ pia non eſt.

IVa. difficultas erat ; quià ipſe Molina loqui videbatur de attritione & contritione piâ, & procedente ex motivo fidei. Undè contrariabatur Concilio. Nàm Molina dicebat : quòd præexiſtente lumine fidei ex parte intellectûs, voluntas naturæ viribus poterat conteri ; ergò loquitur de contritione procedente ex motivo fidei ; ſicque videtur loqui de contritione piâ. Sed nec in hoc affirmabat Molina contrarium Concilio. Nam Molina non dicit quòd illa contritio procedat ex proprio motivo fidei, ut proprium eſt ; quià etiàm ipſa fides proponebat aliqua naturalia, quæ propria fidei ſunt. Et ſimiliter præexiſtente fide in intellectu hominis, voluntas fertur in aliqua cognita per fidem, quaſi materialiter, actu merè naturali ; & hoc modo loquebatur Molina de attritione ; & contritione. Undè tandèm concludebat Arrubal, quòd in ſubſtantiâ hæc erat illorum reſponſio : Concilium non obſtare doctrinæ Molinæ ; quià Concilium loquebatur de attritione ſeu contritione piâ, & factâ ex proprio motivo fidei. Cæterùm Molina loquebatur de attritione & contritione non piâ, ſed tantùm morali, & ſecundùm inferiores regulas. Et ſic concludit.

Tunc P. Lemos, omnia ex more ponens ad pedes Sanctiſſimi, dixit: Jàm PP. Societatis fatentur, hanc de attritione & contritione ſententiam eſſe Molinæ ; quod tamèn priùs negaverant.

Sed ſtatìm interrumpens P. Arrubal dixit : ſe id non negare.

Cui P. Lemos: An hoc PP. Societatis negaverint, vel non, remitto me ad priores Congregationes. Et proſecutus aït : Itèm, jàm PP. Societatis fatentur, Molinam aſſerere attritionem ſeu contritionem cum propoſito ampliùs non peccandi, & cum ſpe veniæ, poſſe elici ſolis naturæ viribus. Quod etiam PP. Societatis negarunt priùs. De quo me etiam remitto ad priores Congregationes. Et quidem multa habebam ex Molinâ ad probandum, ipſum admittere in ſolâ naturâ, contritionem cum propoſito abſoluto ampliùs non peccandi, & cum ſpe veniæ. Quià verò jàm id conceditur,

conceditur, pauca ſufficiant. Et omiſſis omnibus, ſolus locus quidam legendus eſt ex Molinâ, videlicèt, §. *ratio*, *diſp.* 14. [a] *Ratio verò*, inquit ibì Molina, *quæ communi Doctorum ſententiæ patrocinatur, hæc eſt: quià præexiſtente maximè lumine fidei, quo ſcimus Deum Conditorem noſtrum, innumeraque & maxima beneficia, tàm naturæ, quàm gratiæ, quæ in nos contulit, uſque ad proprij Sanguinis in Cruce effuſionem; quo inſuper cognoſcimus, juſtis ſempiternam felicitatem, impiis verò ignem ſempiternum, extremamque miſeriam eſſe propoſitam; lethale autem peccatum tàm extremum eſſe malum, adeòque divinam Majeſtatem offendere, ut vel unum ſit ſatis, ut qui illud commiſerit, niſi de eo doleat, ſtatuatque nihil tale deinceps committere, ſupremam amittat felicitatem, in extremamque incidat miſeriam; proculdubio tàm potens eſt hæc cogitatio, ad excitandam & permovendam voluntatem, ut liberum arbitrium ejus qui hæc ſibi perſuaſerit, atque proprio acumine, aut alterius ſuggeſtione, & hortatu rem attentè conſideraverit, cum ſolo concurſu generali Dei elicere valeat, intuitu quidem extremorum malorum, in quæ aliàs incidet, dolorem ſeu deteſtationem ſuorum ſcelerum; cum propoſito cavendi in poſterum omnia peccata lethalia, in quo conſiſtit attritio, quoàd ſubſtantiam actûs; intuitu verò bonitatis & beneficiorum Dei, ſimilem deteſtationem ac propoſitum, in quibus poſita eſt ratio contritionis, quoàd ſubſtantiam actûs, inſufficientis ad ſalutem; eò quòd peculiari impulſu Spiritûs Sancti excitata non ſit, nec effecta.* Quo lecto, ſtatìm manifeſtè apparuit ipſum dicere: poſſe hominem habere propoſitum abſolutum non peccandi, cum ſpe veniæ. De propoſito enìm abſoluto, id dicit expreſſis verbis; de ſpe veniæ autem, dicit ibi: niſi de eo doleat: ergò hoc intuitu & hâc intentione dolet, ut evadat damnationem, & acquirat æternam felicitatem. Et clariùs *eâd. diſp. memb.* 4. §. *his conſtitutis*, [b] dicit quòd *ut effugiat tantum malum* dolet ac pœnitet; ergò cum ſpe veniæ. Et omnium clariſſimè §. *tertiò*, [c] quem ibì legit, dicit: quòd ſicut homo poteſt naturæ viribus aſſentiri myſterio Trinitatis, & aliis omnibus; ità poteſt naturæ viribus, intuitu fugiendi æternam damnationem, de peccatis dolere; ergò ſpem veniæ concipit, qui ſic dolet. Et hoc ſecundum elicit ex illo primo. Ex illo principio deducit hanc concluſionem. Quale principium, talis concluſio. In quo ſatìs apparet quomodò iſta Molinæ doctrina, ſit concatenata & connexa. Igitur ſententia Molinæ eſt ejus verbis expreſſa: poſſe hominem ſolis naturæ viribus elicere contritionem cum omnibus his conditionibus. 1°. Ut doleat de peccato ſecundùm quod eſt contrà Deum authorem naturæ, & multa beneficia naturalia ab ipſo ſunt recepta. 2°. Ut eſt contrà Deum Redemptorem, & authorem gratiæ, & ob innumera beneficia hominibus collata. 3°. Ut doleat de peccato, ſecundùm quod eſt amiſſivum vitæ æternæ. 4°. Ut doleat ſecundùm quod eſt inflictivum æternæ pœnæ. 5°. Ut doleat de peccato cum propoſito abſoluto ampliùs non peccandi. 6°. Et ultimò ut doleat de ipſo ſecundùm quod habet adjunctam ſpem veniæ.

[a] Membr. 1. p. 45. col. 2.

[b] Pag. 53. col. 1.

[c] Ibidem. col. 2.

Tunc Arrubal: ubì dixit poſſe dolere, ut eſt contrà Deum authorem gratiæ?

Cui P. Lemos: jam expreſsè legi in Molinâ, & itèm lego. Sed nunc oportet audire, & non ſermonem interrumpere. Et legens *prædictum* §. *Ratio*, dixit: Ecce apertè dicit, quòd & dolet de peccato, ut eſt contrà Deum authorem naturæ, & ut eſt contrà innumera beneficia gratiæ, & contrà Deum Redemptorem. Hæc nonne pertinent ad gratiam? dicit expreſsè de donis gratiæ, ut condiſtinguuntur contrà dona naturæ. Quid clariùs? Itaque dicit, quòd præexiſtente revelatione intellectûs, potiſſimùm ſi ſit revelatio de fide, (nam etiamſi non ſit ex fide, id poteſt, ſed maximè ſi ſit ex fide) præexiſtente, inquam, divinâ revelatione ex parte intellectûs,

Digitized by Google

intellectûs, nulloquè auxilio poſito ex parte voluntatis, poterit voluntas ipſa nuda elicere tamen attritionem ex timore, & contritionem ex amore Dei procedentem, cum omnibus ſex conditionibus ab ipſomet expreſſis, & formalibus verbis appoſitis.

Quòd autem huic ſententiæ obſtet Concilium Tridentinum, ejus verba demonſtrant, ut non Commentatore indigeat, ſed tantùm Lectore. Docet enìm Concilium *in Seſſ. 14. cap. 4. in fine, illam contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ, declarat non ſolùm non facere hominem hypocrytam, & magis peccatorem, verum etiam Dei donum eſſe, & Spiritûs Sancti impulſum.* Quem locum ibì legit, & ſtatìm dixit: docet ergò attritionem quæ habeat has duas partes & conditiones, videlicèt, propoſitum non ampliùs peccandi, & ſpem veniæ, eſſe Dei donum, & Spiritûs Sancti impulſum. Sed Molina dicit, hanc eandem attritionem, cum hâc duplici conditione, non eſſe Dei donum & Spiritûs Sancti impulſum; ſed haberi ſolis naturæ viribus: ergò contrariatur Molina expreſsè & directè Concilio. Et, quod majus eſt, non ſolùm docet Concilium, eſſe Dei donum & Spiritûs S. impulſum attritionem illam, quæ ex objecto eſt ſupernaturalis, qualis eſt illa quæ habetur propter pœnas inferni; ſed etiam docet attritionem, quæ ex objecto eſt naturalis & moralis, qualis eſt illa quæ oritur ex conſideratione turpitudinis peccati, ſi habeat has duas conditiones, videlicèt, & ſpem veniæ, & propoſitum non ampliùs peccandi; hanc docet, licèt naturalis ſit & moralis ex objecto, non poſſe eſſe naturæ viribus; ſed eſſe Dei donum, & Spiritûs Sancti impulſum. Itaque Gentilis non poteſt naturæ viribus, conſideratâ turpitudine peccati per rationem, dolere de peccato cum propoſito non ampliùs peccandi & ſpe veniæ. Et ſi id habet, ex Spiritûs Sancti dono id habet. Et hoc docet Concilium. Cujus & fundamentalis ratio videtur; quià habet naturam corruptam & infirmam; adeóque non poteſt habere ſimilem actum; potiſſimè, quià concipere ſpem veniæ, non poteſt eſſe ex naturâ, ſed ex lumine ſupernaturali. Nec enìm tota natura poteſt dictare poſſe hominem per dolorem recuperare amicitiam perditam cum Deo.

Vidit quidem Molina, Concilium in hâc parte ejus damnare ſententiam, & voluit explicare, nec tamen potuit. Dicit enìm *in memb. 2. ejuſd. diſp. 14. §. in confirmationem* a: Concilium in hâc parte duo docere. 1m. Eſt illam contritionem non facere hominem hypocritam. 2m. Eſt illam ſufficere cum Sacramento ad juſtificationem. Sed mirandum eſt de iſto viro: ſi enìm legit hæc duo in Concilio, quomodò non legit illud 3m., quod æquè expreſſum & patens eſt in illo. Tria enim apertiſſima ſunt & notiſſima in Concilio. 1m. Eſt illam attritionem non facere hominem hypocritam. 2m. Illam eſſe Dei donum, & Spiritûs Sancti impulſum. 3m. Eſt illam ſufficere ad juſtificationem cum Sacramento Pœnitentiæ. Immò hoc tertium infert Concilium ex illo ſecundo. Cùm enìm dicit illam ſufficere ad juſtificationem cum Sacramento, præmiſit illam eſſe Dei donum & Spiritûs Sancti impulſum, nè, ſi eſſet ſolùm ex naturâ, ex ipſâ inciperet juſtificatio.

a Pag. 47. col. 2.

De contritione autem habetur *in can. 5. ejuſd. Seſſ. 14. Si quis dixerit per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, quâ quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ*, b *ponderando peccatorum ſuorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ vitæ & beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum, cum propoſito melioris vitæ, non eſſe verum & utilem dolorem nec præparare ad gratiam &c. Anathema ſit.* Quæ ubì legit F. Thomas, ſtatìm ſubdidit: certè videtur Concilium nihil aliud definire,

b Iſa. 38. 15.

niſi

niſi contrà ſententiam Molinæ. Nam eiſdem prorsùs verbis & conditionibus, quibus Molina enumerat contritionem ſuam naturalem, eiſdem enumerat Concilium, & iſtam iſtis conditionibus expreſſam definit eſſe præparationem ad gratiam. Cùm ergò Molina eandem contritionem eiſdem conditionibus veſtitam dicat habere hominem naturæ viribus, quid aliud dicit, niſi naturam ſolam poſſe ſe præparare ad gratiam? Concilium dicit, actum cum his conditionibus eſſe donum Dei, nec poſſe haberi naturæ viribus: Molina autem dicit, hunc actum poſſe haberi ex naturâ, ergò immediatè invenitur ſacro Concilio & ejus definitioni contrarius.

Et per hunc Canonem 5m. & Caput 4. prædictum, ſe explicat Concilium, cùm *Seſſ. 6. can. 3.* dixit: *ſi quis dixerit, ſine præveniente Spiritûs Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut ad ſalutem oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Itaque definit, ſine Spiritûs Sancti inſpiratione & adjutorio non poſſe hominem pœnitere ſicut oportet ad ſalutem, ut ei juſtificationis gratia conferatur. Videns autem Concilium, futuras multorum extortas explicationes circà illud verbum, *pròut ad ſalutem oportet*, explicavit, & ſuâ explicatione omnium aliorum explicationes amputavit, & facultatem Theologis aliter explicandi penitùs abſtulit. Docet enim *Seſſ. 14. cap. 4.* quòd illa attritio eſt pœnitentia pròut ad ſalutem oportet, quæ habet has duas conditiones, nempè, propoſitum abſolutum non peccandi, & ſpem veniæ. Itaque in Concilio idem omninò eſt pœnitere pròut ad ſalutem oportet, & pœnitere cum propoſito non peccandi, & ſpe veniæ.

Similiter de contritione, docet illam contritionem, quæ habet illas conditiones enumeratas & expreſſas in canone 5°. ſuperiùs relato Seſſionis 14æ. eſſe contritionem pròut ad ſalutem oportet. Et quidem quis Catholicus poterit dubitare iſtum actum eſſe pium, & pròut ad ſalutem oportet, quo quis dolet de peccato cum omnibus iſtis conditionibus; videlicèt, ut doleat de peccato pròut eſt contrà authorem naturæ & authorem gratiæ, ſecundùm quod eſt amiſſivum vitæ æternæ, & ſecundùm quod eſt inflictivum æterni ſupplicij, ut doleat de ipſo cum propoſito ampliùs non peccandi abſoluto, & cum ſpe veniæ? Quis, inquam, poterit dubitare actum illum eſſe pium, & de objecto pio? Qui ergò actum iſtum cùm omnibus iſtis circumſtantiis tribuit naturæ viribus, quid aliud conatur aſſerere, niſi ſolam naturam ſine gratiâ poſſe producere actum pium & ſalutarem? Iſta tria enìm debent ſemper proportionari ſecundùm omnem Philoſophiam & Theologiam, videlicèt, objectum proximum, actus, & principium illius. Actus enìm humani ſumunt ſuam ſpecificationem & naturam ſivè quidditatem ab objecto proximo. Ità quòd ſi objectum proximum fuerit pium & ſalutare, & actus eſſentialiter & ſecundùm ſibi propria, eſt ſalutaris & pius. Actus autem ſalutaris & pius non poteſt fieri à naturâ, ſed à Spiritu Sancto. Et qui ex unâ parte admittit illum actum pium ex objecto, ut re verâ eſt, factum à naturâ; convincitur quòd ex naturâ det actum ſalutarem & pium.

Dicit Molina quòd attingit actus voluntatis objectum pium, & poſteà dicit quòd non eſt pius; quià non habet commenſurationem cum gratiâ. Nec attendit Molina, quòd ponit actum commenſuratiſſimum cum gratiâ. Nam quòd actus ſit commenſuratus cum aliquo objecto, eſt quòd ipſum attingat; nec aliam commenſurationem poteſt actus habere cum objecto, niſi quòd attingat illud. Si ergò ipſum attingat, cum ipſo eſt commenſuratus. Modò Molina ponit illum actum contritionis factum à nudâ voluntate attingere ordinem gratiæ; ergò eſt commenſuratus cum gratiâ. Nam dicit, quòd eſt dolor de peccato

 ut

Digitized by Google

ut eſt contrà Deum Redemptorem, & contrà innumera beneficia gratiæ ab ipſo recepta: jam ergò attingit ordinem gratiæ; & ſic cum illâ ponitur commenſuratus, quidquid verbis dicatur contrarium. Præterea quandò Spiritus Sanctus vult aliquem movere donis ſuæ gratiæ ad contritionem, quid aliud producit, vel quid aliud facit, niſi ſolùm hoc, quod Molina tribuit ſolis naturæ viribus? Certè nihil aliud producit, nec ad aliud hominem movet, niſi ut doleat de peccato cum propoſito abſoluto non ampliùs peccandi, & cum ſpe veniæ; & ut doleat de ipſo, ut eſt contrà Deum authorem naturæ, & contrà beneficia naturæ collata; & ut doleat de ipſo, ut eſt contrà Deum Redemptorem, & innumera beneficia gratiæ recepta; & ut doleat de ipſo ſecundùm quod eſt amiſſivum æternæ vitæ, & inflictivum æternæ pœnæ. Si ergò totum hoc, quòd facit Spiritus Sanctus, tribuitur naturæ, & illud poteſt facere natura ipſa, non erit gratia Spiritûs Sancti ſimpliciter neceſſaria, ſed tantùm ad faciliùs. Qui fuit error Pelagij. Ordo enìm gratiæ ad hoc eſt neceſſarius ut elevet naturam ad attingendum id, quod ex ſe ſolâ non poteſt. Si ergò natura ex ſe ſolâ attingat omnia iſta ad quæ movet Spiritus Sanctus, non erit neceſſaria ſimpliciter gratia ipſius. Utitur hoc argumento S. P. Auguſtinus *Lib. de grat. Chriſt. cap. 23.* [a] Ibì enìm contrà Pelagium dicentem, hominem ſine gratiâ poſſe fieri unum ſpiritum cum Deo, ſic dicit Auguſtinus: *Quid homini majus, quidvè tale poterit gratia iſta præſtare, ſi jam ſine illâ unus cum Domino ſpiritus effici potuit non niſi de arbitrij libertate?* Sic Beatissime Pater dicendum eſt: Quid homini majus, quidvè tale poterit gratia ipſa præſtare, ſi jam ſine ipsâ ex ſolâ arbitrij libertate dolet homo de peccato cum omnibus iſtis conditionibus, videlicèt, ſecundùm quod eſt contrà Deum authorem naturæ, & contrà Deum Redemptorem, & authorem gratiæ, & ſecundùm quod eſt amiſſivum vitæ æternæ, & inflictivum æternæ pœnæ, cùm propoſito abſoluto ampliùs non peccandi lethaliter, & cum ſpe veniæ? Ad quid ergò erit neceſſaria gratia ad dolendum de peccatis?

[a] *Tom. 10. num. 24. col. 241.*

Itèm Molina planè convincitur, quòd habitus pœnitentiæ non ſit neceſſarius ſimpliciter, ſed ſolùm ad faciliùs. Nàm ille ad hoc eſt neceſſarius ut voluntas producat actum contritionis, ſecundùm quod per fidem de peccato proponitur eſſe dolendum: ſi ergò voluntas abſque alio auxilio gratiæ, ex ſe ſolâ poteſt dolere de peccato ſecundùm omnes rationes propoſitas per fidem, quis non videat non eſſe neceſſarium ſimpliciter habitum pœnitentiæ in voluntate? Immò error Pelagij ille fuit, quòd ſuppoſitâ revelatione ex parte intellectûs, liberum arbitrium erat firmum, & forte ad eliciendum actum circà id quod per revelationem proponebatur. Hoc ipſum certè dicit Molina, quòd præexiſtente lumine fidei, revelante dolendum eſſe de peccato ſecundùm omnes relatas & explicatas conditiones, voluntas ſine auxilio gratiæ ex ſe ſolâ eſt firma & fortis ad dolendum de peccatis, ſecundùm quod per fidem proponitur eſſe dolendum. Sicut autem S. Auguſtinus dicit contrà Pelagium, quòd debebat fateri arbitrium infirmum & debile; ità Molina debebat fateri voluntatem infirmam & debilem, etiam ſuppoſitâ revelatione.

Tres excuſationes prætendunt PP. Societatis. 1ª. Et ſubſtantialis eſt; quòd illa contritio non eſt ex motivo fidei, & ſic non eſt pia & ſalutaris; quià nihil eſt pium, niſi procedat ex motivo fidei. Hoc enìm dixit P. R. ultimò; ſed ordo doctrinæ poſtulat, ut modò de hoc dicatur. Et in primis gratìs admittendo id ità eſſe: nullum actum eſſe ſalutarem & pium, niſi procedat ex habitu fidei; hoc ipſum condemnat Molinam. Nam ipſe *prædicto §. ratio*, planè dicit, illam contritionem procedere ex motivo fidei, videlicèt, ſecundùm quod fides proponit

proponit eſſe dolendum propter Deum Redemptorem & authorem gratiæ; ergò dicit quòd ex motivo fidei movetur voluntas ad illam contritionem. Quod autem dicit, non procedere ex motivo fidei, ut motivum fidei eſt: quià videlicet, fides multa proponit quæ non ſunt propria fidei; ſicut Deum eſſe unum, quod non eſt proprium fidei, ſed ratione naturali demonſtratur, propter imperfectos tantùm proponitur per fidem: undè ſolet vocari præambulum ad fidem à Theologis: hoc nihil juvat. Nam Molina dicit oriri illam contritionem ex proprio motivo fidei, ut proprium motivum fidei eſt: ſi quidem Deum eſſe Redemptorem uſque ad proprij ſanguinis effuſionem in cruce, quod Molina expreſsè dicit, quis dicat non eſſe ſupernaturale & proprium motivum ipſius fidei? Itaque convincitur Molina, quòd conſtituat illam contritionem oriri ex proprio motivo fidei, ut proprium motivum fidei eſt.

Prætereà nullo modo poteſt dici, nullum actum eſſe pium & ſalutarem, niſi fiat ex proprio motivo fidei, & niſi illam præſupponat. In hâc enim doctrinâ perſeverant iſti Patres; quæ tamen eſt contrà veritatem, & Concilia. Concilium Tridentinum *Seſſ. 6. cap. 5.* dicit exordium juſtificationis incipere à gratiâ præveniente. Et *cap. 6.* dicit: per illam gratiam prævenientem, hominem moveri ut concipiat fidem; ergò antè fidem datur gratia præveniens diſponens ad illam. Quæ diſpoſitio procedens à præveniente gratiâ pro certo eſt ſalutaris & pia. Similiter certum eſt, quòd quandò Deus Paganum vel Gentilem convertit ad fidem, quòd illum diſponit ad illam. Nam adultus non accipit fidem, cum quâ ſimùl infunditur juſtificatio, niſi ſit diſpoſitus per actum proprium; in quo diſtinguitur juſtificatio adultorum à juſtificatione parvulorum qui juſtificantur ſine proprio actu ex ſolo merito Chriſti. Tunc ergò quandò ille adultus convertitur ad fidem, ante ipſam fidem à Deo diſponitur per gratiam vocantem & prævenientem. Certum ergò debet eſſe, quòd illa diſpoſitio antecedens fidem eſt actus pius & ſalutaris, & ad ſalutem diſponens, quamvis non ſit ex fide. Cùm ergò S. P. Auguſtinus dicit: ſine fide nihil pertinere ad pietatem, nomine fidei intelligit etiam gratiam vocantem & prævenientem ad fidem, quæ indirectè pertinet ad fidem; & intelligit quòd ſine fide, vel ſine auxilio primo diſponente ad ipſam, nihil ſit quod pertineat ad pietatem. Nam ſententia eſt S. Auguſtini expreſſa *L. de naturâ & grat. cap. 2.* [a] Quod argumentum per totum illum Librum proſequitur: quòd *ſi natura poteſt facere & juſtitiam moralem & naturalem, debet eſſe de æterno præmio ſecura.* Qui locus eſt ibì lectus ex integro. In quo & concludit: quòd ſi aliqua gens, ad quam nondùm pervenit Evangelium, credat Deum Creatorem cæli, à quo ſe factam naturaliter eſſe ſentit, & rectè vivat, nullâ fide prædicationis imbuta: ſi, inquam, moraliter vivat rectè, hoc ergò de illâ dico, quod Paulus de lege: [b] *ergò Chriſtus gratìs mortuus eſt.* Certum eſt ergò in S. Auguſtino, quòd ſi homo poteſt ſervare naturæ legem, & mores qui ad illam pertinent, abſque dubio Deus dabit illi gratiam & gloriam; ergò facit aliquid pertinens ad ſalutem, & pium. Actus enim quo certificamur de æterno præmio, abſque dubio pius eſt, & ſalutaris.

a *Tom. 10. num. 2. col. 128.*

b *Gal. 2. 21.*

Dixit etiam P. Arrubal 2°.: quòd Concilium Tridentinum *cap. 4. citato*, per illa verba; *ex conſideratione turpitudinis peccati*, non intelligit attritionem naturalem & moralem ex objecto; quià etiam turpitudo peccati conſideratur ut eſt contrà ordinem ſupernaturalem gratiæ. Hoc dixit: ſed quamvìs verum ſit, quòd turpitudo peccati etiam conſideretur contrà ordinem ſupernaturalem; tamen reſtringere, quòd Concilium in hâc parte tantùm loquatur de peccato ſecundùm iſtam conſiderationem, eſt explicare Concilium, ſicut omnia alia

Digitized by Google

Decreta Pontificum conſueverunt ſuo modo explicare. Nam Concilium ſine dubio loquitur de conſideratione turpitudinis peccati, ut eſt contrà rectam rationem. Immò fortè de hâc conſideratione turpitudinis peccati principaliter loquitur. Nam Concilium ibì conſtituit duas attritiones; alteram provenientem ex motivo ſupernaturali; alteram ex motivo rationis naturalis. Et docet nec unam nec alteràm haberi poſſe naturæ viribus, ſi habeat has duas conditiones, videlicèt, propoſitum non ampliùs peccandi, & ſpem veniæ. Itaque docet quòd Gentilis non poteſt naturæ viribus dolere de peccato ut eſt turpe contrà rectam rationem, cum propoſito non peccandi, & cum ſpe veniæ: non ergò ſe purgat Molina dicendo, ſe loqui de actu contritionis naturali & morali. Nec illum excuſant ſui Defenſores: tùm quià iſte actus attritionis moralis cum illâ duplici conditione modò relatâ, docet Concilium, quòd non poteſt fieri ſolis naturæ viribus.

Præterea Caſſianus *Collat. 13. cap. 13.* nullam aliam attritionem contritionem-vè attribuebat naturæ viribus, niſi actum naturalem; & tamen de hoc fuit damnatus. Nam loquens de contritione Davidis dicit: quòd non ex vi illius, ſed ex Dei miſericordiâ conſecutus fuit veniam. In hoc quod dicit: quòd non ex vi illius contritionis data fuit gratia, dicit illam non fuiſſe commenſuratam cum gratiâ. Nam ſi ſentiret illam habuiſſe commenſurationem cum gratiâ, utiquè dixiſſet, quòd ex vi illius conſecutus eſſet gratiam. S. autem Proſper contrà Caſſianum *in Lib. contrà Collat. cap. 8.* a non ſolùm damnat Caſſianum de illâ contritione, ſed de actu multò imperfectiore. Sic enìm dicit: *Doces ergò non poſſe hominem per ſemetipſum apprehendere ſanitatem, ſed habere eum à ſemetipſo deſiderium ſanitatis; & ſuâ tantùm ſponte venire ad medicum: non etiam hoc ipſum medici eſſe, quòd veniat. Quaſi verò anima ipſa non langueat, & corpori ſuo remedium ſana proſpiciat. Atquì totus homo ex ipsâ & cum ipsâ in profundum miſeriæ ſuæ decidit, ubì eam, priuſquàm à medico notitiam ſuæ calamitatis accipiat, jacere delectat, amantem ſemper errores ſuos, & amplectentem falſa pro veris. Cujus ſalus prima eſt, ut ſibi incipiat diſplicere, & vetuſtatem ſuæ debilitatis odiſſe.* Eccè planè docet, quòd prima ſalus primumque ſalutis initium eſt incipere dolere de peccatis. Et tamen Molina non ſolùm conſtituit in ſolâ naturâ, quòd homo incipiat dolere; ſed quòd perfectè, ſecundùm omnem rationem repræſentatam per fidem, doleat.

a *In App. tom. 10. Op. S. Auguſt. cap. 4. num. 11. col. 174.*

Ideò autem Semipelagiani naturæ viribus tribuebant poſſe habere iſtos actus morales ſupremos & egregios, cum his conditionibus & circumſtantiis; quià putabant hominem non manere læſum in ordine ad rectitudinem moralem, & in ordine ad juſtitiam naturalem. Putabant enìm hominem fuiſſe per peccatum originale ſpoliatum gratuitis, ſed non vulneratum in naturalibus, adeóque poſſe facere quemcunque moralem actum cum omni ſuâ formalitate & ratione. Et hoc eſt fundamentum etiam Molinæ. Hæc eſt enìm radix prima, ex quâ conſtituit in homine iſtos ſimiles actus; quià, videlicèt, putat, in ordine ad rectitudinem naturalem & moralem, hominem eſſe integrum. S. autem Auguſtinus hanc rectitudinem naturalem & juſtitiam moralem omninò homini ex ſuis naturalibus negat; ut patet clariùs *ex Lib. 4. contrà Julian. capite 3.* b ubì dicit: *ſi per doctrinam hominum qualiſcunque juſtitia; ergò Chriſtus gratis mortuus eſt. Per quod enìm vera eſt juſtitia, per hoc etiam regnum Dei. Deus namque ipſe erit injuſtus, quod abſit, ſi ad ejus regnum non admittitur juſtus.* Et loquitur expreſsè de juſtitiâ naturali & morali. Hanc enìm ſi homo habere poteſt ex naturæ viribus, abſque dubio admittitur in regnum cælorum, & illi dabitur gratia ex vi prioris illius meriti naturæ.

b *Tom. 10. n. 17. col. 593.*

Ad illud aliud 3m. quod dixit P. R.: quòd

quòd, videlicèt, ſuppoſitâ fide, poteſt humana voluntas habere quoſdam actus naturales reſpectu eorum quæ per fidem proponuntur; licèt non procedant ex motivo fidei, quòdque hâc ratione poteſt dolere propter pœnas Inferni cognitas per fidem, dolore naturali: ſecundùm quam rationem dicit procedere Molinam: dicendum, non eſſe dubium, ſuppoſitâ cognitione, ſivè per fidem, ſivè per Prædicatorem, videlicèt, de beatitudine poſſibili, poſſe voluntatem ex ſe ſolâ habere aliquale deſiderium & velleïtatem circà illam, ut bonum quoddam eſt, quæ explicatur hoc modo: vellem habere hoc bonum. Quæ velleïtas, eſt etiam circà impoſſibilia, ut author docet; & hoc tantùm intendunt Doctores, quos ad hoc propoſitum adduxit P. Arrubal. Hoc autem quid juvat ad præſentem difficultatem, in quâ Molina dicit: poſſe hominem ſine gratiâ, ſuppoſitâ fide ex parte intellectûs, habere contritionem abſolutam cum ſpe veniæ, de peccato ut eſt contrà Deum authorem naturæ & gratiæ? Sed PP. Societatis in hâc causâ ſemper argumentantur ex communibus & generalibus, non autem ex particularibus, & in ſpecie.

Similiter quod 4°. loco dixit: Concilium Tridentinum cognoſcere aliquam fiduciam vanam, qualis, videlicèt, eſt in hæreticis, minùs juvat. In hæreticis enìm eſt fiducia illa vana, at verò Molina non loquitur de illâ; ſed loquitur expreſsè de ſpe veniæ, quæ ſonat in bonum, & quæ concomitatur abſolutum propoſitum ampliùs non peccandi: quæ duo bona ſunt, & ità bona, ut Concilium dicat expreſsè, actum cum illis duobus eſſe Dei donum, & Spiritûs Sancti impulſum.

Dicunt etiam PP. Societatis: Molinam loqui de contritione quòad actûs ſubſtantiam, quam Scholaſtici naturæ viribus tribuunt. Sed quomodò hoc dicitur ſolâ voce & ſolis verbis? cùm Molina apertiſſimè naturæ viribus tribuat contritionem, non ſecundùm ſubſtantiam actûs tantùm, ſed etiam ſecundùm omnem propriam & formalem rationem ſpecificam, ſecundùm quam definitur ab omnibus Scholaſticis, cùm dicunt: Contritio eſt dolor de peccatis propter Deum ſummè dilectum. In hâc enìm definitione, contritio formaliter, & quòad modum, & quòad ſubſtantiam definitur. Cùm enìm Scholaſtici ſic definiunt, quis illorum unquàm dixit in explicatione hujus definitionis: adverte quòd iſte dolor aſſumptus propter Deum ſummè dilectum eſt duplex: alter moralis, & non commenſuratus cum gratiâ, factus ſolis naturæ viribus; alter verò ſupernaturalis & productus à Spiritu Sancto? Quis unquàm ſic explicavit? Nullus certè. Sed omninò pro principio præſupponunt, dolorem de peccatis aſſumptum propter Deum ſummè dilectum, donum Dei eſſe; quià ille dolor eſt definitio contritionis, non quòad ſubſtantiam ſolùm, ſed quòad modum, & quòad omnem ſuam entitatem & propriam formalitatem, quâ in eſſentiali ſpecie contritionis formaliter conſtituitur. Cùm ergò Molina dicat: dolorem propter Deum ſummè dilectum oriri ex naturæ viribus, apertiſſimè loquitur de contritione, & quòad ſubſtantiam, & quòad modum, & quòad omnem formalitatem; quidquid voce ſolâ dicat: eſſe contritionem quòad ſubſtantiam actûs. Itaque dolere de peccato propter Deum ſummè dilectum, illud *ſummè dilectum* modus eſt, & propria formalitas. Nàm diligere quòmodocunque Deum, eſt ſubſtantia dilectionis, quæ naturæ viribus tribui poteſt; diligere autem ſuper omnia, modus eſt, & modus vocatur à S. Thomâ *1. 2. q. 100. art. 10.*, ubì hoc dicit expreſsè. Et *2. 2. q. 44. art. 4.* omninò expreſsè dicit: quòd *ſuper omnia*, eſt modus dilectionis. Igitur, cùm Molina loquatur expreſsè de dolore aſſumpto propter Deum ſummè dilectum, loquitur apertè de contritione, & quòad ſubſtantiam, & quòad proprium & intrinſecum modum, per quem in ſpecie

ſpecie formali cōtritionis conſtituitur.

Similiter dolere cum propoſito abſoluto ampliùs non peccandi lethaliter, & cum ſpe veniæ, modus eſt. Modus eſt, inquam, contritionis intrinſecus, & modus elevatiſſimus, quo conſtituitur contritio in formali & eſſentiali ratione contritionis. Non ergò Molina dicat: hanc tantùm eſſe contritionem quòad ſubſtantiam: nam eſt quòad ſubſtantiam, & quòad modum. Etenim S. Thomas expreſsè dicit iſtum eſſe modum, nempè *3. p. q. 85. art. 1. in corpore, & ad 3m*. Quem articulum ibì integrè legit prædictus F. Thomas. Et in illo dicebat S. Thomas: quòd dolere de peccato cum eo modo & fine quo dolendum eſt, eſt contritio, & eſt dolor ſecundùm rectam rationem; & eſſe virtutem. Dolere autem eo modo & intentione, dicit eſſe dolere cum intentione removendi peccatum, & removendi reatum pœnæ, id eſt, cum intentione ampliùs non peccandi, (per hoc enìm removetur peccatum) & cum intentione & ſpe evadendi reatum pœnæ, & obtinendi veniam. Iſte, inquam, eſt modus & finis in actu contritionis, & non ſolùm ſubſtantia.

Ex quo loco crediderim, quòd Concilium Tridentinum, (ſicut multa loca S. Thomæ, ejus doctrinam honorando, Eccleſiæ propoſuit) deſumpſit id quod habet *in cap. 4. ſeſſ. 14.* quòd, videlicèt, attritio cum propoſito ampliùs non peccandi & cum ſpe veniæ, non poteſt fieri naturæ viribus, quià non eſt actus quòad ſubſtantiam tantùm, ſed etiam quòad modum. Undè Scholaſtici, quandò dicunt poſſe hominem ſolis naturæ viribus elicere attritionem, ſivè contritionem, quòad ſubſtantiam actûs, excludunt iſtum modum *cum propoſito abſoluto ampliùs non peccandi*; excludunt etiam ſpem veniæ; excludunt & contritionem ex amore Dei ſuper omnia procedentem. Contritio enìm quòad ſubſtantiam ſolùm eſt multiplex. 1ª. Eſt velleitas, quâ aliqui vellent dolere de peccato cum propoſito ampliùs non peccandi, & ſpe veniæ; quæ communiter invenitur in publicis peccatoribus; de quâ loquitur Cajetanus, cùm aït: poſſe fieri naturæ viribus. Alio modo invenitur contritio quòad ſubſtantiam actûs, cùm, videlicèt, aliquis dolet de peccato propter motiva temporalia; quià, videlicèt, incurrit per peccatum vel dolorem, vel verecundiam, vel amiſſionem honoris, & ſimilia; quam homines habent ſolis naturæ viribus. Similiter contritio quòad ſolam actûs ſubſtantiam, eſt, quâ homo dolet de peccato, ut eſt contrà Deum ſicut contrà amicum, non autem ipſum diligendo ſuper omnia, & ſuper ſeipſum, vel cum propoſito ampliùs non peccandi, & cum ſpe veniæ. Hoc modo poteſt homo ſolis naturæ viribus, ut dicunt Scholaſtici; habere contritionem quòad ſubſtantiam actûs.

Cæterùm dolere de peccatis propter Deum ſummè dilectum, cum propoſito abſoluto ampliùs non peccandi, & cum ſpe veniæ, quæ formaliſſima contritio eſt, & quòad ſubſtantiam & modum, à nullo Scholaſticorum ponitur, vel poni poteſt ex ſolis naturæ viribus; nec aliquem oſtendunt PP. Societatis, qui in ſpecie & in particulari ità loquatur. Immò omnes pro comperto habent, ſimilem contritionē eſſe diſpoſitionem ad gratiam, habere pro effectu remittere culpam, & ex conſequenti eſſe Dei donum, nec haberi naturæ viribus, in tantùm ut S. Thomas dicat *3. p. q. 85. art. 2. ad 3m*. talem contritionem cum illo modo & fine à ſe explicato in articulo immediatè præcedente, continere omnem virtutem; quià includit fidem, ſpem, & charitatem; includit prudentiam, ſumma enìm prudentia eſt, ſic dolere; includit & juſtitiam, quià contritio eſt actus virtutis pœnitentiæ, quæ eſt pars potentialis juſtitiæ, ut à Theologis communiter dicitur, & habet recompenſare pro divinâ injuriâ; includit & fortitudinem, quià magna fortitudo eſt ſeipſum ſuperare: includit denique & temperantiam, quià ab omnibus abſtinet propter Deū

ſummè

Digitized by Google

ſummè dilectum: & ſic per iſtum actum homo perfectè avertitur à peccato, & perfectè convertitur in Deum; cum quâ averſione à peccato & converſione in Deum non compatitur peccatum. Undè ſi hoc habet homo ex ſolis naturæ viribus, homo ex ſeipſo reſurgit à peccato: qui fuit error Pelagianus. Nec enim Pelagiani aliter unquàm dixerunt, hominem poſſe ex ſeipſo reſurgere à peccato, niſi quià dicebant illum poſſe habere contritionem ex ſe ſolo, cum quâ non compatitur peccatum. Et per hæc patet ad omnia dicta quæ adducta ſunt à PP. Societatis eſſe reſponſum.

Ad illud autem ultimum de Bullâ Pij V., quam multoties adduxerunt in conſpectu Sanctitatis veſtræ, non oportet reſpondere; nàm Bulla non dicit poſſe hominem conteri de peccato propter Deum ſummè dilectum, ex ſolâ facultate naturæ, ut P. Valentia, qui eſt in Cælo, intendebat, nec oſtendere potuit unquàm, nec iſti PP. oſtendunt. Immò non video quâ intentione adducatur, vel, quod majus eſt, quâ intentione interpoſuerint PP. Societatis in ſuo libello *de ratione Studiorum*, in quo tota Bulla integrè eſt interpoſita. Forſitàn hâc intentione, ut Scholares omnes intelligant, eſſe Eccleſiæ doctrinam, hominem poſſe diligere Deum ſuper omnia, dilectione habitâ ſolùm ex facultate naturæ, ut hoc dicatur plebi. Quod ſi ità eſſet, nullo modo eſſet neceſſaria gratia, ſed ſolùm ſolâ voce gratia prædicatur. Et ſic finivit P. Lemos.

Tunc P. Arrubal admirans, vel turbatus, & ferè omnia relinquens, dixit: ſe neſcire quid ſibi vellet ſignificare P. Lemos de Bullâ interpoſitâ in Libro *de ratione Studiorum*: dicebat enim non fuiſſe ibì poſitam hâc intentione, ut diceretur poſſe hominem ſolis naturæ viribus diligere Deum ſuper omnia.

Tunc P. Generalis Prædicatorum dixit: Immò ad hoc ſolùm adducta & appoſita fuit Bulla illa.

Tunc P. Arrubal: cùm PP. Societatis non ſentiant poſſe hominem diligere Deum ſuper omnia dilectione naturali, non adducunt Bullam ad hoc probandum.

Tunc iterùm P. Generalis: in hoc eſt error, quòd, cùm Bulla, hoc non dicat, à vobis ad hoc ſuadendum adducitur.

Et P. Lemos: hâc intentione videtur appoſita Bulla illa in illo Libro, quæ adducta jàm fuit ſæpiùs in Congregationibus, ad probandum, videlicèt, nos ſolis naturæ viribus poſſe diligere Deum ſuper omnia.

Tunc P. Arrubal dicebat: ad iſtum finem appoſitam fuiſſe Bullam, ut, videlicèt, oſtendatur opera aliqua moralia poſſe ab homine fieri ſolis naturæ viribus.

E contrà autem dicebat P. Vaſtida: quòd etiam ex illâ Bullâ deducebatur, poſſe nos diligere Deum ſuper omnia ſolis naturæ viribus.

Tunc P. Lemos: quæ veritas poteſt eſſe in doctrinâ iſtorum Patrum, quandò ipſi ſibi ipſis apertè contradicunt? Signum hoc eſt maximum falſitatis.

Tunc P. Generalis S. Dominici legit locum in Molinâ, ubì ipſe dicebat, Concilium intelligendum eſſe, quòd illa attritio eſt donum Dei, non propter propoſitum abſolutum ampliùs non peccandi, ſed ob ſpem veniæ. Undè PP. Societatis expreſsè loquebantur contrà Molinam.

Tunc P. Arrubal dicebat: Molinam id aſſerere conditionaliter, non abſolutè. Et poſt hæc aliqua pauca dicebat ad firmandam ſuam ſententiam: quòd, videlicèt, Molina non affirmabat, illam contritionem produci ex proprio motivo fidei, & ſic non erat actus pertinens ad pietatem; quià ſine fide nullus eſt actus ad pietatem pertinens.

Cui Sanctiſſimus dixit: *ponit Molina illam contritionem cum omnibus illis conditionibus, quæ apponuntur à Concilio; & Concilium dicit eſſe donum Dei, & pertinens ad ſalutem.*

Poſt hæc inſtabat ipſe Arrubal: quòd illa contritio tantùm materialiter,

Digitized by Google

non formaliter attingebat objectum pœnitentiæ ſalutare & pium.

Tunc P. Lemos dixit: illam contritionem quam conſtituebat Molina formaliſſimè attingere objectum pium & ſanctum. Nàm objectum formale virtutis pœnitentiæ, eſt peccatum deteſtandum ut offenſa Dei, cum propoſito ampliùs non peccandi, & cum ſpe veniæ. Hoc eſt formale objectum virtutis pœnitentiæ, & formaliter hoc attingit contritio, quam conſtituit Molina. Materiale autem objectum, ut dixi, eſt peccatum quodcunque conſideratum & ſub quâcunque ratione vel motivo temporali deteſtandum, ut dixi de attritione quòad ſubſtantiam actûs. Et ſtatìm Carmelitanus aſſerebat committi æquivocationem de objecto materiali vel formali. Nam videndum erat à quo ſumat actus contritionis ſuam ſpeciem. Illicò autem F. Thomas dixit: jàm dixi à principio quòd actus quilibet humanus ſumit ſpeciem ſuam, ſuamque rationem formalem à fine proximo, & ab objecto formali immediato. Similiter dixi quòd iſta tria ſemper proportionantur, ut eſt notiſſimum apud omnes, ſcilicèt, finis proximus, ſivè objectum immediatum formale, actus, & principium. Ità quòd ſi finis proximus fuerit pius & ſalutaris, eſſentialiter actus humanus eſt pius & ſalutaris, & ex conſequenti principium debet eſſe pium & ſalutare. Conſtat enìm quòd objectum illius contritionis, quam Molina conſtituit, ſit ſalutare ac pium. Undè actus eſſentialiter eſt pius. Cùm ergò ponatur à Molinâ factus ex ſolis naturæ viribus, convincitur quòd ex ſolis viribus naturæ agnoſcat actum ſalutarem & pium.

Et ſtatìm P. Arrubal dìcebat: quòd formale objecti eſt bonitas. Hæc autem erat duplex: altera conformis rationi rectæ; alia autem conformis regulæ ſuperiori. Et quòd contritio, quam Molina conſtituebat, attingat bonitatem pròut conformem rationi rectæ; & hoc erat quid materiale reſpectu ſuperioris regulæ ſupernaturalis.

Tunc P. Lemos dixit: hoc eſt quod dixi. Audiat ergò Pater. Ex conceſſis à ſe, bonitas eſt formale objectum: & concedit quòd eſt duplex bonitas; ergò concedit quòd eſt duplex objectum formale; ergò jàm illa cōtritio fertur in objectum formale: quòd autem iſtud formale conforme rationi rectæ, comparatione altioris regulæ & formæ, habeat ſe quodammodò ut materiale, non tollit quin in ſuâ propriâ & intrinſecâ naturâ, habeat veram formalitatem, & attingat conformitatem ad rationem rectam, quam natura læſa habere non poteſt; quià haberet rectitudinem moralem & naturalem; adeòque natura in naturalibus læſa non eſſet. Modò non reſpondet, ſed tacet, quià convictus manet iſte Pater.

Poſteà P. Vaſtida dixit: aliquos Scholaſticos dicere hominem ſolis naturæ viribus poſſe habere contritionem. Quod P. Lemos negavit. Ipſe ergò volebat illos legere.

Cui P. Lemos: advertas Pater, quod ego dixi. Dictum fuit à me nullum Scholaſticorum explicaſſe hanc definitionem contritionis: eſt dolor de peccatis aſſumptus propter Deum ſummè dilectum, in quo clauditur propoſitum abſolutum ampliùs non peccandi, & ſpes veniæ, quod ſit ex naturæ viribus ſolùm.

Tunc ad id oſtendendum P. Vaſtida quod intendebat, legit Cordubam. Quem cùm legiſſet, dixit P. Lemos: non dicit fieri ex ſolis naturæ viribus dolorem cum dilectione Dei ſuper omnia, cum propoſito abſoluto ampliùs non peccandi, & cum ſpe veniæ.

Dicebat autem Vaſtida: dicit Corduba, quòd in lege naturæ ſalvabantur tali contritione.

Cui P. Lemos: ſed ex adjutorio gratiæ. Clamat enìm S. Paulus, multos in lege naturæ fuiſſe ſalvos, & aliquos enumerat, ſed non ex naturæ viribus, ſed ex divinâ gratiâ. Et ſic finita fuit Congregatio, cùm duraſſet per tres horas, & aliquid ampliùs.

MONITUM. Finitâ Congregatione XVIII. occaſione Reſponſionis PP.

Digitized by Google

PP. Societatis, Sanctiſſimus miſit Dubium contentum in 5°. Scripto ſuprà poſito a, & præcepit ut in primâ Congregatione de ipſo ageretur, hoc eſt in Congregatione XIX. immediatè ſubſequente.

a *Vide ſuprà col. 9.*

CONGREGATIO DECIMA NONA CORAM CLEMENTE VIII.

Habita eſt coràm Sanctiſſimo die 23. Junij, in vigiliâ, videlicèt, S. Joannis Baptiſtæ anni 1603. poſt prandium horâ ſecundâ præſentibus Cardinalib[9]. & Cenſoribus deputatis uno excepto D. Epiſcopo de S. Agathâ.

In quâ de bonis operibus noſtris moralibus quæſitum eſt, num, quandò ſunt bona ex genere, & objecto, & omnibus circumſtantiis, non tamen bona dicantur, nec ſecundùm Deum authorem naturæ & gratiæ, nec ad pietatem pertinere; niſi ſint facta ex motivo fidei & pietatis ſupernaturalis: quamvìs facta ſint ſuppoſitâ fide, & intuitu & conſideratione juſtitiæ Dei ſcelera punientis, & beneficiorum Dei miſerentis, & tàm copioſè munerantis, & præſertim conſideratione beneficij effuſionis proprij Sanguinis in Cruce pro nobis?

Vide Hiſt. Congr. de Auxil. l. 3. cap. 24. col. 475. & ſeqq.

DUBIUM de quo actum fuit in hâc Congregatione, fuit illud nuper datum 12. Junij, quod & tale fuit: *An bona opera noſtra moralia, nedùm bona ex genere & objecto ac ex officio, & nedùm ſemotâ omni malâ circumſtantiâ; ſed è contrà veſtita omnibus bonis circumſtantiis; non dicantur bona, nec ſecundùm Deum authorem naturæ & gratiæ, nec ad pietatem pertinere; niſi ſint facta ex motivo fidei, & pietatis ſupernaturalis; quamvìs facta ſint ſuppoſitâ fide, & intuitu & conſideratione juſtitiæ Dei ſcelera punientis, & beneficiorum Dei miſerentis, & tàm copioſè munerantis, & præſertim conſideratione beneficij effuſionis proprij Sanguinis in Cruce pro nobis?* Ad quod, ſub correctione Sanctiſſimi, dixit P. Arrubal: hoc Dubium eſſe graviſſimum, maximèque neceſſarium pro verâ intelligentiâ omnium quæ in præcedentibus Congregationibus dicta fuerunt; & quòd particulari Spiritûs Sancti intelligentiâ credebat eſſe propoſitum.

Quod Dubium poſtquàm perlegit, hanc circà illud protulit reſponſionem negativam, videlicèt, opera in illo relata & ſpecificata, cum omnibus illis particulis, niſi fuerint ex motivo fidei & pietatis ſupernaturalis, non eſſe pertinentia ad ſalutem & pietatem.

Quod ut probaret, hoc primum fundamentum conſtituebat, duos, videlicèt, eſſe rerum ordines; alterum moralem, ſecundùm regulam rationis inferiorem; alterum verò ſupernaturalem. Quod fundamentum eſſe certum ex doctrinâ S. Thomæ, & ex Bullâ Pij V. ſæpè citatâ, affirmabat. Ex quo ſic concludebat: opera pertinentia ad pietatem non poſſunt fieri ſine auxilio gratiæ; ſed iſta opera moralia, ſic explicata, poſſunt fieri ſine auxilio gratiæ; ergò non ſunt pertinentia ad ſalutem.

Digitized by Google

Deindè aliud ſupponebat, videlicèt, idem omninò eſſe, opus ſecundùm pietatem, & opus pròut ad ſalutem oportet, & opus ſimpliciter bonum. Quod aliquibus probabat teſtimoniis, & præcipuè ex illo Pauli: a *Pietas ad omnia utilis eſt* (ut explicabat) ad omnia opera pertinentia ad ſalutem. Et ſic dicebat communiter à SS. Patribus, potiſſimè à Chryſoſtomo, intelligi & explicari.

a 1. Tim. 4. 8.

Prætereà, & aliud affirmabat: ſine fide nullum poſſe opus ſalutis eſſe, vel ad pietatem pertinens; quià fides erat initium, radix, & fundamentum pietatis. In ſuadendo & probando hoc fundamento, multum temporis conſumebat. Præcipuè illud probabat ex illo Pauli: b *in Chriſto Jeſu, nec circumciſio aliquid valet, nec præputium; ſed fides quæ per dilectionem operatur.* Quibus verbis, ut dicebat, importabatur influxus, concurſus, & cauſalitas fidei ad opera pietatis. Deindè idem probabat ex Concilio Tridentino *Seſſ. 6. cap. 8.* ubì dicitur: fidem initium, fundamentum, & radicem eſſe juſtificationis. Et explicabat, quòd vocabatur fundamentum & radix, ad explicandam cauſalitatem & influxum quem fides habet ſuper opera pietatis. Et ad hoc ipſum probandum, adducebat doctrinam SS. Patrum; & legit multa loca ex ipſis, præcipuè ex S. P. Auguſtino, in quibus nihil aliud continebatur, niſi quòd ſine fide non dantur opera juſtitiæ; & quòd ſine fide homo non eſt juſtus; & quòd ſine fide homo non placet Deo. Adduxit tamen in ſpecie illum locum *ex Lib. de prædeſt. Sanctor. cap. 2.* c, ubì dicitur: quòd *fides eſt, ex quâ pietatis exordium ſumitur.* Adduxit & S. Thomam *2. 2. q. 10. art. 4. ad 3m.*, ubì dicit: quòd fides dirigit intentionem circà opera ſupernaturalia. Et multa ſimilia afferebat. Et in particulari Joannem Vincentium adducebat dicentem: Chriſtum Dominum, ſi non habuiſſet cognitionem ſupernaturalem, non potuiſſe operari opera ſupernaturalia. Ex quibus omnibus ſic concludebat: ſine fide nullum eſt opus pietatis, ut dictum eſt; ſed opera omnia iſta enumerata poſſunt eſſe ſine fide; ergò non pertinent ad pietatem.

b Galat. 6. 15.

c Tom. 10. num. 6. col. 793.

Deindè dicebat: quòd jàm erat videndum, an poſſit iſta conditionalis eſſe vera; quòd ſupponatur fides in aliquo, & quòd tamen ille habeat aliquos actus circà objecta ſupernaturalia, qui tamen non proveniant ex influxu & cauſalitate fidei ſupernaturalis, nec ex motivo proprio ipſius, ſed tantùm materialiter? Ad quod reſpondebat affirmativè; quòd, videlicèt, ſuppoſitâ fide, optimè poterat voluntas habere aliquos actus, non ex formali motivo & cauſalitate fidei, ſed tantùm materialiter circà objectum fidei materialiter tentum: qui proindè, cùm non procedant ex motivo fidei formali, nec ex influxu illius, non erant pij; etiamſi fiant ex conſideratione beneficij effuſionis ſanguinis Chriſti in Cruce pro nobis: quià iſta conſideratio non procedebat ex motivo & influxu formali fidei, ſed materiali tantùm.

Tripliciter autem probabat poſſe eſſe in voluntate iſtos tres actus circà objectum fidei materiale, & non ex motivo fidei formaliter. 1°. Quià hæreticus, qui negaret aliqua ad fidem pertinentia, & admitteret Chriſtum verum Deum & hominem ſanguinem effudiſſe pro nobis; tunc iſte ex conſideratione iſtius beneficij poterat aliqua operari; & tamen eſt manifeſtum non ex motivo formali fidei hæc operari. 2°. Quià nemo poteſt eſſe certus an habeat fidem ſupernaturalem; & tamen eſt certus quòd habeat conſiderationem beneficij effuſionis ſanguinis Chriſti: hoc enìm quilibet in ſe ipſo experitur: ergò illa conſideratio poteſt haberi materialiter de illo objecto, & non procedit ex motivo fidei formali. 3°. Quià idem omninò eſt de beatitudine ſupernaturali, & de quolibet alio objecto ſupernaturali: ſed Theologi dicunt: quòd ſuppoſitâ fide de beatitudine, poteſt quis deſiderare ex naturæ viribus illam beatitudinem.

Digitized by Google

tudinem. Qui actus materialiter, & non ex motivo fidei formaliter procedit; ergò ſimiliter poterit quodcunque aliud ſimile producere.

Poſtremò dicebat P. Arrubal: plures Doctores ex Thomiſtis aſſerere rationem *ſub quâ*, ut diſtinguitur à ratione *qua*, non tenere ſe ex parte objecti, ſed ex parte potentiæ; licèt alij dicant ſe tenere ex parte objecti: in quorum primorum ſententiâ, ratio formalis *ſub quâ* objecti fidei, erat ex parte potentiæ; ac ex conſequenti, ſi non ſit ex parte potentiæ iſte influxus formalis fidei, non attingitur objectum formale fidei, ſub motivo formali ipſius, ſed tantùm materialiter; igitur poteſt, ſuppoſitâ fide, voluntas habere ſimiles actus materialiter circà objectum fidei: & non ex influxu & motivo formali fidei. Hæc, ſi benè recordor, in ſubſtantiâ dixit P. Arrubal, & non aliud.

Et ſtatim F. Thomas, omnia ex more ad pedes Sanctiſſimi conſtituens, dixit: circà Dubium à Sanctitate veſtrâ propoſitum, & modò relatum, duo breviter aperiam: alterum eſt bona opera noſtra moralia, bona quidem ex genere, ex objecto, ex officio, ex fine, & ex omnibus bonis debitis circumſtantiis; licèt non procedant ex motivo fidei & pietatis ſupernaturalis bona eſſe, & ad pietatem pertinere: alterum verò eſt, hujuſmodi opera ſic undiquè moraliter bona, ſi eis ſuperaddatur, quòd fiant ab homine, ſuppoſitâ fide, ex intuitu & conſideratione juſtitiæ Dei ſcelera punientis, & beneficiorum ipſius miſerentis, & tàm copioſè præmiantis, & præſertìm ſi fiant conſideratione beneficij effuſionis ſanguinis Chriſti in cruce pro nobis, eſſe piiſſima, maximèque ad pietatem pertinere, hominemq; ipſum ordinare in Deum authorem gratiæ.

Prima propoſitio eſt expreſſa ſententia ſancti Auguſtini in omnibus Libris contrà Pelagianos, in quibus paſſim S. Doctor hæc tria notiſſima & patentiſſima conſtituit fundamenta, ex quibus propoſitio redditur manifeſta.

Im. fundamentum eſt, opera noſtra moralia bona ex officio, & etiam ex fine, non poſſe fieri niſi ab homine habente veram virtutem moralem. Hoc fundamentum conſtituit *contrà Julianum Lib. 4. cap. 3.* a his verbis: *Noveris itaque, non officiis, ſed finibus, à vitiis diſcernendas eſſe virtutes. Officium eſt autem quod faciendum eſt: finis verò propter quod faciendum eſt.* Quibus verbis apertè hanc eſſentialem conſtituit differentiam inter veras virtutes morales, & illas quæ veræ non ſunt; quòd veræ virtutes morales producunt bonum opus, non ſolùm ex officio bonum, ſed etiam ex fine. Cæterùm illæ quæ veræ virtutes non ſunt, licèt producant bonum opus ex officio, non tamen ex fine. Igitur docet ſanctus Auguſtinus, quòd opera bona moralia non ſolùm ex officio, ſed etiam ex fine, non poſſunt fieri niſi à verâ virtute morali.

a *Tom. 10. n. 21. col. 596.*

IIm. fundamentum ſancti Auguſtini eſt: abſquè verâ fide nullo modo poteſt eſſe in homine aliqua vera virtus moralis; & conſequenter non poterit abſque verâ virtute operari homo opus bonum morale ex officio & ex fine. Hanc fundamentalem veritatem conſtituit ſanctus Auguſtinus *eod. cap. 3.* b *Lib. 4. contrà Julian.* qui veras virtutes morales in hominibus ſine fide conſtituebat. Contrà quem ſic dicit S. Doctor; *Sed abſit, ut ſit in aliquo vera virtus, niſi fuerit juſtus; abſit autem ut ſit juſtus, niſi vivat ex fide:* c *juſtus enim ex fide vivit.* Ubì apertè docet, quòd ſicut abſque verâ fide nullus poteſt eſſe juſtus, ità abſque verâ fide in nullo poteſt eſſe vera virtus.

b *Ibid. num. 17. col. 593.*

c *Rom. 1. 17.*

IIIm. fundamentum ſancti Auguſtini conſiſtit in hâc propoſitione conditionali; quod eſt maximè advertendum: ſi abſque verâ fide eſſet in homine vera virtus moralis, verèque ex illâ operaretur homo bonum opus ex officio & fine, illæ virtutes perducerent hominem ad regnum cælorum, & opera ipſarum verè ad pietatem pertinerent. Immò ille talis homo

Digitized by Google

eſſet juſtus abſque eâdem verâ fide ; quòd eſt contrà Apoſtolum : a *Juſtus enim ex fide vivit.* Itaque docet apertè S. Auguſtinus, quòd ſi per impoſſibile ſemel admittatur, poſſe hominem ſine fide ſupernaturali habere veram virtutem moralem, opera ejus eſſent pertinentia ad pietatem : Immò quòd ille homo eſſet juſtus abſque fide ; quod eſt contrà fidem. Illo enim impoſſibili admiſſo, & hoc ſecundum impoſſibile ſequitur. In hâc veritate demonſtrandâ S. Auguſtinus eſt totus.

a Rom. 1. 17.

Illam enim in terminis docet *contrà Julian. Lib. 4. cap. 3. citato* b, illis verbis : *Si ergò ad conſequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalem fides, quæ in Chriſto eſt vera, promittit, nihil proſunt homini virtutes ; nullo modo veræ poſſunt eſſe virtutes.* Ubì contrà Julianum dicentem poſſe eſſe in homine veram virtutem moralem, cæterùm non perducere hominem ad vitam æternam, aït S. Auguſtinus : quòd ſi illæ virtutes abſque fide ſunt veræ virtutes, perducent utique hominem in vitam æternam ; quòd ſi non poſſunt hominem perducere in vitam æternam, nec veræ poſſunt eſſe virtutes. Et addit S. Doctor : c *Sed reſponſurus es, quid, niſi vana ? Ego, inquis, ſteriliter bonos dixi homines, qui non propter Deum faciendo bona quæ faciunt, non ex eo vitam conſequuntur æternam. Juſtus ergò Deus & bonus, bonos eſt in mortem miſſurus æternam ? Piget jam dicere, quàm multa te ſequantur inſana, talia ſentientem, dicentem talia, talia ſcribentem, in talibus me, quòd ſimiliter non deſipiam, velut cenſoriè reprehendentem.* Ubì manifeſtè docet Julianum implicatoria in ſuis dictis admittere, dùm ex unâ parte dicit poſſe eſſe in homine veras virtutes morales, & ex aliâ dicit eſſe ſteriles, nec pertinere ad ſalutem. *Et Verſu quomodò*, d ſimiliter aït : *Quomodò igitur, obſecro, non aut jocaris in his diſputationibus, aut deliras, qui ſterilium fructus arborum laudas ? Qui utique aut nulli ſunt, aut ſi mali ſunt, laudandi non ſunt ; aut ſi fructus boni ſunt, profectò ſteriles arbores non ſunt, immò & bonæ ſunt, quarum fructus boni ſunt, & debent Deo placere, cui bonæ arbores non poſſunt niſi placere, falſumque erit quod ſcriptum eſt : e impoſſibile eſt ſine fide placere Deo.* Ubì docet idem S. Doctor duo : 1m. eſt, quòd abſque verâ fide ſupernaturali non poteſt eſſe in homine vera juſtitia moralis, nec vera virtus moralis. 2m. Eſt, quòd ſi ſemel (ecce iterùm conditionalem) tribuamus veram juſtitiam moralem hominibus ex verâ virtute morali, nulla eſt cauſa quòd non dicamus illos pervenire in regnum cælorum. Immò ponderanda ſunt verba S. Auguſtini : quâcunque re aliâ, quâcunque ratione aliâ habeat homo illam juſtitiam & virtutem moralem. Ubì omnes excuſationes hujus temporis præcludit dicens : ſi abſque fidei ſupernaturalis motivo poteſt homo habere juſtitiam moralem ex verâ virtute morali, quâcunque re id habeat, quâcunque ratione, quocunque principio, quocunque motivo alio, ſive per naturam, ſive per legem id obtineat. Ubì ſimul docet : quòd ſi abſque verâ fide ſupernaturali homo poteſt aliundè habere juſtitiam moralem ex verâ virtute morali, ille talis abſque fide eſſet juſtus ; quod eſt impoſſibile. Et iterùm dicit : quòd ſi id poteſt habere ſine fide ; ergò Chriſtus gratìs mortuus eſt : quià Deus juſtus illis hominibus juſtis ex naturâ & per naturam non negaret regnum æternum, ſed illis daret & gratiam & gloriam, ex merito, videlicèt, illius juſtitiæ naturalis & moralis. Undè gratia daretur ſub priori merito naturæ.

b Tom. 10. n. 19. col. 594.
c Ibid. num. 33. col. 601.
d Ibidem. num. 32.
e Hebr. 11. 6.

Et *Lib. de nat. & grat. cap. 2. in principio* f, id expreſſiùs dicit : quòd, videlicèt, ſi abſque fide ſupernaturali poteſt homo habere juſtitiam moralem ex rectitudine ad rectam rationem, debet eſſe de præmio, id eſt, de æternâ vitâ ſecurus. Verba S. Auguſtini ſunt : *Ac per hoc natura humani generis ex illius unius prævaricatoris carne procreata, ſi poteſt ſibi ſufficere ad implendam legem, perficiendamque juſtitiam,*

f Tom. 10. num. 2. col. 128.

tiam, de præmio debet eſſe ſecura, ideſt, de vitâ æternâ, etiam ſi in aliquâ gente aut aliquo ſuperiore tempore fides eam latuit ſanguinis Chriſti. Non enim injuſtus Deus, qui juſtos fraudet mercede juſtitiæ &c. Quid clarius potuit aſſerere? Ubì ſimul docet, quòd ſi homo abſque ſupernaturali fide poteſt habere hanc moralem & naturalem juſtitiam, Chriſtus gratìs mortuus fuiſſet. Nàm licèt ipſe non moreretur, ille talis homo ex illâ juſtitiâ morali obtineret præmium, videlicèt vitam æternam. Præmium, inquam, correſpondens illi priori merito naturali & morali. Igitur conſtat expreſsè iſtam conditionalem eſſe perpetuam ſententiam S. Auguſtini contrà Pelagianos: quòd, videlicèt, ſi per impoſſibile ſemel admittatur poſſe hominem ſine fide ſupernaturali habere juſtitiam & virtutem moralem, ille abſque fide eſſet juſtus, & Chriſtus gratìs mortuus eſſet. Ad quam doctrinam velim quòd omnes PP. Societatis advertant.

Et ſi quæratur ratio fundamentalis hujus ſententiæ S. Auguſtini, hæc eſt: Nàm Chriſtus mortuus eſt, ut naturam infirmam per peccatum, ſanaret; ſi autem homo poteſt habere ſine fide ſupernaturali ex ſolis ſuis naturalibus virtutem moralem, cùm omnes ſint connexæ, habebit omnes; & ſic haberet naturam ſanam & non infirmam. Natura enìm, ſicut infirmatur ex defectu virtutum moralium, ità ſanatur per virtutes morales. Undè Chriſtus gratìs mortuus fuiſſet; quià homo ſeipſum ſanaret, habens ex naturâ virtutes veras morales ſanantes ipſum.

Quam doctrinam magìs explicat S. Thomas *1. 2. q. 85. art. 3.* ubì docet, quatuor eſſe vulnera naturæ ex peccato primi Parentis. 1^m^. Eſt vulnus ignorantiæ, 2^m^. vulnus malitiæ, 3^m^. infirmitatis, 4^m^. concupiſcentiæ. Primum vulnus ignorantiæ, eſt in intellectu per defectum prudentiæ, quæ ordinabat hominem ad verum; & prudentiâ ablatâ manſit intellectus deſtitutus ordine ad verum, & ſic incurrit vulnus ignorantiæ. Secundum vulnus malitiæ, eſt in voluntate per defectum & ablationem juſtitiæ, quæ eſt altera virtus moralis, quæ rectificabat voluntatem in ordine ad bonum; & ablatâ hâc morali virtute, manſit voluntas deſtituta in ordine ad bonum, & ſic incurrit vulnus malitiæ. Tertium vulnus infirmitatis, quod eſt in iraſcibili per defectum fortitudinis, quæ rectificabat illam potentiam inferiorem in ordine ad arduum; ablatâ autem fortitudine manſit deſtituta & vulnerata in ordine ad arduum per vulnus infirmitatis. Quartum vulnus concupiſcentiæ per defectum temperantiæ: concupiſcibilis enìm frænabatur virtute temperantiæ; ablatâ autem virtute temperantiæ per peccatum primi Parentis à concupiſcibili, manſit concupiſcibilis potentia deſtituta ordine ad delectabile temperatum, & circà delectationes noxias incurrit vulnus concupiſcentiæ. Si ergò homo ſolis ſuis naturæ viribus poteſt acquirere virtutes has morales, videlicèt, prudentiam, juſtitiam, fortitudinem, & temperantiam, poteſt à ſe auferre vulnera omnia tàm ab intellectu, quàm à voluntate, & ab appetitu inferiori. Undè poteſt ſe ſanare, & naturam ſanam reddere. Per virtutes enìm illas natura ſanatur, ſicut per defectum earum vulneratur.

Hâc ergò ratione concludit S. Auguſtinus: quòd ſi homo ex naturæ viribus poteſt habere veram virtutem moralem; ergò Chriſtus gratìs mortuus eſt: quià ille homo jam per illas morales virtutes eſſet ſanus abſque gratiâ Chriſti ſanante. Explicatur hoc ampliùs. Nàm opus morale integrum integritate omni morali, ex officio, videlicèt, & ex fine, & omnibus circumſtantiis debet procedere ex voluntate integrâ in moribus; nec aliud poteſt intelligi: quià effectus integer à causâ integrâ procedere debet. Si autem voluntas eſt integra in moribus; non ergò erit languida & infirma. Undè nullum peccatum haberet vel originale vel actuale: peccata enìm ſunt

ſunt contrà bonos mores. Et ſi homo habet bonos mores, nullum peccatum habet.

Nec valet reſpondere: poſſe hominem habere aliquod opus ex verâ virtute morali, ſed non omnia opera moraliter bona. Etenìm ſi homo poteſt habere opus minimum ex verâ virtute morali, eâdem ratione poterit habere ſupremum; quià virtus eſt ſufficiens ad producendum ſupremum ſuum opus. Rursùs eâdem ratione poterit habere omnes in univerſim bonos mores; quià habendo unam veram virtutem habet omnes, quæ poſſunt producere omnes bonos mores. Quod eſt attentiùs conſiderandum.

Immò error fundamentalis Pelagij, ut conſtat ex totâ epiſtolâ ad Demetriadem relatâ à ſancto Auguſtino *L. de grat. Chriſti cap. 27.* a, in hoc potiſſimè conſiſtebat: quòd, videlicèt, poteſt homo ex ſe ſine gratiâ habere mores bonos; hoc enìm ſemel, iterùm, atque tertiò, immò uſque ad octies repetendo, intendit perſuadere in illâ epiſtolâ. Ut enìm erat naturâ acutiſſimus, cognoſcebat, quòd ſi ſemel illi concederetur, poſſe hominem habere ex ſe,& ſine gratiâ bonos mores, homo ex ſe & ſine gratiâ eſſet ſanus in moribus, & ex conſequenti non infirmus nec læſus per peccatum. Undè SS. Patres ſemper conſtanter illi reſtiterunt, ex divinis Litteris probantes, non poſſe hominem ſine gratiâ habere bonos mores nec veras virtutes morales, docentes hanc conditionalem: quòd ſi ſemel in homine, per impoſſibile, abſque fide ſupernaturali poſſent eſſe veræ virtutes, ille talis eſſet verè juſtus; quod eſt contrà fidem.

a *Tom. 10. num. 28. col. 243.*

Et certè debent PP. Societatis advertere, quòd eâdem prorsùs ratione, & eâdem omninò facilitate quâ excuſant Molinam, poſſunt excuſare Pelagianos à damnato errore. Illi enìm ſolùm prætendebant, hominem ex ſe poſſe habere bonos mores ex verâ virtute morali; quià dicebant has virtutes morales eſſe inferioris ordinis,nec habere commenſurationem cum gratiâ, & ſic non requiri donum gratiæ ad illas habendas. Si ergò iſta excuſatio excuſat Molinam, excuſent etiam eâdem omninò ratione & Pelagianos ipſos. Immò, quid ego dico, quòd poſſunt excuſari ſimili modo Pelagiani, cùm ipſi in terminis hanc eandem excuſationem adhibuerint? Julianus enìm jam relatus à S. Auguſtino dicebat hominem infidelem poſſe ex ſe habere veras virtutes morales; quià tamen erant & inferioris ordinis, non habebant commenſurationem cum gratiâ, nec fiebant pròut ad ſalutem oportet, nec perducebant hominem ad regna cælorum. Nunquid hæc non eſt in terminis excuſatio quam modò prætendunt PP. Societatis? Contrà quam S. Auguſtinus demonſtrat: quòd ſi per impoſſibile homo ſine fide poteſt habere veram virtutem, ſine fide ſimiliter poterit eſſe juſtus, & perduci ad regnum cælorum. Immò concludit S. Auguſtinus, quòd eſt implicatio in verbis, hominem ſine fide poſſe (ut Patres Societatis dicunt) habere veras virtutes morales,& non operari ex illis pròut ad ſalutem oportet.

Præterea S. Auguſtinus *Lib. 3. Hypognoſticon* b, & S. Thomas *1. 2. q. 109. art. 2.* cùm ex profeſſo agunt de his quæ poteſt homo operari ex ſolis naturæ viribus; quid dicunt? Poteſt, inquiunt, ædificare domos, plantare vineas, colere agros, habere indumenta, habere uxorem, velle manducare, velle bibere, & cætera ad præſentem vitam pertinentia. Ad præſentem, inquam, vitam temporalem, ut in exemplis manifeſtarunt, non ad vitam æternam, & ſpiritualem moralem; ad vitam, inquam, civilem & politicam, non ad interiorem rectitudinem rationis. Nunquid dixerunt Sancti poſſe hominem ſine gratiâ diligere Deum ſuper omnia, aut conteri cum propoſito abſoluto ampliùs non peccandi, & cum ſpe veniæ, ut eſt peccatum contrà Deum authorem gratiæ & naturæ? Nihil minùs. Poteſt, dicunt, facere illa quæ pertinent ad vitam

b *Non eſt hic liber D. Auguſt. ſed alibi ſæpè idem dicit S. Doctor.*

Digitized by Google

vitam iſtam temporalem atque politicam.

Multa alia ob brevitatem omitto, & concludo: ſententiam expreſſam S. Auguſtini eſſe, quòd ſine fide homo nullam veram virtutem habere poteſt, nec verùm opus bonum ex illâ facere. Et hoc eſt primum quod docet S. Auguſtinus. Secundum eſt, quòd ſi ſemel admittatur poſſe hominem ſine fide operari opus ex verâ virtute morali, illa opera pertinerent ad pietatem; immò ille homo eſſet juſtus. Si ergò interrogetur S. Auguſtinus, quale eſt opus pertinens ad pietatem? Reſpondet: ſi homo ex ſolâ naturâ abſque motivo fidei ſupernaturalis operatur opus ex verâ virtute morali, illa opera ſunt pertinentia ad ſalutem. Si ergò S. Auguſtinus reſpondet in terminis quæſtioni propoſitæ: quòd ſi illa opera dentur in infidelibus ſine fide illâ, hâc ſuppoſitione factâ, ſunt tamen opera pietatis & pertinentia ad ſalutem; quarè PP. Societatis contrà hanc reſponſionem diſputant?

Ex dictis fit manifeſta 2ª. concluſio à principio propoſita. Si enim opera noſtra moralia undiquè bona, ſunt opera pietatis; multò magìs erunt pietatis opera, ſi eis addatur, quòd fiant ab homine habente fidem, & intuitu & conſideratione juſtitiæ Dei punientis,& beneficiorum ipſius præmiātis;& præſertìm ſi fiant conſideratione beneficij effuſionis ſanguinis Chriſti in cruce pro nobis. Hæc enìm, ut dixi, erunt piiſſima,& maximè ad ſalutem pertinētia. Quis enìm dicat, hunc actum, V. G. perſiſtendo in exemplo Molinæ, non eſſe pium, dolere, videlicèt, de peccato, cum propoſito abſoluto non ampliùs peccandi, & cum ſpe veniæ, ut illud peccatum eſt contrà Deum authorem naturæ,& contrà Deum authorem gratiæ,& contrà Deum Redemptorem? Undè tale conſtituo argumentū: dolere de peccato, ut proponitur per fidem ſupernaturalem de illo eſſe dolendum, eſt pietatis opus; nec erit Catholicus, qui iſtam majorem poſſit negare: ſed Molina dicit poſſe voluntatem ſine auxilio gratiæ dolere de peccato ſecundùm quod fides dicit de illo eſſe dolendum: ergò dicit, quòd ex naturæ viribus poteſt fieri opus pietatis. Minor patet *ex* §. *Ratio*, *in diſp. 14. memb. 1.* a quem ibi legit. a *Pag. 43. col. 2. edit. Antuerp.*

Sed dicunt PP. Societatis, & in hoc eſt tota ipſorum reſponſio, quòd non dolet ille homo ex motivo fidei formali, nec ex influxu vel cauſalitate fidei; ſed tantùm materialiter ſe habet fides in tali homine, nec influit in illum actum. At verò totum contrarium dicit Molina; aït enìm: *maximè præexiſtente lumine fidei, quo cognoſcimus*. Quo, inquam, cognoſcimus. Ecce cauſalitatem fidei; ecce influxum. Nec enìm fides habet alium influxum, vel cauſalitatem aliquam, niſi proponere credenda voluntati. Si ergò voluntas ipſa nudè amplectitur illa quæ per fidem proponuntur, abſque dubio dolet de peccato, ſicut proponitur per fidem de illo eſſe dolendum. Nec enìm fides proponit aliter eſſe dolendum de peccato, niſi ut doleat de illo homo, cùm propoſito ampliùs non peccandi, & cum ſpe veniæ, & doleat ut eſt contrà Deum authorem naturæ & gratiæ, ut, videlicèt, peccatum eſt amiſſivum vitæ æternæ, & inflictivum pœnæ æternæ. Igitur qui ſic dolet, dolet de peccato ſecundùm quòd fides de illo dicit eſſe dolendum.

Prætereà, Apoſtolus dicit: b *non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis tanquàm ex nobis*; id eſt, circà pietatem ex nobis tanquàm ex nobis nihil poſſumus cogitare. Quomodò ergò poterimus operari bonum ex conſideratione beneficij effuſionis ſanguinis Chriſti in cruce pro nobis, ex nobis ipſis? An hoc objectum non pertinet ad pietatem? An non magìs eſt operari quàm cogitare? b *2. Cor. 3.* 5.

Inſuper in Congregatione 6ª. recordor me dixiſſe & probaſſe ex illo Apoſtoli teſtimonio: c *nemo poteſt dicere Dominus Jeſus niſi in Spiritu Sancto*, omnes has explicationes Patrum Societatis eſſe extortas. Nam ipſi ſic explicant: nemo poteſt dicere *Dominus* c *1. Cor. 12. 3.*

Digitized by Google

Jeſus, pròut ad ſalutem oportet, niſi in Spiritu Sancto. Rursùs dicunt: dicere *Dominus Jeſus* pròut ſalutem oportet, eſſe dicere ex motivo fidei per Spiritum Sanctum: ergò de primo ad ultimum dicunt iſtam eſſe illius loci explicationem: nemo poteſt dicere *Dominus Jeſus* ex motivo fidei per Spiritum Sanctum, niſi ex Spiritu Sancto; qui eſſet ſenſus nugatorius, nihil magis concludens, quàm ſi quis diceret, Petrus & Petrus; quod eſt nihil affirmare.

Non ergò iſte eſt ſenſus iſtorum verborum. Undè PP. Societatis, ut ſuam & Molinæ defendant ſententiam, explicant Concilia Sacra in ſenſu extorto, & nihil omninò concludente. Quod eſt eludere Concilia. Cùm enìm Concilium Arauſicanum *Can. 7*. definit non poſſe hominem per naturæ vigorem facere aliquid pertinens ad ſalutem & pium; ſecundùm PP. Societatis eſt ſenſus: non poteſt homo operari aliquid pertinens ad ſalutem ex Spiritu S., niſi ex Spiritu S. Quis autem dicat, iſtum eſſe Concilij ſenſum? Senſus ergò Litteralis Concilij eſt: primus, quòd nullus poteſt per vigorem naturæ facere morale opus ex verâ virtute morali: hoc enìm opus, ex S. Auguſtino contrà Pelagianos, eſt opus ſalutis, & pietatis. Secundus ſenſus Litteralis eſt: non poteſt homo per naturæ vigorem facere opus aliquod, ad quod quomodolibèt ſequatur gratia. Hoc enìm dixit *in can. 6.*: *Si quis ſine gratiâ, credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, miſericordiam dicit conferri divinitùs &c.* Quomodocunquè enìm detur divina miſericordia vel auxilium gratiæ operantibus ſine priori gratiâ, illud opus cui gratia datur, convincitur ex Concilio, quòd fiat pròut ad ſalutem oportet. Et ſimiliter Concilium Tridentinum *in Seſſ. 6. can. 3.* definit: *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritûs Sancti inſpiratione atquè ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Non eſt ſenſus, ut PP. Societatis explicant, nullum poſſe habere illos actus ex Spiritu Sancto ſine adjutorio & inſpiratione Spiritûs Sancti; hoc enìm eſſet ridiculum: ſed ſenſus eſt, neminem poſſe habere illos actus circà talia objecta cum modo illo qui poſtulatur à naturâ intrinſecâ illorum objectorum, ſine Spiritûs Sancti adjutorio. Hoc enìm eſſet operari pròut ad ſalutem oportet. V. G. modus quem poſtulat objectum credibile, eſt quòd omnia myſteria credantur ſecundùm quod ſunt revelata & cum certitudine; & qui ſic credit, credit pròut ad ſalutem oportet, & credit ut ei juſtificationis gratia poſſit conferri. Non enìm ex parte intellectûs requiritur alia fides, ut ei juſtificationis gratia conferatur, niſi ſolùm quòd omnibus myſteriis aſſentiatur ſecundùm quòd revelata ſunt, & certò. Hæreticus autem qui non omnibus credit, ſed ex propriâ voluntate, quod vult accipit, quod vult negat, non credit pròut ad ſalutem oportet. Et proportionabiliter, ille pœnitet pròut ad ſalutem oportet ut ei juſtificationis gratia conferatur, qui habet attritionem cum propoſito abſoluto ampliùs non peccandi, & cum ſpe veniæ. Qui enìm ſic atteritur, atteritur pròut ad ſalutem oportet, ut ei cum Sacramento juſtificationis conferatur gratia; utì docet idem Concilium *Seſſ. 14. cap. 4.* Parique modo, qui habet contritionem cum illis conditionibus ſtatutis ab eodem Concilio *Seſſ. 14. can. 5.*; ut, videlicèt, conteratur de peccato cum propoſito non peccandi &c. ille talis habet contritionem pròut ad ſalutem oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur etiam extrà Sacramentum. Nam illa contritio abſque dubio eſt ultima diſpoſitio ad gratiam. Undè in inſtanti quo habetur, habet homo gratiam extrà Sacramentum, cum ordine tamen ad illud. Quare Concilium loquens de contritione non appoſuit illa verba *cum Sacramento*, ſicut poſuit in attritione; quià, videlicèt, attritio ſine Sacramento non juſtificat, benè autem

Digitized by Google

autem contritio. Et eodem modo, dilectio prout ad ſalutem oportet, eſt; quòd ſit ſuper omnia. Deus enìm hoc poſtulat, ut diligatur ſuper omnia: & ille eſt proprius modus, qui poſtulatur ab illo objecto diligibili. Undè qui diligit Deum ſuper omnia, diligit ſicut ad ſalutem oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur. Nec enìm ad hoc, aliqua alia Dei dilectio requiritur, niſi ut diligatur Deus ſuper omnia.

Venio jam ad objecta. A principio conſtituit R. P. illud principium ex Bullâ Pij V., quòd eſt duplex rerum ordo: alter rerum moralium; alter verò rerum ſupernaturalium. Quod quidèm concedimus. Quis enìm hoc unquàm negavit? Sed inferre indè omnem illum rerum moralium ordinem poſſe hominem facere ſine auxilio gratiæ, hoc negatur, & ſemper eſt negatum. Undè ad argumentum propoſitum, in formâ Reſpondeo: abſque influxu gratiæ non poſſunt fieri opera pertinentia ad ſalutem: ſed iſta opera moralia abſque motivo fidei ſupernaturalis, fiunt abſque influxu gratiæ; ergò non pertinent ad ſalutem. Ad quod, concedimus majorem. Omninò autem negatur minor. Etenìm S. Auguſtinus convincit contrà Pelagianos, illa opera moralia bona ex officio & fine, facta à verâ virtute morali, non poſſe fieri ſine fide. Quomodò ergò dicunt PP. Societatis poſſe fieri ſine influxu gratiæ? Quæ major poteſt eſſe contradictio litteræ & ſententiæ S. Auguſtini? Falſa igitur eſt illa minor. Undè argumentum nihil concludit.

Deindè latè 2°. probavit R. P. idem omninò eſſe opus ſimpliciter ſecundùm Deum, opus prout ad ſalutem oportet, & opus pietatis. Et adduxit illud Apoſtoli: a *Pietas ad omnia utilis eſt.* Quod fundamentum admittimus; nec ex eo aliquid ſequitur quod eos adjuvet.

a 1. Tim. 4. 8.

Tertio loco multùm conſumpſit temporis, ad probandum fidem eſſe initium, radicem, & fundamentum ſalutis, & vitæ ſpiritualis. Quod probavit ex Apoſtolo dicente: b *In Chriſto Jeſu nec circumciſio aliquid valet, nec præputium; ſed fides, quæ per dilectionem operatur*: Et ex illo Concilij Tridentini *Seſſ. 6. cap. 18.*, ubì fidem vocat initium, radicem, & fundamentum ſalutis: & hoc ipſum ex multis teſtimoniis S. Auguſtini probavit. Sed non oportebat in hoc conſumere tempus. Ex fide enìm eſt, fidem eſſe initium, fundamentum, & radicem vitæ ſpiritualis, quæ habetur per charitatem. Sed omnia iſta ordinavit ad concludendum, quòd opera quæ fiunt abſque formali motivo fidei, & ſine illius influxu, non ſunt pia. Quare ſic concludit: abſque fide & ejus formali motivo, non eſt opus pietatis; ſed omnia illa opera enumerata in Dubio fiunt abſque motivo fidei; ergò non ſunt pertinentia ad pietatem.

b Galat. 6. 15.

Ad quod Reſpondeo; majorem eſſe falſam, & contrà ſanctum Auguſtinum & veritatem; & minorem eſſe falſiſſimam. Ut videant Patres in quò fundant ſuam doctrinam. Falſa eſt major: quòd, videlicèt, nullum ſit opus pietatis abſque fide. Licèt enim pietas perfecta, quæ per gratiam & charitatem habetur, non ſit abſque fide; tamen pietas imperfecta quæ diſponit ad ipſam fidem, eſt certum eſſe antè fidem, & ordinari ad illam, & eſſe pietatem. Et iſta doctrina eſt S. Auguſtini, & Concilij Tridentini. Cùm enìm dicunt fidem eſſe initium, radicem, & fundamentum pietatis, ipſi ſe explicant, quòd per pietatem intelligant charitatem, ſeu vitam ſpiritualem. Similiter declarant aliud ſecundum; quòd, videlicèt, abſque fide datur vocatio ad fidem, vel cogitatio de fide habendâ, quæ & antecedit fidem, & actus pietatis eſt. Docet enìm Concilium Tridentinum *Seſſ. 6. cap. 5.* exordium juſtificationis ſumendum eſſe à vocatione, quæ procedit ex auxilio divino. Undè vocatio ad fidem opus pietatis eſt, procedens ab auxilio gratiæ, & diſponens ad fidem. Similiter S. Auguſtinus

 Lib.

Digitized by Google

a Tom. 10. num. 6. col. 793. *Lib. de prædeſt. Sanctor. cap. 2.* a, ubì dicit: *fides undè pietatis exordium ſumitur*; in eodem loco aït ex Paulo: b *non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis.* Cogitatio autem, aït Auguſtinus, prior eſt quàm fides. Jàm ergò ſecundùm Paulum probat Auguſtinus eſſe aliquam cogitationem piam quæ antecedit fidem, quæque, ſcilicèt, ordinatur ad illam. Igitur ſi ſermo ſit de pietate perfectâ, id eſt, de charitate, fides eſt initium, fundamentum, & radix: ſi autem ſermo ſit univerſalis de omni pietate etiam inchoatâ & imperfectâ, non ſola fides eſt initium illius; ſed vel fides, vel aliud auxilium gratiæ ordinatum ad fidem. Ut ergò illa major eſſet vera, ſic debebat conſtitui: nullum eſt opus pietatis, niſi ex motivo fidei, vel ex alio dono gratiæ. Hæc de majori illâ.

b 2. Cor. 3. 5.

Sed quidquid ſit de iſta majori, (hæc enim dicta ſunt ad abundantiam doctrinæ, & nè S. Auguſtino tribuatur id quod eſt contrà ipſum, contrà Concilia, & veritatem) & admiſſâ per impoſſibile majori illâ; quòd nullum ſit opus pietatis niſi ex motivo fidei; venio ad minorem, quàm ſubſumunt hoc modo: ſed illa opera enumerata in Dubio, non procedunt ex motivo fidei; ergò non ſunt pia. Iſta minor falſiſſima eſt, & damnata à S. Auguſtino. Clamat enìm ſanctus Doctor, ut fuit oſtenſum, iſta opera non poſſe fieri ſine fide; & PP. Societatis dicunt poſſe fieri ſine fide. Poſſunt-nè magis ex diametro doctrinæ S. Auguſtini contradicere? Duo dicit S. Auguſtinus. Primum eſt, illa opera non poſſe fieri ſine fide. Secundum eſt, quòd ſi fiant ſine fide per impoſſibile, eſſent pia, quod eſt contrà fidem. Et PP. Societatis apertè contradicentes primo dicto S. Doctoris, nolunt advertere ad hoc ſecundum: quòd ſi dantur illa opera ſine fide per impoſſibile, illa ſunt pia. Undè hoc argumentum concludit contrà ipſos; ut ſtatìm dicam.

Prætereà dixit P. R., illa opera eſſe ſine fide, & probavit 1°. Quià hæreticus diſcredens aliqua fidei, poteſt operari ex conſideratione beneficij effuſionis ſanguinis Chriſti, quod non negat. Ad hoc dicitur hæreticum de illo materiali objecto habere cognitionem ex ſolâ propriâ voluntate. At verò caſus præſens procedit de illo, in quo per veram fidem proponuntur credenda, in quo per fidem proponitur paſſio Chriſti ut objectum proprium fidei, ſub propriâ fidei revelatione; ut Molina concedit. Undè caſus eſt valdè diſſimilis. 2°. Probavit, quià Theologi communiter dicunt, poſſe nos habere deſiderium beatitudinis ex ſolâ naturâ, ſuppoſitâ fide de ipsâ beatitudine. Ad hoc jam dixi aliàs, PP. Societatis ad hoc adducere quædam univerſalia, non autem loqui de particulari & in ſpecie. Verum quidem eſt aſſerere Theologos poſt D. Thomam *1. p. q. 12. art. 2.* & *1. 2. q. 5.* quòd ſuppoſitâ fide poteſt voluntas ex ſolâ ſuâ facultate, habere actum deſiderij imperfectum, videlicèt, velleitatem de beatitudine ſub communi ratione boni. Immò dicunt, quòd ſi Plato dixiſſet ſuis diſcipulis eſſe quandam beatitudinem ſupernaturalem, potuiſſent illi quidem velleitate quâdam illam ut bonum deſiderare. Hæc autem quid juvant Molinam, qui dicit, ità poſſe actu abſoluto & efficaci illam deſiderare ut beatitudo eſt ſupernaturalis, ſicut per fidem proponitur eſſe deſideranda. In quo aufert neceſſitatem virtutis ſpei, ut aliàs probatum fuit.

Ad alia quæ Pater dixit, quià nullius conſiderationis ſunt, reſpondere non oportet, nè Veſtra Sanctitas gravetur.

Tunc dixit P. Vaſtida: reſpondeat ad aliud de certitudine. Cui F. Thomas dixit: jam ad hoc ſæpiùs dictum eſt, nec aliam difficultatem habet. Et proſecutus dixit: ſemel reſpondeant PP. Societatis huic argumento: ſecundùm S. Auguſtinum, ſi ſine fide dentur opera ex verâ virtute morali, illa ſunt opera pietatis; ſed Molina concedit

cedit abſque fide opera ex virtute morali; ergò concludit contrà S. Auguſtinum, quòd abſque fide conſtituat in homine opera pietatis.

Cui reſpondens P. Arrubal dixit: quòd S. Auguſtinus dicebat, quòd ſine fide Chriſti ſi darentur opera ex virtute morali, eſſent pia, non tamen ſi darentur, abſque fide Dei, ut in Cornelio.

Tunc F. Thomas: abſque omni fide ſupernaturali ſi darentur illa opera, docet S. Auguſtinus quòd eſſent pia; quià dicit: quòd ſi infideles per impoſſibile facerent opera ex virtute morali, illa eſſent pia; quod dicit *L. 4. contrà Julian. cap. 3.* a: & *Lib. de nat. & grat. cap. 2.* b dicit expreſsè quòd ſi abſque fide per ſolam cognitionem naturalem, quâ cognoſceret Deum factorem cæli & terræ, operaretur ex virtute morali, & faceret opera pietatis. Ad minorem: Molina autem hoc ipſum concedit; quià dicit quòd poteſt homo diligere Deum ſuper omnia ſolis naturæ viribus: ergò ſupponit cognitionem illius. Rurſùs dicit: quòd homo poteſt habere veram virtutem moralem, ut patet *ex diſp. 5.* c & explicat ſe, quòd loquatur de verâ virtute morali formaliter. Nàm loquitur de opere morali ex objecto formali virtutis, ut una virtus moralis ab aliâ diſtinguitur.

a *Tom. 10. n. 17. col. 593. &c.*

b *Tom. 10. col. 128.*

c *S. Ut ad vires pag. 17. col. 1.*

Tunc P. Arrubal dixit: quòd actus ex objecto formali virtutis, aliquandò non ſupponit virtutem; ut eſt primus actus per quem generatur virtus.

Cui P. Lemos: ex ore tuo proprio manes convictus, quòd ille actus virtutis, vel procedat à virtute, vel generet ipſam, ſi multiplicetur; vel ſi unus fuerit egregius, poterit homo ſibi generare virtutem, & ſic ſe ſanare, ut dictum eſt.

Tunc Sanctiſſimus legit locum Auguſtini, in quo apertè dicebat, eſſe initium pietatis benè ſentire de Deo: Molina autem conſtituebat, quòd homo benè ſentiat de Deo. Prætereà dixit Sanctiſſimus: *quòd Molina dicebat, quòd iis operibus ex certâ lege dabatur gratia præveniens: erant ergò illa opera pietatis.*

Cui P. Arrubal dixit: quòd non dabatur gratia facienti quod in ſe eſt; niſi tanquàm tollenti impedimenta.

Cui Sanctiſſimus: *non poteſt homo tollere impedimenta per naturam.*

Cui Arrubal: non poteſt quidem omnia.

Cui F. Thomas: ille aufert omnia, qui aufert ea quibus ablatis datur gratia; ſi enim gratia datur, nullum remanet impedimentum.

Tunc Sanctiſſimus dixit: *Molina aſſerit, quòd poteſt aſſentiri omnibus revelatis, tanquàm à Deo revelatis, & quià revelata ſunt. Et non pertinet hæc ad pietatem?*

Cui Frater Thomas: dicam de hoc, Pater Beatiſſime, unum verbum; quià P. adduxit *rationem ſub quâ* in ſui defenſionem. Secundùm omnes Theologos *ratio qua* in objecto fidei eſt Deitas; *ratio ſub quâ* eſt Deitas ut revelans. Videns hoc Molina conſtituit objectum formale fidei, dicens, revelatum tanquàm revelatum; & poſteà non conſtituit ex parte potentiæ lumen revelans, ſed dicit actu merè naturali poſſe aſſentiri revelatis tāquàm revelatis. Et in hoc erravit; quià non conſtituit ex parte potentiæ lumen revelans ad cognoſcendum revelatum ut revelatum. Sicut *ratio qua* objecti Metaphyſicæ, eſt entitas; *ratio ſub quâ*, eſt abſtractio ab omni materiâ ſenſibili & intelligibili. Et ſicut eſt impoſſibile, quòd entitas ut abſtracta ab omni materiâ attingatur niſi per Metaphyſicam; ità eſt impoſſibile, quòd revelatum ut revelatum attingatur niſi à lumine & revelante. Et ſic finita fuit Congregatio.

Digitized by Google

CONGREGATIO VIGESIMA CORAM CLEMENTE VIII.

Habita fuit coram Sanctiſſimo 10. Novembris 1603. præſentibus omnibus Cardinalibus, (uno tantùm excepto Aſculano) omnibuſque Cenſoribus deputatis.

In quâ quæſitum eſt an ea quæ Molina docet circà actus qui elici poſſunt à libero arbitrio, quæque de lege aſſerit, ab eo dicantur 1°. in ordine ad effectum juſtificationis; 2°. an ex iis reſultet proxima vel remota præparatio ad juſtificationem?

Vide Hiſt. Congreg de Auxil. l. 3. cap. 25. col. 479. & ſeqq.

MONITUM. Quandò Sanctiſſimus intimavit hanc Congregationem, Jeſuitæ dixerunt ſe præparatos non eſſe, & ſpatium unius menſis petierunt: ſed Sanctiſſimus præcepit ut infallibiter irent ad diſputandum. Diſputavit autem P. Vaſtida; quià P. Arrubal graviter infirmabatur, & infirmus perrexit in Hiſpaniam, deſerens Diſputationes, & officium Regentis, quod exercebat in Collegio Romano. In hâc ergò Diſputatione, diſputavit P. Vaſtida, & quidam P. Salas, quem ex Hiſpaniâ ad diſputandum tranſmiſerunt Jeſuitæ.

In hâc Diſputatione actum fuit de 2â. Propoſitione contentâ in quarto Scripto à Summo Pontifice ſignato, quæ ſic habet: *An ea omnia quæ Molina docet circà actus omnes qui elici poſſunt à libero arbitrio, ſimul cum iis quæ de lege dicit, ea omnia dicat & aſſerat in ordinem & ad effectum juſtificationis: & an ex iis quæ de libero arbitrio & lege affirmat, reſultet immediata ac proxima, vel remota præparatio ad juſtificationem & gratiam?*

Incepit P. Vaſtida hanc Diſputationem, & lectâ Propoſitione prædictâ, in ſummâ hæc dixit: Molinam ea omnia quæ docet circà actus omnes qui elici poſſunt à libero arbitrio, ſimul cum his quæ de lege dicit, nec ea omnia, nec aliqua dicere in ordinem ad juſtificationem & gratiam, nec ex ſuis dictis reſultare aliquam vel proximam vel remotam diſpoſitionem ad gratiam. Et hæc erat ſua Reſponſio, ſub correctione Sanctiſſimi.

Ut autem hanc reſponſionem fundaret, dicebat: ſe meliùs hoc aperire non poſſe, quàm ſi illam rogaret ex his quæ de his actibus docet Molina, & in genere, & in ſpecie. In genere quidem; quià Molina loquens de iſtis actibus naturalibus, ſæpiùs clariſſimis verbis affirmat, illos non fieri prout ad juſtificationem oportet. Et ad hoc legebat quædam Molinæ teſtimonia, in quibus hoc dicebat. Similiter loquens de diſpoſitione remotâ *in diſp. 6.* a dicebat: actum illum naturalem non eſſe diſpoſitionem ordini ſupernaturali commenſuratam, vel quæ excederet naturæ ordinem. Undè circà illos actus in genere, quatuor dicebat. 1°. Molinam aſſerere illos actus non eſſe diſpoſitionem remotam ad gratiam. 2°. Quòd Molina dicebat per peccatum originale amiſiſſe hominem libertatem quòad illos actus faciendos in ordine ad juſtificationem & gratiam. 3°. Quòd aſſerebat nullam habendam rationem illorum actuum in ordine ad juſtificationem & gratiam. 4°. Quòd Molina affirmabat illos

a *§. Liberii noſtrum p. 19. col. 1.*

illos actus nullius valoris eſſe, nullius meriti, nullius proportionis reſpectu juſtificationis & gratiæ. Et iſta quatuor, lectis aliquibus locis in Concordiâ, nitebatur confirmare. Undè exaggerabat nimis, quòd Molinæ tribueretur illum aſſerere iſtos actus fieri ad juſtificationem & gratiam; cùm tamèn apertis verbis contrarium omninò profiteatur.

Veniendo autem ad actus in particulari, etiam, ut dicebat, erat manifeſtum, Molinam illos non ordinare ad juſtificationem & gratiam. Nam iſti actus in particulari erant quinque. Videlicèt, actus credendi, ſperandi, diligendi, pœnitendi, & propoſitum ſervandi mandata. In ſpecie autem loquens Molina de omnibus iſtis, planè affirmabat, nullum illorum fieri in ordine & ad effectum juſtificationis. Nam de actu merè naturali aſſentiendi omnibus revelatis, quem Molina conſtituebat a *in diſputatione 7.* in eâdem ſtatìm dicebat, illum non ſufficere ex parte intellectûs ad juſtificationem. Quod ibì legebat, b *ex §. ut ergò*. Similiter de actu ſpei merè naturali, quem *in diſp. 13.* c naturæ viribus tribuebat; ibì etiam affirmabat illum non fieri pròut pertinet ad ſalutem & juſtificationem. De actu autem pœnitendi merè naturali, & ſolâ naturâ elicito, *in diſp. 14.* d dicebat, non fieri in ordine ad juſtificationem & gratiam. Et ſimiliter aſſerebat de actu dilectionis ſuper omnia, quem ſolis naturæ viribus elici poſſe affirmabat. Dicebat enìm illum minùs eſſe ſufficientem ad ſalutem. Et tandem de propoſito ſervandi mandata, idem Molina proteſtabatur, quòd, videlicèt, non fiebat ſolis naturæ viribus, pròut convenit ad ſalutem. Undè aiebat: cùm tàm apertè Molina hæc expreſſis verbis affirmet, quomodò ei tribui poteſt ipſum tenere, illos actus fieri pròut ad ſalutem oportet, vel illos ordinare ad juſtificationem & gratiam.

a *Pag. 22. & ſeqq.*

b *Ibid. col. 1.*

c *Pag. 43.*

d *Memb. 3. §. duo, pag. 50. col. 2. & memb. 4 §. ſecundò pag. 53. col. 1.*

Poſtremò omnia reſumens, tres concluſiones ſtatuebat. 1ª. Ex dictis Molinæ nullo modo infertur, aut inferri poteſt, ipſum ſentire actus naturæ viribus elicitos eſſe immediatam ac proximam diſpoſitionem ad gratiam. Quam ut fundaret, explicavit quæ eſt immediata & proxima diſpoſitio ad gratiam, & quæ remota. Etiam ex dictis à ſe, hanc concluſionem quaſi certam relinquebat.

2ª. Concluſio illius erat: quòd ex Molinæ dictis non poterat inferri, ipſum ſentire aliquem actum ſolis naturæ viribus factum, eſſe diſpoſitionem remotam ad gratiam, per ſe influentem in hanc gratiam. Hanc etiam probabat ex jàm lectis Molinæ teſtimoniis, in quibus ipſe expreſſis verbis affirmabat nullum actum merè naturalem, ex ſolâ facultate naturæ elicitum, eſſe diſpoſitionem remotam ad gratiam, aut tranſcendere naturæ ordinem.

3ª. Concluſio illius erat: quòd non poterant negare, ex Molinæ dictis & ſententiis inferri, actus ex ſolis naturæ viribus factos, eſſe remotas diſpoſitiones ad juſtificationem & gratiam *per accidens* concurrentes, in quantùm removebant prohibentia, quæ impediebant ipſam gratiam. Et hoc eſt quod Molina dicebat, cùm *in diſp. 10.* e affirmabat dari gratiam facienti quod in ſe eſt ex naturæ viribus: non quidem quòd daretur ei ſicut per ſeſe diſponenti, ſivè proximè, ſivè remotè, ad gratiam; ſed quòd daretur ei ſicut ſe diſponenti per accidens, tollendo, videlicèt, obicem & impedimenta gratiæ. Et iſtam doctrinam Molinæ contendebat eſſe veram. Dicebat tamen ſe non dicere, quòd ſic faciens quod in ſe eſt, & remotè ſe diſponens ad gratiam per accidens, auferret omne impedimentum; quià non auferebat peccatum actuale antè commiſſum.

e *Pag. 31. col. 1.*

Hanc ſuam 3am. Concluſionem eſſe ſententiam Molinæ affirmabat, illamque eſſe veram & communem Scholaſticorum. Et ad hoc adducebat quædam loca S. Thomæ. Inter quæ adducebat illum *ex L. 2. ſent. diſt. 22. art. 4.* ubì dicit S. Thomas: quod opera

bona

bona antè donum gratiæ facta, præmio ſuo ſibi proportionato non carent; cauſant enim quandam habilitatem ad gratiam. Ex quo inferebat non eſſe intelligendum de habilitate per ſe diſponente, ſed per accidens, removendo ſcilicèt prohibentia. Adducebat etiam Scholaſticos, etiam ex familiâ Dominicanorum, qui dicebant actus factos ſolis naturæ viribus, eſſe diſpoſitiones remotas ad gratiam; qui debebant intelligi, non quòd eſſent diſpoſitiones remotæ per ſe diſponentes, ſed ſolùm per accidens. Et potiſſimè inducebat, quòd de merito de congruo, quod conſtituebat Scotus in illis bonis naturæ operibus, fuerat multùm ventilatum in Sacro Concilio; & tamen Patres Concilij illud non damnarunt: quantò ergò minùs damnabile eſt, conſtituere actum naturæ viribus factum diſpoſitionem remotam per accidens ad gratiam. Similiter aſſerebat: quòd removere prohibens ut detur gratia, fit ab homine, & quòd Paulus id docebat, cùm ait: *miſericordiam conſecutus ſum, quià ignorans feci* a. Ubì affirmabat, quòd ſi peccaret ex malitiâ, Deus illi non daret miſericordiam; ſed quià peccavit ex ignorantiâ, ideò conſequutus fuit miſericordiam: nàm illud verbum *quià* aliquam importat cauſalitatem.

a *1. Tim. 1. 13.*

Hæc in ſubſtantiâ dixit P. Vaſtida per duas horas, legendo plures Scholaſticos quorum non oportet omnia dicta hìc apponere; cùm omnes habeant unam & eandem intelligentiam, ut ſtatìm dicemus. Ipſo finiente, & tantum temporis ſpatium conſumente, non obſtante quòd Sanctiſſimus à principio dixerat, ut breviter proponeret; ſtatìm F. Thomas de Lemos more ſolito omnia ad pedes Sanctiſſimi conſtituens, quæ dicturus erat ſic incepit.

Fuit cum P. Lemos P. Regens quià P. Generalis erat extrà Curiam.

Quià jam ex præcedentibus Congregationibus videtur comprobatum omnia quæ Molina dicit circà actus omnes, qui elici poſſunt à libero arbitrio, ſimul cum his quæ de lege dicit, dicere in ordinem & ad effectum juſtificationis; ſimulque conſtat ex operibus illis reſultare remotam & proximam diſpoſitionem ad gratiam: ad præſens, ut hoc ampliùs manifeſtetur, ſub brevitate univerſam catenam totius doctrinæ Molinæ comprehendam.

Molina enìm ſtatìm à principio ſuæ Concordiæ *in diſp. 3.* hoc totius ſuæ doctrinæ elegit fundamentum ſingulare; hominem, videlicèt, in naturâ lapsâ omni auxilio gratiæ deſtitutum, eaſdem omninò vires habere, quas habuiſſet, ſi in puris naturalibus ante omne peccatum conſtitueretur. Quibus verbis non obſcurè negat in hominibus peccatum originale habere veram rationem culpæ, lædentis naturam: ſi quidem eas vires adſcribit homini poſt peccatum, quas ei tribuit ante peccatum ipſum. Hoc idem fuit fundamentum Pelagianorum ad negandum peccatum originale; ut docet S. Auguſtinus b *Lib. de dono perſev. cap. 11. ℣. deindè, & ſeqq.* Quod fundamentum magìs explicans Molina, magiſque confirmans *in quæſt. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 9.* c pueris decedentibus ante baptiſmum promittit extrà regnum cælorum quemdam immortalitatis locum, in quo habeant *vitam felicem in perpetuas æternitates, immò feliciorem quàm ullus unquàm mortalium duxerit:* dicitque illos habituros *vitam iſtam felicem, carentem omni vitio mentis & corporis.* Debebat tamen fateri cum Catholicâ veritate illos ire in damnationem æternam; & nihilominùs eis promittit vitam in perpetuas æternitates. Debebat fateri illos habere in animâ verum vitium, veram culpam & peccatum, ſeu averſionem à Deo; & tamen dicit illos habituros vitam carentem omni vitio mentis & corporis. Quem locum vitæ talibus primitùs promiſit Pelagius, relatus à S. Patre Auguſtino multis in locis; ſed præcipuè *cap. penultimo Lib. 1. ad Boniſac.* d

Ex hoc pravo principio, conſequenter loquendo, intulit Molina *in diſp. 5.* e, hominem in naturâ lapsâ abſque omni

b *Tom. 10. n. 27. col. 835.*

c *§. his omnibus pag. 349. col. 1.*

d *Tom. 10. L. 1. contrà 2. epiſt. Pelagg. cap. 22. n. 40. col. 429.*

e *Pag. 17. col. 1.*

omni auxilio gratiæ facere poſſe omne opus bonum virtutis moralis, fini naturali hominis accommodatum, ſicut poterat, videlicet, idem facere, ſaltèm ad breve tempus, homo, ſi in puris naturalibus eſſet conſtitutus. In quo iterùm confirmat Molina, hominem per peccatum originale non fuiſſe læſum in naturalibus, in ordine ad finem naturalem, & in ordine ad Deum authorem naturæ; ſed manſiſſe proportionatum cum Deo authore naturæ, & cum fine naturali. Ex quo principio intulit hominem in naturâ lapsâ, ſine auxilio aliquo gratiæ, poſſe conteri cum ſpe veniæ, & cum propoſito ampliùs non peccandi, propter Deum naturæ authorem, & poſſe diligere ipſum Deum authorem naturæ ſuper omnia; quià, ut dixi, reputat non manſiſſe hominẽ per peccatũ originale averſũ à Deo authore naturæ, ſed manſiſſe proportionatum cum fine naturali.

Ex hoc principio Molinæ fit manifeſtum, omnia quæ ipſe dicit circà actus omnes qui elici poſſunt à libero arbitrio, dici ab ipſo in ordinem & ad effectum juſtificationis. Quod 1°. demonſtrat S. Auguſtinus *Lib. 4. contrà Julian. cap. 3.* a Ubì contrà Julianum dicentem, poſſe eſſe in infidelibus opera virtutum moralium, concludit S. Doctor: quòd ſi infideles poſſunt habere hæc opera, illi operantur illa in ordinem & ad effectum juſtificationis; immò placent Deo ſine fide: quod tamen eſt impoſſibile. Cùm ergò Molina planè dicat infideles naturæ viribus, & abſque aliquo auxilio gratiæ poſſe facere opera virtutum moralium, contrà illum convincit S. Auguſtinus, quòd ordinet illorum opera ad juſtificationem & gratiam.

a *Tom. 10. n. 17. col. 593. &c.*

Prætereà ex his quæ de lege dicit Molina, fit magìs manifeſtum illum conſtituere naturæ opera in ordinem & ad effectum juſtificationis. Et omiſſis multis quæ circà hoc à me dicta ſunt in præcedentibus Congregationibus, potiſſimè *in Congregatione 8ª.* b ad quæ omnia me remitto, id tamen modò breviſſimè oſtendo. Nàm Molina expreſſis & formalibus verbis dicit Deum dare ex certâ lege prævenientem gratiam homini facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus; ut hâc ratione, dùm ſumus in viâ ſemper in manu arbitrij noſtri ſit poſita noſtra ſalus. Quomodò ergò actus ille, per quem ſalus ponitur in manibus noſtris, non dicit ordinem ad ſalutem? Ecce ipſe Molina expreſſum & formalem ordinem conſtituit illius actûs merè naturalis in ordine ad ſalutem; & tamen PP. Societatis contendunt illum non conſtituere illum actum in ordine ad ſalutem. Hâc ratione, dicit Molina, ponitur ſalus in manibus noſtris, quià datur gratia facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus. Et iterùm ibì dicit expreſsè, quòd eâ ratione, quià datur gratia præveniens facienti quod in ſe eſt, homo habet in ſuâ poteſtate, ut ſit filius Dei. Quibus aliis formalibus verbis potuit Molina explicare ordinem inter illum actum naturæ & gratiam, quàm dicendo, quòd eâ ratione habet homo in ſuâ poteſtate, ut ſit filius Dei; quià datur gratia præveniens ipſi facienti priùs quod in ſe eſt?

b *Vide ſuprà col. 246 & ſeqq.*

Non ſolùm autem Molina iſtis verbis ordinat ad ſalutem actum factum ex ſolis naturæ viribus; ſed & in hoc conſtituit fundamentum Pelagianorum, & rationem ipſius fundamenti. Nàm Molina dicit quòd hâc ratione ponitur ſalus in manu arbitrij noſtri, id eſt, in noſtrâ liberâ poteſtate; quià datur gratia præveniens facienti priùs homini quod in ſe eſt ex ſolâ naturâ: ſi ergò gratia daretur homini non priùs facienti quod in ſe eſt, haberet quidem ille ſalutem, ſed non liberè?

Itaque in ſummâ, hæc eſt Molinæ aperta ſententia: niſi homo incipiat faciendo quod in ſe eſt, non obtinet ſalutem liberè. Hoc autem eſt totum Pelagianorum fundamentum relatum ſæpiùs à S. Auguſtino, potiſſimè *L. 4. cont. duas ep. Pelagg. cap. 6.* c ubì S. Auguſtinus ex illis refert, quòd confitebantur gratiam adjuvare uniuſcujuſque propoſitum ab homine inceptum: aliàs ſi ipſa gratia incepiſſet, homini invito,

c *Tom. 10. n. 15. col. 475.*

Digitized by Google

& renitenti, & non liberè operanti daretur gratia. Hoc fuit Pelagianorum fundamentum, quòd homo incipit, & Deus ſubſequens adjuvat. Ratio autem hujus fundamenti erat: ut ſic homo liberè, & in manibus arbitrij ſui obtineat ſalutem.

Hoc autem ipſum in terminis dicit Molina, nempè, quòd hâc ratione danda eſt gratia præveniens facienti homini priùs quod in ſe eſt, ut ſic habeat ſalutem in manu arbitrij ſui. Adjuvat ergò gratia præcedens propoſitum hominis facientis quod in ſe eſt, & hâc ratione obtinet ſalutem liberè.

Undè dicendum eſt Molinæ, quod ſanctus Proſper Caſſiano; *Lib. contrà Collat. cap. 36* a. Dixerat Caſſianus de fide Centurionis laudatâ à Chriſto Domino: *nullius enìm valoris eſſet ac meriti, ſi id in eo Chriſtus, quod ipſe donaverat, prætuliſſet.* Ac ſi clariùs dixiſſet: ſi Chriſtus incepiſſet illi dare fidem, non haberet laudem, valorem, nec meritum; quià non haberet libertatem. Contrà quem dicit ſanctus Proſper: *At exiguâ concluſione penè totum tamen Pelagianum dogma confirmas.* Pelagianum enìm dogma eſt, quòd homo incipit, gratia ſequitur, ut ſic ſalvetur libertas in homine, quæ aliàs non ſalvatur, ſi gratia incipiat. Eodem prorsùs modo Molina dicit: hâc ratione quià datur gratia facienti homini priùs quod in ſe eſt, homo habet ſalutem in manu arbitrij ſui. Hâc exiguâ concluſione penè totum Pelagianorum dogma videtur apertè confirmare, & apertè conſtituit: illud, *facere quod in nobis eſt*, eſſe initium ſalutis liberè à nobis obtinendæ. Non dicit quòd illud *facere quod in nobis eſt*, ſit initium obtinendæ ſalutis quomodocunquè; ſed quòd eſt initium obtinendæ ſalutis liberè, & in manibus arbitrij noſtri: Et ex conſequenti; cùm conſtituat illud *facere quod in nobis eſt* initium ſalutis, ordinat ad ſalutem.

a *In App. tom. 10. Op. S. Auguſt. cap. 15. n. 49. col. 190.*

Undè Franciſcus Suarez Molinæ interpres, qui totum iſtum librum Opuſculorum compoſuit in defenſionem doctrinæ Molinæ, in quo & illum clariorem habet, & multò graviorem, *in Lib. 3. de Auxil. divin. grat. cap. 5. §. non omittam.* dicit errorem Pelagianorum fuiſſe dari infallibiliter gratiam facienti quod in ſe eſt *poſitivè*: at verò ſententiam Scholaſticorum Catholicam eſſe, dari gratiam infallibiliter facienti quod in ſe eſt, *negativè*, id eſt, non ponenti obicem, vel tollenti impedimenta. De quâ ſententiâ Catholicorum, quam ipſe declarat & ſequitur, dicit hæc verba: Et aperto ejus Libro ſic legit: *Studuerunt ergò hi Doctores Catholici, ut ſufficientiam & neceſſitatem gratiæ declararent, invenire modum, quo ſit in poteſtate hominis habere illam, etiam quoad primum auxilium; quià alioquìn non apparet, quomodò ſit in poteſtate illius ſalutem obtinere, ſi non eſt in poteſtate illius eam inchoare.* Quid clariùs? Quid apertiùs? Manifeſtè dicit: quòd homo faciendo quod in ſe eſt obtinet gratiam, in illo Catholico ſenſu inchoat ſuam ſalutem, & dat principium & initium ſalutis; affirmans quòd hoc debet dici; quià aliàs non apparet quomodò habeat in ſuâ poteſtate ſalutem. Itaque expreſſis verbis dicit: quòd ſi homo, non dat initium ſalutis faciendo quod in ſe eſt, non habet ſalutem in poteſtate ſuâ liberâ: quæ eſt ipſum fundamentum, & ipſa ratio fundandi Pelagianorum.

Similiter Stephanus Tutius, qui eodem anno quo Molina in Hiſpaniâ, videlicèt, anno 1588. hanc Concordiam in lucem dedit, ipſe Stephanus Tutius in hâc almâ Urbe in lucem protulit Caſſianum; ut, videlicèt, eodem tempore & Magiſter Caſſianus & ejus Diſcipulus Molina prælo mandarentur. Ipſe Stephanus Tutius appoſuit quaſdam annotationes, quas *Conciliationes Caſſiani* vocavit, & in ſecundâ annotatione planè concedit, quòd diſpoſitio remota ad gratiam debet in homine concedi, & quòd illa eſt quoddam initium revertendi ad Deum. Quæ verba ibì apertè legit in Libro. Ecce iſti Patres planè fatentur

id

Digitized by Google

id quod Molina, videlicèt, quòd homini facienti quod in ſe eſt datur gratia, & quòd illud *facere quod in ſe eſt*, eſt ſalutis initium, contrà omnia antiqua Concilia. Similiter fatentur diſpoſitionem remotam ad gratiam fieri à ſolo homine.

Quòd autem Molina dicat fieri ſolis naturæ viribus diſpoſitionem remotam ad gratiam, eſt ſatis manifeſtum. (a Pag. 28. col. 1.) Id enim 1°. dicit *diſp. 9. in principio* a, ubì fatetur, quòd poſtquàm aliquis eſt edoctus aſſenſum ſupernaturalem fidei eſſe ad ſalutem neceſſarium, poteſt illum deſiderare, & petere ut ſibi donetur auxilium ad id neceſſarium, & ſatagere ſe diſponere ad illud habendum. (b Pag. 179. col. 2.) Et b *diſp. 44. §. quoad 1m.* dicit: quòd naturæ viribus ſe homo poteſt præparare ad auxilia prævenientis gratiæ. (c Pag. 184. col. 2.) Et *diſp. 45. §. ex his.* c iterùm dicit: quòd homo naturæ viribus ſe poteſt diſponere ad auxilia & motus gratiæ prævenientis. Et *q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 11. §. illud addendum*, (d Pag. 372. col. 2.) d *ſæpiùs citato*, planè dicit: quòd iſta opera moraliter bona *conſueverunt appellari remotæ diſpoſitiones ad gratiam*. Quæ loca, quià jàm ſæpiùs in præcedentibus Congregationibus allata ſunt, ideò legere omitto.

Undè quod Molina dicit *in diſput. 6.* e, (e Pag. 19. col. 1.) (qui eſt locus præcipuus adductus ab iſtis Patribus in defenſionem Molinæ) quòd actus naturales non ſunt remotæ diſpoſitiones ad gratiam, ipſe ſe explicat apponendo quoddam additum, & dicendo: quòd non ſunt diſpoſitiones remotæ commenſuratæ fini ſupernaturali, aut excedentes finem naturalem. In aliis verò quatuor locis à me adductis affirmat actus ex naturæ viribus factos, eſſe diſpoſitiones remotas ad gratiam, citrà tamen iſtam commenſurationem. Itaque ſolùm negat naturam eſſe diſpoſitionem commenſuratam cum gratiâ. Nec enim, etiamſi eſſet inſanus, poterat dicere actus merè naturales eſſe commenſuratos cum ordine ſupernaturali. Nec unquàm aliquid tale Pelagiani aut Semipelagiani dixerunt; ſed tantùm affirmarunt: quòd licèt actus merè naturales non ſint diſpoſitiones remotæ cum gratiâ commenſuratæ, tamen illis poſitis, gratia infallibiliter detur.

Conſtat ergò quòd omnia, quæ Molina dicit circà actus omnes qui elici poſſunt à libero arbitrio, ſimùl cum his quæ de lege dicit, dicere in ordinem & ad effectum juſtificationis. Conſtat etiam quòd admittat remotam diſpoſitionem ad gratiam, ex ſolâ facultate naturæ elicitam. Immò, etiam convincitur, quòd proximam diſpoſitionem ad gratiam conſtituat Molina ex ſolâ facultate naturæ.

Nàm ipſe planè dicit: quòd præexiſtente maximè lumine fidei, quo cognoſcimus Deum authorem gratiæ, & tot dona gratiæ protuliſſe, poteſt voluntas abſque omni auxilio gratiæ elicere contritionem propter eundem Deum ſic cognitum, cum ſpe veniæ, & propoſito abſoluto ampliùs non peccandi lethaliter: ſed iſta contritio, ut jàm ex ſuperioribus Congregationibus videtur manifeſtum, eſt ultima diſpoſitio ad gratiam, nec Spiritus Sanctus aliam producit in homine, quandò illum diſponit ad gratiam: ergò ſi hanc natura ſola per Molinam poteſt producere, natura ſola poteſt ſe proximè & immediatè ad gratiam præparare. Immò ipſe Molina, licèt ſæpiùs neget, ut ſe occultet, illam contritionem eſſe ſalutarem, aliquandò tamen ſeipſum declarat, & fatetur illam eſſe ſalutarem & piam; ut patet *ex diſp. 10. §. ad illud verò* f; (f Pag. 35. col. 2.) ubì declarat eſſe pœnitentiam ſalutarē, quâ quis propter Deum doleret cum propoſito reſarciendi omnia damna, etiamſi fiat ab Antiocho Pagano, propter Deum naturæ quem cognoſcebat.

Similiter de actu dilectionis naturalis ſuper omnia, idem probatur. Circà quod tamen illud videtur notandum, quòd actus iſte, vel præſupponit naturam ſanam per gratiam juſtificantem, vel producitur ab auxilio & diſponit ad gratiam juſtificantem habendam: non tamen iſte actus ex ſe, & in omni ſtatu diſponit ad gratiam; quià ſi homo eſſet in puris naturalibus, in quo ſtatu non eſſet ordinatus

ad gratiam, habere poſſet illam dilectionem Dei ſuper omnia, non tamen diſponeret ad gratiam. Hoc tamen habet ex propriâ ſuâ ratione iſta dilectio, quòd non compatitur naturam infirmam, nec ſecum compatitur peccatum. Qui enìm Deum abſolutè diligit ſuper omnia, nihil diligit ſuprà Deum; undè peccatum nullum habet; & ſic in puris naturalibus antequàm homo peccaret, poſſet Deum diligere ſuper omnia, quià natura non eſſet infirma per peccatum, licèt non haberet gratiam. Daretur enìm in illo ſtatu, ſtatus medius, inter naturam cum peccato, & cum gratiâ; quià nec eſſet in peccato, nec in gratiâ.

Si ergò homo lapſus, ex naturæ viribus, ut ponit Molina, diligeret Deum ſuper omnia, ille actus non compateretur ſecum naturam infirmam, nec naturam cum peccato: undè vel ſupponeret gratiam, vel diſponeret ad illam; quià in ſtatu naturæ lapſæ non datur ſtatus medius inter naturam cum peccato, vel naturam cum gratiâ. Undè ſi ex vi illius dilectionis Dei ſuper omnia natura eſſet ſine peccato, etiam diſponeret ad gratiam.

Modò ad objectiones & excuſationes prætenſas. Dixit R. P. 1°. Molinam, in genere loquendo de actibus merè naturalibus, affirmare illos non fieri pròut ad ſalutem oportet: & quadrupliciter id ex Molinâ probavit. 1°. Quià Molina dicebat, illos actus non eſſe diſpoſitiones etiam remotas ad gratiam. 2°. Quià dicebat, liberum arbitrium per peccatum originale amiſiſſe libertatem quòad ſalutem & gratiam. 3°. Quià dicebat, nullam habendam eſſe rationem illorum actuum, comparatione ſalutis & gratiæ. 4°. Quià dicebat actus illos nullius valoris, nullius meriti, nullius proportionis eſſe cum gratiâ.

Ad hoc dicendum: Molinam in *diſp. illâ 6. citatâ* a tantùm negare, ut modò dixi, illos actus eſſe diſpoſitiones remotas ad gratiam, commenſuratas cum ipsâ gratiâ. At verò citrà hanc commenſurationem, planè fatetur in quatuor locis à me adductis, illos actus naturæ eſſe diſpoſitiones ad gratiam remotas.

a Pag. 19. col. 1.

Ad illud aliud quod dicit: nullam habendam rationem in illis actibus reſpectu ordinis ſupernaturalis gratiæ, & quòd nullam vim, valorem nullum, vel meritum habent reſpectu gratiæ; dicendum: quòd licèt id verbis duntaxàt dicat Molina, totum contrarium planè convincitur ex ejus principiis & doctrinâ. Et multò clarioribus verbis Caſſianus, & Fauſtus, & reliqui Semipelagiani, ut ſe occultarent, dicebant: illos actus naturæ non eſſe diſpoſitiones ad gratiam, nec eſſe initia gratiæ, nec meritum illius, nec fieri pròut ad ſalutem oportet, nec aliquid omninò valere. Dicebat enìm Caſſianus: b *niſi fuerint excitata, ad perfectionem non pertinere*, id eſt, ad ſalutem; ut ipſe aliis locis ſe explicavit. Et alibì, c multò magis quàm Molina deprimit, voce ſolùm, iſtos naturæ conatus vocans eos *exiguos*, & *parvos*, & *occaſiones tantùm ut gratia daretur*. Et S. Hilarius de Semipelagianis refert *in epiſt. ad S. Auguſt.* d illos ſic dicere: *nec negari gratiam, ſi præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantùm medicum quærat; non autem quidquam ipſa jam valeat.* Ecce dicebant nihil valere. Et tamen, his verbis exterioribus non obſtantibus, convicti ſunt totum contrarium reipsâ ponere in illis naturæ conatibus: quòd videlicèt dicerent ordinem ad ſalutem, & eſſent initia gratiæ. Nàm hoc proprium habet hæreſis Pelagiana, quòd aliud verbis, aliud re & ſenſu conſtituit. Undè S. Auguſtinus dicebat Juliano: *ſic ſententiam temperaſti, ut eſt veſtrâ, & noſtrâ poſſet voce defendi.* Et contrà Pelagium dicit: *non attendimus ad verba.* Non ergò attendendum eſt ad ſola exteriora verba Molinæ; ſed ad principia, ad doctrinam, & ad ſenſum illius. Nàm illius verba antiquorum hæreticorum ſunt excuſationes, quæ nihil omninò ipſos juverunt, nec Molinam ſervaro

b L. 12. de inſtit. cap. 17.

c Collat. 13. cap. 13.

d Tom. 10. Op. S. Aug. num. 2. col. 785.

vare poſſunt.

Deindè R.P. ad enumerandum actus in particulari, quos conſtituit Molina, quinque actus enumeravit. 1°. Actum fidei. 2°. Spei. 3°. Pœnitentiæ. 4°. Dilectionis Dei ſuper omnia. 5°. Propoſitum ſervandi mandata. Et dixit Molinam de unoquoque in particulari dicere, quòd non ſit prout ad ſalutem oportet.

Mirum eſt certè quòd iſti PP. iterùm revertantur ad actum fidei. Nàm Molina *in diſp.* 7. [a] dicit: hominem naturæ viribus poſſe aſſentiri omnibus revelatis, tanquàm à Deo revelatis. Revelatum autem, ut revelatum eſt, eſt objectum formale fidei ſupernaturalis; quià prima veritas revelans eſt fidei formale objectum. Et hoc formale objectum dicit Molina non eſſe neceſſarium quòd homo illud attingat per divinam revelationem, ſed poteſt per naturæ vires. Qui fuit error Pelagianorum. Et *in diſp.* 38. [b] docet apertè, quòd hæreticus actu merè naturali aſſentitur revelatis, quià à Deo revelata ſunt. Et *in diſp.* 8. [c] dicit: habitum fidei non eſſe neceſſarium ut homo habeat firmum aſſenſum & certum, quià ſine ipſo poteſt homo certiùs aſſentiri naturæ viribus, quàm alius per fidem infuſam. Et de actu ſpei naturali etiam dicit *in diſp.* 13. [d] quòd poteſt homo certò ſperare omnia revelata. Et de actu contritionis, & dilectionis Dei ſuper omnia, & de propoſito ſervandi mandata, jàm plura ex Moliná relata ſunt. Et poſtquàm Molina doctriná & ſenſu manifeſtè affirmat hos omnes actus fieri in ordine ad ſalutem, putat ſe ſatisfacere, dicendo ſolis exterioribus verbis: quòd iſta non ſunt prout ad ſalutem oportet.

[a] §. *Vt ergò pag.* 22. *col.* 1.

[b] §. *His dubiis pag.* 359.

[c] §. *Ex dictis pag.* 28. *col.* 1.

[d] *Pag.* 43.

Deindè ultimò pervenit R. P. ad conſtituendas Concluſiones tres. 1ª. eſt quòd ex naturæ viribus non datur proxima diſpoſitio ad gratiam.

Quam ſententiam interrumpens P. Vaſtida, aït: ego hoc non dixi; ſed quòd hoc non inferebatur ex Molinæ ſententiá.

Ad quem F. Thomas: Patet! hoc eſt accidens omninò impertinens. De Moliná enim loquimur, nec oportet ſemper repetere, nec loquentem interrumpere. Itaque dixiſti: ex dictis Molinæ non inferri, ex naturæ viribus dari proximam diſpoſitionem ad gratiam. Sed jàm ex modò dictis relinquitur manifeſtum, quomodò ex actu contritionis & dilectionis Dei, quem Molina conſtituit, convincatur illum conſtituere proximam diſpoſitionem ad gratiam in illis naturæ operibus.

Secunda Concluſio conſtituta ab ipſo Patre, eſt: ex dictis Molinæ non inferri remotam diſpoſitionem ad gratiam per ſe concurrentem fieri ex naturæ viribus. Sed jàm id affirmaſſe Molinam manifeſtavi in quatuor locis contextualibus ipſius.

Tertia autem & ultima Concluſio appoſita ab iſtis Patribus, fuit: quòd ex ſententiá Molinæ infertur, dari ex naturæ viribus remotam diſpoſitionem *per accidens* ad gratiam; quá poſitá ipſa gratia præveniens ex certá lege donetur. Et ſic dicit intelligendum eſſe Molinam, cùm aït: *quòd facienti quod in ſe eſt, Deus ex certá lege dat gratiam.* Et hoc ſolùm dixit P. Vaſtida de iſtá lege, nec aliud dixit de faciente quod in ſe eſt. Ferè enim id prætermiſit.

Sed in primis jàm ex Franciſco Suarez Molinæ interprete, ex quo PP. Societatis deſumunt hanc excuſationem, modò apparuit ipſum planè fateri, quòd illud *facere quod in nobis eſt*, etiam ſic removendo illud prohibens (quem putat ſenſum Catholicum) eſſe initium, vel inchoationem ſalutis. Quo nihil clariùs dici potuit contrà Concilia Sacra antiqua & moderna.

Deindè quomodò PP. iſti volunt, quòd natura tollat impedimenta gratiæ, ità ut gratia ex certá lege detur; cùm opus & officium proprium gratiæ ſit, ut ſibi tollat impedimenta? Ipſa enim gratia & non natura tollit impedimenta gratiæ.

 Sed

Digitized by Google

Sed dicunt iſti PP. quòd homo faciendo quod in ſe eſt, non tollit omnia gratiæ impedimenta. Sed quomodò hoc dicunt? Si enìm nòn tollit omnia, ergò aliqua manent ſimul cum ipsâ gratiâ, & ſic eſt gratia ſimul cum ejus impedimento. Hoc autem quis dicat? Præthereà impedimenta gratiæ, ob quæ Deus juſto ſuo judicio illam negat, vel eſt peccatum originale, vel actuale, vel utrumque ſimul in infideli. Hæc autem impedimenta quomodò poſſunt tolli per hoc quòd homò faciat quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus? Mirum eſt ſanè quòd iſta ab his Patribus dicantur.

Prætereà ille qui tollit impedimenta, quibus ablatis ſequitur effectus, licèt in genere Phyſico non ſit cauſa per ſe talis effectûs, tamen in genere Morali cauſa eſt per ſe, & illi imputatur effectus talis: V. G. Si homo ſit ſuprà ſcalam, & alius removeat ſcalam ſuſtentantem hominem; ſi homo cadens mortuus fuerit, etiamſi removens ſcalam non fuerit in genere Phyſico cauſa per ſe illius mortis; quià non tetigit phyſicè hominem ipſum: fuit tamen cauſa moralis per ſe mortis illius, & illi mors attribuitur ſecundùm jura & omnem rationem. Si ergò homo faciendo quod in ſe eſt tollit impedimenta, quibus ablatis ex certâ lege Deus dat gratiam, abſque dubio licèt cauſa Phyſica non ſit per ſe ipſius gratiæ, tamen eſt cauſa per ſe moralis talis collationis gratiæ, & ipſi imputabitur habere gratiam talem. Et hoc eſt quod intendunt iſti PP. hominem in genere morali cauſam eſſe per ſe meritoriam gratiæ prævenientis, faciendo nimirùm quod in ſe eſt. Nàm cauſa meritoria ad genus moris reducitur, & abſque dubio in SS. Auguſtino, Proſpero, Fulgentio, atque Hilario quodcunque minimum naturale ex parte hominis præſupponatur, cujus vel intuitu, vel occaſione ſolùm detur præveniens gratia, illud eſt meritum gratiæ.

Adduxit prætereà R. P. in hujus confirmationem locum Pauli: *miſericordiam conſecutus ſum, quià ignorans feci* a. Et dixit, verbum *quià* ibì dicere cauſalitatem, ob quam fuerit miſericordiam conſecutus Paulus. Ubì jàm iſti PP., non ſolùm opera bòna moralia dicunt eſſe merita gratiæ, ſed, quod majus eſt, volunt etiam quòd peccata mortalia ſint propter quæ Deus dèt miſericordiam & gratiam; & ad hoc abutuntur iſto Scripturæ teſtimonio. Si ſic liceat Scripturam interpretari, quid ſperandum eſt? Non ergò Paulus dicit, quòd proptereà quòd peccavit ex ignorantiâ peccato graviſſimo, quale illud fuit quo Eccleſiam perſequebatur, licèt non ità fuerit grave ac ſi ex malitiâ peccaſſet: non, inquam, dicit, quòd propter illud peccatum Deus dedit illi miſericordiam ſuæ gratiæ. Hoc enìm quis dicat? Sed ſenſus eſt: quamvìs ego graviſſimo peccato, ex ignorantiâ tamen, peccarem; tanta tamen divina fuit miſericordia quòd miſericordiam conſecutus ſum. Sicut Gregorius Magnus dixit: *O felix culpa, quæ tantum ac talem meruit habere Redemptorem!* Non dixit Pontifex, quòd culpa mereatur; ſed ſenſus eſt quòd ipſa judicium mereatur, & tamen ex divinâ miſericordiâ conſecuta fuit talem Redemptorem.

a 1. Tim. 1. 13.

Item: verbum *quià* non ſemper dicit cauſalitatem; nec in iſto loco Pauli, Ly, *quià ignorans feci*, dicit cauſalitatem. Dicit enìm Chriſtus Dominus: *Pater amat vos, quià vos me amaſtis.* b Nullo modo eſt ſenſus, quòd amor Diſcipulorum ergà Chriſtum, cauſa fuerit ut ipſi diligerentur à Patre. Abſit. Hoc enìm eſſet contrà illud: *non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* c Sed verbum *quià*, ut S. Auguſtinus & S. Thomas interpretantur ibì, denotat ſignum vel effectum; ut ſit ſenſus: in hoc poteſtis cognoſcere ſicut in effectu vel in ſigno, quòd Pater vos amat, quià vos me amaſtis; iſte enìm veſter amor ergà me effectus, non cauſa eſt illius amoris quo Pater vos amat.

b Joan. 16. 27.

c Joan. 15. 16.

Prætereà S. Thomas *1. p. q. 14. art. 8.* dicit:

dicit : quòd verbum *quià* non ſemper importat cauſalitatem; ſed aliquandò ſolam concomitantiam & illationem; a Joan. 12. 39. ut eſt illud in Evangelio : a *non poterant credere quià Iſaïas dixit: &c.* Nunquid quòd Iſaïas prophetaret illos non poſſe credere, cauſa fuit quòd illi non poſſent credere? abſit. Sed ſenſus eſt: Iſaïas dixit illos non credituros, vel non poſſe credere : ergò ità eſt, quòd illi non credent. Sic in præſenti inquit Paulus: tanta fuit divina miſericordia, quòd licèt ego peccarem peccato maximo ex ignorantiâ, divinam tamen miſericordiam conſecutus ſum.

Ad authores omnes adductos à PP. Societatis, quaſi dicant, hominem ſolis naturæ viribus poſſe ſe diſponere ad gratiam per accidês, ità ut ipſi auferant impedimenta, & ſtatìm gratia detur: una eſt communis ſolutio, ex eiſdem authoribus habita, quòd per diſpoſitionem intelligant minorem repugnantiam ; non quòd ad illam ſtatìm præveniens gratia ex certâ lege ſequatur. Prætet quàm quòd Molina non ſolùm loquitur de diſpoſitione per accidens removente prohibens, ſed de poſitivè aptante & diſponente, ut conſtat ex Concordiâ. Poſtquàm enim *in diſp. 9. §. patet tertiò.* b, dixit *: eſſe rationi valdè* b Pag. 29. col. 2. *conſentaneum ut potiùs hunc, quàm illum miſericorditer adjuvet Deus, ut potè minùs ineptum, & minùs indignum*; ſtatìm *in diſp. 12.* c dicit : quòd homo c Pag. 37. col. 2. naturæ viribus aptus redditur, ut auxilium gratiæ conſequatur; quæ adeò manifeſta ſunt & nota, ut valdè mirandùm ſit, quomodò PP. Societatis iſta non videant; multùmque orandum eſt ut jàm fateantur, & videant.

Statìm autem Pater Vaſtida dixit: quòd R. P. ità contrà illos arguebat, ac ſi eſſent jam de Pelagianiſmo convicti. Et incipiens referre quæ F. Thomas dixerat, aït: dixit iſte Pater fundamentum doctrinæ Molinæ eſſe, quòd eaſdem vires habeat homo in naturâ lapſâ, & in naturâ ſi in puris naturalibus conderetur, & hoc multùm exaggeravit: faciat autem has conſequentias & exaggerationes contrà Soto, Medinam, & Cajetanum ex Prædicatoriâ familiâ, qui idem dicunt; quos & ibì legit. Similiter dixit: quòd P. Regens in ſuis prælectionibus in Minervâ dixerat, eſſe probabile eaſdem vires hominem habere lapſum, & in puris naturalibus. Deindè dixit: Molinam aſſerere, non poſſe hominem in naturâ lapſâ facere totum quod poterat ejus natura abſque peccato. Deindè : quòd S. Thomas, cùm aït, quòd nullus ſe præparat ad gratiam naturæ viribus & ſine auxilio gratiæ, loquebatur de gratiâ juſtificante; non de primâ gratiâ præveniente. Et ſemel atque iterùm dicebat P. Vaſtida, ut fieret iſta conventio: quòd ſi ipſi oſtenderent plures Thomiſtas eſſe, qui dicant ſententiam S. Thomæ eſſe quam illi modò protulerunt, cedent illi Patres: quòd ſi ſibi oſtendant plures Thomiſtas aſſerere ſententiam S. Thomæ quam illi deffendunt, nos cedemus.

Cui ſtatìm F. Thomas: nec eſt veſtrum, nec noſtrum cedere, ſed omnia ponere ad pedes Sanctiſſimi; & ſua Sanctitas judicabit. Nec oportet contendere, ſed ſolùm proponere. Deindè dicebat, quòd ſermo hìc erat de gratiâ non juſtificante, ſed præveniente : iſte autem Pater fecit rationem de impedimentis gratiæ juſtificantis, cum quorum nullo gratia juſtificans compatitur. Et de dilectione Dei ſuper omnia naturali, contendebat dici non poſſe, quòd ſit proxima diſpoſitio ad gratiam. Et pleráque alia minutiora dixit, per longum temporis intervallum.

F. autem Thomas dixit: ob brevitatem dicam tantùm ad ſubſtantialia, omiſſis aliis. Primò, Soto, Cajetanus, & Medina ità intelligunt quòd comparetur homo in naturâ lapſâ & in puris naturalibus, ſicut nudus & ſpoliatus, ſed cum ſpoliatione excoriatus & vulneratus; & ſi hoc non dicant, defendendi non ſunt, nec ſequendi. Nec enim nos defendimus omnes ex noſtrâ familiâ. A nullo autem Catholi-

lico

lico poteſt dici quòd peccatum originale non vulneraverit naturam; quià Evangelium ipſum in illo homine deſcendente ab Jeruſalem in Jericho, a (per quem, ſecundùm omnium Sanctorum intelligentiam, intelligitur primus homo peccans) expreſsè dicit quòd Latrones ſpoliaverint eum, & ſemivivo relicto abierint multis plagis impoſitis. Itaque cum ſpoliatione fuit vulneratio in naturâ: quam vulnerationem non habebat homo in puris naturalibus. PP. autem Societatis agnoſcunt ſpoliationem, non autem vulnerationem.

a *Luc.* 10. 30. *&c.*

Ad aliud: certum eſt quòd Molina dicit *in diſp.* 19. *memb.* 2. §. *authores hujus ſententiæ* b: *nullum eſſe in ſingulari opus bonum morale merè naturale, quod homo naturæ lapſæ cum ſolo concurſu generali Dei, non poſſit efficere.* Undè ſi dicit Molina quòd amiſit aliquid in naturalibus, hoc eſt comparatione hominis integri, non comparatione hominis, ſi in puris naturalibus conderetur.

b *Pag.* 73. *col.* 2.

Ad S. Thomam, quem adducunt PP. Societatis: mirandum eſt, quòd velint S. Doctori attribuere ſententiam ab ipſo ità expreſsè refutatam. Ipſe enìm 1. 2. *q.* 109. *art.* 6. in quo inquirit, an homo poſſit ſe per ſeipſum præparare ad gratiam, abſque auxilio gratiæ, concludit negativè. Et in ſecundo loco tale proponit argumentum: Homo ſe præparat ad gratiam faciendo quod in ſe eſt; ſed facienti quod in ſe eſt, datur gratia; ergò ſe homo poteſt ex ſe præparare ad gratiam. Eccè hìc ex profeſſo agit de *faciente quod in ſe eſt.* Et reſpondet: ad ſecundum dicendum: quòd nihil homo poteſt facere, niſi à Deo moveatur, ſecundùm illud Joannis: c *ſine me nihil poteſtis facere.* Et ideò cùm dicitur homo facere quod in ſe eſt, dicitur hoc eſſe in poteſtate hominis, ſecundùm quòd eſt motus à Deo. Et *in* 2*m*. *diſt.* 28. *art.* 4. negat alium habitum neceſſarium ad hoc quòd homo ſe diſponat ad gratiam; non autem auxilium prævenientis gratiæ. Et idem dicit in iſto articulo modò *ex* 1. 2*a*. citato. Et 1. 2. *q.* 102. *art.* 3., idem docet. Et licèt principaliter loquatur de gratiâ juſtificante, cùm aït, quòd non datur niſi præparanti ſe ex auxilio divino; tamen etiam ejus rationes probant, quòd nec prima gratia detur facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus. Nam aït, quòd homo comparetur ad Deum, ſicut lutum in manu figuli; ſed lutum quomodolibèt ſit ex ſe præparatum, non ſequitur infallibiliter aliqua forma artificialis, nec prima, nec ultima; ergò juxtà mentem S. Thomæ, quomodolibèt homo ſit ex naturâ ſuâ præparatus, non infallibiliter datur illi gratia aliqua, nec juſtificans, nec præveniens; quià, videlicèt, ſunt altioris ordinis, & excedentes omnem naturæ diſpoſitionem, ſeu præparationem.

c *Joan.* 15. 6.

Prætereà quandò diceremus: quòd ſanctus Thomas in loco ex Sententiis in oppoſitum adducto mutavit ſententiam, erit totum negativum finitum. Sed nec illam mutavit, ſed expreſſiùs 1. 2*a*. explicavit.

Quod autem S. Thomas aït, & alij Scholaſtici locis inductis, quòd homo per actus naturales ſe diſponit ad fidem & gratiam, ut dicit Doctor citatus *in* 2*m*. *diſt.* 28. *art.* 4. *ad* 4*m*., intelligit (ut ipſe dicit in ſolutione ad ſecundum) quòd per actus naturales ex objecto, productos tamen ex divino auxilio, ſe præparat ad gratiam. Quod 1. 2. *q.* 89. *art.* 6. clariùs dixit: quòd ſi puer perveniens ad uſum rationis ſe convertat ex divino, videlicèt, auxilio, in Deum authorem naturæ in proſecutione boni, & fugâ mali, à Deo recipiet gratiam, & emundabitur à peccato originali; quià cum perfectâ converſione in Deum authorem naturæ, non ſtat averſio à Deo. Licèt enìm ille actus ex objecto ſit naturalis, tamen, quià eſt elevatiſſimus, non poteſt fieri niſi ex auxilio divino: ſicut viſio cæco reſtituta, ex objecto naturalis eſt, licèt ex principio ſit ſupernaturalis per miraculum. Et iſta eſt

ſancti

Digitized by Google

ſancti Thomæ manifeſtâ doctrina.

Explicatur tamen adhuc magis. Puer ille, quià non habet fidem, non poteſt elicere actum quòad ſubſtantiam, ſupernaturalem: undè ſi ex divino auxilio producat illum actum perfectum naturalem, diſponitur ad habendam fidem & charitatem, ità ut, poſito illo actu, non ſtet non habere fidem & gratiam. Similiter, ſi Gentilis, ut ait S. Auguſtinus contrà Julianum, operatus fuerit propter Deum ut authorem naturæ ſummè dilectum, cum iſto actu quià non compatitur peccatum, neceſſe eſt quòd ſe diſponat ad habendam fidem & charitatem, ratione jàm factâ, quià cùm tali actu non compatitur peccatum: nec poteſt ille actus eſſe ſupernaturalis quòad ſubſtantiam ex parte objecti ante fidem. Cæterùm homo jàm fidelis, in quo, manente fide, eſt peccatum, ut reſurgat, & diſponatur proximè ad gratiam, debet diſponi per contritionem ſupernaturalem ex objecto, & quòad ſubſtantiam: quià jàm habet cognitionem ſupernaturalem.

Circà alios authores citatos nihil oportet dicere; quià non eſt noſtrùm adducere Scholaſticos contrà doctrinam S. Auguſtini. Antiquitùs enìm fuit publicatum immortale bellum contrà doctrinam S. Auguſtini ex SS. Patribus Græcis, & compulſus fuit S. Auguſtinus omnes videre: & concludit illos nihil dixiſſe contrà divinam gratiam. Sic modò ex Scholaſticis fit idem bellum; ſed viſis & reviſis Scholaſticis omnibus, repertum fuit illos vel truncatè adduci ab iſtis PP. Societatis; vel in ſenſu valdè alieno ab eo quem ipſi intendunt; vel adduci in argumento ſed contrà, cui ipſi reſpondent: ut de Driedone & aliis manifeſtùm fuit. Quòd ſi aliqui pauci non ità ex profeſſo tractantes materiam, obiter dicunt dari primam gratiam facienti quod in ſe eſt, piè explicandi ſunt, & non extendendi, ut etiam aliqui docti ex Societate dixerunt. De quo me remitto ad Octavam Congregationem.

Præterea Scholaſtici iſtam propoſitionem: *facienti quod in ſe eſt Deus dat gratiam*, non ordinant ad finem ad quem Molina. Molina enìm in totâ Concordiâ, à primâ paginâ uſque ad ultimam, in perpetuo contextu nihil aliud facit, niſi ſtatuere principia, fundamenta, & concluſiones Pelagianorum, ad conſtituendam ſuperbam machinam arbitrij contrà divinam gratiam. Conſtituit enìm eadem fundamenta quæ conſtituebant Semipelagiani; utitur eiſdem principiis ſicut illi utebantur; conſtituit eaſdem concluſiones; adhibet eaſdem explicationes Scripturæ ſicut illi adhibebant; & prætendit eaſdem excuſationes. Et tamen contendunt PP. Jeſuitæ, quòd doctrina cum his omnibus non ſit Pelagiana.

Et ut in ſummâ dicam; nullus Scholaſticorum dicit hanc propoſitionem Molinæ de faciente quod in ſe eſt; cum quatuor conditionibus aggravantibus in infinitum, ſicut conſtituit Molina. Imprimis nullus dici dari gratiam prævenientem facienti quod in ſe eſt, ex certâ lege. 2°. Nullus dicit quòd eſt rationi valdè congruum, quòd Deus faciat talem legem; in quo meritum ſaltèm ſecundùm pietatem conſtituit in illis naturæ operibus petentibus talem rationis conſonantiam. 3°. Nullus dixit, quòd ſi Deus non ſic daret gratiam facienti quod in ſe eſt, non ſalvaretur quòd vellet omnes homines ſalvos fieri. In tantùm enìm illa opera naturæ ſecundùm Molinam poſtulant gratiam, ut non ſalvetur Deum velle omnes homines ſalvos fieri, ſi illis gratia non datur. 4°. Tandem nullus Scholaſticorum dixit, quòd hâc ratione eſt in poteſtate liberi arbitrij ſalus noſtra, quià datur gratia facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus. Propoſitionem, cum his qualitatibus & conditionibus, quis Scholaſticus dixit, niſi ex Societate? Oſtendant aliquem. Nunquàm autem aliquem oſtendere potuerunt, nec poterunt. Sed iſti PP. ſemper argumen-

Digitized by Google

tantur ex communibus & generalibus quibuſdam Scholaſticorum verbis, quæ poſſunt habere optimum ſenſum. Et ſic adducunt illos, quaſi putent omnes illos non eſſe viſos & examinatos per Cenſores Sanctiſſimi in iſtis quatuor annis. Sunt viſi, Patres! & examinati Scholaſtici; & nihil tale dicunt quod Molina.

Tunc P. Regens Dominicanorum dixit: ſe non legiſſe ut probabile, hominem in naturâ lapsâ, & in puris naturalibus, habere eaſdem vires. Et ibi ſua dicta explicavit breviter; & ſimul dixit: quòd ille locus Pauli:
a 1.Tim.1. 13. a *miſericordiam conſecutus ſum, quià ignorans feci*, poterat ſic intelligi, id eſt, quià confeſſus ſum meam ignorantiam. Sicut S. Auguſtinus explicat
b Pſal. 24. 11. illud Davidis: b *multum eſt enim*, id eſt, quià cognoſco multum eſſe. Sic explicat S. Auguſtinus *Lib. de ver. & falſ. pænit.* c *cap. 2.* illud *Pſal. 24. propitiaberis peccato meo, multum eſt enim.*
c Non eſt D. Auguſt. legitur in App. tom. 6 col. 233.

Statim P. Salas dixit ſe venire ex Hiſpaniâ ſine ſuis lucubrationibus, & modo prædicatorio dixit: non poſſe negari quòd facienti quod in ſe eſt, Deus illi det gratiam; quià Deus fovet ſtudia hominum, & excitatur ab ipſo homine. 2°. Dixit quòd Molina minùs dicebat quàm Scholaſtici omnes. Nam omnes dicunt, Deum velle omnes ſalvos fieri, & omnibus dare auxilia ſufficientia: at verò Molina hoc limitat, quòd, videlicèt, Deus omnibus facientibus quod in ſe eſt dat gratiam. 3°. Dicebat non poſſe dici quod F. Thomas dixerat: proximè poſſe quemvis diſponi ad ſalutem & gratiam per actum ex objecto naturalem, factum tamen ex divino auxilio. Hæc in ſubſtantiâ dixit.

Cui F. Thomas reſpondit: ſatis apparet, quòd iſte P. modò veniat ex Hiſpaniâ minùs informatus in causâ iſtâ; quià in duobus verbis duos protulit errores. 1°. Enim dicit, quòd Deus excitatur ab homine, & ab illo prævenitur, ut det gratiam. Quid ampliùs poteſt exſpectari?

Tunc ipſe dixit: ſe tale aliquid non dixiſſe.

Cui F. Thomas: dixiſti, & Sanctiſſimus audivit.

Tunc ipſe aït: putas te cum Tyrone agere? Agis cum veterano. Et neſcio quæ ſimilia verba protulit.

Cui F. Thomas: oportet te audire, nec interrumpere ſermonem, ut formetur conceptus. 2°. Dixit ipſe P., quòd Molina quid minùs dicebat quàm alij, quià limitabat propoſitionem illam: quòd Deus vult omnes homines ſalvos fieri: ſed limitatio eſt planè Pelagiana. Quamvìs enim Deus velit omnes homines ſalvos fieri; & quamvìs ità eſſet, quòd det Deus omnibus hominibus ſufficientem gratiam, de quo modò non agimus, tamen certum eſt, quòd illam non dat Deus ex certâ lege facienti quod in ſe eſt. Certum eſt, quòd non illam dat Deus poſtquàm homo ex ſe incepit, & poſtquàm præceſſit bona hominis voluntas. Certum eſt, quòd illam non dat Deus, quià homo vult, ità ut gratia ſit ſubſequens & pediſſequa. Et tandem certum eſt, quòd non dat illam Deus ex meritis noſtris; ſed illam dat quandò ipſe vult, & quandò ſibi placet, non autem quandò homo vult. Et ſic finita fuit iſta Congregatio, cùm per quatuor horas, & ampliùs duraſſet.

Digitized by Google

Habita eſt die 18. Novembris anni 1603. In eâ, excepto Cardinali Aſculano, omnes alij Illuſtriſſimi præſentes fuêre, ſimul cum Cenſoribus omnib⁹. Venit ad diſputandum pro Jeſuitis P. Vaſtida cũ P. Salas.

CONGREGATIO VIGESIMA PRIMA CORAM CLEMENTE VIII.

In quâ acerrimè diſputatum fuit de modo quo gratia & liberum arbitrium ſunt cauſæ partiales ejuſdem actûs.

Vide Hiſt. Congreg. de Auxil. l. 3. cap. 26. col. 484. & ſeqq.

a *Vide ſuprà col. 9.*

IN hâc Congregatione actum fuit de propoſitione Tertiâ in quarto Scripto contentâ, quod Scriptum fuerat à Sanctiſſimo tranſmiſſum anno præcedenti. Hæc propoſitio talis eſt: a *An quòd liberum arbitrium & gratia, ſint duæ cauſæ partiales ad eundem actum perficiendum; & quòd liberum arbitrium conſideratum ex ſe, ſeparatìm à gratiâ, nihil habeat à Deo niſi poſſibilitatem illam, quam Deus tribuit ab initio libero arbitrio, ſit ex ſententiâ expreſſâ ſancti Auguſtini, aut ex illo colligi poſſit? An potiùs conveniat cum Pelagio, præſertìm in loco relato ab Auguſtino L. 3. de grat. Chriſti cap. 3. & ſequenti?*

Circà hanc propoſitionem incipiens P. Vaſtida, ſolam primam partem de cauſis partialibus diſputavit, & circà illam in ſubſtantiâ, ſi memoria tenet, hæc dixit: 1°. quòd iſta quæſtio maximè gravis erat, & procedere poterat de re, & de modo loquendi. Et circà rem notabat, cauſam partialem dici à partiendo, quià, videlicèt, cum aliâ dividebat, & partem aliam ſui compartem exigebat. Cæterùm eſſe cauſam partialem, dicebat contingere dupliciter. Primo modo, itàut eſſet partialis partialitate effectûs; alio modo, quòd ſit partialis partialitate cauſæ. Cauſa partialis partialitate effectûs erat, quandò pars effectûs uni tribuebatur, & pars effectûs alteri. Cauſa autem partialis partialitate cauſæ erat, quandò totus effectus cuilibet reſpondebat; licèt utraque requiratur ad illum producendum. Et utramque exemplo ſic manifeſtabat: ſi enim, aiebat, in hoc cubiculo eſſent duo ignes applicati, quorum alter mediam partem cubiculi calefaceret, alter verò alteram mediam partem, illi duo ignes eſſent cauſæ partiales partialitate effectûs, ratione modò dictâ. At verò oculus & lux ſunt duæ cauſæ requiſitæ ad producendum viſionem, nec altera ſola ſufficit; non ſunt tamen partiales partialitate effectûs, quià pars viſionis non reſpondet oculo, & pars luci, ſed tota viſio fit à quâlibet: ſunt tamen partiales partialitate cauſæ, quià una ſola non ſufficit ad producendum viſionem.

Hoc ſuppoſito, duas ſtatuebat concluſiones. Altera, quòd ſecundùm rem Deus, ſivè gratia, & liberum arbitrium erant duæ cauſæ partiales partialitate cauſæ, non partialitate effectûs; quià conſenſus liberi arbitrij totùs correſpondebat gratiæ, & totus libero arbitrio. Cæterùm quià gratia non ſufficiebat ad producendum effectum, ſed etiam requirebatur propria activitas liberi arbitrii; ideò gratia & liberum arbitrium erant duæ cauſæ partiales partialitate cauſæ. Et ad iſtam concluſionem fundandam multa dicebat de activitate arbitrij; & hanc concluſionem dicebat eſſe S. Auguſtini, ex quo potiſſimè tria conflabat argumenta. 1^{m}. Eſt: S. Auguſtinus dicit, quòd Deus adjuvat liberum arbitrium; ergò liberum arbitrium per ſe aliquid facit; ergò eſt cauſa partialis cum gratiâ. 2^{m}. Eſt: S. Au-

guſtinus

guſtinus dicit, quòd Deus non operatur in libero arbitrio, ſicut in inſenſatis; ergò concurrunt ut duæ cauſæ partiales. 3m. Erat: S. Auguſtinus dicit, quòd Deus operatur in libero arbitrio, ſicut in eo cui contulit rationem & libertatem; ergò liberum arbitrium per ſe aliquid efficit; & ſic gratia & liberum arbitrium ſunt duæ cauſæ partiales.

Ex quibus tribus inferebat, ſententiam eſſe Concilij Tridentini, quòd liberum arbitrium per ſe habeat ſuam activitatem, & efficaciam partialem; quià Concilium Tridentinum planè docet Deum ſuâ gratiâ adjuvare liberum arbitrium, ſicut aït *in capp. 5. & 6.* excitati, & adjuti; ſed liberum arbitrium adjutum habet ſuam partialem activitatem; ergò Concilium ex iſto capite, nominans adjutorium gratiæ, hoc definit. Prætereà, quià Concilium Tridentinum *can. 4.* definit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum cooperari, & reſiſtere poſſe, ſi velit, nec eſſe inanime quoddam; ergò definit illud habere activitatem, & efficaciam partialem. Tertiò Concilium dicit, quòd liberum arbitrium poteſt diſſentire, ſi velit; ergò habet liberam activitatem, & partialem efficaciam: & ſic gratia & liberum arbitrium erunt duæ cauſæ partiales.

Præterea in hujus confirmationem adducebat plures Scholaſticos, qui dicebant Deum & liberum arbitrium eſſe cauſas partiales. Inter quos potiſſimè adducebat ſanctum Thomam: *de veritate, quæſt. 29. de grat. Chriſti art. 7. ad 4.*, ubì ſic dicit: *Ad quartum dicendum, quòd meritum Chriſti, quantùm ad ſufficientiam, æqualiter ſe habet ad omnes; non autem quantùm ad efficaciam: quod accidit partìm ex libero arbitrio, partìm ex divinâ electione, per quam quibuſdam miſericorditer effectus meritorum Chriſti confertur, quibuſdam verò judicio juſto ſubtrahitur.* Poſt quem locum, alium protulit *ex 1. 2. q. 114. art. 3.*, ubì ſic dicit: *Reſpondeo dicendum, quòd opus meritorium hominis dupliciter conſiderari poteſt: uno modo, ſecundùm quòd procedit ex libero arbitrio; alio modo, ſecundùm quòd procedit ex gratiâ Spiritûs Sancti. Si conſideretur ſecundùm ſubſtantiam operis; & ſecundùm quòd procedit ex libero arbitrio, ſic non poteſt eſſe hìc condignitas propter majorem inæqualitatem; ſed eſt ibì congruitas, propter quandam æqualitatem proportionis. Videtur enim congruum, ut homini operanti ſecundùm ſuam virtutem, Deus ei recompenſet ſecundùm excellentiam ſuæ virtutis. Si autem loquamur &c.* Ex his duobus locis inferebat P. Vaſtida, duas conſtitui à Sancto Thomâ cauſas partiales; gratiam, & liberum arbitrium, ad eumdem numero actum perficiendum.

Circà modum autem loquendi, aliam conſtituit IIam. Concluſionem: quòd accommodatior, proprior, & ſecurior erat ſententia vocare gratiam & liberum arbitrium cauſas partiales, & magìs evitans inconvenientia. Quod ut ſuaderet, multa dicebat. 1°. Quòd evitatur periculum vel dandi totum gratiæ, & nihil libero arbitrio, ſicut hæretici hujus temporis faciunt; vel dandi totum libero arbitrio, & nihil gratiæ, ſicutì Pelagiani conſtituebant. Nàm qui audiret cauſam totalem poterat inferre, ipſam ſolùm operari, & nihil liberum arbitrium. At verò qui audit eſſe cauſam partialem, ſtatìm intelligit liberum arbitrium etiam cooperari. Itèm, quià hoc ſonat hoc verbum *cooperatio*, quòd, videlicèt, ſimùl concurrant liberum arbitrium, & gratia. Itèm, quià ſi ſermo eſſet de concurſu Dei naturali pro cauſis naturalibus, forſitàn poſſet dici, quòd Deus & liberum arbitrium eſſent cauſæ totales. At verò in concurſu gratiæ, non ità. Et tandem dicebat, quòd omnes qui cum Cajetano dicebant, quòd cum æquali lumine gloriæ ſtabat, quòd unus intellectus plùs videret Deum, fatebantur eſſe partiales cauſas, lumen gloriæ & intellectum. Et neſcio, ſi aliquid aliud dixit, quod ſit conſideratione dignum. Quis enim poterit memoriâ retinere

nere ſimilia tàm ſine diſcurſu adducta?

Cùm autem finiret primam partem Dubij, noluit tranſire ad ſecundam, etiamſi F. Thomas ei diceret, ut procederet. Nàm ipſe dicebat, quòd ſi diceret ad ſecundam partem, diceret per duas alias horas. Cui F. Thomas reſpondit: quòd diceret quod vellet. Cùm autem ipſe dicere recuſaret, præcepit Sanctiſſimus ut ipſe F. Thomas diceret.

Ex more ergò omnia quæcunque dicturus eſſet ad pedes Sanctiſſimi conſtituens, ſic incepit: duo ſunt præcipua, quæ ſemper Catholica veritas contrà Pelagianos tenuit & docuit. Alterum eſt, primam gratiam prævenientem non dari ſecundùm priora merita naturæ: alterum verò, ipſam gratiam prævenientem efficacem eſſe ex Deo, non autem ex effectu, aut ex cooperatione liberi arbitrij. Nàm ſi conſtituatur efficax ab effectu, quià, videlicèt, liberum arbitrium vult, jàm dabitur gratia efficax ſecundùm priora merita liberi arbitrij benè utentis ex ſe gratiâ excitante. In his duobus univerſa Catholica veritas contrà Pelagianos conſiſtit.

Et quidem de primo, jàm in præcedentibus Congregationibus dictum fuit ſatìs, ex quibus manifeſtum relinquitur, Molinam conſtituere gratiam prævenientem ſecundùm priora merita naturæ, hominis, videlicèt, facientis quod in ſe eſt ex ſolis viribus naturæ. Ut autem conſequentèr loqueretur Molina, etiam gratiam prævenientem conſtituit dari efficacem ſecundùm priora merita arbitrij benè utentis ex ſe ipſo gratiâ excitante, quam Molina prævenientem vocat. Ut autem hoc affirmaret, pro fundamento conſtituit liberum arbitrium & gratiam eſſe duas cauſas partiales ad eumdem actum perficiendum. Nec enìm potuit efficaciori uti fundamento ad evertendam totius gratiæ efficaciam, quàm dicendo liberum arbitrium & gratiam eſſe duas cauſas partiales ad eumdem actum perficiendum. Nàm ex hoc fundamento ipſe Molina infert, quòd illud evidentiſſimè ſequitur, videlicèt, divinam voluntatem per ſuam gratiam non determinare hominis voluntatem ad bonum, & ad actum pium, & ſanctum; ſed quòd ipſa hominis voluntas ex ſeipſâ ſeipſam determinat ad talem actum pium. Ex quo rursùs aliud infert Molina, quòd, videlicèt, ipſa determinatio, quâ homo ſeipſum determinat ad bonum, non aliter tribuitur Deo, niſi tanquàm naturæ authori, qui poſſibilitatem arbitrij dedit.

Et ut confirmet omnem hanc doctrinam, in iſtis partialibus cauſis fundatam, intromittit Molina quamdam mediam ſcientiam, ſivè præſcientiam, quâ Deus cognoſcat illum partialem influxum arbitrij, qui non efficitur à gratiâ, ſed à ſolo arbitrio, ut per illam cognoſcat Deus, quandò liberum hominis arbitrium ex ſeipſo concurrat illo influxu partiali, & redditurum eſt gratiam efficacem ſic conſentiendo, vel quandò illam redditurum eſt caſſam & inanem, non influendo, ſed continendo ſuum partialem influxum. Undè ad illum ſolum finem intromittitur illa media ſcientia, ut videat id quod liberum arbitrium ex ſe facturum eſt illo ſuo partiali influxu, non autem ut cognoſcat Deus per talem ſcientiam id quod ipſe facturus eſt, ut faciat homo.

Hæc eſt ſubſtantia doctrinæ Molinæ, quæ tota fundatur in his cauſis partialibus. Ex quo rursùs infert, quòd poſitâ gratiâ excitante, illâ nimirùm quam ipſe priùs conſtituit ſecundùm priora merita noſtra, Deus exſpectat concurſum illum partialem arbitrij, ut hominem convertat; & quòd jàm conſentiente pro ſuâ innatâ libertate, gratia cum illo jàm fit cooperans, & efficaciter adjuvans; & quòd illa gratia eſt efficax ab effectu, quià liberum arbitrium ex ſe ſolo voluit conſentire gratiæ priori excitanti. Tota iſta doctrina in iſtis cauſis partialibus totaliter fundatur.

Quid autem Molina ſentiat de iſto partiali concurſu gratiæ & liberi arbitrij

bitrij, & quomodò illum explicet, licèt R. P. omiſerit, tamen ipſe Molina ſuo exemplo ſatis evidenter expreſſit, cùm dicit: quòd actus ille quòad ſubſtantiam ſit à libero arbitrio quòad modum verò & ſupernaturalitatem à gratiâ; non ſecùs ac cùm duo trahunt navem, quorum alter non accipit vires ab alio, nec ab alio movetur, applicatur, vel determinatur ad trahendum, ſed unuſquiſque independenter ab alio concurrit ſuâ partiali activitate: ità aït Molina, quòd liberum arbitrium & gratia ità concurrunt ad eundem actum perficiendum, ut liberum arbitrium ad id nec vires recipiat à gratiâ, nec ab ipsâ moveatur, applicetur, vel determinetur ad operandum: ſed quòd liberum arbitrium independenter à gratiâ, quandò vult, concurrit, & quandò non vult, non concurrit. Immò, quod majus eſt, ex iſtis duabus cauſis partialibus, licèt arbitrium ut conſentiat, ſeu operetur, non dependeat à gratiâ, nec ab ipsâ applicetur, moveatur, ſeu determinetur; tamen è converſo quòd gratia cooperetur, & quòd de facto efficaciter concurrat, pendet à libero hominis arbitrio, quod quandò ex ſe vult conſentire, reddit efficacem gratiam, ut Molina expreſsè fatetur: quandò autem non vult, illam caſſam reddit. Quòd ergò gratia efficax ſit, vel caſſa reddatur, à libero hominis pendet arbitrio.

Et hoc ſatìs expreſsè ipſe Molina dixit, cùm aït: quòd conſentiente jàm libero arbitrio, ipſa excitans gratia ſit cooperans, & redditur efficax. Jàm ergò gratia & liberum arbitrium ſunt duæ cauſæ partiales ad eundem actum perficiendum, & liberum arbitrium in ſuo concurſu non dependet à gratiâ: at verò gratia dependet à libero arbitrio, ut cooperetur, & efficax reddatur: & ſic, in uno verbo, liberum arbitrium adjuvatur, quià voluit; non autem adjuvatur ut velit. Qui eſt error relatus à SS. Proſpero & Hilario epiſtolis ad ſanctum Auguſtinum. Adjuvatur, inquam, juxtà Molinam, quià voluit conſentire gratiæ excitanti; non autem adjuvatur ut velit & conſentiat; & ex conſequenti gratia datur efficax, quià volumus, & ſecundùm priora merita liberi arbitrij utentis ex ſeipſo gratiâ excitante. Hæc eſt doctrina Molinæ de cauſis partialibus, quam R. P. nullo modo tetigit, vel noluit tangere, ſed divertit ad quædam generalia, ut ſtatìm dicam.

A quo deſumpſerit Molina iſtum concurſum partialem, non eſt occultum penetrare. Illum enìm didicit ex Fauſto Regienſi Epiſcopo in Libris ejus damnatis de gratiâ & humanæ mentis arbitrio. Nàm *in Lib. 1. cap. 1.* ut totam ſuam doctrinam fundaret Fauſtus, hoc jecit fundamentum de gratiâ & libero arbitrio, de cauſis partialibus ſic dicens: *Si partibus proprietates ſuas reddas & aſſeras, perindè eſt, ac ſi gratiam cum labore conjungas.* Et *cap. 17. ejuſd. Lib. 1.*, poſtquàm propoſuerat multa Scripturæ teſtimonia, in quibus aliquandò humana libertas, aliquandò efficacia gratiæ prædicatur, illa aliter neſcivit concordare, niſi conſtituendo liberum arbitrium & gratiam partiales cauſas, ſic dicens: *Quid ergò oportet nos inter iſta ſentire, niſi ut ſemper gratiæ ſubjiciamus laborem, & gratiam ſemper cum labore ſociemus?* Itàque gratia & humanus labor pariter ſociata concurrunt ad eũdem actum perficiendum ſecundùm Fauſti doctrinam.

Fauſtus Regienſis L. 1. de grat. primus author doctrinæ de cauſis partialibus.

Hunc partialem concurſum ſæpiùs impugnat S. Auguſtinus. Undè hæc ſit in ſubſtantiâ reſponſio ad Dubium à Sanctitate Veſtrâ propoſitum: quòd liberum arbitrium & gratia ſint duæ cauſæ partiales ad eumdem actum perficiendum, non ſolùm non eſt ſententia S. Auguſtini, vel ex ejus doctrinâ colligi poteſt, verùm etiam eſt ſententia damnata Fauſti, à S. Auguſtino impugnata, & expugnata.

Notiſſima ſunt in primis illa verba S. Auguſtini *L. de don. perſ. cap. 6.* a *Tutiores vivimus, ſi totum Deo damus, non autem nos illi ex parte & nobis ex parte committimus.* At Molina vult, quòd nos nobis ipſis ex parte, & Deo ex parte committamus.

a *Tom. 10. n. 12. col. 827.*

committamus. Aperta ſunt etiam alia ejuſdem Auguſtini verba *Lib. de præd. Sanct. cap. 2.* contrà Fauſtum : a *Nolens ergò his tam claris teſtimoniis repugnare, & tamen volens à ſeipſo ſibi eſſe, quòd credidit; quaſi componit homo cum Deo : ut partem fidei ſibi vindicet, atque illi partem relinquat. Et quod eſt elatius, primam tollit ipſe, ſequentem dat illi. Et in eo quòd dicit eſſe amborum, priorem ſe facit, poſteriorem Deum.* In terminis hìc damnat S. Auguſtinus iſtum partialem concurſum, quo Molina in actu juſtificationis hominem componit cum Deo, & partem ſibi vindicat, atque illi partem relinquit. Partem, inquam, ſibi vindicat Molina, cùm dicit: quòd ut illi actus ſint tales quòad ſubſtantiam actûs, ſunt præcisè à libero arbitrio: partem autem illi relinquit, cùm aït: quòd autem ſint tales quòad ſupernaturalitatem, habent ex gratiâ. Partem ſibi vindicat, cùm dicit Molina, liberum arbitrium ex ſeipſo conſentire gratiæ excitanti: partem autem illi relinquit, cùm aït, quòd libero arbitrio jàm ex ſe conſentiente, gratia excitans dependenter ab illo fit cooperans. Partem ſibi vindicat, cùm aït, quòd voluntas ſeipſam ex ſeipsâ determinat : partem autem illi relinquit, cùm aït: quòd libero arbitrio ſe determinante, Deus ſimul concurrit. Et quod eſt elatius, primam partem ſibi vindicat, poſteriorem dat illi. Hoc enim expreſsè dicit Molina, cùm aït: quòd conſentiente jàm libero arbitrio, gratia dependenter ab illo fit cooperans. Et cùm aït : quòd poſitâ gratiâ excitante, Deus exſpectat conſenſum arbitrij, ut ipſum hominem juſtificet. Itaque exſpectat Deus illum priorem conſenſum arbitrij. Hoc etiam clarè dixit Molina, cùm aït : gratiam eſſe efficacem ab effectu, id eſt, quià priùs vult liberum arbitrium. Undè priorem ſe facit, poſteriorem Deum, ut Deus, videlicèt, ſuâ efficaci gratiâ ſequatur liberum arbitrium hominis priùs ex ſe conſentiens.

Hunc concurſum cauſæ partialis damnat S. Auguſtinus *quæſt. 2. ad Simplicianum* b, ubi explicans illud Apoſtoli : c *non volentis, nec currentis, ſed Dei eſt miſerentis* dicit totum eſſe dandum Deo; quià ſi ipſe miſeretur, jàm volumus. Sed ex profeſſo magìs *in Enchirid. ad Laurent. cap. 32.* d ſic dicit : *Alioquìn ſi propterea dictum eſt : non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei; quià ex utroque fit, id eſt, ex voluntate hominis, & miſericordiâ Dei; ut ſic dictum accipiamus : non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei; tanquàm diceretur, non ſufficit ſola voluntas hominis, ſi non ſit etiam miſericordia Dei. Non ergò ſufficit ſola miſericordia Dei, ſi non ſit etiam voluntas hominis. Ac per hoc ſi rectè dictum eſt, non volentis hominis, ſed miſerentis eſt Dei, quià id voluntas hominis ſola non implet; cur non etiam è contrario rectè dicatur, non miſerentis eſt Dei; ſed volentis eſt hominis; quià id miſericordia Dei ſola non implet? Porrò, ſi nullus Chriſtianus dicere audebit : non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, nè Apoſtolo apertiſſimè contradicat; reſtat ut propterea rectè dictum intelligatur, non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam, & præparat adjuvandam,* per gratiam, ſcilicèt, prævenientem, *& adjuvat* per gratiam, nimirùm, ſubſequentem voluntatem bonam à ſe *præparatam* per priorem gratiam prævenientem.

Omitto plurima alia S. Auguſtini teſtimonia, quibus paſſim iſtum concurſũ cauſæ partialis impugnat; hoc enìm in totâ ſuâ doctrinâ contrà Pelagianos & Semipelagianos damnat, cùm aït: Deum convertere ad ſe averſas & adverſas atque rebelles voluntates. Itèm, quòd Deus omnipotentiſſimâ facilitate convertit; quòd trahit Pater ad Filium quos vult; quòd ipſe immutat hominum voluntates; quòd transfert corda Principum ab indignatione in lenitatem; quòd dat voluntati efficaciſſimas vires; quòd aufert ab hominibus cor lapideum; quòd facit ex nolentibus volentes; quòd facit ut velimus,

a *Tom. 10. num. 6. col. 793.*

b *Tom. 6. num. 10. & ſeqq. col. 9. & ſeqq.*

c *Rom. 9. 16*

d *Tom. 6. col. 208.*

limus, facit ut operemur, facit ut faciamus. Et ſimilia multa dicit, quibus concurſum iſtum partialem damnat. Nàm iſta intelligi non poſſunt de gratiâ illâ partiali quæ exſpectat hominis conſenſum, & quæ ſuâ efficaciâ non agit in voluntatem. Immò ut S. Auguſtinus ſæpè docet, in omnibus Eccleſiæ orationibus nihil aliud petimus à Deo, niſi ut Deus nos convertat. Quod certè per illam partialem gratiam non facit. Undè concludit S. Auguſtinus: *Prorsùs in hâc parte non operoſas diſputationes exſpectet Eccleſia; ſed attendat ad ſuas orationes quotidianas.* Nunquid enìm petimus à Deo ut convertat infideles illo concurſu partiali, videlicèt, ſi ipſi velint? An potiùs petimus, ut Deus illos convertat, & faciat ut velint?

Sit ergò in hâc parte prima demonſtratio contrà iſtum concurſum cauſæ partialis, ad quam reſpondeant PP. Societatis ſi placet. Secundùm veritatem Catholicam contrà Pelagianos Deus facit, ut faciamus; ſed Molina per illum concurſum partialem dicit quòd Deus non facit ut faciamus; ergò contrà veritatem Catholicam ſentit cum Pelagianis. Solùm oportet manifeſtare minorem; nàm de majori quis dubitet? Minor iſta patet 1°. ex concurſu partiali, & in exemplo de duobus trahentibus navem, quorum unus non facit ut alter conetur, & faciat; ergò gratia ſimili ratione non facit ut liberum arbitrium faciat. Immò ad hoc inducit exemplum. Sed non illationibus, licèt evidentibus contrà ipſum agamus, ſed expreſſis ipſius verbis. Ipſe enìm planè dicit: quòd Deus ſuâ gratiâ non facit nos facere. Id 1°. aſſerit *q. 14. art. 13. diſp. 29. §. poſtremò* a, ubì ait: *Poſtremò, concurſus Dei particularis ad opera ſupernaturalia liberi arbitrij, hoc eſt, gratia liberum arbitrium præveniens, non eſt cauſa efficax ejuſmodi operum.* Et infert: quòd *ſi cauſa eſſet efficax, tolleret libertatem.* Si ergò non eſt cauſa efficax; ergò non facit nos efficaciter facere.

a Pag. 126. col. 2.

Sed oſtendo alium locum clariorem, ex *q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 10. §. undè quandò*, b in quo ità habet: *ſi conſequens intelligatur de eo actu præcisè ſpectato, ut emanat à peculiari illo & proprio influxu liberi arbitrij inſuper neceſſario; non enim eo modo ſpectatus, effectus eſt gratiæ prævenientis, ſed ſolius arbitrij; id quod ſanè ea, quæ ſequuntur, manifeſtè confirmant.* Et in iſtis ſequentibus multa notanda dicit, quæ tamen ob brevitatem omitto.

b Pag. 358. col. 2.

Alium etiam oſtendo locum clariorem *in diſp. 52. §. ſciſcitabitur fortè*, ubì ſic dicit: c *Itèm quòd res libero arbitrio prædita, ſi in certo ordine rerum & circumſtantiarum collocetur, in unam aut alteram partem ſe flectat, non provenire ex præſcientiâ Dei; quin potiùs, ideò Deum id præſcire, quià ipſa res libero arbitrio prædita liberè id ipſum agere debet; neque provenire ex eo quòd Deus velit id ab eâ fieri, ſed ex eo quòd ipſa liberè id velit facere.* Cùm ergò divina voluntas non velit, quòd voluntas ſe flectat in iſtam partem; ergò non facit ipſam velle iſtam partem; ergò non facit eam facere.

c Pag. 228. col. 1.

Et omnium clariſſimè id dicit Molina *q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 6. §. certè non dubitarem.* d ſic enìm ait: *Si namque arbitrium noſtrum ab efficaciâ aut inefficaciâ auxilij divini habet quòd conſentiat, aut non conſentiat Deo vocanti, & cooperetur aut non cooperetur ad ſalutem, perſeveret aut non perſeveret in gratiâ; certè non ab innatâ & propriâ libertate id pendet, ſed à qualitate auxilij & motionis divinæ; atque ideò neque eſt quòd illi cedat in laudem & meritum: quin potiùs perit omninò libertas arbitrij ad ſalutem.* Ecce apertè dicit, quòd efficacia gratiæ non facit nos conſentire; ergò planè dicit, quòd non facit nos velle & facere, quià aliàs tolleret libertatem. Igitur evidentiſſimum eſt Molinam negare, quòd gratia illa partialis faciat nos facere.

d Pag. 327. col. 1.

Clariùs autem idipſum dicit Interpres Molinæ, Franciſcus Suarez *L. 1. de concurſu Dei cum voluntate cap. 15. §. ex quibus*; cujus verba ſunt: *Deindè quod attinet ad ordinem prioris & poſterioris:*

Digitized by Google

poſterioris : ſi prioritas naturæ ſumatur propriè, ſecundùm cauſalitatem; hoc modo neutra harum cauſarum priùs quàm alia influit; quià neutra influit in aliam; ſed utraque in effectum, vel actionem : & neutra applicat aliam, aut facit illam facere ex vi hujus concurſûs. Ubì apertè contrà divinas Litteras dicit, quòd Deus non facit nos facere.

Una ſola excuſatio prætendi poteſt in Molinâ, videlicèt, quòd in uno vel altero loco dicat : quòd Deus facit nos facere. Sed hoc ipſum dixit Caſſianus, dixit & Fauſtus, ut ſe occultarent, & nè viderentur ità apertè contrà divinas Litteras pugnare : ſed omnes ſe declararunt, & Molina expreſſiùs, quòd, videlicèt, cùm dicunt : quòd Deus facit nos facere, intelligitur alliciendo, ſuadendo, invitando; quod eſt clariùs dicere, quòd Deus non facit nos propriè facere. Undè Franciſcus Suarez, qui præ omnibus, vocibus duntaxàt, dicit quòd Deus facit nos facere: explicans quomodò Deus faciat nos facere, ſic dicit *Lib. 3. de Auxil. cap. 5. num. 1. §. Rurſùs. Rurſùs ex dictis intelligitur alia partitio hujus auxilij, quod eſt per modum principij, ſcilicèt, in phyſicam, & moralem cauſam ſupernaturalis actûs. Dicitur enim cauſa moralis, quæ conſilio, precibus, aut alio ſimili modo movet cauſam liberam ad operandum: Phyſica verò, quæ per ſe influit, & dat eſſe effectui.* Si PP. Societatis non credunt aliis Doctoribus, credant ſaltem ſuis Scriptoribus. Quarè enim tantùm vociferantur contrà cauſalitatem, & motionem Phyſicam? Ecce Franciſcus Suarez definit cauſam phyſicam, illam eſſe quæ per ſe influit, & dat eſſe effectui. Si ergò negant Deum phyſicè movere voluntatem, negent ipſum per ſe influere in voluntatem. Quòd ſi hoc negare non poſſunt, reſtat ut fateantur Deum eſſe cauſam phyſicè operantem. Sed ideò hoc negant, quià contendunt Deum eſſe cauſam moraliter ſuadentem conſilio vel precibus liberam hominis voluntatem; ut modò Franciſcus Suarez fatetur relatis verbis. Et ſtatim ſubdit: *Auxilia ergò excitantia maximè habent vim cauſæ moralis.* Et iterùm ſubdit illicò : *conſtat igitur hoc totum cauſalitatis genus, morale eſſe. Et declaratur à ſimili: nàm homo inducens alterum ad malum, vel Dæmon tentans ad peccandum, eſt cauſa moralis peccati, quià ad illud excitat, & movet; ſic ergò Deus, multóque majùs & perfectiùs, eſt cauſa moralis boni actûs ſupernaturalis, ad quem elicendum nos excitat, noſtramquè præparat voluntatem. Denique tota hæc cauſalitas reducitur ad motionem finis quæ metaphorica eſt.* Quid clariùs, quid apertiùs poſſunt dicere ad negandam veràm & propriam divinam cauſalitatem?

Non ergò attendendum eſt ad verba, cùm dicunt: quòd Deus facit nos facere. Nàm etiam Pelagius, relatus à S. Auguſtino *Lib. de grat. Chriſti cap. 10.* a dicebat: adjutorium gratiæ ſe admittere, quo Deus operaretur in nobis & velle. Cæterùm dicebat facere nos velle, ſuadendo, revelando, oſtendendo, & excitando. Undè S. Auguſtinus concludit: quòd per hoc non recedit à lege atque doctrinâ. Sic Molina, & qui illius defendunt ſententiam, etiamſi dicant aliquandò, quòd Deus facit nos facere, tamen ſeipſos explicant, quòd hoc fit ſuadendo, alliciendo, invitando, & excitando. Quæ eſt ſecundùm ipſos metaphorica cauſalitas. Ac proindè ſecundùm S. Auguſtinum, non recedunt à lege atque doctrinâ.

a *Tom. 10. num. 11. col. 435.*

Igitur notiſſimum eſt Molinam aſſerere, quòd Deus per illam cauſam partialem ſuæ gratiæ, non facit nos facere. Immò ad iſtum finem conſtituit gratiam cauſam partialem, nè per illam faciat nos Deus facere. Immò ex totâ doctrinâ Molinæ, & ex iſto influxu cauſæ partialis à Molinâ explicato, convincitur manifeſtè, quòd è contrà homo faciat Deum facere. Nàm poſitâ gratiâ excitante, quandò homo ex ſeipſo illi conſentit, facit ut Deus faciat, dando gratiam efficacem; & operatur homo ut cooperetur Deus. Undè ipſe homo facit ut faciat Deus. Quod in doctrinâ Molinæ eſt maximè cōſiderandū.

Digitized by Google

a 1. Cor. 4. 7. Præstereà Apoſtolus aït : a *Quid habes, quod non accepiſti ?* ſed reſpondet Molina : habeo iſtum influxum partialem arbitrij mei, quo, quandò volo, conſentiò gratiæ excitanti, & quandò nolo, eam reſpuo. Hunc influxum habeo, quem non accepi à Deo, vel ab ejus gratiâ ; ſed illum habeo ex ſolâ & innatâ meâ libertate.

Præstereà clamat S. Auguſtinus poſt S. Cyprianum, immò poſt Paulum, in nullo gloriandum, quandò noſtrum nihil eſt. Cujus ſenſus eſt : nihil boni eſſe noſtrum tanquàm ex nobis; ut Paulus docet: b *non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquàm ex nobis.* Sed dicit Molina : quomodò in nullo eſt gloriandum ? Vel quomodò nihil eſt noſtrum ? Immò in aliquo maximo bono gloriandum, quòd ità eſt noſtrum, ut ſit nobis ex nobis, & non ex divinâ gratiâ. Hoc autem bonum maximum eſt, ille influxus partialis mei liberi arbitrij, quem non ex Deo, ſed ex me ipſo habeo, & quo, quandò placet, efficacem reddo divinam gratiam ; & quandò placet, illam omninò caſſam & inutilem conſtituo.

b 2. Cor. 3. 5.

Inſuper, Concilium Arauſicanum II. definit : c *multa bona in homine fiunt, quæ non facit homo ; nulla verò bona facit homo, quæ Deus non præſtet ut faciat homo.* Sed dicit Molina : Immò multa bona facit homo, quæ non præſtat Deus ut faciat homo ; videlicèt, illum concurſum partialem liberi arbitrij, qui ità magnum bonum eſt, ut ſine ipſo homo non juſtificetur. Et hoc bonum non præſtat Deus ut faciat homo ; ſicut expreſsè ex dictis Molinæ relinquo comprobatum.

c In App. tom. 10. Op. S. Auguſt. can. 20. col. 159.

Præstereà, idem Concilium Arauſicanum definit : d quòd *nemo habet de ſuo niſi peccatum & mendacium.* Cujus ſenſus eſt, *de ſuo*, id eſt, ex propriis & non receptis à Deo, nihil habet homo niſi mendacium & peccatum. Molina autem planè affirmat, quòd præter mendacium & peccatum, ex propriis & non receptis à Deo, habemus bonum conſenſum, & bonum influxum partialem arbitrij, quo efficacem gratiam Dei reddimus.

d Ibid. can. 22.

Inſuper, idem Concilium planè definit : e quod *quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum, ut operemur, operatur.* Sed dicit Molina : benè quidem Deus cooperatur nobiſcum jàm ex nobis conſentientibus ; cæterùm non operatur in nobis, ut operemur ; quià nos ex nobis operamur & conſentimus, nec hoc quod operamur, operatur in nobis Deus.

e Ibid. can. 9. col. 158.

Præstereà Cæleſtinus I. in ſuâ Decretali definit : f *quòd nullus benè utitur libero arbitrio, niſi per Chriſtum.* Cujus contradictoriam omninò conſtituit Molina dicens : homines ex ſe benè uti arbitrio, & non per Chriſtum. Nàm quòd homo conſentiat gratiæ excitanti, eſt benè uti arbitrio ; ſi ergò non habet ex Deo quòd gratiæ excitanti conſentiat, planè utitur benè libero arbitrio. Item, quòd actus ſit talis quòad ſubſtantiam actûs, eſt de neceſſariis ad ſalutem ; ſi ergò quòd actus ſint tales quòad ſubſtantiam, non eſt ex gratiâ, ſed præcisè ex libero arbitrio ; ergò jàm id quod pertinet ad ſalutem, fit ex ſolo libero arbitrio, & non ex gratiâ. Igitur concludendum eſt iſtas cauſas partiales damnatam cauſam continere.

f Ibid. Ep. ad Gall. Epiſcop. cap. 7. col. 193.

Hìc jàm erat diſputandum de aliâ parte, quam Molina infert ex iſtis cauſis partialibus, quæ appendix eſt.

Tunc interrumpens P. Vaſtida ſermonem, clamabat : quòd ipſe non dixerat de illâ, nec F. Thomam debere dicere. F. autem Thomas inſiſtebat in dicendo, & fiebat ad invicem concertatio. Tunc F. Thomas genu flexo dixit : ſi Veſtra Sanctitas præcipit ut non dicam, omittam. Tunc Sanctiſſimo annuente capite ut non procederetur ulteriùs, ità factum fuit ut illa ſecunda pars relinqueretur in aliam Congregationem.

Tunc F. Thomas proſecutus, dixit : modò ad objecta, & excuſationes prætenſas dicam ſub brevitate, ſubſtantialia tantùm tangendo. Et quidem primò omnium iſte Pater in omnibus quæ dixit, non tetigit difficultatem,

Digitized by Google

tatem, vel noluit tangere, ſed divertit ad quædam communia & generalia, multùm temporis conſumens in eo, quod Doctores Scholaſtici dicunt, Deum & cauſam ſecundam eſſe cauſas partiales. Non eſt in hoc difficultas, quòd dicantur partiales, ſed de modo quo à Moliná conſtituuntur cauſæ partiales, ità ut liberum arbitrium non dependeat in ſuo influxu à gratiâ, nec ab illâ accipiat vires, nec ab illâ applicetur, moveatur, & determinetur ad actum pium & ſanctum. In hoc eſt tota quæſtio cum Molinâ. Doctores enim Scholaſtici, qui dicunt Deum & cauſam ſecundam eſſe cauſas partiales, non negant ſubordinationem cauſæ ſecundæ ad primam, nec negant quòd cauſa ſecunda moveat mota à primâ. Immò expreſsè Scholaſtici & Philoſophi dixerunt. Nec dicunt liberum arbitrium ità eſſe cauſam partialem, ut influxum ſuum producat independenter à gratiâ. Nunquàm hoc dixerunt Scholaſtici. In ſenſu enim valdè alieno vocant illas cauſas partiales; quià, ſcilicèt, neutra ſe ſola producit effectum. Quod dixerunt, quià diſputabant contrà aliquos, qui aſſerebant Deum ad præſentiam cauſarum ſecundarum totum producere effectum. Et ad hoc impugnandum, dixerunt Deum & creaturas eſſe cauſas partiales. Undè in hoc ſenſu, licèt impropria ſit locutio, non tamen videtur majorem cenſuram mereri, dummodò dicant liberum arbitrium, quod hoc modo eſt cauſa partialis, ſubordinari in ſuâ cauſalitate Deo, & ab eo applicari, moveri, vel determinari ad agendum.

Nàm, ut S. Thomas aït; *1. p. q. 105. art. 5.* Et, *1. 2. q. 10. art. 4.* Et, *1. p. q. 19. art. 3.* Et, *q. 3. de potentiâ art. 7.* (qui eſt articulus maximè conſiderabilis, quià in ipſo reſpondet S. Thomas omnibus argumentis iſtorum Patrum) Et *Lib. 3. contrà Gentes cap. 70.*: ſecunda cauſa pendet à primâ tripliciter. 1°. Quià ab eâ accipit formam ad agendum. 2°. Quià ab eâ conſervatur. 3°. Quià ab eâ applicatur ad agendum; ſicut artifex applicat ſecurim ad ſcindendum. Ex quo etiam loco iſti Patres attribuunt S. Thomæ, quòd dicat liberum arbitrium eſſe purum inſtrumentum; cùm S. Thomas tantùm dicat, quòd habent ſe cauſæ ſecundæ ad Deum ad modum inſtrumenti; quantùm, videlicèt ad hoc, quòd niſi moveantur à Deo, non ſe movebunt. Immò S. Thomas *in illâ q. 3. de potentiâ art. 7.* in tantùm reputat verùm, quòd cauſa ſecunda moveatur à primâ, cui ſubordinatur ad operationem, quòd nec Deus poteſt facere, quòd illa concurrat ſuo concurſu partiali independenti à primâ gratiâ, & abſque eo quòd moveatur ab illâ.

In alio etiam R. P. multùm temporis conſumpſit, nempè in ſuadendo rem clariſſimam; videlicèt liberum arbitrium habere activitatem ſuam; quâ concurrat ad actus ſupernaturales: quaſi hoc vertatur in dubium. Quis dubitat liberum arbitrium habere propriam activitatem naturalem, quam Deus illi dedit ab initio? Quæ eſt potentia remota, vel capacitas reſpectu operationum ſupernaturalium, & quâ movet, applicat, & determinat liberum arbitrium ad operandum; & facit illud ſuâ activitate operari liberè; ità ut liberum arbitrium activè & activitate liberâ concurrat: ſed ex Deo & ex gratiâ habet quòd ſic activè concurrat, & quòd activitate ſuâ benè utatur.

Quod autem dicunt Patres Societatis de vitalitate repertâ in actu vitali ſupernaturali, quam proindè tantùm libero arbitrio tribuunt & non gratiæ; ſciant quòd vitalitas illius actûs eſt ſupernaturalis, & à libero arbitrio procedit ut informato gratiâ ſupernaturali. Dicit enim Chriſtus Dominus: a *Ego verò vitam æternam do eis*, id eſt, illam vitalem & æternam operationem. a *Joan. 10. 28.*

Fecit etiam tria argumenta iſte Pater ex S. Auguſtino, quæ certè nullam apparentiam videntur habere. Im. fuit tale: Quòd ſecundùm ſanctum Auguſtinum, liberum arbitrium eſt adjutum à Deo; ſi ergò adjuvatur, ipſum

Digitized by Google

ipſum aliquid per ſe agit; ergò eſt cauſa partialis independens à Deo. Certè non video, quomodò ex divino adjutorio inferant Patres iſti liberum arbitrium per ſe agere, & non agere ex gratiâ, ut motum ab illâ. Liberum enim arbitrium agit, & verè activè agit; ſed tamen non independenter à gratiâ: ſicut Molina conſtituit in illis cauſis partialibus; ſed dependenter ab ipſo adjutorio, à quo accipit efficaciſſimas vires ad operandum, à quo movetur, à quo applicatur, & determinatur ad operationem.

IIm. argumentum eſt ſimile huic, quo infertur, ex eo quòd S. Auguſtinus dicit, Deum non agere in libero arbitrio ſicut in inſenſatis; quòd liberum arbitrium habeat ex ſe efficaciam independenter à gratiâ. Solùm enìm ſequitur liberum arbitrium verè activè agere, & non ſicut inanimata. Quod quis negat? Licèt à gratiâ habeat, quòd ſic activè concurrat.

IIIm. argumentum fuit: quòd Deus operatur in libero arbitrio, ſicut in eo in quo creavit libertatem & rationem. Ex quo inferunt PP. Societatis liberum arbitrium uti illâ ratione & voluntate independenter à Deo, ſicut una cauſa partialis non dependet ab aliâ. Quod, ut dictum eſt, nullo modo vel apparenter ſequitur.

Inter Doctores adduxit R. Pater, S. Bernardum *in tractatu de libero arbitrio*, ubì dicit, quòd non partìm gratiæ & partìm libero arbitrio; ſed quòd totum tribuendum eſt gratiæ, & totum libero arbitrio. Mirandum tamen valdè, quomodò verba immediatè ſequentia non videantur ab iſtis Patribus, quibus explicat quomodò totum dandum eſt gratiæ dicens: ſicut totum in libero arbitrio, ſic totum ex gratiâ. Verba enìm ejus ſunt: *ſicut totum in illo, ſic totum ex illâ*. Itaque totum actum operatur liberum arbitrium, ſed id totum operatur ex gratiâ actuante, informante, movente, & applicante. In quo expreſsè damnatur Molina.

Dicunt iſti PP. totum effectum à Molinâ tribui gratiæ; ipſe dicit, quòd totalitas effectûs tribuitur Deo; ſed in primis hìc modò non eſt quæſtiò de effectu ipſo, an totus tribuatur Deo; ſed quæſtio eſt, quòd totum dandum eſt Deo, videlicèt, & totus effectus, & tota cauſalitas quâ liberum arbitrium cauſat. Undè hoc totum dandum eſt Deo, quòd liberum arbitrium cauſet, quòd conſentiat, quòd concurrat, quòd influat in actum. Hoc totum dandum eſt Deo: & hoc nullo modo Molina dat Deo, ut probavi modò.

Præterea etiam ſolis verbis dicit Molina, quòd totus effectus tribuatur Deo. Non enìm totus & totaliter, ſecundùm Molinam, Deo tribuitur. Eſt hìc notandum illud quod Theologi omnes fatentur; quòd quilibèt beatus videt totum Deum, non videt tamen illum totaliter. Sic Molina dicit, quòd totus effectus tribuitur Deo, non autem totaliter. Quod expreſsè ipſe affirmat. Nàm quòd actus ſit talis quòad ſubſtantiam, non tribuitur Deo juxtà ipſum. Similiter conſentiente jàm libero arbitrio, cum illo cooperatur Deus; ergò illud *conſentire* non tribuitur Deo. Undè non totaliter ille actus tribuitur Deo.

Quod autem Molina dicit, totum illum effectum dandum eſſe Deo, didicit ex Caſſiano, qui *Collat. 13. cap. ult.* dicit, totum dandum eſſe Deo, ità tamen ut non tollatur libertas. Quod eſt clariùs dicere, non totum dandum eſſe Deo; quià putabat, quòd ſic tolleretur libertas.

Fauſtus etiam *cap. 4. Lib. 1.* dicit: *Quandò dicunt*, (videlicèt, Defenſores, & Prædicatores gratiæ) *totum dandum eſſe Deo; quis non ad tàm venerandum nomen omni cordis humilietur affectu?* Ubi jàm admittebat totum dandum eſſe Deo. Sed *in cap. 14.* ſe explicavit, dicens: *Imperat nobis, qui propria voluntatis jura diſtribuit: pro eo verò quòd totum dandum eſt Deo, legimus: a qui docet hominem ſcientiam.* a Pſ. 93.10.
Itaque totum tribuebat Deo, ſicut danti ſcientiam, non ſicut efficienti voluntatem. Sic Molina totum dat Deo, ſicuti

ſicutì ſuadenti & illuminanti vel excitanti, non autem ſicut facienti.

Adduxit præterea S. Thomam *1. 2. q. 114. de merito*, & *in quæſtionibus diſputatis*, ubì dicit, meritum conſiderari, & pròut procedit à libero arbitrio, & pròut procedit à gratiâ. In hoc volunt fundare illas cauſas partiales, liberum arbitrium & gratiam, ab invicem independentes. Sed quomodò *in art. 1. & 2. illius quæſt.* non vident, quòd S. Thomas dicit liberum arbitrium moveri à gratiâ? Et *q. 112. art. 3.* expreſsè conſtituit efficaciam divinæ motionis, dicens: *Quòd Deus movet hominem per gratiam ad juſtitiam; & ſi ex intentione Dei moventis eſt, quòd ille, cujus cor movet, convertatur, infallibiliter convertetur.* Videant PP. Jeſuitæ quomodò liberum arbitrium pendeat ab efficaciâ gratiæ. Quomodò ergò inducitur S. Thomas, ut probent ex ipſo, liberum arbitrium eſſe cauſam partialem independentem à gratiâ?

Præterea S. Thomas *in totâ q. 109. antecedenti per omnes articulos* ſemper docuit indigere liberum arbitrium divinâ motione, nec poſſe abſque illâ operari. Et tandem *1. p. q. 23. art. 5.* expreſsè condemnat liberum arbitrium eſſe cauſam partialem. Nàm damnat eos, qui diſtinguebant inter id quod eſt ex libero arbitrio, & id quod eſt ex gratiâ: *quaſi*, inquit S. Doctor, *quòd omne id quo homo ordinatur in beatitudinem & ſalutem, eſt effectus prædeſtinationis; ſed quòd homo conſentiat, ordinat hominem in ſalutem æternam: ergò habetur ex prædeſtinatione & gratiâ, & non præcisè ex libero arbitrio ut diſtincto à gratiâ.*

Ultimò loco induxit Concilium Tridentinum *Seſſ. 6. can. 4.*, in quo volebat fundare illas cauſas partiales; ità quòd liberum arbitrium à Deo motum & excitatum, ſicut à cauſâ partiali, poſſit diſſentire ſi velit illo ſuo alio influxu partiali independente à gratiâ. Sed omitto, dixit F. Thomas de Lemos, Concilia octo, quæ apertè damnant ſententiam iſtam, & Summos Pontifices etiam octo. 1m. Concilium fuit illud Palæſtinum contrà Pelagium celebratum, & alia quinque Africana, relata à S. Auguſtino *Epiſt. 48.* a. 7m. Fuit Concilium magnum Epheſinum, in quo damnato Neſtorio, qui negabat Chriſti Domini Divinitatem, damnati fuerunt Pelagius, Celeſtius, & Julianus qui negabant Chriſti Domini gratiam; ut refert Epiſtola ejuſdem Concilij ad Cæleſtinum I. Pontificem Summum; qui etiam Cæleſtinus in epiſtolâ ad Neſtorium dixerat: b *Quid tibi cum Pelagio? Nunquàm ſine ſuſpicione iſta connectuntur.* Quod dictum Pontificis Summi explicat S. Proſper *Lib. contrà Collator. cap. 41.* c dicens: eſſe confœderatos errores, negare Chriſti gratiam, & negare ipſius divinitatem. 8m. Fuit Concilium Arauſicanum II., quod 25. Canonibus ſententiam iſtam damnat. Omitto etiam Felicis recordationis Innocentium I., Zozimum, Bonifacium I., Cæleſtinum I., Leonem I., Hormiſdam, atque Gelaſium. Qui Gelaſius *in epiſt. adverſ. Pelag. hæreſ.* d quæ eſt epiſtola 6a. inter Decretales illius, ſic incipit: *De Pelagianis quidem ſenſibus, blaſphemiiſque ſacrilegis, & apud Majores noſtros tàm divinis quàm humanis legibus juſtâ diſcuſſione damnatis, nimis eſt copioſa materia; quià illorum eſt multiplex pernicioſa perverſitas: eóque nocentior, quò veriſimilitudinis colore ſubtilior, quam de ipſius humani generis principe; pravo funeſtoque commento; non ritè conceptam rerum conſequentium mendaciis texuerunt.* Sic Molina texuit ſuam Concordiam.

Relictis, inquam, iſtis antiquioribus Conciliis, venio jàm ad Concilium Tridentinum. Quod adeò clarè Molinæ ſententiam damnat, ut vel hoc ſufficiat. Concilium nàmque Tridentinum *Seſſ. 6. can. 1.* damnat hæreſim Pelagianam: quòd, videlicèt, homo, per opera naturæ viribus facta, juſtificetur. In ſecundo autem damnat, gratiam ſolùm requiri ad faciliùs. In tertio verò conſtituit neceſſarium auxilium divinum ad credendum, ſperandum, & pœnitendum pròut ad ſalutem oportet, non ſolùm

a *Mendum eſt in Mss. nihil tale legitur in epiſt. 48. ſed in epiſt. 90. nunc 175. tom. 2. col. 617. &c.*

b *In collect. Labb. tom. 3. col. 361. initio.*

c *In App. tom. 10. Op. S. Auguſt. cap. 21. n. 58. col. 196.*

d *In collect. Concill. à Labb. tom. 4. col. 1240.*

 inſpirationem;

inſpirationem, ſed etiam auxilium, inquam, divinum tenens ſe ex parte gratiæ prævenientis. Quod adjutorium verè faciat hominem conſentire in actum pium & ſanctum. Et hoc adjutorium ſuprà excitationem docuit eſſe neceſſarium *in cap. 5. illius Seſſ. 6.* docens, gratiam prævenientem utrumque includere & excitationem & adjutorium. Poſtquàm autem Concilium Sacrum definivit contrà Pelagianos in illis tribus regulis fidei veritatem Catholicam, & docuit non ſolùm excitationem eſſe gratiam prævenientem, ut Molina conſtituit, inſuper requirit Concilium gratiam verè & propriè adjuvantem, & facientem nos facere: ſtatìm *in can. 4.* damnat hæreſim Lutheranorum & Calviniſtarum, qui malè ex adjutorio efficaci prævenientis gratiæ, inferebant tolli libertatem. Et hanc peſſimam illationem damnat, cùm dicit: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium, à Deo motum & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendum juſtificationis gratiam ſe diſponat & præparet; neque poſſe diſſentire ſi velit; ſed velùt inanime quoddam nihil omninò agere, merèque paſſivè ſe habere: anathema ſit.* A Deo, inquam, motum & excitatum, id eſt, verè ac propriè & efficaciter motum & excitatum. Molina enìm admittit liberum hominis arbitrium eſſe à Deo excitatum, non verò propriè & verè motum; quià aliàs tolleretur libertas. Contrà hanc autem ejus illationem definivit Concilium: quòd ſi quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum non cooperari liberè, nec poſſe diſſentire ſi velit, anathema ſit. Hæc eſt definitio Concilij, & hæc propria ejus intentio. Propterreà enìm priùs contrà Pelagianos ſtatuit efficaciam divinæ gratiæ prævenientis, ut poſteà damnaret illationem peſſimam hæreticorum hujus temporis, qui ex illâ efficaciâ præveniente contendebant tolli libertatem. Videant jàm ergò PP. Societatis, ſi conſtituant hanc ſuam fundamentalem conſequentiam: ſi datur adjutorium præveniens efficax, tollitur libertas. Et videbunt illam in terminis damnatam à Concilio Tridentino. Et iſta pauca modò ſufficiant de interpretatione & intelligentiâ Concilij. Nàm ſi Veſtra Sanctitas præceperit, per duas vel tres Congregationes agemus de verâ intelligentiâ Concilij.

Tunc P. Vaſtida volens reſpondere, ità turbatus eſt, ut vix ejus vox audiretur; quià ferè faucibus adhærebat. Nec potuit ex omnibus dictis aliquid impugnare: niſi dicendo, quòd FF. Prædicatores ex eo quòd Concilium aſſerit dari adjutorium, inferunt illud eſſe adjutorium efficax, præveniens, prædeterminans. Quod tamen Concilium non docet.

Tunc F. Thomas dixit: Molina negat omne auxilium efficax prævenientis gratiæ quod ſit efficax ex Deo ipſo, & etiam divinam gratiam applicare hominis voluntatem ad conſenſum, & illam determinare, ſeu prædeterminare.

Tunc P. Vaſtida dixit: quòd ideò ipſi negabant hanc gratiam prædeterminantem; quià in Libris FF. Prædicatorum inveniebant comparari liberum arbitrium inanimi & mortuo, ſicut P. Regens a dicebat ſuprà Iſaïam: ubì comparabat liberum arbitrium baculo, & non arbori; quià baculus non habet in ſe virtutem niſi moveatur. At verò arbor in ſe virtutem habet.

a *Alvarez.*

Ad quod P. Regens dixit: ut legeret ulteriùs. Quod cùm nollet, P. Regens dixit: quòd ſtatìm infrà appoſuit, illam ſimilitudinem in omnibus non tenere, ſed ſolùm quantùm ad hoc quòd ſicut baculus non agit, niſi priùs moveatur; ità liberum arbitrium niſi moveatur à Deo, non ſe movet. At verò poſtquàm eſt à Deo motum, ſeipſum liberè movet. Et addidit: quòd ſi in ipſo reprehẽdunt hoc exemplum de baculo, reprehendant etiam Iſaïam b, qui illud adhibet exemplum. Reprehendant etiam Jeremiam c, qui hominem Deo comparat ut lutum.

b *Iſ. 10. 5.*
c *Jerem. 18. 6.*

Reprehendant

a Rom. 9. 21.

Reprehendant etiam Apoſtolum a, ad Romanos idem dicentem. Et ſubdidit P. Alvarez: quòd volunt PP. Societatis hominem eſſe primum liberum, nec moveri à Deo, ſed à ſeipſo moveri. Quod S. Thomas *in 2m. diſt. 27. art. 2.* dicit eſſe proximum duplici errori, Pelagianorum, videlicet, & Manichæorum conſtituentium duplex primum principium.

Tunc P. Salas, neſcio quæ protulit dicens: quòd jàm contrà F. Thomam de Lemos non ageret, qui admittebat activitatem arbitrij; ſed contrà Bannez, qui comparabat arbitrium reſpectu operationum ſupernaturaliũ, aquæ calidæ ad calefaciendum. Dixit etiam: quòd aliqui dicebant liberum arbitrium eſſe inſtrumentum reſpectu operationum ſupernaturalium; ſicut Franciſcus Suarez. Dixit præterea: quòd relinquebat, an Fauſtus eſſet damnatus per Gelaſium, aut Fauſtinus. Dixit prætereà: quòd F. Thomas multa imponebat Molinæ, quæ ipſe non dixerat. Et quædam ſimilia abſque ordine protulit.

Quià autem valdè erat ſerò, & omnes deſiderabant ut jàm finiretur Congregatio, omiſſis aliis, quià nullam poſtulabant reſponſionem, reſpondit F. Thomas: Iſte P. non vidit Molinam. Undè præter quinque loca modò adducta & relata in conſpectu Sanctitatis Veſtræ, nec iterùm repetenda, oſtendo alia duo, ubi Molina apertiùs loquitur. Et legit §m. *poſtremò ex q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 11.* b, ubi apertè affirmat: *quòd ex duobus hominibus æqualiter ad fidem vocatis, quòd unus convertatur & non alius, non aliundè fuit, niſi quià ille pro innatâ libertate noluit uti libero arbitrio, alter verò maximè. Non aliundè* aït. Quod verbum deſumpſit ex Pelagio Epiſt. ad Demetriadem. Refert enim S. Auguſtinus in epiſt. 143. c ad Julianam Demetriadis Virginis matrem; in quâ informat virginem illam adversùs epiſtolam quam ei miſerat Pelagius; in quâ & Pelagius dixerat: *Spirituales divitiæ, niſi in te, & ex te eſſe non poſſunt.* Circà quæ verba aït S. Auguſtinus: *utiquè quod dictum eſt: non poſſunt eſſe iſta bona niſi in te; optimè & veriſſimè dictum eſt; iſte planè cibus eſt. Quod verò aït: nonniſi ex te; hoc omninò virus eſt......* d *Dei dona ſunt, & veſtra quidem ſunt, ſed non ex vobis..... Nec miremini, quià dicimus & veſtra eſſe, & ex vobis non eſſe. Nàm & panem quotidianum dicimus noſtrum, ſed tamen addimus, da nobis, ne putetur eſſe ex nobis.* Quod itaque Pelagius dixit: *nonniſi ex te ſunt;* hoc idem aït Molina. *Non aliundè eſt*, inquit, *niſi ex noſtrâ* innatâ libertate.

b Pag. 371. col. 2.

c Tom. 2. nunc 188. num. 5. col. 694.

d Ibidem. num. 6.

Alius locus Molinæ eſt *ex q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 7. §. ad confirmationem.* e quem ibi legit. In quo Molina diſtinguit in actione liberi arbitrij, rationem influxûs, & rationem actionis. At in quantùm influxus eſt, dicit non eſſe à Deo, ſed ſolùm ab humanâ libertate. Et adducit exemplum de attributis.

e Pag. 339. col. 2.

Quem cùm legiſſet, dixit P. Salas; contrà te.

Cui F. Thomas: legatur attentè locus iſte Molinæ, in quo ipſe ſe manifeſtè declarat: quòd influxus voluntatis, ut influxus, nullo modo eſt à Deo; licèt, ut actio, ſit à Deo.

Poſt hæc quædam nullius momenti protulit Vaſtida, quæ nec oportet memorari. Et ſtatìm finita fuit Congregatio, poſtquàm duraſſet per quatuor horas & ampliùs.

CONGREG.

Habita eſt coràm Sanctiſſimo 25. Novembris. die S. Catharinæ præſentibus omnibus Cardinalibus, (Burgheſio duntaxàt excepto) omnibuſque Conſultoribus.

Lemos & Alvarez ſtabant pro FF. Prædicatoribus. Vaſtida & Salas pro Jeſuitis.

CONGREGATIO VIGESIMA SECUNDA CORAM CLEMENTE VIII.

In quâ quæſitum eſt, an ſit expreſſa S. Auguſtini doctrina, vel ex illo colligi poſſit liberum arbitrium ex ſe, ſeparatìm à gratiâ, nihil habere à Deo niſi poſſibilitatem illam quam Deus illi tribuit ab initio? An hoc potiùs conveniat cum Pelagio, præſertìm loco relato à S. Auguſtino, Lib. de grat. Chriſti cap. 3. & ſeqq.?

Vide Hiſt. Congr. de Auxil. l. 3. cap. 27. col. 488. & ſeqq.

ACTUM fuit in hâc Congregatione de illâ Propoſitione Sanctiſſimi: *An quòd liberum arbitrium conſideratum ex ſe, ſeparatìm à gratiâ, nihil habeat à Deo niſi poſſibilitatem illam, quam Deus tribuit initio libero arbitrio, ſit ex ſententiâ expreſſâ S. Auguſtini, aut ex illo colligi poſſit? An potiùs conveniat cum Pelagio præſertìm loco relato ab Auguſtino, Libro de gratiâ Chriſti capite 3. & ſequentibus?*

Cùm autem iſta propoſitio pendeat ex illâ quam Molina conſtituit; gratiam, videlicèt, & liberum arbitrium eſſe duas cauſas partiales: & P. Vaſtida in præcedenti Congregatione illas duas ſeparaſſet, modò in hâc Congregatione illas voluit conjungere, & à cauſis partialibus incipiens, hæc primò omnium circà Dubij titulum prænotavit: duplicem poſſe ſenſum facere illud verbum *ab initio*. I°. ità quòd homo modò concurrens ſuo concurſu partiali, habeat illam facultatem, ſicut ab initio Deus illam primo Parenti dedit ante ipſius peccatum. Et in iſto ſenſu id aſſerere, eſſet manifeſtè Pelagianum; quià conſtitueretur liberum arbitrium non læſum peccato. IIus. ſenſus, ut intelligatur, quòd homo habeat, nunc concurrens ſuo influxu partiali, eandem facultatèm naturæ, quam à principio in ſuâ creatione quilibet accepit. Et in hoc ſenſu videtur procedere Dubium.

II°. dicebat tripliciter poſſe intelligi duas cauſas partiales poſſe concurrere ad eundem actum perficiendum, vel ad aliquid faciendum. Uno modo, itàut una in ſuo influxu & virtute nullo modo dependeat ab aliâ, nec è converſo; ſicut conjunguntur duo homines ad portandum pondus. Secundo modo duæ cauſæ partiales conjunguntur ad idem faciendum, ità tamen ut altera habeat virtutem ad faciendum ab aliâ; ſicut ſi pater & filius conjungerentur ad idem aliquid faciendum. Nàm filius accepit à patre naturam, per quam ſic concurrit. Tertio modo duæ cauſæ partiales conjunguntur ad idem faciendum, ità tamen ut altera ab alterâ impellatur ad id agendum.

Hoc ſuppoſito P. Vaſtida duas ſtatuit Concluſiones. 1a. Quâ Catholicus, qui affirmaret liberum arbitrium concurrere ſimul cum gratiâ partialiter, ſivè primo, ſivè ſecundo tantùm modo, conveniret ex parte cum Pelagio. 2a. Concluſio: qui autem aſſereret liberum arbitrium & gratiam eſſe cauſas partiales illo tertio modo; itàut liberum arbitrium impellatur & moveatur

à

Digitized by Google

à gratiâ, non conveniret cum Pelagio. Et in iſto ſenſu affirmabat procedere Molinam in ſuâ ſententiâ.

Deindè dicebat ſuam ſententiam conſiſtere in his quatuor. 1°. Quòd Deus antequàm aliquid determinet, præſcit cum quibus auxiliis homo erit conſenſurus, & cum quibus non conſentiet. Deindè 2°. volens iſtum hominem convertere, ſtatuit ex ſuâ æternitate dare illi illa auxilia cùm quibus præſcit illum conſenſurum. Deindè 3°. in tempore eadem auxilia illi tribuit. Ac tandem 4°. cum illo ſimul coefficit, & cooperatur. Hanc ſæpiùs repetebat eſſe illorum ſententiam.

Poſtremò ad Molinam veniens; dicebat: ipſum ſeptem apertè affirmare, quibus veram gratiam fatebatur adjuvare liberum hominis arbitrium, in illo ſuo partiali influxu. 1°. Nàmque aſſerebat Molinam dicere: in nullo poſſe hominem gloriari tanquàm ex ſeipſo, ſed gloriandum eſſe in Deo. Et ad hoc legebat duo vel tria loca, quibus videbatur hoc affirmare. 2°. Dicebat Molinam aſſerere: quòd illa actio liberi arbitrij, quâ conſentiebat gratiæ excitanti, etiàm ut præcisè eſt à libero arbitrio, erat à gratiâ, & gratiæ tribuebatur; & quòd nulla entitas, nullavè formalitas erat in illâ, quæ non eſſet ſupernaturalis & à gratiâ. Ad quod oſtendendum alia loca Molinæ legebat. 3°. Dicebat Molinam aſſerere: Deum talia auxilia dare hominibus, quos volebat convertere, qualia judicabat & cognoſcebat eſſe neceſſaria ut converterentur. Et ſimiliter circà hoc quædam etiam Molinæ loca legebat. 4°. Dicebat Molinam affirmare: auxilia gratiæ prævenientis dare vires voluntati, confortare illam, corrobare & potentem reddere ad operandum. Pro hoc ſimiliter alia legebat loca in Molinâ. 5°. Dicebat Molinam affirmare: auxilia prævenientis gratiæ adjuvare hominis voluntatem. Et ſimiliter quædam loca ad hoc oſtendebat in Molinâ. 6°. Dicebat Molinam dicere: gratiam prævenientem, ſivè Deum per illam facere ut faciamus. Et ad hoc quædam loca in Molinâ oſtendebat. 7°. Tandem dicebat Molinam aſſerere: gratiam prævenientem eſſe inſtrumentum divinæ voluntatis, quæ cooperabatur ſimul cum homine.

Ex his omnibus concludebat P. Vaſtida: quòd cùm Molina iſta omnia expreſsè dicat, nullò modo conveniebat cum Pelagio, qui omnem gratiam internam negavit. Similiter non conveniebat cum Pelagio; nàm licèt Molina dicat non aliter actum conſentiendi tribui Deo, niſi quatenùs naturam dedit; in eodem loco ſtatim dicebat: quòd etiam tribuebatur ille actus Deo excitanti, prævenienti, & moventi per divinam gratiam, & cooperanti. Undè nullo modo cum Pelagio conveniebat.

Hæc in ſubſtantiâ videtur dixiſſe. Quòd ſi aliud protulit, non recordor. Unum tamen addidit, ad explicandum quod Molina dicebat: Deum per ſuam gratiam facere ut faciamus; quòd, videlicèt, dat auxilia in tali occaſione, quâ ſcit hominem conſenſurum. Ad hoc, inquam, explicandum adhibuit exemplum de medico. Si enìm, aiebat, eſſet peritus quidam medicus, qui ſciens hoc medicamentum ſanaturum infirmum, illud illi applicaret; quis dubitat, quòd tunc verè diceretur ille medicus illum hominem ſanare? Et verè diceretur, quòd facit ut ille homo ſanetur. Si ergò homo eſt infirmus, Deus autem medicus, qui dat auxilia, quibus ſcit hominem ſanandum, tunc verè dicitur facere ut homo ſanetur.

Ultimò concludebat P. Vaſtida: Molinam, ac ipſos, ſolùm negare gratiam illam phyſicam, gratiam prædeterminantem. Quòd ſi eſt error Pelagij, fatebantur ſe materialiter tenuiſſe Pelagij errorem. Et quædam ſimilia proferebat.

Tunc Frater Thomas ſic incepit: Beatissime Pater, ad cujus pedes, quæcunque dixero, humiliter ſuppono; ſatis ex præcedentibus Congregationibus videtur manifeſtum,

Digitized by Google

Molinæ ſententiam non eſſe ſententiam S. Auguſtini, ſed illi potiùs vehementer contrariam. Satis etiam videtur oſtenſum doctrinam Molinæ ipſiſſimam eſſe Caſſiani damnatam ſententiam. Et quamvìs ex convenientiâ cum Caſſiano per S. Auguſtinum Libro de prædeſtinatione Sanctorum,& per ſanctum Proſperum Libro contrà Collatorem, aperta convenientia convincatur cum Pelagio; ad abundantiorem tamen hujus veritatis manifeſtationem, jàm nunc juxtà tenorem Dubij à Sanctitate Veſtrâ propoſiti, hoc ipſum eſt apertiùs manifeſtandum, & aperiendum Molinam cum ipſo Pelagio convenire, non ſolùm in parte, ſed in totali dogmate. Quod ut apertiùs conſtet, referam priùs Pelagij ſententiam, relatam à S. Auguſtino *Lib. de grat. Chriſti*, in quo ex profeſſo illam manifeſtat. Deindè ſubjungam & Molinæ ſententiam; ut ex collatione utriuſque, utriuſque eandem eſſe ſententiam vel ipſa ipſorum verba ſatìs manifeſtè convincant.

Circà primum: notiſſimum eſt Pelagium illa tria diſtinxiſſe, poſſibilitatem, voluntatem, & actionem, id eſt, poſſe, velle, & eſſe. Similiter, notiſſimum eſt ipſum dixiſſe, *poſſe* eſſe à Deo, *velle* autem & *operari* à nobis. Ut S. Auguſtinus dicit *Lib. de grat. Chriſti cap. 3.* a Et hoc eſt primum quod Pelagius dicebat. Secundò affirmabat Pelagius, nè nihil de gratiâ dixiſſe videretur, illam naturæ poſſibilitatem adjuvari divino gratiæ dono. Hoc conſtat ex ſancto Auguſtino *Lib. prædicto de grat. Chriſti cap. 3.* b his verbis: *Deniquè gratiâ Dei, non iſta duo, quæ noſtra omninò vult eſſe, id eſt, voluntatem & actionem, ſed illam quæ in poteſtate noſtrâ non eſt, & nobis ex Deo eſt, id eſt, poſſibilitatem, perhibet adjuvari; tanquàm illa quæ noſtra ſunt, hoc eſt, voluntas & actio, tàm ſint valentia ad declinandum à malo, & faciendum bonum, ut divino adjutorio non indigeant: illud verò quod nobis ex Deo eſt, hoc ſit invalidum, id eſt, poſſibilitas; ut ſemper gratiæ adjuvetur auxilio.* Et *cap. 6.* c hoc modo: *Sed nè nihil de gratiâ dixiſſe videretur, adjunxit: quique iſtam poſſibilitatem gratiæ ſemper adjuvat auxilio; non aït, ipſam voluntatem, vel ipſam operationem: quod ſi diceret, non abhorrere à doctrinâ Apoſtolicâ videretur: ſed aït, ipſam poſſibilitatem, illud, videlicèt, ex tribus quod in naturâ locavit; gratiæ ſuæ ſemper adjuvat auxilio.* Et paulò inferiùs: d *hanc autem naturalem poſſibilitatem, quod adjuvari Dei gratia confitetur &c.*

Tertiò affirmabat Pelagius; hoc gratiæ donum, quo perhibebat adjuvari naturæ poſſibilitatem, non eſſe ſolam exteriorem legem ſeu prædicationem, ſed aliquid internum. Verbà enìm ipſius Pelagij ſunt relata à S. Auguſtino *cap. 7. ejuſd. Lib.* e Aït enìm Pelagius: *quam*, ſcilicèt gratiam, *nos non, ut tu putas, in lege tantummodò, ſed & in Dei eſſe adjutorio confitemur.* contrà quæ verba ſanctus Auguſtinus: *Quis non hìc deſideret, ut oſtendat, quam velit intelligi gratiam? Propter hoc enìm maximè de illo exſpectare debemus, ut dicat hoc quod dicit, non in lege tantummodò ſe gratiam confiteri. Sed nobis hâc exſpectatione ſuſpenſis, quid addiderit intuemini: adjuvat enim nos, inquit, Deus per doctrinam & revelationem ſuam, dùm cordis noſtri oculos aperit; dùm nobis, nè præſentibus occupemur, futura demonſtrat; dùm Diaboli pandit inſidias; dùm nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cæleſtis illuminat.* Et itèm *cap. 10.* f refert S. Auguſtinus ſic de Pelagio. *Et alio quippè loco, cùm diù aſſeruiſſet, non adjutorio Dei, ſed ex nobis ipſis in nobis effici voluntatem bonam, oppoſuit ſibi ex Apoſtoli epiſtolâ quæſtionem, atque aït: & quomodò, inquit, ſtabit illud Apoſtoli:* g *Deus eſt enìm qui operatur in vobis & velle & perficere? Deniquè ut hanc oppoſitionem veluti ſolveret, quam videbat dogmati ſuo vehementer eſſe contrariam, ſecutus adjunxit: operatur in nobis velle quod bonum eſt, velle quod ſanctum eſt, dùm nos terrenis cupiditatibus deditos, & mutorum more animalium, tantummodò præſentia*

a *Tom. 10. n. 4. col. 231.*

b *Ibidem.*

c *Num. 7. col. 233.*

d *Ibid. n. 8.*

e *Ibidem.*

f *Ibid. num. 11. col. 235.*

g *Philipp. 2. 13.*

Digitized by Google

præſentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione ſuccendit, dùm revelatione ſapientiæ in deſiderium Dei ſtupentem excitat voluntatem, dùm nobis, (quod tu alibì negare non metuis) ſuadet omne quod bonum eſt. Quibus locis internas à Deo immiſſas revelationes admittebat, noſtram voluntatem, ſcilicèt, excitantes.

Et expreſſiùs has internas revelationes excitantes à Deo immiſſas, quas ipſe vocabat adjutorium gratiæ, admiſit Pelagius relatus à S. Auguſtino *cap. 13.* a illis verbis: *Hac gratia, ſi doctrina dicenda eſt, certè ſic dicatur, ut altiùs & interiùs eam Deus cum ineffabili ſuavitate credatur infundere, non ſolùm per eos qui plantant & rigant extrinſecùs, ſed etiam per ſeipſum, qui incrementum ſuum miniſtrat occultus; itàut non oſtendat tantummodò veritatem, verùm etiam impertiat charitatem.* Et *in cap. 24.* b iterùm ait S. Auguſtinus: *legant ergò & intelligant, intueantur atque fateantur non lege atque doctrinâ inſonante forinſecùs, ſed internâ atque occultâ, mirabili ac ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum, non ſolùm veras revelationes, ſed & bonas voluntates.*

a Tom. 10. n. 14. col. 226.

b Ibid. n. 25. col. 241

Ecce Pelagius admittebat veras revelationes. Sed Auguſtinus poſtulabat, ut fateretur Deum immutare voluntates, & ipſas bonas cauſare. Verum eſt, Auguſtinum ſemper concludere, quòd per has internas revelationes & excitationes Pelagius non recedebat à lege atque doctrinâ, quià, videlicèt, nihil aliud faciunt, niſi quod faceret lex atque doctrina. Et ratio hujus eſt: quià ſicut datur lex & prædicatio exterior, ſivè exterior ſuaſio, etiam dari poteſt interior doctrina illuminans & revelans tantùm, ſivè ſuadens; & iſta interior excitatio ſivè revelatio, ſi nihil aliud facit interiùs ſe ſolâ, niſi quod poteſt facere exterior lex atque doctrina, profectò ipſa exercet officium legis atque doctrinæ; & ex conſequenti non recedit à lege atque doctrinâ, ſed potiùs ad illam reducitur, & generalitate legis atque doctrinæ comprehenditur.

Quartò dicebat Pelagius: hoc adjutorium internum quo adjuvabatur hominis naturalis poſſibilitas, non adjuvare actionem, videlicèt, non adjuvare ut velimus & operemur, ſed tantùm adjuvare ut poſſimus, & dare tantùm quoddam poſſe, non autem ipſum velle & operari. Et in hoc conſiſtit totum dogma Pelagij: quòd, videlicèt, admiſerit internum donum adjuvare ut poſſimus, non autem adjuvare efficaciter ut velimus. Undè S. Auguſtinus *in capite 5. libri prædicti,* c ſic dicit: *Ecce eſt totum dogma Pelagij in Libro ejus 3°. pro libero arbitrio, his omninò verbis diligenter expreſſum: quo tria iſta, unum quod eſt poſſe, alterum quod eſt velle, tertium quod eſt eſſe; id eſt, poſſibilitatem, voluntatem, & actionem, tantâ ſubtilitate curavit diſtinguere, ut quandocunque legimus vel audimus, divinæ gratiæ adjutorium confiteri, ut à malo declinemus, bonumque faciamus, ſivè in lege atque doctrinâ, ſivè ubilibèt conſtituat, ſciamus quod loquitur; nec erremus, aliter eum intelligendò quàm ſentit. Scire quippè debemus, quòd nec voluntatem noſtram, nec actionem divino adjuvari credit auxilio, ſed ſolam poſſibilitatem voluntatis atque operis, quam ſolam in his tribus nos habere affirmat ex Deo: tanquàm hoc ſit infirmum, quod Deus ipſe poſuit in naturâ; cætera verò duo, quæ noſtra eſſe voluit, ità ſint firma, & fortia, & ſibi ſufficientia, ut nullo ejus indigeant auxilio: & ideò non adjuvet ut velimus, non adjuvet ut agamus; ſed tantummodò adjuvet ut velle & agere valeamus.*

c Ibid. n. 6. col. 232.

Ubì illud advertendum: quòd Pelagius ſic relatus à ſancto Auguſtino, verbis quidem dicebat ſe admittere adjutorium gratiæ, ut recedamus à malo, & ut faciamus bonum; & tamen admonet Auguſtinus nè erremus, aliter eum intelligendo quàm ſentit; quià ſolum admittebat adjutorium gratiæ ut agere poſſimus, & ut operari valeamus.

Et *in fine hujus libri cap. 47.* d concludit omnem Pelagij doctrinam, & illam reducit S. Auguſtinus ad duo indiviſibilia

d Ibid. n. 52. col. 251.

Digitized by Google

diviſibilia puncta. Alterum eſt, Deum non adjuvare ut velimus; alterum, Deum adjuvare ut agere poſſimus. Sic enim dicit: *Quapropter quantùm attinet ad iſtam de divinâ gratiâ & adjutorio quæſtionem, tria iſta, quæ apertiſſimè diſtinxit, attendite: poſſe, velle, eſſe: id eſt, poſſibilitatem, voluntatem, actionem. Si ergò conſenſerit nobis, non ſolam poſſibilitatem in homine; etiamſi nec velit, nec agat benè, ſed ipſam quoque voluntatem & actionem, id eſt, ut benè velimus & benè agamus, quæ non ſunt in homine, niſi quandò benè vult & benè agit; ſi, ut dixi, conſenſerit, etiam ipſam voluntatem & actionem divinitùs adjuvari, & ſic adjuvari, ut ſine illo adjutorio nihil benè velimus & agamus, eamque eſſe gratiam Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, in quâ nos ſuâ non noſtrâ juſtitiâ juſtos facit, ut ea ſit noſtra vera juſtitia, quæ nobis ab illo eſt: nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantùm arbitror, inter nos controverſiæ relinquetur.* Ex quo manifeſtè conſtat, quòd potiſſimus error Pelagij fuit, negare adjutorium efficax ut velimus. Et aliud adjutorium, ut poſſimus, non negavit. Hoc ergò fuit totum dogma Pelagij.

Modò iſta eadem, eodem ordine quo relata ſunt à Pelagio, refero & probo ex Molinâ. Molina in primis conſtituit *poſſe*, *velle*, & *eſſe*; & *poſſe* tribuit Deo, *velle & eſſe* ipſi homini. Affirmat enim quòd conſenſus liberi arbitrij, quo conſentit gratiæ prævenienti, non aliter tribuitur Deo, niſi tantùm ſicut danti naturam & poſſibilitatem. Eſt clariùs dicere Deum ſolam dare illam naturæ poſſibilitatem, velle autem ipſum, & ipſum conſentire eſſe ex homine ipſo. Verba Molinæ ſunt: quòd influxus liberi arbitrij præcisè ut emanat ab unâ parte integræ cauſæ ſuæ, non aliter eſt à Deo, eâ præcisè conſideratione, niſi tanquàm naturæ ipſius liberique arbitrij authore, qui eam facultatem nobis contulit.

Sed Dubium à Veſtrâ Sanctitate propoſitum formaliùs idem proponit, dum dicit: *An quòd liberum arbitrium ex ſe conſideratum ſeparatìm à gratiâ, nihil habeat à Deo, niſi poſſibilitatem illam, quam tribuit ab initio libero arbitrio, ſit ex ſententiâ expreſsâ S. Auguſtini, aut potiùs conveniat cum Pelagio?* Idem omninò eſt: quòd influxus liberi arbitrij, ut præcisè ab ipſo emanat, non tribuatur aliter Deo, niſi ut danti poſſibilitatem & facultatem naturalem ad operandum, (quod dicit Molina) & quòd liberum arbitrium ex ſe ut diſtinctum à gratiâ, nihil habeat niſi facultatem illam quam Deus illi tribuit, quandò ipſum creavit; niſi quòd hoc ſecundum formaliùs & ſtrictiùs procedit, ſecundùm quod à Sanctitate Veſtrâ proponitur.

Igitur manifeſtum eſt Molinam ſentire, liberum arbitrium ad influendum in actum nihil aliud habere à Deo, niſi facultatem naturalem quam à Deo accepit, nec aliam motionem ſeu applicationem participare. Verba Molinæ hoc docentis habentur *q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 6.* Ubì poſtquàm conſtituit illam ſuam doctrinam *in §. certè non dubitarem* a, quòd, videlicèt, ab efficaciâ aut inefficaciâ gratiæ, non habet liberum arbitrium quòd conſentiat; ſtatìm *in §. poſt hoc noſtrum* b, opponit ſibi quòd ex doctrinâ ſuâ ſequatur, aliquid eſſe in juſtificatione quod non ſit à Deo, videlicèt, influxus ille liberi arbitrij. Et reſpondet *in §. ad primam harum* ℣. *ſi verò* c, quòd ille influxus, ut præcisè provenit à libero arbitrio, non aliter tribuitur Deo, niſi ut danti facultatem naturæ. Qui verſiculus ibi lectus fuit. Idem dicit §. *quandò audis, in fine*, ℣. *licèt enim* d. Idem dicit *in memb. 7.* § *ad ſecundum*, ℣. *ſi autem.* e Qui duo verſus ibidem lecti fuerunt.

a *Pag. 327. col. 1.*
b *Ibid. col. 2.*
c *Pag. 328. col. 2.*
d *Pag. 329. col. 2.*
e *Pag. 338. col. 1.*

Quòd ſi Molina dicit; quòd etiam liberum arbitrium Deus invitat, allicit, & excitat: nec in hoc à Pelagio, ut dictum eſt, diſtinguitur. Hoc enim nihil aliud eſt dicere, niſi quòd iſta poſſibilitas adjuvatur à dono gratiæ, ut dicebat Pelagius. Undè ſecundò dicebat Molina poſſibilitatem

naturæ

naturæ adjuvari à dono gratiæ illuminantis, excitantis, & invitantis.

Quià autem Molina conſtituit has revelationes & excitationes internas immiſſas à Deo; etiam in hoc tertio convenit cum Pelagio, qui, ut dictum eſt, admittebat eaſdem internas revelationes & excitationes: & tamen S. Auguſtinus aſſerit non recedere ipſum à lege atque doctrinâ. Sic contrà Molinam per eundem S. Auguſtinum manet concluſum, ipſum non recedere à lege atque doctrinâ.

In quarto etiam potiſſimè cùm Pelagio convenit Molina, videlicèt, quòd totum illud auxilium gratiæ, quo adjuvatur poſſibilitas noſtra; datur ut poſſimus, ſeu adjuvat ut poſſimus; non autem ut velimus & agamus, nè, videlicèt, lædatur liberum arbitrium. Hoc enim expreſsè dicit Molina *q. 14. art. 13. diſp. 29.* §. *in quo latiſſimum*, ℣. *etenim* a, ubì ſic dicit: *etenim auxilium particulare, quod præveniens gratia nuncupatur, motio quædam eſt; quâ liberum arbitrium excitatur & prævenitur, potenſque redditur.* Quod magìs declarans, ibì ſic ſtatìm ſubdit: *quarè motio quædam eſt in ipſam cauſam, ut, eâ mediante, in ſe habeat undè liberè exercere ulteriùs poſſit, ſi velit, ejuſmodi opera, qualia ſunt ad ſalutem neceſſaria.* Quid clariùs ipſum ſolùm admittere auxilium gratiæ ut poſſimus? ſi quidem id expreſsè & formaliter aſſerit. Certè ego non invenio Pelagium ità expreſsè conſtituiſſe adjutorium ad poſſe, vel ut poſſimus, ſicut Molina. Immò ipſe Pelagius dicebat, ut modò relatum eſt, ſe conſtituere auxilium ut declinemus à malo, & ut bonum faciamus. Et tamen S. Auguſtinus admonet, nè erremus, ipſum aliter intelligendo quàm ſentit; quià ſolùm admittebat tale adjutorium ut poſſimus. At verò Molina expreſſiùs formalibus verbis dicit: illud adjutorium adjuvare ut poſſimus, ſi nos voluerimus uti benè illâ poſſibilitate. Idem dicit ipſe Molina *in diſp. 40.* §. *tertiò aſſerueramus.* ℣. *ſicut enim habitus.* b Quem ibì legit F. Thomas, & in quo Molina planè dicit: quòd ſicut habitus inclinant potentias ad actus, & habiles illas reddunt; ſic gratia præveniens inclinat & habilem reddit potentiam; habilem, inquam, quaſi habitualiter; & tribuendo poſſibilitatem. Undè ſubdit: quòd ſicut quòd exiſtat ille influxus habitûs; pendet à libero arbitrio; quià habitibus utimur quandò volumus: ità gratiâ præveniente, tribuente illam poſſibilitatem, utimur benè quandò volumus.

a Pag. 124 col. 1.

b Pag. 163. col. 2.

Et modò intelligitur apertè id quod Molina dicit *in diſp. 8.* §. *ex dictis*, ℣. *expedit verò* c, in quo dicit: quòd poſtquàm homo habet jàm habitus ſupernaturales acquiſitos, nullâ aliâ indiget gratiâ præveniente vel excitante; quià illi habitus exercent officium gratiæ excitantis. Hoc enim ideò dicit, quià nullo modo admittit gratiam excitantem aliter adjuvare poſſibilitatem naturæ, niſi tantùm ut poſſimus, non autem ut velimus & agamus. Hoc ipſum dicit Molina, cùm aït: influxum Dei generalem eſſe indifferentem; & dare tantùm poſſibilitatem ad operandum vel non operandum, ad operandum hoc vel illud; itàut Deus tribuat ſolam illam poſſibilitatem: at verò velle & operari ſit ex nobis. Hoc ipſum intendit Molina, cum conſtituit illud ſuum fundamentale principium: quòd, videlicèt, vult Deus omnes homines ſalvos fieri, ſi tamen ipſi voluerint; itàut Deus det auxilia ſufficientia & adjuvantia ut poſſimus, velle autem & operari ſit ex nobis, qui pro innatâ noſtrâ libertate, quandò volumus, utimur benè illis auxiliis, & quandò volumus illa caſſa reddimus.

c Pag. 33. col. 2.

Hoc ipſum dicunt omnes PP. Societatis in omnibus ſuis Libris, quos ego viderim, & vidi aliquos. Omnes enim conſtituunt quoddam principium, in quo expreſsè dicunt ſolam poſſibilitatem eſſe ex Deo nobis tributam, velle autem & operari eſſe ex nobis. Nàm in materiâ de ſcientiâ Dei, de ejus voluntate, de providen-

 tiâ,

Digitized by Google

tiâ, de prædeſtinatione, de libero arbitrio, de juſtificatione, & gratiâ, agentes de omnium primâ radice contingentiæ actûs humani & liberi, dicunt: prima radix actûs liberi & contingentis eſt divina voluntas creans liberum hominis arbitrium & Angelorum. Itaque actus humanus & liber, non aliter reducitur in Deum ſicut in primam cauſam, niſi quatenùs ipſe creavit liberum hominis arbitrium, & quatenùs illam poſſibilitatem per creationem contulit hominibus. In quo principio dicunt apertiſſimè: Deum dare quidem per creationem hominibus poſſibilitatem & facultatem, cæterùm velle & operari non eſſe niſi ex nobis.

Et tandem conſideretur attentè tota Molinæ Concordia; nàm in ipsâ à principio uſque in finem nihil aliud intendit, niſi quòd Deus tribuit nobis, tàm pro actibus naturalibus, quàm pro ſupernaturalibus, facultatem ut poſſimus. At verò velle & operari, eſt noſtrum, & nonniſi ex nobis.

Ad objecta autem & excuſationes prætenſas dicendum eſt modò. R. P. primò diſtinxit tripliciter poſſe duas cauſas partialiter concurrere. 1°. Ità quòd nulla ab aliâ dependeret. 2°. Ità quòd altera accipiat virtutem ab aliâ: ſicut ſi Pater & Filius portarent lapidem, filius, qui eſt cauſa partialis, accepit à patre naturam & virtutem ad portandum. 3°. Ità quòd altera, præter hoc, alteram impellat. Deindè conſtituit Concluſiones duas. 1ª. quòd Catholicus qui diceret gratiam & liberum arbitrium eſſe cauſas partiales primo & ſecundo modo, conveniret ex parte cum Pelagio. Ex parte, inquam; quià Pelagius non admiſit gratiam cooperantem. 2ª. Concluſio ipſius fuit: quòd qui concederet gratiam & liberum arbitrium eſſe cauſas partiales tertio modo, nullâ ratione cum Pelagio conveniret. Et hoc modo affirmabat procedere Molinam. Ut autem oſtenderet Molinam conſtituere Deum & liberum arbitrium cauſas partiales hoc tertio modo, videlicèt, quòd gratia moveret & impelleret liberum arbitrium, dixit ſeptem affirmari à Molinâ. 1°. Quòd nihil eſt noſtrum in quo poſſimus gloriari tanquàm ex nobis. 2°. Quòd Molina dicebat illum influxum partialem ut præcisè provenit à libero arbitrio, eſſe tribuendum Deo. 3°. Quòd dicebat Deum dare talia auxilia, quibus ſciebat hominem perventurum ad vitam æternam. 4°. Quòd Molina conſtituebat adjutorium gratiæ dare vires, & corroborare liberum arbitrium, & reddere illud potens. 5°. Dicebat illam gratiam adjuvare ipſum liberum hominis arbitrium. 6°. Quòd dicebat illam gratiam facere nos facere. 7°. Quòd dicebat illam gratiam eſſe inſtrumentum quo Deus cooperabatur cum libero arbitrio hominis.

Sed ad iſta ſeptem una eademque ſolutio eſt, ex ſancto Auguſtino manifeſtè & in terminis deducta *L. de grat. Chriſti cap. 2.* a ubì hæc verba habet: *Scripſiſtis mihi, cum Pelagio vos egiſſe, ut quæcunque adverſùs eum dicerentur, ſcripto damnaret; eumque dixiſſe, audientibus vobis, anathema ei qui vel ſentit vel dicit, gratiam Dei quâ Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, non ſolùm per ſingulas horas, aut per ſingula momenta, ſed etiam per ſingulos actus noſtros, non eſſe neceſſariam: & qui hanc conantur auferre, pœnas ſortiuntur æternas. Quiſquis hæc audit, & ſenſum ejus ignorat, quem in Libris ſuis ſatis evidenter expreſſit, non illis quos dicit inemendatos ſibi fuiſſe ſubreptos, aut omninò ſuos negat, ſed in illis quos Litteris ſuis, quas Romam miſit, commemorat, omninò eum putat hoc ſentire, quod veritas habet. Quiſquis autem quid in eis apertiùs dicat advertit, debet habere etiam iſta verba ſuſpecta.*

a Tom. 10. col. 229.

Sic prorsùs eodem modo, quiſquis iſta ſeptem modò relata ex Molinâ audit, hoc putat eum ſentire quod veritas habet. Quiſquis autem quod in iſto Libro apertiùs dicat advertit, non ſolùm debet habere iſta verba ſuſpecta,

ſuſpecta, ſed expreſsè contrà veritatem procedentia. Dicit enim Molina in quodam loco modò relato, nihil habere hominem de quo poſſit gloriari: ſed quot in locis in ſuâ Concordiâ apertiſſimè dicit: hominem poſſe de illo ſuo influxu partiali gloriari? Quot in locis dicit: quòd ſi Deus efficaci ſuâ gratiâ præveniret hominum voluntates, nulla laus eſſet homini? Quot in locis dicit: ideò actum illum liberi arbitrij eſſe capacem meriti, virtutis, ac laudis, quià fit præcipuè ab innatâ hominis libertate?

Illud autem ſecundum, quo prætenditur ipſum dicere, illum hominis actum, quatenùs præcisè eſt à libero arbitrio, tribuendum eſſe Deo; manifeſta eſt concordia quam ipſe tribuit *q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 7. §. ad confirmationem* a, ubi diſtinguit de actione hominis, vel quatenùs actio, vel quatenùs influxus liberi arbitrij eſt. Et quatenùs actio, dicit quòd tribuitur Deo; quatenùs verò influxus liberi arbitrij præcisè, dicit quòd non tribuitur niſi libero arbitrio.

a Pag. 339. col. 2.

Quòd autem dicunt Molinam affirmare, gratiam movere liberum arbitrium, dare ei vires, & adjuvare: non aliter intelligitur, niſi adjuvare per illas internas revelationes & excitationes, quæ tantùm dant poſſe non diſtinctum à lege atque doctrinâ. Undè ipſe Molina expreſsè fatetur, quòd conſenſus hominis non eſt effectus ipſius gratiæ prævenientis. Sic enim apertè dicit *q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 10. §. undè quando, ℣. ſed nunc*; b qui ibi lectus eſt, ſimul *cum §°. ſequenti, quòd enim actus*; in quibus apertè hoc dicit Molina.

b Pag. 356. col. 2.

Poſteà prædictus P. dixit, ſuam ipſorum ſententiam, quam ſæpiùs ſuam nuncupavit, conſiſtere in quatuor. 1°. Dicunt ſe conſtituere ante omnem actum voluntatis divinæ ſcientiam quamdam in Deo, quâ Deus præſciat, quid liberum arbitrium pro ſuâ innatâ libertate facturum eſt, ſi talibus & talibus auxiliis præveniretur & vocaretur. Deindè 2°. quandò Deus vult hominem convertere, ſtatuit ei dare auxilia illa, cum quibus ſcivit illum conſenſurum. 3°. In tempore, ſicut ſtatuit, ità de facto tribuit homini auxilia talia, quibus ſcit hominem conſenſurum. Ac tandem 4°. cum illo operante cooperatur ipſe Deus. Quæ ſententia tota fundatur in illo pravo funeſtoque principio illius ſcientiæ mediæ, quâ Deus ponitur cognoſcere id quod liberum arbitrium per ſe facturum eſt, non quod ipſe Deus facturus eſt, ut liberum arbitrium faciat. Non dicunt Patres Societatis media quibus certiſſimè homo liberatur, eſſe prædefinita, prædeſtinata, ſeu præparata; ſed eſſe prævisa tantùm à Deo. Quod in ſummâ nihil eſt aliud quàm Deum dare *poſſe*, ſciendo quòd homo ex ſe benè utetur illo; & ſic ſciendo quòd *poſſe*, eſt ex Deo, *velle* autem & *operari*, ex homine.

Poſtremò dicunt iſti PP.: Molinam omnem aliam gratiam tenere & confiteri, præter ſolam gratiam prædeterminantem phyſicè; & affirmant: quòd ſi negare hanc gratiam prædeterminantem, eſt error Pelagij, ſe tenuiſſe materialiter Pelagij errorem. In hoc ergò apparebit neceſſitas hujus prædeterminationis; ſi quidem ipſimet fatentur: quòd ſolùm illam negant; & ex negatione illius Molina & qui ejus ſequuntur doctrinam, in tot inconvenientia ceciderunt, negantes efficaciam divinæ gratiæ, conſtituentes ſolùm illas invitationes & excitationes internas, quæ non recedunt à lege atque doctrinâ.

Et quidem prædeterminatio habetur æquivalenter, & quòad ſenſum, in omnibus ſacris Litteris. Immò Græca phraſis in omnibus locis, quibus Scriptura utitur verbo *prædeſtinationis*, utitur voce προορίζω quod idem eſt, ac prædetermino, præconſtituo, ſeu prædefinio. S. etiam Dionyſius, & alij Sancti utuntur expreſſo nomine prædeterminationis, & præcipuè S. Thomas. Itàut bonæ memoriæ Cardinalis Toletus *ſuper epiſt. ad Rom. cap.*

11.

11. annotat. 4. expreſsè fateatur ſententiam S. Auguſtini eſſe, Deum determinare donis ſuæ gratiæ hominis voluntatem ad bonum. Illuſtriſſimus etiam Cardinalis Bellarminus *Lib. 4. de grat. & lib. arb. cap. 16.* dicit: ſententiam S. Thomæ eſſe, quòd Deus prædeterminet hominis voluntatem ad actum. Si ergò ipſi Illuſtriſſimi Cardinales ex Societate fatentur prædeterminationem eſſe ſententiam SS. Auguſtini & Thomæ, hoc certè videretur ſufficere. Sed de prædeterminatione hæc pauca. Quòd ſi Sanctitas Veſtra præceperit, plura de illius neceſſitate dicam. Quibus dictis, finivit P. Lemos.

Et ſtatim P. Regens ſeu P. Alvarez dixit id quod jàm in alterâ Congregatione dixerat: videlicèt, P. Valentiam in 1ª. Congregatione conceſſiſſe Deum movere hominum voluntates phyſicè. Quod tamen PP. Societatis modò nolebant concedere; quià volebant hominem conſtituere primum liberum, & ſeipſum movere, & ſeipſum determinare ad actum, abſque Deo movente & determinante. Hæc in ſubſtantiâ dixit.

Statim autem P. Vaſtida dixit: quòd in tantùm P. Lemos volebat facere Molinam Pelagianum, quòd ipſum Pelagium conſtituebat poſuiſſe veram gratiam, tùm ex parte intellectûs, tùm voluntatis, dantem poſſe, & verè ſufficientem. Quod eſt, inquit, contrà Concilia Africana. Si enìm hanc gratiam dantem poſſe, conſtituit Pelagius, Concilia illi imponunt quòd illam negaverit. Et legit ibì aliquos canones ex Conciliis Africanis, quibus dicitur, illum non conſtituiſſe niſi naturam, & omnia naturæ tribuiſſe. Deindè dicebat quòd gratiam excitantem non admittebat Pelagius: quià Eccleſia & Concilia admittunt gratiam excitantem: ut patet ex Concilio Tridentino. Præterea circà prædeterminationem phyſicam dicebat: quòd Cardinalis Toletus affirmabat, Deum determinare voluntatem hominis ad bonum, ſecundùm S. Auguſtinum: non autem prædeterminare. Cardinalis etiam Bellarminus planè damnabat ſicut errorem iſtam prædeterminationem: undè non poterat illam admittere ex S. Thomâ. Tertiò affirmabat, Molinam non diſtinguere inter actionem & influxum, ut illi erat impoſitum. Dixit etiam quòd ſententia Molinæ, quâ dicebat, quòd quandò volumus, conſentimus, & quandò volumus caſſam reddimus gratiam, erat Concilij Tridentini. Si quidem in cap. 5. & can. 4. ſeſſ. 6. dicit, hominem poſſe diſſentire ſi velit. Immò audacter nimis dixit P. Vaſtida, ſententiam Molinæ eſſe de fide.

Poſtquàm longiſſimam ſuam perorationem finivit Vaſtida, dixit Pater Lemos: vellem quòd modò inciperet Congregatio. Cæterùm pauca ſub brevitate dicam. Et 1°. quòd Molina dicat, influxum liberi arbitrij non eſſe à Deo, eſſe tamen ab eo actionem, & quòd ità inter iſta diſtinguat; remitto me *ad §. ad confirmationem*, a *ſuprà citatum*. Similiter, quòd Cardinalis Bellarminus dicat, prædeterminationem eſſe ſententiam S. Thomæ, remitto me *ad Lib. 4. de grat. & lib. arb. cap. 16.* Quomodò autem poſteà hanc prædeterminationem damnet ut erroneam, planè non video. Unum ſcio; nempè Molinam *diſp. 26.* b planè fateri concurſum prævium in cauſam, eſſe S. Thomæ ſententiam. Et *diſp. 27.* c aſſerit illum prævium influxum eſſe fictitium & minimè neceſſarium. Et *in §. Adde*, d addit ipſe: per iſtas præmotiones & applicationes multùm præjudicari libertati. Ità contrà S. Thomam loquitur.

a *Pag. 339. col. 2.*
b *Pag. 110. col. 1. & 2.*
c *Pag. 114. & ſeq.*
d *Pag. 116. col. 1.*

Sed jàm venio ad ſubſtantiam. Iſte R. P. non contrà me arguit, ſed contrà S. Auguſtinum, qui, ut modò retuli, planè dicit Pelagium admiſiſſe gratiam ut poſſimus. Sæpiùs etiam dixit me aſſerere Pelagium conſtituiſſe veram gratiam; quod nullo modo eſt à me dictum, nec dici poteſt. Nullo enìm modo Pelagius admiſit veram gratiam; ſi enìm illam admiſiſſet, non damnaretur:

Digitized by Google

damnaretur: ſed admiſit tantùm revelationes internas quaſdam, & excitationes, quas ipſe falsò vocabat veram gratiam: ſed illæ non recedunt à lege atque doctrinâ. Undè Concilia antiqua Africana hâc ratione damnarunt Pelagium, quià veram gratiam non admittebat. Similiter veriſſimè dixerunt PP. Africani, illum omninò tribuere omnia libertati arbitrij; quià, ſi gratia nihil aliud facit quàm revelare & excitare, ipſum arbitrium eſt quod ex ſuâ facultate omnia operatur.

Tunc interrumpens Vaſtida inſtabat, ut in formâ ſuo reſponderetur argumento. Quià autem F. Thomas cognovit ipſum ſolùm ad interrumpendum id opponere, nolebat ei reſpondere, ſed proſequendo dicere. Tunc Sanctiſſimus dixit, ut illi ſatisfaceret. Proponens ergò Vaſtida, ſic confecit argumentum: Gratia ut poſſimus, eſt gratia ſufficiens; ſed gratia ſufficiens eſt vera gratia; ergò gratia ut poſſimus, quam admiſit Pelagius, eſt vera gratia.

Quod argumentum reſumens in formâ F. Thomas, dixit: diſtinguo majorem. Gratia ut poſſimus, quæ dat verum poſſe ſupernaturale, eſt gratia ſufficiens: Concedo. Quæ dat tantùm poſſe extrinſecum ex parte revelationis & excitationis: nego quòd ſit auxilium ſufficiens. Nàm auxilium ſufficiens vera eſt gratia dans verum poſſe; quam Pelagius non admiſit. Et iſta eſt intelligentia S. Auguſtini. Non enìm dicit Pelagium admiſiſſe gratiam dantem verum poſſe; ſed tantùm dicit admiſiſſe revelationes dantes poſſe quoddam extrinſecum, revelando & excitando arbitrium.

Tunc Vaſtida iterùm aït: illa gratia quæ dat poſſe, non poteſt eſſe lex neque doctrina; ſed Auguſtinus dicit, id quod admiſit Pelagius, non recedere à lege atque doctrinâ; quomodò ergò admiſit Pelagius gratiam dantem poſſe?

Tunc F. Thomas: & ad hoc reſpondeo, quòd illud poſſe, quod ſanctus Auguſtinus attribuit Pelagio, illud, inquam, ipſe convincit recedere à lege atque doctrinâ; quià illud poſſe, quod admittebat Pelagius, eſt poſſe revelans tantùm & excitans; dans autem poſſe operari per revelationem & excitationem, non admittit verum poſſe ſupernaturale, nec ex conſequenti admittit verum auxilium ſufficiens. Undè, quod eſt valdè notandum, Molina cùm ſolùm admittat gratiam invitantem, ſuadentem, & excitantem, ſivè allicientem, ſicut de Pelagio dicitur, non admittit veram gratiam ſufficientem, verè dantem poſſe; ſed tantùm admittit id quod non recedit à lege atque doctrinâ.

Tunc tertiò inſtabat Vaſtida: quòd gratia ſufficiens eſt vera gratia.

Ad quod F. Thomas: jàm convictus es in primo & ſecundo, & etiam in hoc tertio convincêris, non per me, ſed per Dei gratiam. Et jàm non loquor tecum; ſed cum Sanctiſſimo Domino noſtro. SANCTISSIME PATER, gratia verè ſufficiens, quæ dat verum poſſe, etiamſi admiſſa fuiſſet à Pelagio, adhuc non admitteret veram gratiam Chriſti. Et hoc eſt quod S. Auguſtinus docet in prædicto libro, quem intitulavit *de gratiâ Chriſti*; quòd, videlicèt, illa eſt propria gratia Chriſti, quæ non ſolùm dat ut poſſimus, ſi velimus; ſed etiam dat ut velimus. Undè gratia ſufficiens, quæ verè dat ut poſſimus, licèt modò quibus datur ex meritis Chriſti Domini detur, tamen non eſt illa propria gratia Chriſti, quæ hominum corda convertit. Non eſt illa potentior gratia Chriſti, quæ facit ut velimus, & quâ Chriſtus diſcernit fideles ab infidelibus, juſtos à peccatoribus, & prædeſtinatos à reprobatis. Illa gratia ſufficiens, quæ tantùm dat poſſe, non recedit à gratiâ primæ conditionis. Hæc enìm in primo Parente, ut aït S. Auguſtinus, *Lib. de corrept. & grat. cap. 12.* a dabat poſſe, ſi homo vellet. At verò gratia Chriſti Redemptoris potentior eſt; quià etiam dat ut velimus. Hoc ergò concludit S. Auguſtinus Libro de gratiâ Chriſti contrà Pelagium; quòd

a *Tom. 10. n. 33. col. 768. & ſeqq.*

 quamlibèt

quamlibèt & quamcunque gratiam, & ubilibèt conſtituat, ſivè in intellectu, ſivè in voluntate, ſivè ubicunque velit, quæ tantùm daret ut poſſimus, illa non erat gratia Chriſti. Hæc enim dat ut velimus, dat ut agamus.

Similiter dicit iſte Pater: quòd gratia excitans, eſt verè gratia quam Eccleſia & Concilia commendant. Ad quod dicitur: ſæpè Eccleſiam poſtulare à Deo gratiam excitantem. V. G. *Excita, quæſumus Domine, tuorum fidelium voluntates &c.* At gratia excitans eſt duplex: altera inducens effectum, & iſta ſemper habet auxilium efficax, præveniens, adjunctum: alia verò eſt ſolùm excitans hominem, ut ipſe ſuis viribus operetur, ſicut ſi quis dormientem excitaret ut ipſe ex ſe ambularet. Illa prima gratia excitans petitur à Deo; non autem ſecunda, quæ non recedit à lege atque doctrinâ.

Sed jàm venio ad Concilium Tridentinum, cui P. Vaſtida manifeſtè imponit, quòd dicat, gratiam Dei talem eſſe, ut quandò velimus, conſentiamus, & quandò volumus, eam reſpuamus. Sed abſit hoc à Concilio.

Tunc dicebat Vaſtida, ſe id non dixiſſe.

At F. Thomas proſequens, aït: Inprimis Concilium Tridentinum *cap. 5.* dicit: exordium juſtificationis ſumendum eſſe à Dei per Jeſum Chriſtum gratiâ, id eſt, ab ejus vocatione. Et hanc vocationem & prævenientem gratiam exponens, dicit: illam includere excitantem & adjuvantem gratiam. At verò PP. Societatis dicunt: gratiam prævenientem eſſe tantùm excitantem, & allicientem, ſivè invitantem, non autem propriè adjuvantem. Similiter *in cap. 6.* dicit Concilium: quòd excitati, & adjuti diſponuntur. At verò PP. Societatis dicunt: quòd excitati non adjuti diſponuntur.

Mirandum eſt etiam, quòd Pater legendo *can. 1. ſeſſ. 6.* reliquerit ſecundum & tertium. Ibi enim inveniret damnatum integrè errorem Pelagij. In 1°. Canone damnatur 1us. error Pelagij: quòd videlicèt, homo per opera naturalia juſtificetur. Deindè in 2°. Canone damnatur error Pelagij conſtituentis & admittentis primam gratiam, ſed tantùm ad faciliùs. In 3°. autem damnatur, ſufficere inſpirationem ſine adjutorio; quam inſpirationem, ſeu revelationem, ſine adjutorio faciente facere, admittebat Pelagius in illis revelationibus & excitationibus modò relatis ex S. Auguſtino. Poſtquàm autem Concilium damnavit omnem errorem Pelagij, convertitur jàm ad damnandam hæreſim Lutheranorum, & Calviniſtarum, quæ erat iſta: quòd dabatur voluntas Dei efficax, & gratia efficax antecedens, & tollens hominum libertatem. Hunc errorem damnat Concilium, dicens *can. 4.* quòd liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, ità cooperatur, quòd poteſt diſſentire ſi velit. Et hoc eſt quod nos ſemper dicimus: nempè, quòd liberum arbitrium motum à Deo efficaciter, poteſt diſſentire, & quòd potentiam habet liberam ad diſſentiendum. At verò PP. Societatis contendunt: quòd ſi datur gratia præveniens efficax, tollitur libertas; & quòd homo non poſſet diſſentire. Dicunt enim: ut ſalvetur libertas, quòd aliquandò quandò homo vult, conſentit illi gratiæ, reddendo illam efficacem; & quandò vult diſſentit, illam caſſam reddendo. Et ſic intelligunt Concilium, ut tamen omninò contrarium dicat; quòd, videlicèt, homo motus, adjutus, & excitatus efficaci gratiâ poteſt diſſentire, ſi velit; & tamen ipſa gratia efficax facit, cùm poſſit velle diſſentire, quòd non velit, ſed quòd liberè conſentiat. Non enim, aït S. Auguſtinus, eſt homo bonus ſi nolit; ſed gratia Dei ad hoc adjuvat ut velit, ſecundùm illud: a *qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus*: quià, licèt poſſet tranſgredi, & ad hoc liberam haberet potentiam; tamen gratia Dei facit, ut non tranſgrediatur. Undè quandò Deus dat alicui adjutorium efficax gratiæ, ità illa gratia illum illuminat,

a Eccliſi. 31. 10.

luminat, ut homo ſciat ſe poſſe diſſentire ſi velit; ſed liberè vult non diſſentire.

Tunc Sanctiſſimus dixit: *Quarè non dicis illud de Beato Petro Apoſtolo, pro quo oravit Chriſtus?*

Tunc F. Thomas genu flexo, dixit: PATER SANCTISSIME ob brevitatem multa omitto. Eſt autem locus iſte apud S. Auguſtinum *l. de corrept. & grat. cap. 8.* a: *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua* b. *An audebis dicere etiam rogante Chriſto, nè deficeret fides Petri, defecturam fuiſſe, ſi Petrus eam deficere voluiſſet, hoc eſt, ſi eam in finem perſeverare noluiſſet? Quaſi aliud Petrus ullo modo vellet, quàm pro illo Chriſtus rogaſſet ut vellet? Nàm quis ignorat, tunc fuiſſe perituram fidem Petri, ſi ea quâ fidelis erat voluntas ipſa deficeret: & permanſuram, ſi eadem voluntas permaneret? Sed quià præparatur voluntas à Domino; ideò pro illo Chriſti non poſſet eſſe inanis oratio. Quandò ergò rogavit, nè fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, niſi ut haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, invictiſſimam, perſeverantiſſimam voluntatem?* Itaque hæc conditionalis eſt vera; etiam ſuppoſitâ efficaci oratione Chriſti: ſi Petrus nollet credere; non crederet; ſed hoc fecit efficacia; ut vellet credere, & in fide perſeverare. Hoc dicto finita fuit Congregatio, cùm duraſſet circiter per quatuor horas.

a *Tom. 10. n. 17. col. 759.*
b *Luc. 22. 32.*

CONGREGATIO VIGESIMA TERTIA CORAM CLEMENTE VIII.

Habita eſt coràm Sanctiſſimo 8. Decembris, die, videlicèt, Conceptionis Virginis anni 1603. præſentibus omnibus Cardinalib⁹ memoratis, & Conſultoribus.

In quâ diſceptatum de actuum ex ſolâ facultate naturali elicitorum elevatione ad ſupernaturalitatem, juxtà Molinæ mentem.

ACTUM fuit in hâc Congregatione de illo Dubio, à Sanctiſſimo multò antè propoſito, videlicèt, 25. Julij præſentis anni 1603., quod ſic incipit: *Quid intelligit Molina dùm dicit: Quòd in actibus elicitis ex ſolâ facultate naturali, reſpicientibus fidem, ſpem, & charitatem in Deum, Deus inſerit ſe, & elevat, & facit ſupernaturales &c.* ut ſuprà. c In quo Dubio quinque continentur partes; & omnes diſputatæ fuerunt in hâc Congregatione. Nàm P. Vaſtida ab initio dixit, ſe de omnibus acturum; quià videbat placere Sanctiſſimo. Legens ergò primò totum Dubium, illud diviſit in ſuas partes, & ad ſingulas reſpondens, iſta in ſubſtantiâ dixit: I°. Quòd Molina non dicebat Deum ſe inſerere actibus elicitis ex facultate naturæ, reſpicientibus fidem, ſpem, & charitatem; ſed ſolùm dicebat: quòd cogitationibus, ſeu notitiis, videlicèt, indeliberatis, ſe Deus inſerebat, non autem actibus fidei, ſpei, & charitatis, qui ſunt actus liberi & deliberati.

Vide Hiſt. Congreg. de Auxil. l. 3. cap. 28. col. 401. & ſeqq.

c *Vide ſeptimũ Scriptum Clementis VIII ſuprà col. 45. & 46.*

Tunc Sanctiſſimus illi dixit: quòd adverteret, quòd Molina conſtituebat illam legem de dandâ gratiâ, facienti quod in ſe eſt.

Tunc Vaſtida dixit: ſe exſpectare ut PP. Prædicatores id ſibi opponerent: Sed quià hìc ſua Sanctitas id opponebat, ad hoc dicebat: iſtas eſſe duas quæſtiones valdè diverſas: an Deus ſe inſerat iſtis cogitationibus ſeu

 notitiis;

Digitized by Google

notitiis; & an facienti quod in ſe eſt, Deus ex certâ lege det gratiam? quas PP. Prædicatores ſimul confundebant. Nàm illæ notiones ſeu cogitationes quibus dicit Molina Deum ſe inſerere, ſunt neceſſariæ, & non liberæ. At verò facere totum quod in ſe eſt, ſunt actus liberi; nec enìm per indeliberatas illas cogitationes facit homo totum quod in ſe eſt. Simulque affirmabat, non inveniri locum in Molinâ, in quo dicat ſe inſerere Deum in actibus naturalibus fidei, ſpei, & charitatis.

Deindè dicebat II°. Molinam non aſſerere Deum elevare eoſdem numero actus inceptos ab hominis ſolâ facultate naturæ, ſed elevare potentiam ad producendum alios actus ſupernaturales. Quod potiſſimè ex eo probabat, quòd Molina planè dicebat, non eſſe eundem numero actum illum naturalem, & actum ſupernaturalem; ergò non ſentit Deum elevare eumdemmèt actum inceptum ab homine. Et ad hoc oſtendendum, quædam Molinæ loca legebat: & alia, quæ videntur contraria, explicabat; V.G. quòd quandò Molina dicit Deum influere in eaſdem notitias, intelligebat eſſe eaſdem ex parte objecti, non autem eſſe eaſdem numero.

III°. dicebat Deum non elevare potentiam intuitu ipſorum operum merè naturalium à facultate arbitrij elicitorum. Quod ut probaret, ſupponebat: quòd ut aliquid Deus faceret intuitu alicujus operis, non ſatìs eſt quòd illud præcedat, & aliud ſequatur. Itaque ex præciſâ ratione præcedentiæ non poterat colligi, quòd unum detur intuitu alterius, ſed neceſſarium erat, quòd actus haberet in ſe bonitatem moralem, cujus intuitu daretur. At verò illi actus qui præcedebant, ſecundùm Molinam erant indeliberati & neceſſarij, facti abſque libertate, & ex conſequenti nullam habebant bonitatem moralem. Undè intuitu illorum gratia non dabatur, nec intuitu ipſorum ipſi elevabantur.

IV°. dicebat: quòd Deus ordinariè non ſolebat dare talia auxilia, niſi præcederent illa opera naturalia. Quod probabat; quià Deus non vocabat ad fidem fruſtrà, ſed ordinariè vocabat poſtquàm Prædicatores prædicabant; & ità præſupponebantur opera Prædicatorum, & ſimiliter notitiæ & cogitationes, quas audiens miniſterio Prædicatoris formabat, & quibus cogitabat de credendis, & illa expendebat.

Dicebat V°. quòd illa ſupernaturalitas, quam conſtituebat Molina, erat neceſſaria ſimpliciter ad ſalutem, & non tantùm ad faciliùs. Quod ut oſtenderet, aſſerebat nullo modo ſequi ex eo quòd liberum arbitrium poſſit credere, ſperare, diligere, & pœnitere, quòad ſubſtantiam actûs, ex ſolis naturæ viribus, quòd ſupernaturalitas non ſit neceſſaria ſimpliciter ad ſalutem, ſed tantùm ad faciliùs. PP. autem Prædicatores, qui faciebant iſtam conſequentiam: homo poteſt ex ſolâ facultate naturæ credere, ſperare, diligere, & pœnitere quòad ſubſtantiam actûs; ergò non eſt neceſſaria ſupernaturalitas ad ſimpliciter, ſed ad faciliùs; Prædicatores, inquam, conſtituebant conſequentiam ex quâ multa ſequebantur abſurda. 1°. Sequebatur, quòd homo in naturâ integrâ, qui ſecundùm ſanctum Thomam poterat naturæ viribus diligere Deum ſuper omnia ut authorem naturæ, quòd non indigeret ſimpliciter ſupernaturalitate aliquâ; ſed tantùm ad meliùs. Undè hanc conſequentiam, dicebat, faciunt contrà S. Thomam. Similiter in naturâ lapsâ poteſt homo facere ſingula opera, & ſervare ſingula præcepta ex naturæ viribus; ergò non indiget homo lapſus ſimpliciter ſupernaturalitate. Hæc conſequentia nullo modo valebat; quià Sotus dicebat hominem poſſe facere naturæ viribus quemlibèt actum quòad ſubſtantiam, quem poteſt facere homo cum gratiâ. Inferant ergò, dicebat, contrà Sotum non eſſe neceſſariam ſimpliciter ſupernaturalitatem, ſed ſolùm ad faciliùs.

Ultimò

Digitized by Google

Ultimò ad aliam partem ultimam Dubij dicebat : ſupernaturalitatem illam eſſe, id quod requiritur ut actus ſit commenſuratus ordini ſupernaturali, & pertinens ad ordinem gratiæ, & elevans potentiam, ut attingere poſſit ordinem ſupernaturalem. Et neſcio an aliquid aliud ſimile dixerit. Eoque finiente.

F. Thomas de Lemos dixit : SANCTISSIME PATER, ad cujus pedes omnia quæcunque dixero, ſuppono. Circà Dubium à Sanctitate Veſtrâ propoſitum, & modò relatum, breviter dicendum eſt 1°. Molinam manifeſtè aſſerere Deum per auxilia gratiæ ſuæ ſe inſerere conatibus priùs ab homine inceptis ex ſolâ naturæ facultate. Hoc fit manifeſtum *ex diſp. 9.* a in quâ non ſemel, ſed ſecundò, tertiò, quartò, & quintò; expreſſis & formalibus verbis id affirmat. Quæ loca, quià notiſſima ſunt, & ſæpè in conſpectu Sanctitatis Veſtræ adducta, ideò omitto.

a Pag. 28. & ſeqq.

Dicendum 2°. Molinam apertè dicere Deum ſic ſe inſerendo, elevare eoſdem numero actus ab homine inceptos ex ſolis naturæ viribus. Hoc patet *ex diſp. 45.* b in quâ ex profeſſo agens de elevatione iſtorum actuum, & quomodò talis elevatio fiat, & quinam ſunt illi actus qui elevantur, ſic dicit §. *accipe ergò.* c Ait enìm : *Homo nondùm ad fidem ſupernaturaliter interiùs vocatus, cogitat, & expendit res credendas per notitias, concionatoris miniſterio, aut aliundè comparatas, influit Deus in eaſdem notitias influxu quodam particulari ac ſupernaturali.* Quid clarius? In eaſdem notitias elicitas ex facultate naturæ influit Deus influxu particulari & ſupernaturali; ergò eaſdem numero notitias ab homine inceptas elevat Deus per dona gratiæ.

b Pag. 182. & ſeq.

c Pag. 184. col. 1.

Et hoc ipſum magìs explicans, magiſque declarans, ſtatìm ſubdit Molina : d *notitiaque illa & cognitio, effecta jàm à Deo ſupernaturalis per talem influxum, appellatur gratia præveniens ex parte intellectûs.* Quid manifeſtius? Notitia illa, inquit, videlicèt incepta à ſolâ naturâ, effecta jàm ſupernaturalis per influxum gratiæ, habet rationem gratiæ prævenientis, ex parte intellectûs.

d Ibidem.

Alia plurima loca ob brevitatem omitto, quibus hoc ſæpiùs affirmat. Ille tamen inſignis locus non eſt omittendus *ex diſp. 14. memb. 5. §. poſt hanc, ℣. quoniam verò* e, ubì dicit : *Quoniàm verò facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam : Chriſtuſque nobis promeruit auxilia, non ſolùm quæ conantibus nobis ex noſtris naturalibus efficere quod in nobis eſt, praſtò eſſent, ac prævenirent; ut ſic illo eodemque conatu eliceremus diſpoſitionem ſupernaturalem ad gratiam.* Qui locus, ſi conſideraretur ab iſtis Patribus, ceſſarent omnia quæ modò propoſuerunt. In eo enìm non ſolùm agit Molina de actibus indeliberatis, ſed de illis deliberatis quibus homo facit totum quod in ſe eſt; & illis, dicit, quòd Deus dat prævenientem gratiam; ut ſic illo eodemque conatu, incepto, videlicèt, ab homine, & elevato per gratiam, eliciamus diſpoſitionem ad gratiam. Sentit ergò apertè, quòd elevat Deus eumdem numero actum, etiam deliberatum, per auxilia gratiæ.

e Pag. 51. col. 2.

Dicendum eſt 3°. Molinam planè ſentire, iſtam elevationem fieri à Deo intuitu eorumdem operum merè naturalium, quæ elevantur. Hoc fit manifeſtum 1°. *ex diſput. 9. §. quòd hàc. Nihilominùs*, inquit, f *niſi illa antecedant, conferre illam non ſolet*, id eſt, non ſolet Deus conferre gratiam prævenientem, & elevantem, niſi illa præcedant, videlicèt, opera facta ex ſolis naturæ viribus. Si ergò Deus non ſolet gratiam prævenientem conferre, niſi præcedant opera naturæ viribus facta; ergò intuitu illorum dat Deus ſimilem elevationem.

f Pag. 30. col. 2.

Præterea, *in diſp. 10.* g conſtituit illam certam legem, de dandâ gratiâ præveniente, facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus : ergò intuitu illorum præcedentium operum dat Deus talem gratiam, immò ex merito

g Pag. 31. col. 1.

Digitized by Google

rito ipſorum, ut ſæpè videtur fuiſſe oſtenſum. Et addit Molina ibì, eſſe rationi valdè conſonum, quòd Deus det gratiam ex certâ lege ſic facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus: In quo intuitu conſonantiæ rationis, tenentis ſe ex parte bonorum operum, dicit Deum dare ex certâ lege illam prævenientem gratiam.

a §. *Illud etiam*, ℣. *planè. pag.* 22. *col.* 2.

Præthereà, *in eàd. diſp.* 10. a dicit apertè: *Deum ſtare ad oſtium cordis paratum adjuvare conatus noſtros.* Si ergò Deus ſtat paratus & exſpectans conatus noſtros, ad illos adjuvandos; ergò quandò illos adjuvat, intuitu illorum illos adjuvat; ad hoc enìm illos exſpectabat, ut adjuvaret.

b *Pag.* 37. *col.* 2.

Omitto quod *in diſp.* 12. b dicit: hominem per iſta opera merè naturalia reddi aptum, ut ſecundùm communes leges recipiat à Deo gratiam. Immò ergò recipit ille homo gratiam ſecundùm communes leges, ratione aptitudinis illius, habitæ ex ſolâ naturæ facultate.

Dicendum eſt 4°. quòd Molina nunquàm dixit, quòd poſtquàm homo produxit ſimiles actus ex ſolâ facultate naturæ, illis poſt habitis, Deus elevat potentiam ad alios actus ſupernaturales producendos. Hoc planè nunquàm dixit Molina. Nàm ipſe nullam elevationem ſupernaturalem per gratiam prævenientem conſtituit immediatè fieri in potentiâ, ſed omnem talem ſupernaturalem elevationem dicit immediatè fieri in actibus, priùs ab homine inceptis ex ſolâ facultate naturæ. Et mediantibus illis, dicit excitari potentiam, allici, & invitari ad producendum conſenſum; & ipsâ jàm conſentiente, fiet ille actus ſupernaturalis per gratiam cooperantem.

Hæc manifeſta Molinæ ſententia eſt. Sed gratìs admiſſo, & nullo modo conceſſo, Molinam aſſerere Deum elevare potentiam ad alios actus ſupernaturales producendos: cùm talem elevationem, ut modò relinquitùr comprobatum, conſtituat intuitu priorum operum merè naturalium, idem omninò ſequitur inconveniens. Nàm error Pelagianus, ſubſtantialiter & adæquatè non conſiſtit ſolùm in hoc, quòd iidem numero actus merè naturales elevantur per gratiam; ſed in hoc ſubſtantialiter & adæquatè conſiſtit, quòd humana voluntas præcedat, & gratia ſubſequatur, ſivè ſequatur in eodem numero actu, ſivè in alio diverſo, vel in potentiâ ipsâ. Quocunque modo præcedit voluntas humana, & Dei gratia ſequitur, talis gratia datur, quià volumus, & datur ſecundùm priora merita noſtra; & non ponitur gratia neceſſaria ad ſingulos actus. Nàm jàm ad illos priores, quoniàm illorum intuitu elevatur potentia, non erit gratia neceſſaria. Quòd autem iidem numero actus eleventur, vel potentia ratione ipſorum, parva quædam & accidentalis differentia fuit inter Julianum & Pelagium.

Etenìm Juliani ſententia fuit à S. Auguſtino relata, *Lib.* 1. *ad Bonifac. cap.* 19. c; & *Lib.* 2. *cap.* 9. d; & *Lib.* 4. *cap.* 6. e quòd Deus in ipſo opere ab homine incepto adjuvabat hominum voluntates; & quòd gratia adjuvabat uniuſcujuſque propoſitum bonum, inceptum, videlicèt, ab homine. Ut planè exponit S. Auguſtinus, referens Juliani & aliorum ſententiam. At verò Pelagius, ut conſtat ex S. Auguſtino *Lib. de grat. Chriſti cap.* 23. f (qui locus ibì fuit lectus) ſic dicebat: quòd qui benè utitur facultate arbitrij, adjuvabatur à dono gratiæ. Non autem explicavit Pelagius, an illud adjutorium adjuvaret in eodem opere, aut potentiam ad aliud. Immò PP. Societatis, ne convincantur Pelagium conſtituiſſe eandem gratiam cooperantem quam conſtituit Molina, dicunt: Pelagium non dixiſſe gratiam adjuvare in eodem opere. Unum ergò è duobus eligant iſti PP.: vel Molina dicit Deum adjuvare in eodem opere incepto ab homine, & ſic conveniet cum Juliano: vel adjuvare potentiam ad aliud opus, intuitu prioris; & ſic conveniet cum Pelagio.

c *Tom.* 10. *n.* 37. *col.* 427.

d *Ibidem. n.* 19. *col.* 443. & *ſeq.*

e *Ibid. col.* 475. & *ſeqq.*

f *Ibid. num.* 24. *col.* 240

Dicendum

Dicendum 5°. quòd per hanc elevationem ſupernaturalem, in ſententiâ Molinæ, nihil aliud acquirunt potentiæ, videlicèt, intellectus & voluntas, niſi ut faciliùs, ſivè ut meliùs,& perfectiùs homo poſſit credere, ſperare, diligere, ac pœnitere prout ad ſalutem oportet. Hoc manifeſtatur 1°. in actu fidei naturalis, quem Molina conſtituit. Sicut enim vera fides fundamentum eſt omnium quæ verè ſuper illam ædificantur, ità fides, quam conſtituit Molina, fundamentum eſt omnium falſitatum, quas ipſe in ſuâ doctrinâ continet. De illo autem dicit Molina: quòd propoſitâ Evangelij prædicatione, poteſt homo actu merè naturali aſſentiri omnibus myſteriis fidei tanquàm à Deo revelatis, & quià à Deo revelata ſunt, & tantâ certitudine, quantam habet homo per fidem infuſam. Igitur planè concedit quòd poteſt homo credere omnia revelata, tanquàm à Deo revelata, & quià à Deo revelata ſunt. Nàm credere, nihil eſt aliud, quàm cum aſſenſione cogitare. Undè ſi poteſt cogitando aſſentiri myſteriis fidei, utique poteſt credere omnia myſteria. Non igitur erit neceſſaria ex parte potentiæ revelatio & lumen ſupernaturale, niſi ut meliùs & faciliùs aſſentiatur iis, quibus ex ſolâ naturâ poteſt aſſentire. Quod & Molina ipſe ſatìs evidenter expreſſit *in diſp. 45. §. accipe*, a ubì ſic dicit: *Dùm homo nondùm ad fidem ſupernaturaliter interiùs vocatus, cogitat & expendit res credendas, per notitias, Concionatoris miniſterio, aut aliundè comparatas, influit Deus in eaſdem notitias influxu quodam particulari ac ſupernaturali, quo cognitionem illam adjuvat, tùm ut res meliùs & dilucidiùs expendatur & penetretur, tùm etiam ut notitia illa jàm limites notitiæ ſupernaturalis, & ad fidem ſupernaturalem in ſuo ordine & gradu accommodata attingat.* Duo ibì dicit: alterum eſt, quòd elevatio ſupernaturalis requiritur, ut meliùs & dilucidiùs res credendæ, quæ priùs ſolis naturæ viribus expendebantur, nunc expendantur. Non dicit requiri revelationem ut credenda penetrentur, ſed ut illa quæ ante expendebantur; meliùs & dilucidiùs expendantur. Sentit ergò divinam internam revelationem neceſſariam non eſſe, ad ſimpliciter expendendum credenda; ſed ad faciliùs, ſivè ad meliùs. Quod eſt Pelagianum.

a Pag. 184. vol. 1.

Tunc interrumpens P. Vaſtidà, dixit: ubì dicit Molina ad faciliùs?

Cui F. Thomas: dicit non requiri ad ſimpliciter, ſed ad meliùs; quod idem eſt ac ad faciliùs. Dicit 2°. requiri illam internam revelationem, ad faciendum commenſurationem actûs cum ordine ſupernaturali. Sed hoc verbis ſolis duntaxat dicit, ipſe enìm præſupponit factam iſtam commenſurationem cum fine & objecto ſupernaturali, dùm aït: poſſe actum merè naturalem attingere revelatum, tanquàm revelatum, id eſt, revelatum ſub formali ratione revelationis objectivæ. Si autem attingit objectum formale ſupernaturale, proculdubio jàm actus eſt commenſuratus cum illo fine ſupernaturali. Principium enìm phyſicum eſt: nihil aliud eſſe actum commenſuratum cum objecto, quàm quòd poſſit ipſum attingere. Si ergò attingit objectum formale ſupernaturale, utique conſtituitur ille actus commenſuratus cum objecto ſupernaturali, & conſtituitur attingere ordinem ſupernaturalem.

Nec valet recurrere ad objectum materiale, quaſi attingat rem quæ eſt revelata, & ſupernaturalis, non tamen formaliter ut revelata & ſupernaturalis eſt. Nàm nec Molina, nec aliquis Philoſophus, nec Theologus, ſeu Metaphyſicus potuit clarioribus & expreſſioribus verbis ſignificare, ſeu reduplicare rationem formalem objectivam divinæ revelationis, quàm dicendo, ut facit Molina, quòd attingit revelatum tanquàm revelatum, & quià à Deo revelatum eſt. Sicut cùm Philoſophi & Metaphyſici dicunt: bonum in quantùm bonum, eſt objectum voluntatis; ſenſus eſt: quòd bonum

bonum ſub formali ratione bonitatis eſt voluntatis objectum. Et ſimiliter cùm dicunt: quòd verum in quantùm verum, eſt objectum intellectûs; nullum alium ſenſum poteſt facere iſta propoſitio, niſi quòd verum ſub formali ratione veritatis, eſt objectum intellectûs. Cùm ergò omnes Theologi dicant, objectum formale fidei eſſe primam veritatem ut revelatam; ſenſus eſt, nec alius poteſt eſſe, niſi quòd revelatum ſub formali ratione revelationis, eſt objectum formale fidei; & ex conſequenti, ſi actus merè naturalis attingit revelatum tanquàm revelatum, convincitur quòd attingat revelatum ſub formali ratione revelationis objectivæ. Nec aliud poteſt intelligi. Quæ adeò ſunt clara & nota, ut mirum ſit quòd de iſtis poſſit eſſe vel minima dubitatio. Igitur in actu merè naturali conſtituit Molina commenſurationem cum objecto ſupernaturali; non ergò ad faciendam iſtam commenſurationem cum objecto ſupernaturali, erit neceſſaria ſimpliciter elevatio ſupernaturalis ex parte potentiæ, ſed tantùm ad faciliùs, ſivè ad meliùs.

Et hoc ipſum multò clariùs aperuit Molina in actu contritionis, de quo in illo §. *ratio verò*, a *ſæpiùs citato ex diſp. 14.* dicit: *quòd præexiſtente maximè lumine fidei, quo cognoſcimus Deum Conditorem noſtrum, innumera & maxima beneficia, tùm naturæ, tùm gratiæ, quæ in nos contulit uſque ad proprij Sanguinis in Cruce effuſionem*, poteſt voluntas hominis ſolâ facultate naturæ habere contritionem de peccatis, propter Deum ſummè dilectum, ſic propoſitum per fidem ſupernaturalem. Igitur jàm ille actus contritionis ex ſolâ naturâ elicitus, ſecundùm Molinam, attingit objectum ſupernaturale, ut ſupernaturale eſt, & ut proponitur per fidem ſupernaturalem. Igitur ad hoc non erit auxilium gratiæ neceſſarium ſimpliciter; ſed tantùm ad meliùs, ſivè ad faciliùs. Quòd autem in ſententiâ Molinæ ille actus contritionis attingat objectum ſupernaturale, ut ſupernaturale eſt, ſit manifeſtùm; quià lumen fidei ſupernaturalis proponit Deum authorem gratiæ ut objectum ſupernaturale, & ſub formali ratione ſupernaturalitatis; ſi ergò voluntas habet actum contritionis circà tale objectum, ergò attingit ipſum objectum ſicut ſibi proponitur per lumen fidei, videlicèt, ut ſupernaturale eſt & divinum. Nàm principium phyſicum eſt, ab omnibus Theologis communiter receptum: quòd voluntas non poteſt velle aliquid, niſi ſub eâ ratione quâ ſibi proponitur. Undè ſi proponitur objectum per lumen fidei, ut ſupernaturale & divinum, & ſub formali ratione ſupernaturalitatis objectivæ, vel voluntas ſub hâc eâdem ratione attingit illud, vel nullo modo vellet illud attingere.

a Memb. 1. pag. 45. col. 2.

Non valet recurrere, ut PP. prætendunt, ad diverſa principia, dicentes: illam contritionem non eſſe commenſuratam cum fine & objecto ſupernaturali, quià non procedit ex ſupernaturali revelatione Spiritûs Sancti, ſed ex ſolâ facultate naturæ. Nàm regula Theologorum & Philoſophorum eſt: quòd diverſa principia, etſi ſint diverſa ſpecie, genere, vel diverſi ordinis, non diverſificant actum, niſi cùm illum producunt in ordine ad diverſum objectum formale, itàut, licèt ſint diverſa principia, ſi tamen actus ab ipſis productus tendit in idem formale objectū, actus ſemper remanet ejuſdem rationis & ejuſdem ſpeciei.

Exempla ſunt notiſſima. 1o. In virtutibus infuſis & acquiſitis quæ ſpecie diſtinguuntur; ſed iſta ſpecies diverſa non ſumitur ex eo præcisè quòd infuſæ infundantur à Deo, acquiſitæ autem acquiruntur ab homine; quæ ſunt principia diverſi ordinis: ſed ex eo quòd infuſæ virtutes tendunt in altius formale objectum; acquiſitæ verò in longè inferius. Undè fit, quòd quandò iſta diverſitas objecti formalis deficit, etſi principia ſint diverſiſſima, virtutes remaneant ejuſdem ſpeciei; ut fit manifeſtum in virtutibus per accidens primo Parenti infuſis, quæ

fecerunt

fuerunt prorsùs ejuſdem ſpeciei cum aliis acquiſitis ab hominibus; & tamen principia fuerunt diverſa, videlicèt, Deus infundens & homo acquirens. Et hâc ratione communiter dicitur: quòd Adam, & quilibet alius homo ſunt ejuſdem ſpeciei, licèt principia producentia fuerint diverſæ ſpeciei & diverſi ordinis, videlicèt, Deus creans & homo generans.

Quâ etiam ratione communiter dicunt Philoſophi, quòd mus genitus ex putrefactione, eſt ejuſdem ſpeciei cum alio genito ex alio mure. Itaque principia producentia non diſtinguunt actus, niſi cùm illos ordinant in diverſa objecta formalia. Qui actus non à principiis, ſed à formalibus objectis ſpeciem ſumunt.

Sic ergò cùm actus contritionis productus à ſolâ naturâ, attingat Deum, juxtà Molinam, ut objectum propoſitum per fidem, eſt ejuſdem rationis cum alio actu contritionis producto ab inſpiratione Spiritûs Sancti; quià iſte tendit in idem objectum formale, videlicèt, ut fiat propter Deum propoſitum per fidem. Et ſic, etiamſi principia ſint diverſa, videlicèt, Spiritus Sanctus inſpirans, & homo producens; tamen contritio ſemper eſt ejuſdem ſpeciei, & ejuſdem rationis ex objecto eodem formali; & ex conſequenti erit eodem modo commenſuratus cum fine ſupernaturali, cùm producitur à ſolo homine, ſicut quandò movetur homo à Spiritu Sancto. Quòd ſi ſic eſt: inſpiratio Spiritûs Sancti non erit neceſſaria ſimpliciter & abſolutè; ſed ſolùm ad meliùs, ſivè ad faciliùs. Quod eſt omninò & merè Pelagianum.

Et ex hoc patet quid dicendum ſit ad ultimam partem Dubij, ubì quæritur: quid ſit illa ſupernaturalitas? Dicendum eſt enìm illam non eſſe neceſſariam, ut actus ſit ordini ſupernaturali commenſuratus; quià jàm à Molinâ præſupponitur commenſuratus. Nec iterùm requiritur ut actus ſit qualis ad ſalutem oportet; quià, quidquid Molina dicat ſolùm verbis, ante gratiam ipſe conſtituit actum illum fieri prout ad ſalutem oportet; ut alibì ſæpiùs demonſtratum eſt in præcedentibus Congregationibus. Igitur illa ſupernaturalitas erit ſolùm neceſſaria ad meliùs, ſivè ad faciliùs; ut dictum eſt. Itèm illa ſupernaturalitas nihil aliud eſt quàm lex atque doctrina. Nec enìm recedit à lege atque doctrinâ, ut jàm ſuprà ex ſancto Auguſtino in præcedentibus Congregationibus fuit oſtenſum.

Præterea iſta ſupernaturalitas ponitur à Molinâ modo adeò impoſſibili, ut appareat illum ſolùm timuiſſe tacere. Dicit enìm Molina: quòd actibus inceptis ab homine, Deus ſe inſerit illâ ſupernaturalitate. Sed hoc in tantùm abhorret omnis Philoſophia, ut ſi vel Ariſtoteli, vel magno alicui Philoſophio ille modus elevationis actuum proponeretur, eo ipſo fidem non acciperet; quià contrà omnem Philoſophiam modo impoſſibili poneretur. Veritas autem Catholica non eſt contrà Philoſophiam; quià verum vero conſonat. Quid autem impoſſibilius, quàm quòd actibus naturalibus ab homine inceptis, Deus ſe inſerat ſupernaturalitate ſuâ? Quomodò enìm intelligi poteſt illa inſertio? Nàm actus vitalis, qui procedit à potentiâ vitali, nihil poteſt admittere ab extrinſeco, nec ei poteſt aliquid conjungi vel copulari. Nec enìm ut pannus panno filo conjungitur; ità nec actibus vitalibus intellectûs ac voluntatis aliquid ab extrinſeco poteſt conjungi; quià illud quod adderetur, non eſſet vitale, nec ad actum vitalem pertineret, nec eſſet conditio vel modus actûs vitalis. Undè nec poteſt intelligi quid ſit illa ſupernaturalitas, niſi intelligatur, quòd actus ſemel productus à potentiâ ſuperveſtitur, vel deſuper deauratur illâ ſupernaturalitate; ità ut ſit ibì actus mixtus ex naturali & ſupernaturali.

Præterea Molina dixit: quòd gratia excitans & invitans, ſit cooperans & adjuvans conſentiente jàm libero arbitrio. In qua aliam manifeſtam ap-

ponit implicationem. Nàm omittendo ad præſens, quòd gratia cooperans & adjuvans dabitur jàm ſecundùm priora merita noſtra, ut alibì relinquitur comprobatum; impoſſibile eſt omninò quòd gratia excitans fiat cooperans: quoniàm excitatio ſivè ſuaſio præciſè remanent in ſuaſione, & intrà limites ſuaſionis & motionis moralis. Undè non poteſt phyſicè cooperari cum arbitrio conſentiente. Sicut ſi quis ſuaderet aliquid alicui; ex eo quòd ille conſentiret, illa ſuaſio non cooperaretur ei phyſicè. Poterat quidem qui ſuadet, manu apprehensâ trahere hominem, & ſic cum illo cooperari; at quòd eâdem ſuaſione cooperetur, ipſo homine jàm conſentiente, hoc planè impoſſibile videtur. Similiter excitatio intrà puros limites excitationis, non habet cooperari; ſicut ſi quis excitaret hominem dormientem ut ambularet, ipſo ambulante cum illo non cooperaretur; ut eſt apertiſſimum.

Præterea Molina dicit: illam gratiam prævenientem ex parte voluntatis eſſe motum quemdam indeliberatum; non poteſt ergò eſſe principium efficiens contritionem ſupernaturalem, vel dilectionem Dei. Nàm iſti actus perfectiſſimi ſunt; illi autem motus indeliberati, imperfectiſſimi. Non poterunt ergò illi motus indeliberati eſſe cauſa efficiens illorum actuum perfectiſſimorum; quià principium efficiens ſaltèm debet habere æqualem nobilitatem cum effectu quem producit. Quomodò ergò voluntas actuata his motibus indeliberatis, eſt cauſa efficiens illorum actuum adeò perfectorum? Certè hoc ſolâ voce profertur.

Prætereà ultimò ex principiis Molinæ convincitur, quòd illa ſupernaturalitas in inſtanti juſtificationis nihil omninò ſit; & quòd in inſtanti juſtificationis nullam gratiam admittit Molina, nec excitantem, nec prævenientem, nec cooperantem; ſed quòd in illo inſtanti nudus & purus actus naturalis ſit, quo homo convertitur vel diligit Deum; & quòd ex nudo actu arbitrij ſe homo ultimò diſponat ad gratiam. Quod ſic manifeſto. Molina dicit: quòd gratia præveniens conſiſtit in actibus illis indeliberatis; & quòd tamdiù durat, quamdiù durant actus illi indeliberati. Rursùs dicit: quòd in inſtanti juſtificationis producit homo actum deliberatum quo convertitur in Deum, quod à nullo negari poteſt; ſed in uno & eodem juſtificationis inſtanti non poteſt voluntas habere actum indeliberatum & deliberatum reſpectu ejuſdem objecti; quià iſti actus ſunt ad invicèm repugnantes, & opponuntur ſivè privativè ſivè contradictoriè, ſicut videns & cæcus, vel ſicut videns & non videns; quià indeliberatio eſt privatio vel negatio deliberationis: non ergò in eodem inſtanti poteſt eſſe ſimul in voluntate actus indeliberatus & deliberatus reſpectu ejuſdem objecti; ergò neceſſe eſt, quòd adveniente actu deliberato, jàm non ſit actus indeliberatus, ſed quòd præceſſerit tantùm: igitur in inſtanti juſtificationis, cùm homo producit actum deliberatum, jàm non erit actus indeliberatus; ergò jàm tunc non erit gratia præveniens; ergò non erit gratia cooperans; quià illa præveniens, ſecundùm Molinam, fit cooperans; ſi ergò non eſt in illo inſtanti gratia præveniens, non erit in illo inſtanti gratia cooperans: ergò in illo inſtanti juſtificationis nec erit gratia præveniens, nec cooperans, ſed ſolùm nudus & purus actus naturæ, quo ſe ultimò diſponit homo ad gratiam. Et hoc eſt quod Molina dicit *in diſp. 41. §. dixi totiès*, a ubì aït: *gratiam prævenientem, quâ præveniens eſt, tempore vel naturâ antecedere influxum liberi arbitrij.* Admittit enìm quòd tempore antecedit influxum liberi arbitrij, quià in eodem temporis inſtanti nequit eſſe cum influxu illo arbitrij.

a *Pag. 173. col. 1.*

Hoc magìs clarè, magìſque apertè exponit Molinæ interpres Franciſcus Suarez *Lib. 3. de Auxil. divinæ gratiæ cap. 4. §. quàm verò, ℣. quarvò addere*, ubi

ubì aït : *quartò addere poſſumus motum gratiæ excitantis non ſemper concurrere ſimul tempore cum concurſu voluntatis ; interdùm enim præceſſit gratia excitans per ſolam cogitationem & timorem ; & poſteà ſolâ recordatione illius timoris & divinæ motionis, homo liberè convertitur, & incipit pœnitentiam agere.* Ecce dicit gratiam excitantem tempore præcedere ; & quòd homo ſolâ recordatione convertitur. Et *in §. video*, dicit : non eſſe neceſſe, ut voluntas exerceat aliquem motum indeliberatum antè plenum conſenſum : ſed immediatè poſt perfectam illuſtrationem intellectûs, poteſt voluntas aſſenſum ſupernaturalem præſtare. Et ad iſtum ſupernaturalem aſſenſum, nullum principium inhærens homini ſupernaturale neceſſarium conſtituit ; ſed ſolùm Deum aſſiſtentem. Et explicat Concilium Tridentinum, cùm definit neceſſariam eſſe gratiam adjuvantem, illam eſſe divinam aſſiſtentiam, nullam autem gratiam formaliter homini inhærentem: Undè concludendum eſt Molinam aſſerere Deum elevare eoſdemmèt actus inceptos ab homine, intuitu eorumdem actuum, & illam elevationem ſolùm ad faciliùs, ſivè ad meliùs, eſſe neceſſariam ; & non recedere à lege atque doctrinâ : Immò ità conſtitui à Molina modis impoſſibilibus, ut nihil penitùs ſit in actu ab homine incepto.

Ad excuſationes prætenſas dicam nunc. Omnium primò dixit P. Vaſtida ; Molinam non dicere, Deum ſe inſerere actibus fidei, ſpei, & charitatis ; nec hoc inveniri in Molinâ ; ſed tantùm in actibus indeliberatis. Ad quod dicendum ; quòd Molina utrumque dicit. De actibus indeliberatis, ipſe Vaſtida fatetur ; de actibus autem fidei, ſpei, & charitatis, ipſe Pater modò dixit ex Molinâ : quòd præexiſtente attritione, & adveniente charitate, eadem attritio non remanet eadem numero. Et intelligit, ut ſtatìm dicam, non remanere eandem attritionem numero formali, benè autem numero materiali. Sed eſt locus expreſſus in Molinâ, nempè *in diſp. 14. memb. 1. §. poſt hanc, v. quoniam*, a ubì ſic dicit : *Quoniam verò facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam ; Chriſtuſque nobis promeruit auxilia ; non ſolùm quæ conantibus nobis ex noſtris naturalibus efficere quod in nobis eſt, preſtò eſſent, ac præveniren ; ut ſic illo eodem conatu eliceremus diſpoſitionem ſupernaturalem ad gratiam &c.* Ecce in illo conatu quo homo facit quod in ſe eſt ex naturæ viribus, & cui datur ex certâ lege gratia, dicit Deum influere auxilio ſupernaturali. Sed ille conatus facientis quod in ſe eſt, eſt credere, ſperare, & diligere, ſeu pœnitere quoàd ſubſtantiam actûs ; ut Molina vocat : ergò in iſtos conatus influit Deus, ſecundùm Molinam, auxilio ſupernaturali. Remittit enim ſe Molina in illo loco ad doctrinam à ſe traditam de faciente quod in ſe eſt, ſuprà *diſp. 10.* b ; & de iiſdem conatibus loquitur hìc & ibì. Præterquàm quòd error Pelagianorum non conſiſtit ſolùm in hoc, quòd gratia ſequatur ad conatus fidei, ſpei, & charitatis ; ſeu pœnitentiæ ; ſed in hoc conſiſtit, quòd homo incipiat, quomodolibèt ipſum incipere conſtituatur, & gratia ſequatur.

a Pag. 56. col. 2.

b Pag. 31. col. 1.

Secundò dicit R. P. : Molinam non aſſerere Deum elevare eaſdem numero noticias. Et fundamentum ejus eſt : quià Molina dicebat, non eſſe eumdem numero actum. Sed hoc non obſtat. Intelligit enim Molina non eſſe eumdem numero actum inceptum ab homine, & elevatum à gratiâ ; numero, inquam, formali, quià obtinet aliam quaſi formam ſupernaturalem. Sentit tamen, quòd eſt idem numero, ſubjecto & materialiter ; ſicut ſolemus dicere ; quòd quæ differunt genere, differunt ſpecie, & quæ differunt ſpecie, differunt numero. Et ſecundùm hoc, actio, & paſſio, quæ primò diverſa ſunt, & differunt genere, differunt ſpecie, & etiam differunt numero formali : cùm quo tamen optimè ſtat, quòd actio & paſſio ſint idem numero in eodem motu materiali.

materiali. Ità Molina dicit: quòd actus ab homine inceptus, & à gratiâ elevatus, non ſit idem numerò formali; benè tamen idem numero materiali: præterquàm quòd, ut jàm dixi, non conſiſtit error Pelagianus ſolùm in hoc, quòd idem numero actus elevatur per gratiam, vel potentia, dummodò talis elevatio intuitu præcedentis actûs naturalis ab homine incepti fiat.

Dixit tertiò R. P. elevationem iſtam ſupernaturalem à Molinâ conſtitutam, non fieri intuitu præcedentium operum naturalium; quià ut aliquid fiat intuitu alterius, non ſufficit ſola præcedentia, ſed requiritur, quòd illud præcedens habeat aliquam bonitatem liberam, ratione cujus aliquid detur. At verò Molina nullam talem bonitatem liberam præcedere conſtituebat, ſed actum purè indeliberatum.

Ad quod dicendum: quod jàm ex Molinâ probavi, ipſum aſſerere, Deum elevare actum hominis liberum facientis quod in ſe eſt; jàm ergò ſupponitur aliqua bonitas, cujus intuitu detur talis elevatio. Nec eſt neceſſarium ad hoc ut aliquid detur intuitu alterius, vel ex merito, ut illud opus habeat æquivalentiam vel condignitatem ſecundùm ſe cum præmio. Sat eſt, ſi à præmiante ordinetur ad tale præmium. Quod eſt valdè conſiderandum. Sicut ſi Veſtra Sanctitas ordinaret legem, ut qui primo manè veniret ad plateam S. Petri, obtineret ſupremam omnium civium nobilitatem; certum eſt quòd licèt ſecundùm ſe, venire tali horâ ad plateam S. Petri, non eſſet condignum tanto præmio; ſuppoſitâ tamen ordinatione Sanctitatis Veſtræ, jàm tale præmium homo ille ſicut ſibi debitum vindicaret.

Et ad hoc juvat doctrina quædam, quæ à Doctoribus in materiâ de Indulgentiis ſolet afferri: quòd, videlicèt, Indulgentiæ non dantur ſine causâ; attamen ſufficiens cauſa ad dandam indulgentiam non debet attendi ex opere quod facit homo materialiter, & ſecundùm ſe conſideratum; ut ſic enim non eſſet cauſa ſufficiens ut alicui daretur indulgentia plenaria; ſed quatenùs illud conſideratur prout à Sanctitate Veſtrâ ordinatur in Gentium converſionem; ſic ſufficiens cauſa cenſetur, ut homini dicenti unum *Ave Maria*, V. G., indulgentia plenaria impendatur. Similiter, ut Cajetanus optimè dicit, quòd aliquis ſtet in plateâ S. Petri, cùm Sanctitas Veſtra dat ſolemnem benedictionem, ſecundùm ſe non videtur ſufficiens cauſa ut detur ei plenaria indulgentia. At verò ſi conſideretur illud ſtare illâ horâ in tali plateâ ad profitendam fidem Eccleſiæ, & ad venerandum Chriſti Vicarium in terris, ſufficientiſſima cauſa ab omnibus cenſetur, ut illis hominibus detur indulgentia plenaria. Itaque non eſt attendendum ad opus ſecundùm ſe, cujus intuitu gratia detur; ſed quòd Deus ordinaverit dare gratiam intuitu illius, licèt parvam ſecundùm ſe obtineat bonitatem.

Dixit quartò R. P.: quòd Deus ordinariè non ſolebat dare fidem, niſi præcederent illa opera merè naturalia. Quod probabat; quià niſi præcederent prædicationes, Deus illam non ſolebat dare.

Ad quod dicendum: quòd licèt Deus ordinariè non vocet ad fidem, niſi medio prædicatore, ſecundùm illud: a *Quomodò credent, ſine prædicante?* advertere tamen debet P., quòd Deus volens hominem ad fidem vocare, ipſe mittit prædicatores, & ipſe incipit. Similiter prædicatore prædicante forinſecùs, Deus intùs incipit movere hominem, & incipit imprimere ſanctam cogitationem; nec homo incipit ex ſe benè cogitare, ut iſte P. vult cum Molinâ, & Deus illi ſe cogitationi inſerit; quià Apoſtolus dicit: b *non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis tanquàm ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Iſti autem Patres volunt, quòd homo ex ſe bonam incipiat cogitationem, & quòd Deus

a Rom. 10. 14.

b 2. Cor. 3. 5.

Digitized by Google

Deus ſtatim ſicut pediſſequus ſequatur.

Præterea dicebat R. P.: quòd, ex eo quòd Molina dixerit, hominem poſſe credere, ſperare, diligere, & pœnitere quòad ſubſtantiam actûs, non infertur, ſupernaturalitatem eſſe neceſſariam ſolùm ad faciliùs; quià homo in ſtatu naturæ integræ, ſecundùm ſanctum Thomam, poterat naturæ viribus diligere Deum ſuper omnia.

Ad quod dicendum 1°.: iſta nullo modo procedere contrà ea quæ à me dicta & probata ſunt de actu fidei & contritionis; quem conſtitui attingere objectum ſupernaturale. Dico 2°.: quòd homo in naturâ integrâ poteſt dupliciter conſiderari, primo modo, cùm gratiâ creatus, ſicùt reverâ fuit, juxtà B. Thomæ opinionem. Secundo modo abſque gratiâ. Si primo modo, jàm ſupponitur in gratiâ, & ſic non currit argumentum: ſi autem ſecundo modo, tunc quidem poterit naturæ viribus diligere Deum authorem naturæ ſuper omnia, nec ad id requireretur gratia, niſi ad faciliùs.

Ad illud aliud quod dicit de Soto aſſerente, quemlibèt actum, quem poteſt homo facere cum gratiâ, poſſe facere ſine gratiâ quòad ſubſtantiam actûs; jàm ex eodem authore in prioribus Congregationibus, coràm Cenſoribus à Sanctiſſimo deputatis, tradideram intelligentiam. Intelligit enìm actum quemlibèt imperfectum, & quòad ſolam ſubſtantiam, non autem actum habentem omnem perfectionem moralem poſſibilem, ſicut Molina conſtituit. Quod autem inſuper dixit: aliquos Thomiſtas dicere, eſſe actum ſupernaturalem tantùm quòad modum: Certum eſt illos non ponere, eſſe ſupernaturalem juxtà modum quem conſtituit Molina; quià de iſto impoſſibili modo Molinæ, etiàm ſuus interpres Franciſcus Suarez *Lib. 3. de Auxil. divinæ gratiæ cap. 1. §. hanc ergò*, ſic dicit: *Nec verum eſt; libertatem arbitrij faciliùs aut meliùs cum divinâ gratiâ concordari, ſi actus hi ſolùm quòad modum ſupernaturales ſint; quià vel ille modus nihil eſt in actu, quòd à nobis liberè fiat; & hoc non eſt concordare gratiam cum libertate, ſed omninò gratiam evertere, & doctrinam Conciliorum eludere &c.* Hæc Franciſcus Suarez; ubì idem prorsùs dicit; quod ego modò affirmavi: nempè; quòd ille modus nihil eſt, & quòd evertatur gratia, & eludantur Concilia. Et in hâc eâdem columnâ; (quod ob brevitatem non lego) declarat Franciſcus Suarez ex locis S. Thomæ, ut ipſe intelligat cùm dicit, actus quòad ſubſtantiam poſſe fieri à nobis: *Cæterùm non quòad modum, & quòad formam*, ut Molina conſtituit. Et hæc dicens, finivit F. Thomas.

Poſt hæc incepit P. Vaſtida impugnare quæ à F. Thomâ fuerant dicta, multa dicens, quorum nec memoriam habere oportet. In ſubſtantiâ videntur ad iſta reduci: quòd, videlicèt; ut aliquid detur intuitu alterius præcedentis oportebat habere aliquam bonitatem liberam, ut etiam in exemplis allatis à R. P. conſtat. Cæterùm Molina nullàm talem bonitatem liberam præſupponebat, ſed tantùm neceſſarium actum indeliberatum: undè intuitu ejus non dabatur illa excitatio ſeu elevatio. Deindè ſecundò dicebat, & maximè contendebat: quòd quamvìs Deus non exſpectet noſtram voluntatem, ut nobis det primam gratiam, tamen poſt datam excitantem gratiam, verè Deus exſpectat voluntates hominum, ut illos convertat. Et hanc eſſe fidem aſſerebat, & doctrinam S. Thomæ ſuper illud Apocalipſis: [a] *Ecce ego ſto ad oſtium, & pulſo.* Et ſimiliter eſſe doctrinam Cyrilli. Et ſimilia quædam multa dicebat. Similiter dicebat: quòd nec Molina cùm Pelagio nec cum Juliano conveniebat, nec oportebat alterum illorum illos eligere; quià Julianus dicebat Deum in eodem opere adjuvare intuitu illius, & Pelagius Deum adjuvare potentiam intuitu tamen operis naturæ viribus præcedentis. At verò Molina dicebat: Deum adjuvare potentiam, ſed non intuitu

[a] *Apocal. 3. 20.*

Digitized by Google

præcedentis operis. Et tandem ad argumentum ultimo loco factum dicebat: in eodem inſtanti poſſe eſſe actum indeliberatum & deliberatum reſpectu diverſorum. Cæterùm iſta diverſa non expoſuit, nec explicavit. Dixit etiam P. Vaſtida: quòd Frater Thomas dixerat, Molinam affirmare, quòd Deus non aperuit cor illius mulieris purpurariæ; quod Molina nullo modo dicebat.

Poſteà ipſo finiente, F. Thomas dixit: ad omnia iſta quæ Pater dixit, minùs reſpondere oportet; quià nullo modo reſpondet ad ea quæ ego dixi. Et in primis non reſpondet illi argumento de actu deliberato & indeliberato, quomodò poſſint eſſe in eodem inſtanti. Ipſe enìm dicit, eſſe reſpectu diverſorum; & tamen Molina reſpectu ejuſdem omninò conſtituit illum actum indeliberatum & deliberatum. Igitur non reſpondet.

Tunc interrumpens ipſe dicebat: eſſe reſpectu diverſorum.

Sed F. Thomas dixit: reſpectu ejuſdem, inquam, Molina conſtituit ſimul & ſemel actum indeliberatum & deliberatum. Nàm dicit, quòd reſpectu ejuſdem converſionis voluntas indeliberatè & deliberatè vult; & reſpectu ejuſdem fidei recipiendæ indeliberatè & deliberatè ſimùl vult fidem recipere. Igitur reſpectu ejuſdem conſtituit hanc implicationem de actu deliberato & indeliberato.

Tunc ipſe Vaſtida dixit: quòd voluntas indeliberatè movebat intellectum ad fidem recipiendam, ſed intellectus deliberatè illam amplectebatur.

Tunc F. Thomas: nunc agimus de actu voluntatis, de quo Molina dicit: quòd in eodem inſtanti habet affectionem indeliberatam, & ſimul imperat deliberatè ut intellectus fidem accipiat. Jàm ergò ſimul voluntas indeliberatè & deliberatè movet intellectum ad idem, ſcilicèt, ad fidem recipiendam; & ſic reſpectu ejuſdem conſtituit ſimul actum deliberatum & indeliberatum in voluntate. Actus autem deliberatus eſt, qui procedit à voluntate deliberatâ; voluntas autem deliberata ſequitur deliberationem rationis; ſed intellectus non poteſt ſimul & in eodem inſtanti de eodem deliberare & non deliberare; igitur nec voluntas in idem poteſt in eodem inſtanti ferri indeliberatè & deliberatè. Immò, non poteſt voluntas habere ſimul contrarios actus deliberatos & indeliberatos. Immò plura per modum plurium velle ſimul, totaliter eſt impoſſibile. Undè Pater nullo modo reſpondet.

Similiter dicit R. P.: quòd Molina non conſtituebat aliquam bonitatem liberam in illis operibus naturæ, ut illius intuitu gratia daretur, ſed tantùm actum neceſſarium; cùm tamen Molina expreſsè dicat primum actum arbitrij eſſe deliberatum, & ab ipſo pendere multùm internam vocationem ad fidem. Nàm *diſp. 9. §. patet tertiò*, a apertè littera oſtendebat, quòd præcedebat actus liber à libero arbitrio productus, cujus intuitu Deus vocabat ad fidem; & actus ità liber, ut velit arbitrium potiùs intendere quàm non intẽdere rebus credendis, & potiùs velit amplecti fidẽ quàm non amplecti. a *Pag. 25. col. 2.*

Tunc Vaſtida dixit: quòd Molina loquebatur de actu liberi arbitrij ante omnem gratiam prævenientem, ut patet ex toto contextu apertiſſimè.

Cùm autem P. Vaſtida ridendo hæc reſponderet, dixit illi F. Thomas: Pater, legiſti-nè S. P. Auguſtinum *Lib. 4. contrà Julian. cap. 3.* b? Quòd ſi non legiſti, legas; & invenies S. Doctorem contrà Julianum illum juvenem Pelagianum, ardentem & ridentem doctrinam ſanam S. Auguſtini, ſic dixiſſe: *Non planè riſum, ſed fletum potiùs intelligentibus veſter commovet riſus, ſicut mentibus amicorum ſanorum fletum commovet riſus phreneticorum.* Quod valdè fuit à Clemente VIII. celebratum. b *Tom. 10. n. 17. col. 598.*

Et proſequens idem F. Thomas, ſtatìm aït: dicit iſte P. me dixiſſe Molinam affirmare Deum non aperuiſſe cor mulieris purpurariæ, ut intenderet his quæ à Paulo dicebantur.

Quod

Digitized by Google

Quod ego dixi, & iterùm dico: itâ eſt. Certum eſt Scripturam Sanctam apertè dicere, quòd Spiritus Sanctus aperuit cor illius mulieris, ut intenderet iis quæ dicebantur; itâ quòd effectus eſt Spiritûs Sancti iſta operatio, & iſta attentio. At verò Molina dicit: hominem naturæ viribus poſſe attendere iis quæ per fidem proponuntur; quod eſt contrà illum locum Scripturæ. Hoc eſt quod ego dixi; non autem dixi quòd Molina materialiter dicebat, quòd Deus non aperuerit cor mulieris purpurariæ. Sunt enìm iſti PP. multùm materiales in hoc inſiſtentes.

Similiter dixit Pater Vaſtida Deum poſt excitantem gratiam exſpectare hominum voluntates. Quæ ſententia damnata videtur in terminis in Concilio Arauſicano II. *can. 4.* a ubì ſic habetur: *Si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum exſpectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per Sancti Spiritûs infuſionem & operationem in nobis fieri confitetur; reſiſtit ipſi Spiritui Sancto, per Salomonem dicenti*: b *Præparatur voluntas à Domino; & Apoſtolo ſalubriter prædicanti*: c *Deus eſt qui operatur in vobis & velle & perficere pro bonâ voluntate.* In quo non ſolùm damnatur, quòd Deus exſpectet ad primam gratiam; ſed etiam damnatur, quòd poſitâ gratiâ excitante Deus exſpectet. Nàm dicit Deum non exſpectare hominis voluntatem ut purgari velimus: ſed ſi poſitâ excitante gratiâ Deus exſpectaret hominis voluntatem & conſenſum, verè Deus exſpectaret noſtram voluntatem ut purgari velimus; ergò definit Concilium, quòd etiam poſitâ gratiâ excitante, Deus non exſpectat hominis voluntatem ad purgandum hominem: & omnem exſpectationem, quâ Deus exſpectet hominis voluntatem, damnat Concilium. Nàm adhuc poſitâ gratiâ excitante, homo nondùm eſt purgatus; & ex conſequenti, ſi illâ poſitâ Deus exſpectaret, exſpectaret utiquè ut purgari velimus.

a *In App. Op. S. Auguſtin. tom. 10. col. 157.*

b *Proverb. 8. ſecundù LXX.*

c *Philipp. 2. 13.*

Tunc Vaſtida contendebat Deum non exſpectare hominis voluntatem, ad dandam primam gratiam, & hoc tantùm determinari in Concilio illo; quià agebatur contrà illos Semipelagianos, qui initia conſtituebant in naturâ: at verò quòd poſitâ gratiâ excitante Deus exſpectet hominis voluntatem, eſt fides. Et iterùm reduplicabat eſſe fidem, & quòd SS. Thomas & Cyrillus hoc dicebant.

Cui dixit F. Thomas: Pater, in illo Concilio omnem exſpectationem, quâ Deus exſpectaret hominis voluntatem ad ipſum purgandum, Patres negant, ſivè ante primam gratiam, ſivè poſt primam gratiam. Et quià vera intelligentia Conciliorum eſt in mente Sanctitatis ſuæ, ideò de Concilio hoc nihil aliud dico. Quod autem Cyrillus dicit, Deum exſpectare hominis voluntatem, ſic eſt intelligendum: quòd Deus exſpectat voluntatem & conſenſum hominis quem ipſe cauſat, & quem ipſe efficit; non autem exſpectat hominis conſenſum, non factum à Deo, ſed à libero hominis arbitrio, per illam partialem cauſationem independentem à Deo, quam Molina conſtituit.

Tunc Vaſtida dixit: quòd utiquè Deus exſpectet hominis voluntatem quam ipſe facit.

Cui F. Thomas: quam ipſe facit, non ſolùm moraliter attrahendo; quod, ut ſuprà dictum eſt, non eſt facere: ſed quam facit verè, & activè, & propriè. Hoc modo enìm facit Deus ut faciamus.

Tunc alius P. Salas dixit aliqua, quæ ſi memoriâ teneo, talia fuerunt: tu putas triumphare tuo argumento. Ad hoc dico: quòd reſpectu diverſorum datur ille actus deliberatus & indeliberatus, ſicut de eodem Deo, objecto quodammodò materiali, ſunt plures virtutes ſub diverſâ ratione formali. Similiter dicebat: dixiſti, quòd actus ille indeliberatus eſt minùs perfectus, & quòd non poteſt eſſe cauſa illius alterius actûs deliberati & perfecti. Immò, optimè poteſt: ſicut aſſenſus

aſſenſus principiorum ſunt cauſa aſſenſûs concluſionis. Et ut probaret, quòd ille actus debebat poni, affirmabat: quòd in voluntate non ponebatur niſi habitus & actus; undè cùm non ſit habitus, debet eſſe actus, & nihil aliud. Et ſimilia quædam dicebat, affirmans: quòd Molina aſſerebat, illam prævenientem gratiam influere & cooperari ad eundem actum. Quem locum ibì legebat. Similiter dicebat: quòd actus fidei habet oppoſitionem *cum libertate*. At ego crediderim, quòd intendit dicere, *cum claritate*. Ità enìm confusè loquebatur, ut vix intelligeretur.

Quià autem valdè ſerò erat, & Sanctiſſimus erat fatigatus, dixit F. Thomas: uno ſolo verbo dicam. Iſte P. inquirit quid ſit illud quod eſt in voluntate actus & habitus? Ad quod dicendum, eſſe quid prævium ad actum & habitum, quo voluntas mota & actuata à Deo elicit actum, ſecundùm quod Concilia dicunt quòd Deus tangit cor hominis. Ille enìm tactus cordis eſt, quo voluntas actuatur & informatur, ut actum ſupernaturalem producat. Et ille ſupernaturalis tactus, eſt gratia præveniens, quæ non eſt actus indeliberatus, ſed quid prævium. Quomodò enìm iſti PP. volunt, illum actum etiam indeliberatum ſupernaturalem produci à potentiâ non priùs elevatâ ad ordinem ſupernaturalem? Actus enìm vitalis ſupernaturalis, licèt indeliberatus ſit, procedere tamen debet à potentiâ jàm priùs conſtitutâ in ordine ſupernaturali, nec aliud intelligi poteſt.

Tunc uterque ille P. dicebat: quòd non oportebat potentiam eſſe ſupernaturalem per aliquid intrinſecum inhærens; ſed ſufficiebat, quòd aſſiſteret intimè.

Cui F. Thomas: hoc eſt tollere prævenientem gratiam inhærentem, & actuantem potentiam, ſine quâ voluntas non poterit eſſe cauſa principalis illius actûs ſupernaturalis, ſed tantùm inſtrumentum; quod dici non poteſt.

Tunc ipſi tacuerunt. Et F. Thomas proſequens, aït: dixit etiam iſte P., quòd actus fidei opponitur libertati. Certè iſte P. omnia confundit. Licèt enìm actus fidei opponatur claritati, quià ex ſuâ naturâ obſcurus eſt, non tamen opponitur libertati. Ad illud autem ultimum quod legit in Molinâ: quòd ipſe, videlicèt, aſſerat, illam prævenientem gratiam influere in actum; ibì poteſt videre, ſi vult, quòd Molina non dicit illam prævenientem gratiam facere quòd homo producat actum illum, ſed quòd, homine ex ſuâ innatâ libertate illum producente, ipſo homine jàm faciente & conficiente, gratia ut pediſſequa influat in eumdem actum; & ſic illa gratia ſit adjuvans & cooperans, quià volumus; & ex conſequenti detur ex merito. Et hæc finita fuit Congregatio, cùm duraſſet per quatuor horas.

CONGREG.

Digitized by Google

Habita eſt coràm Sanctiſſimo 20 Januarij anno 1604. præſentibus omnibus illuſtriſſimis Cardinalib⁹ (Cardinale Davilâ duntaxàt excepto) omnibuſque Cenſoribus deputatis.

Aderant pro Jeſuitis P. Salas & P. Vaſtida; pro Prædicatoribus autem P. Generalis & P. Lemos.

CONGREGATIO VIGESIMA QUARTA CORAM CLEMENTE VIII.

In quâ quæſitum eſt, nùm ſententia Molinæ, de internâ Dei vocatione ad fidem & ad pœnitentiam, multùm à libero arbitrio dependente, & ab Eccleſiæ Miniſtris; conformis ſit doctrinæ S. Auguſtini, vel potiùs Pelagianorum & Semipelagianorum principiis?

Vide Hiſt. Congr. de Auxil. l. 3. cap. 29. col. 497. & ſeqq.

Vide hoc Dubium ſuprà col. 45.

ACTUM fuit in hâc Congregatione de Dubio octavo, à Sanctiſſimo ſubſignato: *An ſit expreſſa S. Auguſtini ſententia, aut ſaltem de ejus mente, vel potiùs contrà ipſius doctrinam, quòd interna Dei vocatio ad fidem, licèt donum Dei ſit, multùm tamen pendeat à libero arbitro ejus qui vocatur? Itèm quòd interna excitatio fidelis ad pœnitentiam, quàm maximè pendeat à Miniſtris Eccleſiæ, atque à libero arbitrio.*

In hâc Congregatione Sanctiſſimus præcepit ſtudendum brevitati, & graviſſimis verbis id commendavit; quià nec ipſe ſatis benè valebat. Sed tamen P. Vaſtida in his duobus Dubiis proponendis longiſſimus fuit, per duas ferè horas. Et in ſummâ dixit: internam vocationem ad fidem multùm pendere à libero arbitrio ejus qui vocatur; quià dicebat talem vocationem ad fidem eſſe in liberâ hominis poteſtate: id autem quòd in liberâ eſt hominis voluntate, ab illo pendet. Et dicebat ipſam juſtificationem eſſe in hominis voluntate liberâ; & ex conſequenti, quòd pendebat à libero arbitrio ejus qui vocatur. Et hinc producebat teſtimonia ad probandum, quòd vocatio ad fidem penderet à libero arbitrio. Et cùm ſemel atque iterùm illi Sanctiſſimus dixiſſet: *videte, quòd gratia & interna vocatio non poteſt pendere; quià cùm unum pendet ab alio; videtur illo inferius*: ipſe nihilominùs contendebat, quòd interna vocatio ad fidem erat effectus etiam liberi arbitrij; & quòd ex conſequenti pendebat etiam à libero arbitrio, ſaltèm ſicut à causâ materiali, licèt non ſit cauſa meritoria.

Et cùm Archiepiſcopus Armachanus legiſſet in Caſſiano, quòd tota quæſtio inter Catholicos & Pelagianos fuerat, quid à quo penderet, vel gratia à libero arbitrio, vel liberum arbitrium à gratiâ? ipſe Vaſtida dicebat: quòd loquendo de cauſis ipſius vocationis, quæ ſunt Deus & homo, Deus non pendet ab homine; ſed homo à Deo. At verò loquendo de ipſâ internâ vocatione ad fidem, cùm ipſa ſit effectus & Dei & liberi arbitrij, ipſa pendebat à libero arbitrio; quià ipſe tenet, quòd illa intrinſeca vocatio ad fidem, ſit actio vitalis; & ex conſequenti, quòd ſit effectus arbitrij. Et ſimilia multa dicebat. Similiter affirmabat, quòd non ſolùm interna vocatio ad fidem, quæ eſt donum Dei, multùm pendet à libero arbitrio; ſed etiam ipſum credere, donum Dei eſt; & tamen non eſt dubium quin pendeat à libero arbitrio, à quo elicitur. Et ſimiliter juſtificatio, ut dicebat, abſque dubio Dei donum eſt; & tamen juſtificatio à libero arbitrio ſe diſponente ad illam depen-

det. Ex quo concludebat: quòd optimè ſtant iſta duo; & quòd aliquid ſit donum Dei, & quòd pendeat à libero hominis arbitrio; licèt ſit contrà rationem doni Dei, quòd dependeat à libero hominis arbitrio, vel ab illius operibus, ſicut à meritis. Et in hoc in ſubſtantiâ ſuam firmavit ſententiam.

Deindè circà ſecundam partem Dubij, ſic dicebat: nullo modo poſſe negari internam vocationem fidelis ad pœnitentiam dependere à libero arbitrio ejus qui vocatur, & à Miniſtris Eccleſiæ. Quod probabat ex illo *ad* a Rom. 10. 14. *Rom. 10.* a *Quomodò credent, ſine prædicante?* Ex quo deducebat internam vocationem ad fidem pendere à Miniſtris Eccleſiæ. Et ad hoc probandum diffuſiſſimè introducebat hiſtoriam de Philippo & Eunucho Reginæ b Act. 8. Candacis, b cujus converſionem ad fidem concludebat fuiſſe dependentem à prædicatione Philippi, & ab eo quod ipſe Eunuchus actualiter legebat in Iſaïâ. Et ſimiliter adducebat converſionem S. Auguſtini ex lectione Librorum fuiſſe dependentem. Et multùm temporis in hoc conſumebat. Cùm autèm ferè per duas jàm dixiſſet horas, ſæpiùs eadem uſque ad nauſeam repetens, ità ut videretur nihil aliud intendere, niſi occupare tempus ſignatum ad dicendum, tandèm finivit.

Tunc F. Thomas dixit: ut proſequeretur, & diceret omnia ſecundùm quod Sanctiſſimus præceperat. Ipſe autem dicebat: quòd volebat priùs audire quæ à F. Thomâ dicerentur.

Igitur F. Thomas Sanctiſſimo dixit: Beatissime Pater, dicat ipſe ad omnia, quæ præcepit Sanctitas Veſtra; & ego nihil dicam. Tunc Sanctiſſimus præcepit, ut F. Thomas diceret. Qui & ſic incepit.

Sanctissime Pater, ad cujus pedes, quæcunque dixero, ſuppono humiliter, ego libenter relinquo omnia quæ parata habebam, & ſummitate tantùm labiorum dico; non ſolùm eſſe contrà ſententiam S. Auguſtini, internam vocationem ad fidem multùm pendere à libero arbitrio ejus qui vocatur; ſed etiam contrà expreſſam ſententiam S. Doctoris eſſe, illam aliquo modo pendere à libero arbitrio hominis. Patet hæc veritas ex generali doctrinâ S. Auguſtini, illâque tutiſſimâ, & ſæpè contrà Pelagianos fundatâ, quâ perpetuò docet, non præcedere hominis voluntatem, ut nobis detur gratia divina; ſed interna vocatio ad fidem eſt divina gratia, immò eſt prima gratia; ergò ut nobis donetur non præcedit hominis voluntas; ergò interna vocatio ad fidem non pendet à priori hominis voluntate; & multò minùs poteſt dici, quòd multùm pendeat à libero arbitrio ejus qui vocatur. Undè ipſe S. Auguſtinus *Lib. 1. ad Bonifac. cap. 19.* explicans illud Chriſti Domini: c *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater,* c Joan. 6. 44. *qui miſit me, traxerit eum,* ità dicit: d *Non aït, duxerit, ut illic aliquo mo-* d Tom. 10. n. 37. col. 428. *do intelligamus præcedere voluntatem. Quis trahitur, ſi jàm volebat? Et tamen nemo venit, niſi velit. Trahitur ergò miris modis ut velit, ab illo qui novit intùs in ipſis hominum cordibus operari. Non ut homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed ut volentes ex nolentibus fiant.* S. ergò Auguſtinus negat aliquo modo præcedere hominis voluntatem, ut detur divina gratia; & tamen Molina vult, quòd præcedat hominis voluntas, à quâ multùm dependeat interna vocatio ad fidem, quæ prima gratia eſt.

Præterea S. Auguſtinus *Lib. de dono perſev. cap. 9.* e expreſſis verbis af- e Tom. 10. n. 21. col. 831. firmat: quòd *ex duobus ætate grandibus, quòd unus vocetur ad fidem, & alius non vocetur, inſcrutabilia ſunt judicia Dei.* Et millies in ſuâ doctrinâ docet, nullam poſſe reddi rationem, quarè unus vocetur ad fidem, & non alius. Et tamen ſi interna vocatio ad fidem multùm pendet à libero arbitrio ejus qui vocatur, aperta eſt, & palmaria redditur ratio quarè iſte vocetur ad fidem, & non alius. Dicit enim Molina; quòd ideò iſte vocatur

ad

ad fidem, & non alius, quià interna vocatio ad fidem multùm pendet à libero arbitrio ejus qui vocatur; & quià iſte facit per liberum arbitrium id à quo dependet interna vocatio ad fidem, ideò vocatur; quià autem alius non facit per liberum arbitrium id à quo dependet interna vocatio ad fidem, ideò interiùs non vocatur ad fidem. Quis non videat apertiſſimam & manifeſtiſſimam reddi rationem in hâc Molinæ ſententiâ; quarè unus vocetur ad fidem, & non alius? Quam tamen rationem nunquàm cognovit Auguſtinus, immò nunquàm penetravit Apoſtolus Paulus, a qui ſemper, quarè unus vocetur & non alter, recurrit in altitudinem ſapientiæ & ſcientiæ Dei, & in judicia ejus incomprehenſibilia. Certè RR. PP. hoc opere atque doctrinâ affirmant, & dicunt ſe inveniſſe perviam & facilem rationem ad reſpondendum, quarè unus vocetur interiùs à Deo, & alius non vocetur.

a Rom. 11. 33.

Inſuper S. Auguſtinus *quæſt. 2. ad Simplicianum* b manifeſtè docet: quòd homo non poteſt ſibi præſtare quòd ad fidem vocetur. Et *Lib. 83. quæſt. q. 68.* c affirmat expreſsè: quòd nemo poteſt ſibi tribuere quòd vocatus ſit: & tamen ſi interna vocatio ad fidem multùm pendet à libero arbitrio ejus qui vocatur, abſque dubio poteſt ſibi præſtare homo, quòd vocetur. Nàm poteſt facilè per liberum arbitrium id à quo pendet interna vocatio ad fidem; & ſic ſibi præſtabit, quòd interiùs à Deo vocetur.

b Tom. 6. L. 1. num. 2. & ſeqq. col. 89. & ſeqq.

c Tom. 6. num. 5. col. 54.

Et tandem quomodò dicit Molina, aut quomodò RR. PP. defendunt, internam vocationem ad fidem, licèt Dei donum ſit, multùm tamen pendere à libero arbitrio ejus qui vocatur? Quomodò enìm non advertunt hæc duo incompoſſibilia eſſe, & inter ſe repugnantia? Si enìm interna vocatio ad fidem eſt Dei donum, non eſt pendens ex nobis; & ſi ex nobis pendet, non eſt donum Dei. Hoc enim apertè docet Apoſtolus dicens: d *Gratiâ enìm eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum eſt. Non ex operibus &c.* Ubì contrà ponit, quòd ſi aliquid eſt Dei donum, non eſt ex nobis; & ſi ex nobis eſt, non eſt donum Dei. Non ergò fallat Molina incautos, & minùs verſatos in hâc materiâ, vel potiùs ſeipſum, qui præmiſit internam vocationem ad fidem eſſe Dei donum, quod ad vitandam invidiam ſolis verbis dixit; & ſtatìm verbis immediatè ſequentibus totum quod ædificaverat deſtruxit, dicens: illam vocationem eſſe donum Dei; & manifeſtavit ſe ſolùm voce illam Dei donum fateri. Dicunt enìm Dialectici eſſe quaſdam propoſitiones ſeipſas falſificantes; & hæc eſt una ex illis; quià Molina dicit: internam vocationem ad fidem eſſe donum Dei, & multùm pendere à libero hominis arbitrio. Hæc propoſitio eſt ſine dubio falſificans ſeipſam; nàm ſecunda pars falſificat primam. Et per hoc patet quid dicendum ſit ad ſecundam partem Dubij.

d Eph. 2. 8.

Dicendum etenìm internam vocationem fidelis ad pœnitentiam non pendere à Miniſtris Eccleſiæ, nec à libero arbitrio ejus qui vocatur. Aliud eſt enìm, quòd interna vocatio ad fidem non fiat ordinariè, & ſecundùm communes leges, niſi præcedat miniſtrorum prædicatio; & aliud valdè diverſum, quòd Deus in vocando interiùs ad fidem, pendeat ab Eccleſiæ Miniſtris. Illud primum verum eſt; quià ut aït Apoſtolus: e *Quomodò credent ſine prædicante?* Illud autem aliud omninò eſt falſum, & magìs diſtat à primo, quàm cælum à terrâ. Quis enìm dicat, Deum in vocando ad fidem dependere à ſuis Miniſtris? Si enìm Philoſophia vera prohibet dicere, cauſam principalem dependere à ſuis inſtrumentis, ſed potiùs quòd inſtrumenta dependeant à causâ principali, à quâ moventur & applicantur; quantò magìs Deus, qui cauſa prima infinitæ virtutis eſt, non eſt dicendus pendere à ſuis miniſtris & inſtrumentis, ut operetur: Immò miniſtros omninò pendere à Deo, à quo moventur

e Rom. 10. 14.

tur & applicantur. Undè Anſelmus *ſuper epiſt. ad Epheſ. cap. 2.* exponens illud *ad Rom. 10. Quomodò prædicabunt, niſi mittantur?* ſic dicit: *Prædicantes non ſunt, niſi mittantur; ſed quòd mittuntur, gratia eſt: quapropter & prædicatio gratia eſt; quià gratia eſt quæ deſcendit ex gratiâ: & auditus eſt gratia; intellectus ex auditu, gratia; & rectitudo volendi, gratia.* Legatur S. Auguſtinus *Lib. de præd. Sanct. cap. 5.* a, ubì ex Apoſtolo probat, quòd non eſt gloriandum in miniſtris, quaſi ab iis pendeat ſalus.

a *Tom. 10. num. 9. col. 796.*

Tunc Pater Vaſtida dixit: legat locum ſancti Auguſtini, ut ego reſpondeam.

Cui F. Thomas: jàm dixi, quòd propter brevitatem omnia relinquo. Ibì S. Auguſtinus refert Apoſtolum reprehendentem Corinthios, qui gloriantes de ſuis prædicatoribus, dicebant: b *Ego quidèm ſum Pauli, ego verò Apollo.* Quibus dicit Apoſtolus: *Quid eſt Paulus? Quid verò Apollo? Miniſtri ejus cui credidiſtis: & unicuique ſecundùm quod Dominus dedit.* Ubì docet S. Auguſtinus, quòd omnia refert in Deum, non in miniſtros. Non ergò Deus dependet à miniſtris in vocando ad fidem; ſed potiùs miniſtri in omnibus dependent à Deo à quo mittuntur. Alia plura relinquo.

b *1. Cor. 1. 12. &c.*

Sed reſpondeant RR. PP.. Ipſi in præcedenti Congregatione dixerunt: quòd tunc gratia dabatur intuitu operis naturalis præcedentis, cùm illa opera erant libera cum aliquâ bonitate morali: ſed ſecundùm Molinam, opera à quibus dependet interna vocatio ad fidem, ſunt libera, & bona moraliter: ergò interna vocatio ad fidem datur intuitu eorum; & ex conſequenti pendet illa interna vocatio ab illis, ſicut ex meritis.

Ad quod, Vaſtida negavit ſe illam majorem dixiſſe in præcedenti Congregatione.

Cui Frater Thomas: illam dixiſti. Immò in illâ fundaſti totam tuam reſponſionem; ad dicendum quòd ideò Molina non conſtituebat dari gratiam intuitu operum præcedentium, quià illi erant actus non liberi, nec habentes bonitatem liberam. De quo me remitto ad Acta.

Tunc Pater Vaſtida dixit; ſe ſolùm dixiſſe, quòd unum de requiſitis, ut gratia daretur intuitu præcedentium operum, erat, quòd illa eſſent opera bona & libera, non autem quòd ſufficeret.

Cui F. Thomas: tunc dixiſti, quòd gratia dabatur intuitu operum, quandò illa erant bona, & facta liberè. Et verè quidem tunc dixiſti, quod modò negas. Sanctus enim Auguſtinus dicit: quòd ſi præcedat hominis voluntas, gratia datur quià volumus, intuitu talis boni operis.

Tunc Vaſtida: ſæpiùs diximus quòd intelligitur Auguſtinus, quandò præcedit voluntas ex fide.

Cui Frater Thomas: ſecundùm S. Auguſtinum, quidquid & quomodòcunque ex parte voluntatis humanæ præcedat, cui detur gratia; ex illo infert, quòd gratia detur quià volumus, & intuitu talis operis boni. Immò *Lib. 2. ad Bonif. cap. 8.* c hanc excuſationem modò prætenſam, & priùs datam à Juliano rejicit. Dicebat enim Julianus, quòd tantùm præcedebat imperfecta voluntas & cupiditas boni; & tamen S. Auguſtinus concludit: *Verùm & ſic dicunt gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari.* Et id demonſtrat, dicens: *Si enim per nos incipit cupiditas boni; ipſum cœptum erit meritum.*

c *Tom. 10. n. 18. col. 443.*

Tunc Vaſtida dixit: quòd ſæpiùs ad hoc dixerat, & quòd non oportebat hoc iterare.

Cui F. Thomas: immò in hoc ſemper inſiſtendum eſt. Sed hoc tamen modò omiſſo; dixiſti modò internam vocationem ad fidem eſſe donum Dei, & multùm pendere à libero arbitrio; ſicut ipſum credere, licèt donum Dei ſit, pendet tamen ſine dubio à libero arbitrio. Et ſic de Dei vocatione ad fidem tranſis ad actum credendi. Hìc autem non agitur de actu credendi; ſed de internâ vocatione ad creden-

dum

Digitized by Google

dum. Quomodò autem ipſum credere, cùm ſit donum Dei, pendeat tamen à libero arbitrio, ſit manifeſtum. Ideò enim credere eſt donum Dei, quià facit nos credere Deus, ſi autem ipſe non faceret nos credere, profectò ipſum credere eſſet ex nobis, & donum Dei non eſſet. Dicat ergò Pater: ex iſtis duobus cauſis, Deus vocans ad fidem, & homo operans, quæ ex quâ dependet? Dicat ad hoc?

Ad quod Vaſtida dixit: ſe velle ad omnia reſpondere.

Cui iterùm dixit F. Thomas: dicat hoc modò; ex iſtis duabus cauſis, quæ pendet ab aliâ?

Cui iterùm dixit Vaſtida: ſe nolle reſpondere tunc.

Tunc F. Thomas dixit Sanctiſſimò: ideò non reſpondet, quià jàm ex ſuis dictis ſentit ſe convictum. Nàm ipſe modò dixit: quòd vocatio ad fidem, ut erat effectus, pendet à liberò arbitrio; ut autem eſt cauſa, non pendet à libero arbitrio. Igitur Deus vocans ad fidem, ut vocet ad illam non pendet à libero arbitrio. Similiter ipſe P. Vaſtida dixit: gratiæ eſſe, quòd prædicatores mittantur; ſuppoſitâ ergò hâc gratiâ externâ, dicat à quo habet homo, quòd audiat prædicatorem animo addiſcendi, & intendendi, & amplectendi quæ dicuntur; à ſeipſo, an à divinâ gratiâ? ad hoc reſpondeat?

Cui reſpondit Vaſtida: quòd ſi ex libero arbitrio hoc habet, ut probabile eſt, tunc ſine gratiâ poterit id facere.

Cui F. Thomas: ego interrogo de eo quod eſt certum ex fide; à quo, videlicèt, habet homo, quòd animo addiſcendi & amplectendi audiat prædicatorem? Et ad hoc reſpondeat abſolutè, & non per conditiones?

Cui iterùm dixit Vaſtida: iterùm dico, quòd ſi ex libero arbitrio hoc habeat, ut dicunt multi probabiliter, non erit neceſſaria gratia.

Cui iterùm dixit Frater Thomas: jàm ergò fatetur eſſe probabile, poſſe hominem ex ſolo arbitriò velle audire prædicatorem animo amplectendi quæ dicuntur.

Cui reſpondit ipſe: illud eſſe probabile; verumtamen non eſſe Molinæ ſententiam.

Cui Frater Thomas: & eſt Molinæ ſententia, & tua; quòd homo hoc habeat, non ex gratiâ, ſed ex libero arbitrio. Cùm autem Vaſtida inſiſteret, quòd Molina non diceret, legit Frater Thomas locum *ex diſput. 9. §. patet tertiò*, ª in quo planè id dicit Molina. ª *Pag.* 28. *col.* 2.

Sed ſtatim Vaſtida dixit: ibì non dicere Molinam, quòd ex ſolo arbitrio; quià ibì tantùm loquitur de internâ vocatione ad fidem, dicens: illam pendere ab arbitrio, non autem ſolùm à ſolo arbitrio; quià ante vocationem ad fidem, præcedit alia gratia, ex quâ liberum arbitrium moveatur.

Tunc F. Thomas dixit: hoc non ſolùm eſt contrà veritatem, ſed etiam contrà Molinam. Etenim Molina ſupponit id quod eſt certiſſimum; nullam aliàm poſſe eſſe priorem gratiam prævenientem ante vocationem ad fidem; licèt hæc prima gratia præveniens habeat latitudinem. Quæ enim alia poteſt eſſe præveniens gratia, niſi illa quæ vocet ad fidem, quæque initium & fundamentum eſt totius religionis & pietatis? Abſque dubio Concilium Tridentinum docet, nullam aliam poſſe eſſe prævenientem gratiam, priorem illâ quâ Deus vocat ad fidem. Dicit enim *Seſſ. 6. cap. 5.*, exordium noſtræ juſtificationis ſumendum eſſe à Deo per Chriſtum Jeſum præveniente gratiâ, id eſt, ab ejus vocatione. Et *cap. 6. ſequenti*, quæ ſit iſta præveniens gratia vocans, quæ eſt initium ſivè exordium noſtræ juſtificationis, dicit: quòd *hâc præveniente gratiâ excitati & adjuti, fidem ex auditu concipientes &c.* Ergò omnis prima præveniens gratia, quæ eſt juſtificationis initium, eſt vocatio ad fidem, nec ante iſtam alia prior interna gratia poteſt imaginari. Et hoc ſupponit Molina, & in hoc

 verum

Digitized by Google

verum dicit. Inſuper quòd Molina loquatur de actu ſolius liberi arbitrij antecedentis omnem primam gratiam internam, patet ex toto contextu; & *ex diſpp. 9. & 10.* Itèm patet, quià *in §. patet tertiò, ſuprà citato*, loquitur de actu arbitrij, qui habetur ante prædicationem, & ante omnem ſupernaturalem cogitationem: hic autem actus, eſt actus ſolius arbitrij.

Sed ad hoc reſpondebat P. Vaſtida: quòd hoc Molina expreſsè non dicebat & formalibus verbis, ſed quòd deducebatur per conſequentias, ad quas ipſe reſpondebat quòd loquebatur de actu liberi arbitrij, qui antecedebat ſupernaturalem cogitationem reſpectu fidei; non autem qui antecedebat priorem gratiam. Quod probabat; quià ipſe Molina *diſp. 45.* a ſe remittens ad hanc 8am. & 9am. diſputationem dicit: ſe ſolùm agere de juſtificatione per fidem. Quem locum ibì legebat.

a *§. accipe ergò p. 184. col. 2. & infrà.*

Cui F. Thomas: quarè non legis immediatè ſubſequentia verba, ubì Molina manifeſtè loquitur de omnium primâ gratiâ præveniente? Et legens ipſe Frater Thomas immediatè ſubſequentia verba *in §. accipe*, oſtendit quomodò Molina loquebatur de omnium primâ gratiâ præveniente. Undè tale conſtituit argumentum: Molina, ut modò concedis, *ex iſtâ diſp. 45.* remittit ſe *ad diſp. 8am. & 9am.*; ergò de eodem loquitur hìc & ibì; ſed hìc loquitur de omnium primâ gratiâ præveniente; ergò & ibì locutus fuit de omnium primâ gratiâ, quam nullam aliam ipſe cognoſcit niſi illuſtrationem ſupernaturalem ad fidem.

Ad quod dicebat Vaſtida: quòd non loquebatur in unâ parte & in aliâ, ſed in omnibus de eodem.

Cui Frater Thomas: utrobique loquitur de primâ gratiâ præveniente, nomine illuſtrationis & vocationis ad fidem. Et prætereà ipſe dicit: quòd facienti quod in ſe eſt Deus dat gratiam prævenientem *in diſp. 10.* b; loquitur ergò apertè de actu merè naturali antecedente omnem primam gratiam prævenientem.

b *Pag. 31. col. 1.*

Tunc dixit Pater Salas: hoc eſt aliud.

Et F. Thomas: immò & ipſum de quo agimus. Itèm quià *in diſp. 9.* c. ſic dicit Molina: quòd Deus per gratuita dona elevat naturam; non ergò ſupponit alia priora gratuita dona, quibus fuerit natura elevata.

c *§. Hinc juxtà pag. 29. col. 1.*

Cui Vaſtida dixit: nullam eſſe iſtam conſequentiam; quià charitas elevat voluntatem, & tamen ſupponit fidem in intellectu. Et quædam ſimilia impertinentia miſcebat, quibus non oportebat reſpondere. Et tandem ipſe Vaſtida ſic concluſit: quòd ſi nulla alia eſt præveniens gratia, niſi interna vocatio ad fidem; quòd fatebatur Molinam loqui de actu merè naturali, à quo penderet illa interna vocatio ad fidem.

Tunc P. Salas dixit: quòd vocatio ad fidem, alia erat proxima, alia remota; quià ante omnem vocationem immediatam & proximam ad fidem, erat neceſſaria gratia præveniens in infidelibus ad aliqua opera moralia facienda. Et iſtam ipſe vocabat indirectam vocationem ad fidem; licèt in hoc, aliquo modo ſibi eſſent contrarij; quià Vaſtida dicebat, illam non eſſe etiam indirectam vocationem ad fidem.

Quibus dixit F. Thomas: Patres, convenite priùs inter vos; quià contrarij eſtis.

Tunc tandem Vaſtida conceſſit, illam prævenientem gratiam eſſe indirectam vocationem ad fidem; quâ gratiâ præveniente dicebat hominem moveri, ut honoret parentes V. G.

Tunc aït F. Thomas: jàm ergò nulla eſt prior gratia, niſi illa quæ ordinetur ad fidem, ſivè proximè, ſivè remotè, ſivè indirectè. Iſte P. Salas dicit, quod ego anteà uno verbo dixeram; vocationem, nempè, ad fidem, quæ prima vocatio eſt, habere latitudinem, quià alia eſt magìs proxima, alia magìs remota. Cæterùm omnis prima gratia præveniens debet eſſe vocatio ad fidem aliquo modo.

Tunc

Digitized by Google

Tunc P. Vaſtida : neſcio quâ occaſione, maximè inſtabat, quòd & ſecundùm S. Thomam, & ſecundùm fidem, Deus dabat omnibus auxilium ſufficiens ad fidem.

Ad quod F. Thomas dixit : ſanctum Thomam nunquàm tale dicere, nec id pertinere ad fidem. 1°. Quià Suarez veſter & Vaſquez planè dicunt multò probabilius eſſe, quòd Deus non det omnibus auxilium ſufficiens. Immò iſta expreſſa ſententia ſancti Auguſtini eſt, *Lib. de corrept. & grat. cap. 7.* a Quem locum ibi legit. Similiter ſanctus Thomas *2. 2. q. 2. art. 5. ad 1m.* manifeſtè loquens de auxilio, quo homo poteſt converti, quod eſt abſque dubio auxilium ſufficiens, dicit : *Quòd, ut ſanctus Auguſtinus docet Libro de Correptione & Gratiâ, tale Auxilium, quibus datur, miſericorditer datur, & quibus non datur, propter peccatum non datur, ſaltèm propter originale.* Et ratione hoc demonſtrat S. Thomas ; quià certiſſimum eſt eſſe multos infideles negativè, qui proindè in Inferno non puniuntur, quià non habuerunt fidem, ſed propter alia delicta. Et tamen ſi omnes haberent auxilium ſufficiens ad fidem ; cùm illi reſiſterent, eſſent infideles contrariè. Certiſſimum eſt ergò, quòd non omnes habent auxilium ſufficiens ad fidem.

a Tom. 10. num. 11. col. 716.

Ad hoc argumentum, ſic reſpondebat Pater Salas : quòd de facto non omnes habent ; quià aliàs eſſent infideles contrariè : at verò omnibus Deus erat paratus dare, niſi per ipſos ſtaret.

Ad quod F. Thomas : jàm ergò verum eſt, quòd de facto non omnes infideles habent ſufficiens auxilium ad fidem. Ad id verò quod Pater dicit, Deum eſſe paratum dare illud, ſi homo non obſtat : hoc ſic intelligunt iſti Patres ; quià ſi homo fecerit ex naturæ viribus quod in ſe eſt, Deus illud dabit : quod eſt reipsâ aſſerere, illud dare quià volumus, & eſt conſtituere in homine faciente quod in ſe eſt, initium ſuæ ſalutis, & meritum ut tale auxilium ſupernaturale detur.

Tunc neſcio quæ alia minùs pertinentia dixit Vaſtida ad quæ minùs attendi. Inter quæ dixit vocationem ad fidem eſſe effectum liberi arbitrij.

Ad quæ Frater Thomas dixit : Abſit, quòd Deus ut vocans, vel ejus vocatio, effectus ſit hominis. Et paucis interpoſitis finita fuit Congregatio.

CONGREG.

Digitized by Google

CONGREGATIO VIGESIMA QUINTA CORAM CLEMENTE VIII.

Habita eſt die Lunæ 16 Februarij 1604.

In quâ ſequens Molinæ Propoſitio fuit examinata, ſcilicèt; dùm ſumus in viâ, ſemper in manu liberi arbitrij eſt noſtra ſalus, pèrque nos ipſos ſtat, quòd ad Deum non convertamur. Quæſitumque eſt, utrùm ſancti Auguſtini doctrinæ concordaret, vel potiùs opponeretur?

Prædicatorum nomine diſputavit Didacus Alvarez ob ægram Thomæ de Lemos valetudinem.

ACTUM fuit in hâc Congregatione de ſecundâ difficultate contentâ in octavo Scripto à Summo Pontifice tranſmiſſo, quæ talis eſt: *An dùm ſumus in viâ, ſemper in manu liberi arbitrij noſtri poſita ſit noſtra ſalus; per noſque ipſos ſtet, quòd ad Deum non convertamur?*

In hâc Diſputatione, ego F. Thomas de Lemos, quià gravi infirmitate laborabam, præſens non fui. Sed P. Didacus Alvarez cum P. Generali perrexit ad diſputandum.

MONITUM EDITORIS.

In MSS. Codice R. Patris de Lemos nihil aliud quàm quæ ſuprà, de præſenti Diſputatione leguntur. Tantâ enìm diligentiâ, &, ut ità dicam, ſcrupulo, quæ in Congregationibus geſta ſunt, ſcripto redegit; ut nihil niſi ea enarret, quæ vel ab ipſo, vel ejus ſub oculis ſunt acta. Nè ergò Lector hìc deſiderabundus hæreret, utque omnium ſeries texeretur Diſputationum, operæ pretium duxi, quæ hâc de re, in comptiſſimâ & per quàm fideli Congregationum de Auxiliis Hiſtoriâ Doctiſſimus P. Seri Dominicanus, ſub nomine Auguſtini le Blanc, enarravit, hìc de verbo ad verbum tranſcribere. Lectorem igitur monitum velim, ea quæ ſequuntur, illuſtriſſimi Patris Thomæ de Lemos non eſſe, ſed ipſius R. P. Seri; in cujus opere L. 3. cap. 30. ſic legitur.

Vide hiſt. Cong. de Auxil. l. 3. cap. 30. col. 501. & ſeqq.

” Quæſtionem affirmativè definivit Ferdinandus de Baſtida: quam, nullâ variorum quibus obnoxia eſt ſenſuum præmiſsâ diſtinctione, congeſtis S. Auguſtini aliorumque Patrum ac Theologorum teſtimoniis confirmavit. Ea in primis protulit, quibus S. Doctor ſalutem in poteſtate noſtrâ poſitam affirmat; nec aliud à nobis ad ſanitatem obtinendam deſiderari, niſi ut velimus. 2°. Ea, quibus culpam imputari homini decernit, ſi peccata non vitet. 3°. Ea, ubì gratiam ad converſionem præſtò nobis ſemper eſſe docet. 4°. Ea, ubì per Deum non ſtare aït, quòd non ſanemur & convertamur. Ex quibus omnibus conſequens eſſe voluit, ſalutem in manu arbitrij poſitam eſſe.

” Dixit pro adverſâ parte Didacus Alvarez. Præmiſit duplicem quæſtionis ſenſum: unum, an ità, dùm ſumus in viâ, ſemper in manu liberi arbitrij noſtri poſita ſit noſtra ſalus, quòd hæc poteſtas ſit in nobis accepta ex auxilio gratiæ, ſivè ab ipſo Deo, qui miſericorditer quibus vult, & quandò vult hanc tribuit poteſtatem? Alterum, ità ut hæc poteſtas primò incipiat à nobis, vel ſit in nobis, quatenùs, videlicèt, facimus quod in nobis eſt per naturalem facultatem arbitrij. Hinc triplicem ſtatuit ac probavit Concluſionem.

” Prima Concluſio: Juxtà mentem S. Auguſtini & ſecundùm Catholicam doctrinam aſſerendum eſt, quòd, dùm ſumus in viâ, in manu arbitrij noſtri poſita

» poſita ſit noſtra ſalus; ſi intelligatur » de poteſtate acceptâ à Deo ex dono » gratiæ. Ità quòd, ſi Deus homini per » ſuam gratiam ſemper tribuat hanc po- » teſtatem, in manu arbitrij ſui erit ſem- » per ejus ſalus: ſi autem non tribuit illi » ſemper hanc poteſtatem, non erit » ſemper poſita ſalus in manu arbitrij » ejus, ſed quandò Deus voluerit illi » hanc poteſtatem dare.

" Secunda Concluſio: aſſerere quòd » eâ ratione, dùm ſumus in viâ, ſemper » in manu arbitrij noſtri poſita ſit noſ- » tra ſalus; quià ſi fecerit homo quod » in ſe eſt, præſtò illi aderit Deus, ut » fidem & gratiam conſequatur, perti- » net ad errorem Pelagianorum & Se- » mipelagianorum. Neque in hoc ſen- » ſu aſſerit unquàm S. Auguſtinus, quòd » ſemper, dùm ſumus in viâ, in manu » arbitrij noſtri poſita ſit noſtra ſalus: » neque id ex dictis ejus colligitur, ſed » potiùs oppoſitum.

" Tertia Concluſio: Molina in ſen- » ſu Pelagianorum & Semipelagiano- » rum, damnato ab Eccleſiâ Catholicâ » & ſancto Auguſtino, ſæpiùs aſſerit » quòd, dùm ſumus in viâ ſemper in » manu arbitrij noſtri poſita ſit noſtra » ſalus. Hunc porrò Pelagianum ſen- » ſum, in hâcce famoſâ Molinæ pro- » poſitione ſitum obſervavit: a *Inter » leges quas tàm ipſe (ſeu Chriſtus) quàm » Pater Æternus ſtatuerunt de auxiliis & » donis, quæ nobis Chriſtus promeruit, » merè gratìs conferendis, una eaque » rationi maximè conſentanea fuit, ut » quotiès ex noſtris viribus naturalibus » conaremur facere quod in nobis eſt; » præſtò nobis eſſent auxilia gratiæ, qui- » bus ea, ut oportet ad ſalutem, efficere- » mus: ut eâ ratione, dùm eſſemus in viâ, » ſemper in manu liberi arbitrij noſtri » poſita eſſet ſalus noſtra, pérque nos ip- » ſos ſtaret, quòd ad Deum non converte- » remur.*

a Diſp. 10 §. illud etiam p. 31. col. 1. & 2.

" Tùm juxtà ſtatutos controverſiæ » ſenſus; objecta Auguſtini loca inter- » pretatus eſt Alvareſius. Teſtimoniis » primo in ordine laudatis, Semipela- » gianos, non ſecùs ac Baſtidam, inſi- » gniter abuſos oſtendit; ſuos ut erro- res tanti Doctoris ſuffragio tuerentur. « Quibus propterea id unum reponen- « dum monuit, quod *L. 1. retract. cap. 10.* b « repoſuit Auguſtinus: *Quòd omnes ho- « mines* ſalutem conſequi *poſſunt, ſi ve- « lint; non exiſtiment novi hæretici Pela- « giani ſecundùm eos eſſe dictum. Verum « eſt enim omninò, omnes homines hoc « poſſe, ſi velint; ſed præparatur voluntas « à Domino; & tantùm augetur munere « charitatis, ut poſſint.* «

b Tom. 1. num. 2. col. 16.

" Quæ ſecundo in ordine lauda- bantur admiſit ultrò; ſed nihil indè « ſequi, aït, ad Molinianum figmentum « obtrudendum: quià ſat eſt, ſi homo « per gratiam peccata vitare poſſit: cùm « præſertìm nativam illam peccati vi- « tandi impotentiam vitio ſuo, ſaltèm « originali, contraxerit. «

" Tertij ordinis teſtimonia diluit in hunc modum: *Deus pro loco & « tempore miſericorditer tribuit peccatori- « bus auxilium ſufficiens, quo ſalvari poſ- « ſint, ſi velint; non tamen illud tribuit eâ « ratione, quià priùs homo fecit quod in ſe « erat ex facultate naturæ, ut dicit Moli- « na. Neque illud tribuit ſemper, ità ut « reverâ homines recipiant in ſeipſis, & « ſentiant hujuſmodi auxilium. Non enim « pro quolibèt momento temporis, actu ex- « citatur à Deo, & movetur ad bonum, « ut experientia docet, & patet in dormien- « tibus, & illis qui multo tempore nihil « cogitant de ſalute ſuâ. Ad illud autem « quod objiciebatur, quià nullus datur pec- « cator in hâc vitâ, qui ſalutem conſequi « & ad Deum converti non poſſit; Reſ- « pondeo hoc eſſe veriſſimum, quià ſemper « poteſt Deus miſericorditer movere quem- « cunque peccatorem exiſtentem in hâc « vitâ ad pœnitentiam, & illum converte- « re ſecundùm legem ordinariam: & libe- « rum hominis arbitrium, quamdiù vivit « in hoc ſæculo, ſemper eſt flexibile in bo- « num & in malum, & paſſio Chriſti ac « miſericordia Dei eſt ſufficiens ad delen- « dum quodcunque peccatum viatorum. « Quod quidem non habet locum in dam- « natis: quoniàm ſecundùm potentiam Dei « ordinariam, neque habent, neque habe- « re poſſunt aliquod auxilium Dei ſuper- « naturale; & liberum eorum arbitrium,* «

„ *quià ſunt in termino, eſt inflexibile ratione ſtatûs.*

„ Ad teſtimonia ultimo loco objecta reſpondit, ideò non ſtare per Deum, quominùs ſanemur & convertamur; quià nuſquàm ſanitatis & converſionis gratiam negat Deus, niſi in peccatorum noſtrorum pœnam, quo fit ut defectûs gratiæ cauſa prima ex nobis ſit. *1. 2. q. 112. art. 3. ad 2.*

„ Pauca in oppoſitum repoſuit Ferdinandus de Baſtida. Nuſquàm à Molinâ negatum dixit, quià ſalutis obtinendæ poteſtas homini ex ſolo Dei adjutorio ineſſet. Probandum nihilominùs ſibi ſumpſit, eam ineſſe homini poteſtatem, quià unicuique pro nativis viribus adnitenti gratia confertur. Quocircà Concilij Senonenſis definitionem in Decreto fidei XV. egregiè extulit: *Neque tamen tanta gratiæ neceſſitas libero præjudicat arbitrio: cùm illa ſemper ſit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo non ſtet ad oſtium & pulſet.* Cui ſemel iterùmque ſubjunxit Alvareſius, Deum ſuâ ipſius ingenitâ bonitate, præſtò quidem ſemper eſſe, ut gratiam homini largiatur, niſi in originalis peccati, aliorumque præcedentium delictorum pœnam, deſertionis meritum contraxiſſet. Cæteroquìn tamen Concilium Senonenſe, Molinianum ac Pelagianum Dogma nuſquàm tradidiſſe: ideò ſcilicèt gratiam homini conferri, quòd priùs naturæ viribus fecerit quod in ſe eſt.

„ Baſtidæ durius viſum fuit, gratiam ſufficientem in originalis peccati pœnam interdùm homini denegari: quarè in eam ſententiam acriùs declamavit. Cui cùm Alvarez repetitis interlocutionibus ſatisfeciſſet, Congreſſus dato ſigno ſolutus eſt.

CONGREGATIO
VIGESIMA SEXTA CORAM CLEMENTE VIII.

Habita eſt die 22 Martij 1604. præſentibus omnibus Illuſtriſſimis Cardinalib⁹ & Conſultoribus omnibus uno excepto, Epiſcopo Aquilenſi.

In quâ diſcuſſa eſt Molinæ propoſitio, quâ dicit: Deum leges ordinarias donorum ſuorum, adultis diſtribuendorum, magnâ ex parte uſui liberi arbitrij accommodaſſe; diſputatumque eſt, nùm hæc cum Auguſtini ſeu potiùs Pelagianorum principiis concordet.

Vide Hiſt. Congreg. de Auxil. l. 3. cap. 31. col. 505. & ſeqq.

EGO F. Thomas de Lemos, jàm divinâ gratiâ ſanus, diſputavi pro illâ in hâc Congregatione & ſequentibus.

Actum eſt in hâc Congregatione de propoſitione ſequenti, in Scripto octavo, quæ ſic habet: *Quòd Deus leges ordinarias donorum ſuorum, adultis diſtribuendorum, magnâ ex parte uſui liberi arbitrij accommodavit.*

In principio hujus Congregationis Sanctiſſimus brevitatem commendavit. Et ſtatìm P. Vaſtida, qui ſimul aderat cum P. Salas, legens prædictam Propoſitionem de quâ agebatur, dixit: illam graviſſimam tangere difficultatem, fundamentalem totius doctrinæ Molinæ, ex quâ omnis ejus doctrina pendebat, & ad quam confirmandam, totam ſuam doctrinam ipſe ordinabat. Nàm tota ejus doctrina ad hoc tendebat in ſuâ Concordiâ, ut

Digitized by Google

ut oſtenderet qualiter Deus dona ſuæ gratiæ accommodavit uſui liberi arbitrij, ut ab illo libertatem non auferat, quià totam ſuam doctrinam ordinabat ipſe contrà hæreticos hujus temporis, qui ità conſtituebant gratiam efficacem, quòd libertatem arbitrij negabant. Et ſimiliter authores phyſicæ prædeterminationis, ità dicebant Deũ prædeterminare, quòd licèt voce faterentur eſſe in homine libertatem, tamen re ipſam negabant; quià poſitâ illâ prædeterminatione, non poterat homo illi reſiſtere. Molina ergò contrà illos ordinat doctrinam ſuæ Concordiæ, & docet, ità Deum accommodare dona ſuæ gratiæ uſui arbitrij, ut libertatem non auferat.

Hæc autem accommodatio, dicebat, in duplici ſenſu conſtituitur à Molinâ. Primò, reſpectu operum antecedentium ipſa dona gratiæ. Secundò, reſpectu operum ſubſequentium eadem gratiæ dona. Ità quòd dona gratiæ præſupponant quoſdam actus antecedentes arbitrij, ut Deus ſoleat dare illa: & ſic illa dona accommodat illis actibus antecedentibus arbitrij. Secundò accommodat dona gratiæ actui ſubſequenti arbitrij, taliter quòd relinquat arbitrium, ut habeat in ſuâ poteſtate acceptare, vel reſiſtere eidem gratiæ.

Et ad hoc comprobandum dicebat: quòd de donis gratiæ poſſimus tripliciter loqui. 1°. De donis antecedentibus ipſa dona gratiæ. 2°. De donis datis in ipsâ juſtificatione & receptione gratiæ. 3°. De donis ſubſecutis ad ipſam juſtificationem. De primis donis gratiæ, videlicèt, antecedentibus juſtificationem, dicebat: quòd illa Deus accommodabat uſui arbitrij, ut illius ſalvaret libertatem. Quod primò ſuadebat; quià Scholaſtici Doctores ex Sacrâ Scripturâ deducebant, & communiter inferebant, quòd per eleemoſinam remittantur peccata, juxtà illud: *Peccata tua eleemoſinis redime*: a Ubì facienti eleemoſinam promittitur remiſſio peccatorum. Secundò quià etiam Sacra Scriptura docet: b *Dimittite, & dimittetur vobis.* Ubì dimittenti ex ſuâ liberâ voluntate promittitur peccatorum & ipſa dimiſſio. Tertiò quià oranti etiam promittitur remiſſio peccatorum; ſecundùm illud: c *Petite & accipietis &c.* Immò S. Thomas *2. 2. q. 83. art. 7.* docet: quòd ſi aliquis pro ſe petat, ea quæ ad ſalutem pertinent, piè & perſeveranter, ſemper obtinet quod petit. Igitur ſic ſe Deus accommodat uſui arbitrij antecedentis.

a *Dan. 4. 24.*

b *Luc. 6. 37.*

c *Joan. 16. 24.*

Similiter in ipsâ receptione gratiæ, etiam Deus ſe accommodat uſui liberi arbitrij, ut, videlicèt, non detur gratia adultis, niſi ipſi ſe diſpoſuerint per actum proprium ſuum. Undè gratia diſponens hominem ad ſuſceptionem gratiæ, accommodatur uſui liberi arbitrij, ſubſequentis ipſum donum gratiæ; ità quòd ſit in poteſtate ipſius liberi arbitrij, vel illam recipere, vel illi reſiſtere; ut docet Concilium Tridentinum *Seſſ. 6. cap. 5. & can. 4.* Et Concilium Senonenſe *can. 15.* dicit: *quòd neceſſitas gratiæ non præjudicat libertati; quià ſemper eſt in promptu, & illi homo poteſt reſiſtere.*

Poſt juſtificationem etiam accommodatur gratia libero hominis arbitrio, in quantùm per actus meritorios, ex divinâ gratiâ procedentes, meretur homo augmentum gratiæ & gloriæ. Et ità Deus donis ſuæ gratiæ ſe accommodat libero hominis arbitrio & uſui illius, & ante receptionem gratiæ, & in receptione illius, & poſt receptionem ejus; ità quòd ſemper ſit in poteſtate arbitrij vel gratiam recipere, & ex illâ operari, vel illam reſpuere, & illi reſiſtere. Hæc ab ipſo in ſubſtantiâ dicta videntur.

Statìm autem F. Thomas ſic dixit: BEATISSIME PATER, ad cujus pedes quæcunque dixero, humiliter ſuppono. Iſta accommodatio quâ Molina vult Deum leges ordinarias donorum ſuorum, adultis diſtribuendorum, magnâ ex parte uſui liberi arbitrij accommodaſſe, in duplici ſenſu ab ipſo Molinâ intelligitur; & formaliter explicatur. Ius. eſt, quòd Deus

Digitized by Google

accommodat dona gratiæ ſuæ uſui liberi arbitrij adultorum, dependenter ab ipſo, & exſpectando priorem uſum arbitrij; ità quòd niſi opera bona ex libero arbitrio facta antecedant, non ſoleat Deus dare dona ſuæ gratiæ. Iſte eſt primus ſenſus hujuſce accommodationis; ut etiam PP. modò protulerunt. II^us^. ſenſus eſt, quòd Deus accommodat dona ſuæ gratiæ uſui liberi arbitrij adultorum, ſubdendo ipſa dona gratiæ uſui ipſorum: ità quòd liberum arbitrium pro ſuâ innatâ libertate utatur donis gratiæ, ut libet, ſivè in unam, ſivè in alteram partem ſe inclinando, ſivè illa dona gratiæ efficacia conſtituendo per conſenſum, ſivè inefficacia & caſſa omninò reddendo per diſſenſum. In quo ſenſu procedere Molinæ accommodationem, ipſi PP. Societatis modò dixerunt. Hanc accommodationem donorum gratiæ ſic explicatam conſtituit Molina, & per hanc accommodationem accommodat & ipſe omnem ſuam doctrinam in ſuâ Concordiâ; ut etiam modò PP. Societatis confeſſi ſunt.

Quomodò autem hæc accommodatio, doctrinæ S. Auguſtini accommodari nullo modo poſſit, ſed quòd efficaciter ſemper fuerit à S. Doctore impugnata & expugnata, breviter aperitur. Et quidem de primo ſenſu: quòd Deus non ità accommodat dona ſuæ gratiæ uſui antecedenti arbitrij adultorum, quòd niſi illius opera libera antecedant, non donet Deus dona gratiæ; docet expreſsè S. Auguſtinus *epiſt. 107. ad Vitalem.* a Ubì planè affirmat quòd non antecedat voluntas, ut ſequatur gratia divina: non poteſt ergò dici, quòd niſi præcedant libera opera ex priore voluntate humanâ, non dabitur gratia divina. Prætereà ſententia eſt manifeſta S. Auguſtini *Lib. de grat. & lib. arb. cap. 17.* b, quòd gratia præveniens, ſivè gratia operans, ſivè ad fidem, ſivè ad pœnitentiam, eſt illa quam Deus in nobis ſine nobis operatur; & ut PP. Societatis explicant illum locum, Deus cauſat in nobis ſine nobis liberè operantibus. De quâ explicatione modò non quæro, an certa ſit, & conformis doctrinæ S. Auguſtini; ſed tantùm ex conceſſis procedit ratio. Si illa eſt gratia operans, ſivè præveniens, quam Deus cauſat in nobis ſine nobis liberè operantibus; ergò non exſpectat Deus noſtra opera priora libera, ut illam nobis donet; ergò dici non poteſt, quòd niſi antecedant opera noſtra libera, non ſolet nobis eam Deus concedere; aliàs jàm gratia operans ſeu præveniens in nobis ſine nobis priùs liberè operantibus non operaretur; & ſic deſtrueretur ratio operantis & prævenientis gratiæ. Quod rectiſſimè & ſubtiliſſimè refert S. Proſper de Semipelagianis *in epiſt. ad S. Auguſt.* c Referens enim ſententiam Semipelagianorum, qui admittentes ex unâ parte gratiam prævenientem non dari, niſi antecederent priora opera liberi arbitrij, ex aliâ parte dicebant talem gratiam, quæ illis operibus dabatur, eſſe verè gratiam prævenientem; ſic de illis dicit: *Nec conſiderant ſe gratiam Dei, quam comitem, non præviam humanorum volunt eſſe meritorum, etiam illis voluntatibus ſubdere, quas ab eâ ſecundùm ſuam phantaſiam non negant eſſe præventas.* Ubì duo dicit. Alterum eſt, quòd Semipelagiani voce tantùm & ſecundùm ſuam phantaſiam dicebant, illam gratiam eſſe prævenientem & operantem; quià reipsâ non conſtituebatur ab ipſis præveniens, ſed ſubſequens; non prævia, ſed comes humanorum meritorum: cùm aſſererent illam non dari, niſi priùs antecederent opera liberi arbitrij, quibus ſubdebant gratiam talem.

Et in tantùm eſt verum, quòd quandò dona gratiæ dantur facienti homini priùs quod in ſe eſt ex facultate ſolius naturæ, illa non ſit verè gratia præveniens; ut ipſe Molina veritate convictus expreſsè fateatur *diſp. 14. membr. 5. §. poſt hanc, ℣. quoniàm* d: quòd illa gratia non eſt omninò præveniens. Sic enìm dicit: *Quoniàm verè facienti quod in ſe eſt*

Deus

a Tom. 2. nunc epiſt. 217. num. 8. pag. 800.

b Tom. 10. num. 33. col. 735.

c Tom. 10. num. 5. col. 781.

d Pag. 56. col. 2.

Digitized by Google

Deus non denegat gratiam; Chriſtuſque nobis promeruit auxilia, non ſolùm quæ conantibus nobis ex noſtris naturalibus efficere quod in nobis eſt; præſtò eſſent ac prævenirent; ut ſic illo eodem conatu eliceremus diſpoſitionem ſupernaturalem ad gratiam; ſed etiam quibus ſæpè excitaremur omninò. Igitur cùm gratia datur facienti quod in ſe eſt, jàm ſecundùm Molinam, non eſt gratia excitans omninò; ergò nec eſt omninò præveniens; quià ipſe non agnoſcit aliam prævenientem, niſi omninò excitantem; ergò ſi non eſt omninò præveniens & excitans, erit aliquo modo excitata & præventa ab homine ipſo; ſicque tollitur ratio prævenientis gratiæ. Nàm gratia quæ priùs aliquâ ratione eſt præventa ab homine, non eſt præveniens, ſed præventa.

Prætereà S. Auguſtinus *Lib. de præd. Sanct. cap. 10. in fine* [a] in terminis damnat hanc accommodationem Molinæ; dicit enìm expreſsè: quòd veritas & pietas prohibent dicere, quòd *niſi homo faciat, quod Deo non donante ad hominem pertinet*; non dabit Deus dona gratiæ ſuæ. Quod eſt apertè dicere: quòd veritas & pietas prohibent dicere, quòd niſi antecedant opera arbitrij ex ipſo, & non ex Deo donante habita, non dabit Deus dona gratiæ ſuæ. Ubì ſanctus Auguſtinus non ſolùm damnat Molinæ ſententiam; ſed, quod majus eſt, illam graviſſimâ cenſurâ qualificat, dicens: ejus ſententiam eſſe contrà veritatem, & contrà pietatem; & contrà religionem.

[a] Tom. 10. n. 20. col. 804.

Id ipſum etiam affirmat Petrus Diaconus & alij ſocij miſſi à Græcis ex Oriente ad hanc Sanctam Sedem, ad proteſtandum fidem ſuam contrà Pelagianos. In Libro enìm de Incarnatione & Gratiâ cap. 7. in fine, ſic concludit: [b] *Manifeſtè ergò non nobis, ſed Apoſtolo omninò reſiſtit, qui dicit: Niſi ego priùs voluero, gratia ad me non venit. Quod omninò nihil aliud eſt dicere, niſi priùs dare Deo, ut retribuatur illi.* Quibus verbis duo dicit expreſsè: alterum, quòd dicere, niſi ego priùs voluero gratia ad me non venit, manifeſtè Apoſtolo contradicat; alterum verò eſt, quòd hoc dicere; nihil eſt aliud niſi dare gratiam ex retributione & merito. Quid ergò juvat Molinam aſſerere, quòd licèt gratia non detur niſi opera arbitrij ſolius antecedant, tamen non datur propter illa, vel ex merito: hoc enìm ideò dicit, ut ſe occultet. Cæterùm Petrus Diaconus convincit, quòd ſi non datur gratia, niſi ego priùs voluero, datur ex merito, & propter opera noſtra. Quod etiam Molina, licèt in hâc parte neget, tamen in aliis locis admittit expreſsè dari illam prævenientem gratiam, propter opera antecedentia ipſam; ut in præteritis Congregationibus, ad quas remitto, oſtendiſſe me credo.

[b] Habetur in S. Fulgentio.

Prætereà ſi præveniens gratia, ſivè ſit vocatio ad fidem, ſivè excitatio ad pœnitentiam, non datur niſi antecedant priora opera noſtri arbitrij; ergò jàm gratiæ adjutorium ſubjungitur libero arbitrio: ut eſt manifeſtum. Hoc autem eſt contrà Canonem 6m. Concilij Arauſicani II.; ubì ſic definitur: *Si quis ſine gratiâ Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus, petentibus, quærentibus, pulſantibus nobis, miſericordiam dicit conferri divinitùs; non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia ſicut oportet agere valeamus, per infuſionem & inſpirationem Spiritùs Sancti in nobis fieri confitetur, & aut humilitati aut obedientiæ humanæ ſubjungit gratiæ adjutorium &c.* Ubì videtur advertendum; quòd SS. Patres ac Concilia Sacra contrà Pelagianos & Semipelagianos celebrata; non ſolùm expreſsè damnant, quòd merita noſtra ſint merita gratiæ; ſed etiam alias propoſitiones expreſsè condemnant, quas ſub aliis verbis, non ità exprimentibus meritum, concedebant Pelagiani ſe excuſantes, quòd meritum gratiæ non conſtituebant. Undè damnatur contrà illos: quòd antecedat voluntas humana, & ſe-

Digitized by Google

quatur gratia; quòd nos priores demus Deo; quòd Deus exſpectet voluntatem noſtram; quòd gratia non venit ad nos, niſi nos priùs voluerimus; quòd gratiæ adjutorium ſubjungitur libero arbitrio. Subjungat ergò quomodocunque voluerit Molina gratiæ adjutorium noſtro libero arbitrio, non evadit; quià & hoc ipſum damnatur in Concilio: etiamſi voce ſolùm dicat non eſſe meritum; quià reverâ meritum eſt, & ad meritum reducitur.

Et non ſolùm meritum expreſsè, ſed alia nomina quæ ipſum inſinuant, damnantur à Conciliis & SS. Patribus. Undè S. Auguſtinus *Lib. de corrept. & grat. cap. 8.* aït: a *Voluntas quippè humana non libertate conſequitur gratiam, ſed gratiâ potiùs libertatem.* Concludendum ergò eſt, immò orandum cum S. Auguſtino *Lib. 2. ad Bonifac. cap. 9.* b *Avertat Deus hanc amentiam, ut in donis ejus nos priores faciamus, poſteriorem ipſum: quoniàm miſericordia ejus præveniet me.* c. *Et ipſe eſt, cui veraciter fideliterque cantatur: Quoniàm prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* d. Avertat, inquam, BEATISSIME PATER, Deus hanc amentiam à cordibus noſtris, ut priores nos conſtituamus, poſteriorem ipſum. Avertat hanc amentiam ut dicamus: quòd niſi noſtra opera ſolius arbitrij antecedant priùs, non ſolet Deus dare nobis gratiæ dona. Avertat hanc amentiam, ut hanc accommodationem donorum gratiæ ſic intelligamus, ut non accommodet Deus dona ſuæ gratiæ nobis, niſi nos priùs accommodemus uſum arbitrij noſtri.

a Tom. 10. n. 17. col. 756.

b Tom. 10. n. 21. col. 445.

c Pſal. 58. 11.

d Pſal. 20. 4.

De ſecundo autem ſenſu accommodationis; quomodò, videlicèt, non ſic Deus accommodet gratiæ ſuæ dona, ſubdendo ea uſui liberi arbitrij; ità ut liberum arbitrium ex ſuâ innatâ libertate utatur illis, pròut placuerit, ſivè efficacia conſtituendo, ſivè inefficacia & caſſa reddendo: docet expreſsè & in terminis S. Auguſtinus *epiſt. 107. ad Vitalem* e dicens: damnatam eſſe Pelagianorum ſententiam, quâ dicitur, quòd conſentire, ità eſt noſtrum, ut ſi volumus, fiat; ſi autem nolumus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus. Ubì in terminis ipſis damnat accommodationem Molinæ: quòd, videlicèt, ità ſit noſtrum conſentire, ut ſi volumus, fiat gratia efficax; ſi autem nolumus, caſſam illam reddamus, ut faciamus in nobis nihil operationem Dei valere.

e Tom. 2. nunc epiſt. 217. num. 4. col. 800.

Prætereà, quid frequentius in S. Auguſtino, quàm quòd liberum hominis arbitrium accommodatur gratiæ ex vi ipſius gratiæ; quòd ſubditur gratiæ ex efficaciâ ejus; quòd pergit poſt gratiam, tractum ex virtute ipſius gratiæ prævenientis ac præparantis hominum voluntates? Quid communius in S. Doctore invenitur, quàm quòd Deus omnipotentiſſimâ facilitate convertat corda hominum, immutet corda Principum, & ea transferat ab indignatione ad lenitatem? Quid aliud perpetuò docet Auguſtinus, niſi quòd habet Deus humanorum cordium quocunque voluerit inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem; & quòd velle & nolle, ità eſt in poteſtate volentis atque nolentis, ut divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem? Quid aliud affirmat, niſi quòd de humanis voluntatibus quod vult, cùm vult, facit Deus; & quòd magìs habet in poteſtate ſuâ liberas hominum voluntates, quàm ipſi ſuas? Hæc autem omnia, & alia ſimilia teſtimonia, quæ longum eſſet recenſere, quid aliud apertè ſignificant, & manifeſtè demonſtrant, niſi quòd non ſic Deus accommodat dona ſuæ gratiæ, ut ea ſubdat libero hominis arbitrio, nec ab illo dependeant; ſed quòd è contrà liberum arbitrium ſubdatur efficaciæ gratiæ, & ab ipsâ liberè trahatur, ut conſentiat?

Quam accommodationem expreſsè tradit S. Auguſtinus *eâdem citatâ epiſt. ad Vitalem* f, ſic dicens: *Si ergò ità præpararet atque ità operaretur Deus hominum voluntates, ut tantummodò legem ſuam atque doctrinam libero ejus*

f Tom. 2. nunc epiſt. 217. num. 5. col. 801.

Digitized by Google

adhiberet arbitrio, nec vocatione ſuâ altâ atque ſecretâ, ſic ejus ageret ſenſum, ut eidem legi atque doctrinæ accommodaret aſſenſum; proculdubio eam legere, vel intelligere legendo, vel etiam explicare, atque prædicare ſufficeret. Ecce accommodationem; ſed non illam, quâ Deus accommodat dona gratiæ ſuæ ea ſubdendo uſui liberi arbitrij; ſed potiùs quâ Deus ſuâ altâ atque efficaci vocatione ſic agit ſenſum, ut liberum arbitrium accommodet aſſenſum: itâ quòd Deus faciat, quòd liberum arbitrium accommodet aſſenſum.

Et hanc accommodationem provenientem ex efficaciâ gratiæ, & ſubdentem ſibi liberum hominis arbitrium, prædicat Apoſtolus cùm ad Hebræos *cap. ult.* a concludit: *Aptet vos Deus in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem, faciens in vobis quod placeat coràm ſe.* Ecce accommodationem & aptationem traditam expreſsè ab Apoſtolo; ſed non illam, quâ gratia libero hominis ſubdatur arbitrio; ſed quâ ipſa ſibi ſubdit arbitrium, & quâ Deus nos aptat in omni bono, & quâ facit ut faciamus ejus voluntatem, faciens in nobis ut faciamus quod placet coràm ſe. Hanc accommodationem prædicavit Apoſtolus: alia autem accommodatio, quâ gratia ſubdatur libero arbitrio, nec nominetur in nobis.

a *Hebr. 13. 21.*

Porrò quòd Molina itâ accommodet dona gratiæ excitantis, ut ſubdat illa uſui liberæ voluntatis; magìs in terminis explicavit Franciſcus Suarez, *Lib. 3. Opuſcc. cap. 14. §. ſecundò eſt.* Quem locum cùm originaliter legiſſet prædictus F. Thomas, ex ipſo conſtabat apertè qualiter diceret: quòd Deus ſuâ omnipotentiâ non accommodat ſibi liberum arbitrium, illud ſubdendo ſibi, & faciens illud conſentire; aliàs tolleret ejus libertatem: ſed quòd accommodat dona ſuæ gratiæ, exſpectando tamen, aït, ut ſic dicam, influxum creatæ voluntatis; quià itâ vult ſe noſtræ voluntati accommodare, ut ejus non lædat libertatem. Et expreſſiùs *in Lib. 3. Opuſc. cap. 12. §. dicet fortè.* Ubì expreſsè affirmat: quòd qui conſtituunt auxilium prævium, certè dicerent quòd non lædit libertatem, ſi illud auxilium poſitum in voluntate ſubderetur uſui libero ejus. Quibus verbis manifeſtè affirmat: quòd ut gratia præveniens non deſtruat libertatem, debet ſubdi uſui liberi arbitrij; aliàs libertatem deſtrueret.

Ad objecta, & potiſſimè ad illud in quo PP. Societatis faciunt inſtantiam; quòd, videlicèt, niſi gratia ſubdatur hominis voluntati, & itâ accommodetur uſui ejus, tollitur liberum arbitrium; quod eſt convenire cum Calviniſtis; Reſpondetur: quòd jàm iſti PP. manifeſtant, ſe non agnoſcere aliam in homine libertatem, niſi ſubdatur ipſi divina gratia, & ab ipsâ dependeat. Quod fundamentum fuit Pelagianorum, ſæpiùs objectum S. Auguſtino. Quos S. Auguſtinus ſæpiùs vocat, non defenſores, ſed elatores & præcipitatores liberi arbitrij. Undè illius ſunt verba, *Lib. 1. ad Bonifac. cap. 2.* b *Liberum arbitrium defendendo præcipitant, ut de illo potiùs ad faciendam juſtitiam, quàm de Domini adjutorio confidatur, atque in ſe quiſque, non in Domino glorietur.* Et *Lib. 2. ad eund. Bonifac. cap. 1.* c aperit intentionem eorum, qui ſibi opponebant, quòd tollebat liberum arbitrium, ſic dicens: *Quid opus eſt ea quoquè refellere, quæ dogmatis eorum inſidioſa venena non continent; ſed tantùm in auxilium ſuum, vel pro Catholicâ fide, contrà Manichæorum, ſicut loquuntur, profanitatem, conſenſionem Orientalium Epiſcoporum videntur expoſcere; nihil aliud nitentes, niſi ut horribili hæreſi objectâ, cujus ſe adverſarios confingunt, lateant inimici gratiæ in laude naturæ?*

b *Tom. 10. num. 5. col. 413.*

c *Ibid. col. 431.*

Confingunt, inquam, ſe adverſarios hæreſis Manichæorum (adde & Calviniſtarum) tollentium arbitrium, qui oppugnant gratiam, dicit Auguſtinus; quià reverâ adverſarij Manichæorum & Calviniſtarum non ſunt; ſed potiùs ut rectè dixerunt Doctores

Lovanienſes,

Digitized by Google

Lovanienſes, & ego jàm in præcedentibus Congregationibus retuli, non ſolùm qui oppugnant gratiam à Pelagio non recedunt; ſed cum hæreticis hujus temporis conveniunt; illorum enìm conſequentiam & illationem approbant; ſed tamen ut oppugnent gratiam, hoc prætextu defenſionis arbitrij faciunt, & publicant in vulgus imperitum, ſe liberum hominis defendere arbitrium. Sed aït Auguſtinus: quòd libera hominis natura non eſt defendenda cum injuriâ Redemptoris. Undè ipſe ſanctus Auguſtinus *Lib. 4. ad Bonifac.* dicit: quandoquidem non tàm contrà Manichæos, quàm contrà Catholicos extollunt liberum arbitrium. Et *Lib. 2. ad eund. Bonif. cap. 5.* a ſic dicit S. Doctor: *Undè autem hoc eis viſum fuerit nobis objicere, quòd fatum aſſeramus ſub nomine gratiæ, cùm aliquantò attentiùs cogitarem; priùs eorum verba quæ conſequenter inſpexi &c...... Et ex his eorum verbis intellexi, ob hoc illos vel putare, vel putari velle, fatum nos aſſerere ſub nomine gratiæ; quià gratiam Dei non ſecundùm merita noſtra dicimus dari, ſed ſecundùm ipſius miſericordiſſimam voluntatem, qui dixit:* b *Miſerebor cujus miſertus ero; & miſericordiam præſtabo cui miſericors fuero. Ubi conſequenter adjunctum eſt:* c *Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Poſſet etiam hinc quiſpiam ſimiliter ſtultus, fati aſſertorem Apoſtolum putare vel dicere.* Ubi S. Auguſtinus reddit rationem, quarè ſibi objiciebatur, quòd tolleret arbitrium; quià, videlicèt, dicebat: gratiam Dei non dari ſecundùm merita noſtra, ſed ſecundùm Dei voluntatem. Quòd ſi hâc ratione, aït S. Auguſtinus, nobis opponitur quòd liberum arbitrium tollamus, & fatum conſtituamus; illud objiciatur Apoſtolo, qui priùs dixit: *non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Quæ eſſet ſtultitia ſumma.

a *Tom. 10. n. 10. col. 436.*

b *Exod. 33. 19.*

c *Rom. 9. 15. & 16.*

Præterea ſanctus Proſper, S. Auguſtini magnus Diſcipulus, quid reſpondebat, cùm ſibi opponebatur, quòd fatum conſtitueret, & tolleret arbitrium per prædicationem gratiæ? *L. contrà Collat. cap. 38.* d ſic dicit: *Non enim conturbat nos ſuperbientium inepta querimonia; quâ liberum arbitrium cauſantur auferri, ſi & principia, & profectus, & perſeverantia in bonis uſque in finem, Dei dona eſſe dicantur: quoniàm opitulationes divinæ gratiæ, ſtabilimenta ſunt voluntatis humanæ.* Et *L. de ingrat. cap. 26.* aït:

d *In App. tom. 10. Op. S. Auguſt. cap. 18. n. 54. col. 193.*

Hìc vanam inſano profertis corde querelam,
Omne opus arbitrij ſublatum vociferantes.

Cui ſtatìm ipſe reſpondens *cap. 28.* ſic dicit:

Hoc itaque arbitrium cùm ſanat gratia, tolli
Dicitis, & perimi vitâ aſpirâte putatis.

Hìc reſpondet S. Proſper: quomodò poteſt dici, quòd cùm gratia ſanat arbitrium, ipſum tollat? Quis poteſt aſſerere quòd cùm gratia dat vitam arbitrio, tùm ipſum perimat? Et tamen hoc PP. Societatis dicunt, & hoc Defenſoribus gratiæ opponunt. Quos gratiæ Defenſores defendens Cæleſtinus I. in ſuâ Decretali contrà Semipelagianos, & illos Pontificiâ authoritate ab iſtâ criminatione liberans, poſtquàm definivit efficaciam divinæ gratiæ prævenientis, & quòd nullus benè utatur arbitrio ſuo libero, niſi per Chriſtum, quod eſt expreſsè contrà ſententiam ipſorum, Patrum Societatis, ſic concludit *cap. 12. Quo utiquè auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, ſed liberatur; ut de tenebroſo lucidum, de pravo rectum, de languido ſanum, de imprudente ſit providum.* Non ergò tollitur liberum arbitrium, Patres, ſed firmatur per divinam gratiam.

Dixit etiam P. Vaſtida, quòd facienti eleemoſinam, & remittenti offenſam, & oranti promittitur remiſſio peccatorum; & quòd orans impetrabit quod poſtulat: Quaſi omnia iſta poſſit facere ſine priori auxilio gratiæ.

Iſti

Digitized by Google

Iſti PP. ubicunque legunt in Scripturâ Sacrâ aliquid præcipi homini, intelligunt quòd illud ipſe præſtet ex ſolâ arbitrij libertate. Sed potiſſimè quod adducunt de orante, quòd petenti dabitur &c. Concedo quòd petenti ex auxilio gratiæ, dabitur: ſi autem petit vel orat ex ſolâ arbitrij facultate antecedente, dona gratiæ non recipiet; quià aliud aſſerere, eſt expreſſa ſententia Pelagianorum damnata in terminis à S. Auguſtino *L. 4. contrà Julian. cap. 8.* a ubì ſic dicit: *Ibì enim vos, ut video, ponere jàm cœpiſtis merita gratiam præcedentia, quod eſt petere, quærere, pulſare; ut his meritis debita illa reddatur; ac ſic gratia inaniter nuncupetur; tanquàm gratia nulla præceſſerit, & cor tetigerit, ut beatificum bonum peteretur à Deo, ut quæreretur Deus, ut pulſaretur ad Deum; fruſtràque ſit ſcriptum*: b *Miſericordia ejus præveniet me.*

a Tom. 10. n. 41. col. 605.

b Pſal. 58. 11.

Ad aliud quod adduxit ex Concilio Tridentino *Seſſ. 6. cap. 5. & can. 4.* ſæpè dictum eſt: quòd poſito efficaci auxilio, poteſt homo diſſentire liberè. Cæterùm nunquàm diſſentiet; quià à Deo præparatur & prævenitur voluntas, ut ſemper liberè velit conſentire; & facit illam liberè conſentire, licèt poſſit diſſentire; quià perfectam libertatem ei relinquit, ut poſſit diſſentire, quandò efficaciter conſentit: ut jàm multoties explicavimus. De quo me remitto ad antecedentes Congregationes.

Ad aliud de Concilio Senonenſi, ex quo in duobus inſiſtit P. Vaſtida: 1°. quòd Concilium affirmat neceſſitatem gratiæ non præjudicare libero arbitrio; quià eſt in promptu. 2°. Quià poteſt illi reſiſtere: de hoc ſecundo, quòd poſſit illi reſiſtere, planè fatemur, ſicut diximus de Concilio Tridentino. Nunquàm enim aliquis Catholicus hoc negavit, quòd poſſit reſiſtere, & poſſit diſſentire liberum arbitrium, etiam habens efficaciam gratiæ prævenientis; ſed ſolùm dicimus, quòd de facto nunquàm reſiſtet ſub tali gratiâ: *voluntati enim ejus quis reſiſtit?* ait Apoſtolus. c Sumit autem Concilium Senonenſe verbum *reſiſtere* largè, pro eo quod eſt diſſentire. Nàm ſi propriè reſiſtentia ſumatur, non poteſt homo Deo reſiſtere volenti, ut infrà commodiori loco explicabimus.

c Rom. 9. 19.

Illud autem aliud Concilij, quòd gratia ſemper eſt in promptu, ità intelligendum eſt: quòd ex parte gratiæ ità benè eſt; ſed non datur, vel illam non recipiunt omnes; quià ipſi impedimentum ponunt, vel per peccatum originale, vel per actuale. Agens enìm Sanctus Thomas *Lib. 3. contrà Gentes cap. 159.* quomodò libero arbitrio imputatur peccatum, etiamſi non habeat auxilium gratiæ, ſic dicit: *Ad hujus dubitationis reſolutionem conſiderandum eſt: quòd licèt homo per motum liberi arbitrij non poſſit gratiam promereri, vel illam acquirere, poteſt tamen ſe ad illam impedire. Et illi ſoli gratiâ privantur, qui gratiæ impedimentum ponunt.* Et ſtatìm *cap. 160.* dicit: Quòd *qui per priorem deordinationem à bono recedit, jàm non habet in ſuâ poteſtate nullum impedimentum gratiæ præſtare. Undè quià habet impedimentum, juſtè gratiâ privatur.* Itaque impedimentum gratiæ, ut juſtiſſimè gratia non daretur, eſt vel peccatum originale, vel actuale. Hoc autem impedimentum non tollitur per hoc, quòd faciat homo quod in ſe eſt ex naturæ viribus: undè manet impedimentum gratiæ, ob quod Deus juſtè illam denegat; & quibus dat, ex magnâ miſericordiâ dat. Et certè ſi Deus hominem exiſtentem in mortali actuali ſivè in originali peccato, poteſt juſtiſſimè illicò illum interficere, & in æternum damnare: quarè non poterit multò meliùs illi ſuam gratiam denegare? Igitur ex parte Dei in promptu eſt gratia, niſi homo ad illam recipiendam præſtet impedimentum: & properteà, quòd gratiam non habeat, ex culpâ ſuâ eſt. Et ſic finivit Frater Thomas.

Tunc P. Vaſtida dixit: Multa adducit iſte Pater teſtimonia S. Auguſtini

tini ad probandum eſſe falſam ſententiam, quæ dicit: quòd niſi opera liberi arbitrij antecedant, non dat Deus gratiam; quaſi ego, aït, dixerim non dari gratiam, niſi præcedant illa opera liberi arbitrij. De quo tamen in Diſputatione ſequenti dicam.

Tunc F. Thomas: Molina expreſsè id dicit, cujus tu P. ſententiam defendis: quòd niſi illa antecedant, non datur gratia. Quid dicis? Dicitnè Molina hoc, vel non dicit?

Cui ille reſpondit: de hoc dicam in ſequenti Diſputatione, quòd Molina hoc non dicit; quià ſententia eſt Pelagiana affirmare quòd Deus non dat gratiam, niſi antecedant priùs opera bona libera, ex ſolo arbitrio noſtro facta. Et cùm vellet F. Thomas oſtendere Molinam id dicere; ipſe Vaſtida dicebat, ut fineret ſe dicere omnia. Et ſic F. Thomas ſiluit, uſque dùm ipſe finiret.

Deindè dixit idem Vaſtida, ſe non dixiſſe hominem poſſe orare ut oportet, & ut aſſequatur quod petit, ex naturæ viribus, ut ſibi attribuebatur.

Dixit poſteà: quòd minùs rectè adducebatur illud dictum S. Auguſtini *ex epiſt. ad Vit.* a Nàm ibi ſolùm S. Auguſtinus damnat ſententiam, quæ aſſerebat noſtrum eſſe conſentire aut non conſentire ex nobis ſoli legi atque doctrinæ. Quod tamèn nec ipſe, nec Molina dicebant; quià ipſi veram gratiam interiorem admittebant, ſed non illam, quæ prædeterminaret phyſicè voluntatem, tollens proindè ab illâ libertatem. Undè ſolùm ipſi conſtituebant iſtam gratiam prævenientem, quam Concilium Tridentinum & Concilium Senonenſe conſtituunt. De quâ dicunt, quòd homo poteſt illam rejicere, & quòd poteſt illi reſiſtere, etiam in ſenſu compoſito: contrà illos qui dicunt, quòd illâ efficaci prædeterminatione phyſicâ poſitâ, non poteſt illi reſiſtere.

a *Tom. 2. nunc epiſt. 217. num. 5. col. 801.*

Tandem dicebat ſe mirari, quòd in conſpectu Sanctitatis Suæ adducebantur in hâc materiâ Doctores Lovanienſes; cùm ab hâc S. Sede illis in hâc parte fuerit impoſitum ſilentium; quià injuſtè in hâc materiâ accuſabant PP. Societatis de quibuſdam propoſitionibus doctrinæ ſanæ.

Dixit etiam; quòd ſine causâ adducebatur S. Auguſtinus in locis plurimis, quibus contrà Pelagianos dicebat, non tolli liberum arbitrium per gratiam à ſe conſtitutam. Quià S. Auguſtinus ideò dicebat non tolli liberum arbitrium; quià gratia Dei ab ipſo conſtituebatur, non debita prioribus naturæ operibus. Itaque Pelagiani inferebant tolli arbitrium niſi præcederent opera, quibus gratia ex debito redderetur. Nos autem non dicimus tolli arbitrium ex hoc; ſed quià poſitâ gratiâ prædeterminante, non poteſt arbitrium illi reſiſtere. Neſcio autem ſi aliquid aliud pertinens ad ſubſtantiam dixit ipſe Vaſtida. Quo finiente.

Iterùm F. Thomas dixit: ſub brevitate oſtendam primò, Molinam expreſsè dicere, quòd niſi præcedant opera noſtra libera, ex ſe ſolo arbitrio elicita, non ſoleat Deus dare fidem aut gratiam. Deindè oſtendam; hanc eſſe Pelagianorum damnatam ſententiam.

Cui dixit P. Vaſtida iterùm: ſat erit oſtendere, illud dicere Molinam. Nàm ſi hoc dicit, erit Pelagiana ſententia, nec hoc oportebit probare.

Tunc Frater Thomas legit, qualiter Molina *in diſp. 9. §. patet tertiò* b, expreſsè affirmabat, *internam vocationem ad fidem multùm pendere à libero arbitrio ejus qui vocatur.* Et ſtatim explicans, quæ ſint hæc opera arbitrij à quibus pendeat fides, ſubdit illa eſſe: quòd liberum arbitrium *potuit accedere, vel non accedere ad audiendum verbum Dei*: potuit, inquam, accedere vel non accedere. Ecce primum actum liberum quem Molina conſtituit à quo dependet interna vocatio ad fidem. *Et poſtquàm acceſſit, potuit aliò divertere cogitationem.* Ecce alius actus liber, à quo pendet interna vocatio ad fidem. Subdit etiam & tertium actum liberum, dicens: quòd *potuit accedere*,

b *Pag. 29. col. 2.*

cedere, vel animo addiſcendi & amplectendi quæ dicebantur; vel animo irridendi. Ecce tertium actum liberum, quem Molina conſtituit antecedere internam vocationem ad fidem, à quo, ſecundùm ipſum, interna vocatio dependet. Et tandem ultimum conſtituit actum liberum, dicens: quòd *potuit accedere parato animo ad obediendum.* Conſtituit ergò manifeſtè Molina quadruplicem actum liberum, à quo interna vocatio ad fidem dependet. Et ſtatim §. *immediatè ſequenti*, a dicit: omninò idem judicium eſſe, *de internâ excitatione fidelis ad pœnitentiam;* quòd, videlicèt, multùm etiam dependet à ſimilibus liberis actibus arbitrij. Poſtquè immediatè ſubdit illa verba; *Etenim quamvis Deus illam non conferat propter ea quæ antecedunt, ſed merè gratis; nihilominùs niſi illa antecedant, conferre eam non ſolet.* Duplex relativum, ut Grammaticorum more loquamur, conſtituit Molina in hâc propoſitione. Primum eſt: quamvis Deus illam, id eſt, gratiam prævenientem ad fidem & ad pœnitentiam, non conferat propter illa quæ antecedunt. Secundum relativum eſt: nihilominùs niſi illa antecedant, illa, inquam, ſuprà à ſe relata, videlicèt, opera libera ex quibus dependet excitatio cogitationum & notitiarum, non ſolet Deus conferre gratiam. Quæ cùm ſint aperta in litterâ Molinæ, volunt PP. Societatis novis ſuis explicationibus omnes excæcare ne iſta videant.

a *Pag. 30. col. 1.*

Tunc P. Vaſtida dixit: quòd omnes illi actus liberi ordinabantur ad formandas notitias, & cogitationes; & quòd verbum *illa* referebat ad immediata verba. Quod etiam dicebatur, quamvis tacitè, ab alio ſocio P. Salas.

Tunc F. Thomas: quià modò premit, loquitur uterque. Molina apertè per illud verbum *niſi illa antecedant* refert ea quæ à ſe in hâc diſputatione fuerant explicata.

Ad aliud quod dicunt: quòd locus adductus ex ſancto Auguſtino *epiſt. ad Vitalem*, non ſit ad propoſitum; quià in illo tantùm loquitur contrà Vitalem, qui ſolam conſtituebat legem atque doctrinam exteriorem, cui liberum arbitrium ex ſe conſentiret, vel non conſentiret: oportet quòd iſti Patres advertant, locum illum affirmare, quòd ſi poſitâ interiore excitatione & invitatione, ità noſtrum eſt conſentire & non conſentire, ut illam gratiam vel efficacem conſtituamus vel inefficacem, illa eſt ſententia Pelagiana. Sic autem expreſsè conſtituitur à Molinâ. Quòd autem iſte locus ſic procedat, fit manifeſtum; quià ibì loquebatur S. Auguſtinus contrà excitantem illam gratiam, quam conſtituebat Vitalis Pelagianus: ſed Vitalis admittebat illas excitationes & revelationes à Deo immiſſas; quià nec iſtas ipſe Pelagius negavit, ſed expreſsè admiſit: ut patet apertè ex S. Auguſtino *Lib. de grat. Chriſti à cap. 7. ad 10m.* Undè Vitalis has interiores excitationes & revelationes interiores non negavit, ſed admiſit. Et tamen contrà illum dicit S. Auguſtinus: quòd ſi poſitis illis ità noſtrum eſt conſentire, ut, ſi volumus, fiat efficax, ſi autem nolumus caſſam illam reddamus; talis erit Pelagiana ſententia. Verùm eſt quòd ſanctus Auguſtinus dicit ibì, tales revelationes non recedere à lege atque doctrinâ; quià nihil aliud faciunt, niſi quod poteſt facere ipſa lex atque doctrina.

Quod explicavit optimè ſanctus Proſper *Lib. de ingrat. cap. 14.*; ubì explicans efficaciam divinæ gratiæ, quâ Deus ſibi ſubjicit rebelles populos, aït:

Non hoc conſilio tantùm hortatúque benigno
Suadens atque docens; quaſi normam legis haberet
Gratia; ſed mutans intùs mentem atque reformans,
Vaſque novum ex fracto fingens virtute creandi.

Itaque dicit: quòd gratia interior

 non

non dicit ſolùm excitare, docere, vel ſuadere; quaſi habeat normam legis; ſed virtute creandi habet efficaciter operari, ut liberum arbitrium operetur. Etenìm S. Proſper, & S. Auguſtinus, immò Apoſtolus utitur hoc nomine, cùm aït: a *Creati in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in ipſis ambulemus.* Ad oſtendendum quòd ſicut Deus, cùm univerſa creavit ex nihilo, nihil præſuppoſuit ex parte rerum creandarum, ſed ſuâ virtute fecit illas; ità cùm Deus virtute creandi immutat hominum corda, nihil præſupponit ut ſic efficaciter immutet; nec exſpectat liberum arbitrium, ut ſua operatio efficaciam habeat. Itaque ſententia Pelagiana eſt aſſerere, quòd poſitâ excitante, ſeu invitante gratiâ, noſtrum eſt ex nobis illi aſſentire vel diſſentire. Dicant ergò iſti PP.: poſitâ gratiâ excitante, ità homo poteſt conſentire ex ſe, ſicut ex ſe diſſentire; vel non?

a Epheſ. 2. 10.

Cui reſpondit Pater Vaſtida: non ità; quià ad conſentiendum præſupponitur gratia, non autem ad diſſentiendum.

Cui F. Thomas: hoc eſt quod dico. An ſuppoſitâ jàm excitante & invitante gratiâ, ità homo ex ſe poſſit ei aſſentire, ſicut illi poteſt ex ſe diſſentire.

Tunc Pater Vaſtida dixit: quòd ſic illi poterat aſſentire homo ex ſe, ſicut ex ſe poterat diſſentire.

Cui F. Thomas: hìc eſt in ſummâ & in ſubſtantiâ Pelagianorum & Semipelagianorum error; ut modò ex loco adducto ex S. Auguſtino contrà Vitalem fit apertiſſimum. Quod magìs declaravit S. Proſper *in epiſt. ad S. Auguſt. paulò ante medium* b, ſic enìm dicit: *Et conſequens putant, ut quià prævaricator ideò dicitur non obediſſe, quià noluit: fidelis quicunque non dubitetur ob hoc devotus fuiſſe, quià voluit. Et quantùm quiſque ad malum, tantùm habeat facultatis ad bonum.* Ecce in terminis hìc eſt Semipelagianorum error: quòd ſicut homo ex ſe ipſo poteſt non obedire gratiæ vocanti; ità etiam ex ſeipſo poteſt illi obedire, ità ut quòd conſentiat, non proveniat illi ex vi gratiæ prævenientis.

b Tom. 10. n. 4. col. 781.

Cùm autèm Pater Vaſtida diceret: quòd poſitâ præveniente gratiâ debet liberum arbitrium poſſe conſentire & non conſentire, ſicut idem liberum arbitrium utitur habitibus cùm volumus; dixit F. Thomas: vel in hoc videbitis RR. PP., quomodò non admittatis gratiam niſi ut poſſimus, non ut agamus. Nàm habitus non dat niſi poſſe. Undè ſi ſic loquimini de gratiâ præveniente ſicut de habitibus, ſolùm admittitis gratiam dantem poſſe; quam etiam admiſit Pelagius, ut alibi declaratum fuit & oſtenſum. Hæc autem conſequentia, quâ infertis: quòd poſitâ gratiâ excitante, ſicut illi homo poteſt diſſentire ex ſe, ità poteſt illi ex ſe conſentire, Pelagiana eſt, ut dixi. Quam proindè conſequentiam negat S. Thomas *1. 2. q. 112. art. 2. ad 2.*. Cùm enìm in ſecundo loco argumentaretur ex S. Anſelmo: quòd Diabolus ideò non habuit gratiam, quià noluit; ergò ſi aliquis velit, illam habebit; & ſic facienti quod in ſe eſt dabitur gratia: ſic reſpondet S. Thomas: *Ad ſecundum dicendum, quòd defectûs gratiæ prima cauſa ex nobis eſt; collationis autem gratiæ prima cauſa eſt ex Deo, ſecundùm illud: c Perditio tua ex te, tantummodò in me auxilium tuum.* c Oſeæ 3. 9. Ubì S. Thomas in terminis dicit; quòd non convertamur & non obediamus gratiæ vocanti, quià malum eſt, eſſe ex nobis, ſicut ex primâ causâ; quòd autem convertamur & obediamus gratiæ vocanti, non eſſe primò ex nobis, ſed primò ex Deo.

Ad illud aliud quod dicunt, ſe non aſſerere tolli arbitrium niſi homo incipiat, ſicut dicebant Pelagiani; ſed tolli per prædeterminantem gratiam, cui liberum arbitrium non poteſt reſiſtere, dixit F. Thomas: Immò PP., utrumque dicitis, & utrumque affirmatis; quòd, videlicèt, niſi homo incipiat, non ſalvatur in eo libertas; quià dicitis, quòd cùm Deus omninò prævenit, ille eſt actus indeliberatus in

in homine, & non liber. Ut autem in liberâ poteſtate ſit ſalus noſtra, cum Molinâ dicitis: quòd debet dari præveniens gratia homini priùs facienti quod in ſe eſt: ut hâc ratione, inquit Molina, ſit ſalus in manibus noſtris. Secundò dicitis: quòd ſi gratia ſit antecedenter efficax, faciens hominem facere, tollitur libertas.

Cùm autem ipſe Vaſtida inſtaret: quòd non negant niſi gratiam phyſicè prædeterminantem; ad hoc reſpondit F. Thomas: humana voluntas determinat gratiam, ut dicitis. Immò hoc expreſſiùs dixit Sanctiſſimus Jeſuitis: *vos dicitis, quòd voluntas determinat gratiam.* Poſtquàm autem hoc dixit Sanctiſſimus, dixit F. Thomas: hæc prædeterminatio non lædit libertatem, ſed ſervat; ut aperiam manifeſtè, cùm ex profeſſo de hoc fuerit agendùm. Minùs etiam ſtandum eſt in voce *phyſicè*; quià etiam ut oſtendi ex veſtro authore Suarez, verbum *phyſicè* nihil aliud dicit, niſi veram & propriam activitatem, contrà metaphoricam activitatem illius moralis ſuaſionis, ſivè invitationis, quam conſtituitis. Immò in hoc poteſtis videre, quòd Molina, ex eo quòd negavit hanc phyſicam prædeterminationem divinæ gratiæ, coactus fuit conſequenter negare gratiam efficacem, & antecedentem, & prævenientem; & ex conſequenti conceſſit quòd eſt efficax ab effectu, quià volumus, & quòd nos illam efficacem conſtituimus. Et coactus fuit introducere ſcientiam quamdam mediam, quâ Deus cognoſcat quid nos acturi ſumus, non autem quòd ipſe facturus eſt ut nos agamus.

Cui reſpondit Vaſtida: nos omnia iſta admittimus; quià aliàs non poteſt ſalvari Concilium Tridentinum, quod docet, quòd poteſt homo reſiſtere gratiæ, & illam abjicere; authores autem phyſicæ prædeterminationis dicunt: quòd illâ gratiâ poſitâ, non poteſt homo illi reſiſtere. Quòd autem liberum arbitrium determinet actionem primi agentis, hodiè oſtendam in ſancto Thomâ.

Cui P. Lemos: S. Thomas docet; quòd cauſæ ſecundæ determinant priores cauſas creatas, non autem omnium primam; quià hæc omnia movet. Et iterùm dixit F. Thomas: jàm oſtendi in præcedentibus Congregationibus Concilium Tridentinum definire expreſsè contrà veſtram ſententiam. Nàm *in can. 3.* ſtatuit efficaciam prævenientis gratiæ contrà Pelagianos, cùm dicit: *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritûs Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur; anathema ſit.* Ubi non ſolùm docet requiri inſpirationem, vel excitationem, ſed verum ac proprium adjutorium, quod adjuvat hominem ad operandum, faciens ipſum operari. Quod adjutorium ſemper à Pelagianis poſcebat S. Auguſtinus ſuprà excitationes & revelationes. Poſtquàm autèm Concilium definit, neceſſarium adjutorium Dei ad operandum contrà Pelagianos, ſtatìm in *can. 4.* contrà hæreticos hujus temporis, qui malè ex tali adjutorio efficaci inferebant tolli liberum arbitrium, definit: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, nihil cooperari, aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti &c.* Non ſolùm, inquam, excitatum, ut vos PP. ponitis, ſed verè motum, verè adjutum, nihil cooperari, nec poſſe diſſentire; *anathema ſit.* Itaque etiam motum & excitatum poteſt diſſentire; ſed non diſſentiet, quià efficacia gratiæ facit, quòd cùm diſſentire poſſit, non diſſentiat, ſed liberè conſentiat. Potentiam ergò habet liberum arbitrium ad diſſentiendum; quià hæc potentia intrinſeca libero arbitrio non tollitur per ſupervenientem gratiam; quià gratia non tollit, ſed perficit naturam. Cum Calvino autem convenit manifeſtè, qui dicit: quòd liberum arbitrium ſic phyſicè & activè efficaciter motum & adjutum, non habet potentiam ad diſſentiendum.

Digitized by Google

Tunc Sanctiſſimus dixit Jeſuitis: *Vos non probatis, quòd non poſſit reſiſtere, ſed quòd non reſiſtat.*

Illud autem aliud, ſubdidit F. Thomas, quod dicitis: per hanc S. Sedem fuiſſe impoſitum Doctoribus Lovanienſibus ſilentium in iſtâ materiâ; quià vos injuſtè accuſabant; non ità procedit. Nàm Breve felicis recordationis Sixti V. utrique parti, & vobis & Lovanienſibus imponit ſuper hâc re ſilentium, donec fuerit res iſta per hanc S. Sedem determinata.

Tunc dixit Vaſtida: vidiſti tu Breve?

Cui F. Thomas: vidi, & revidi, & ſolùm hoc continet.

Tunc Vaſtida: ſi nobis non imponeretur aliquid injuſtè à Lovanienſibus, non id præciperet S. hæc Sedes.

Cui F. Thomas: juſtis de cauſis tunc utraſque partes voluit tacere Pontifex Summus, uſque dùm res iſta à S. Sede determinaretur; & jàm nunc tempus eſt ut determinetur. Quòd ſi PP. viderunt hoc Breve Sixti V., quarè non viderunt aliud Sixti IV. datum ante annos centum contrà quemdam Petrum de Rivo Doctorem? in quo damnat iſtorum PP. fundamentalem propoſitionem. Iſtam enìm propoſitionem condemnat: *præſuppoſitâ aliquâ ſuppoſitione antecedenti, ex quâ infallibile eſt hominem operari, tollitur liberum hominis arbitrium.* Quam definitionem referunt Doctores Lovanienſes. Et ego ante annos duos feci magnam diligentiam ad inveniendam illam in hâc almâ Urbe; nec tamen invenitur, cùm omnia acta illius cauſæ planè inveniantur.

Tunc P. Vaſtida dixit: definiri ibì de futuris contingentibus, non autem damnari ſententiam quæ dicit: ſuppoſitionem antecedentem libertatem lædere; quià iſta eſt ſententia S. Anſelmi. Et S. Thomas dicit: quòd neceſſitas ex priori tollit libertatem.

Cui dixit F. Thomas: nunquàm tale dixit, nec S. Anſelmus, nec S. Thomas; ut ſuo loco dicetur.

Dixit etiam P. Vaſtida: non poſſe negari, quòd Deus det omnibus auxilium ſufficiens; quià aliàs non imputaretur homini peccatum, ſi illud auxilium non haberet.

Cui F. Thomas: certum eſt non dari omnibus auxilium ſufficiens ad iſtum ſenſum, quòd omnibus facientibus quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus, detur; ut PP. Societatis prætendunt. Itèm certum eſt non dari omnibus auxilium ſufficiens, ità ut homo faciat illud efficax; hoc enìm prætendunt PP. Societatis; & in hoc ſenſu tantùm inſiſtunt, quòd detur omnibus auxilium ſufficiens. An verò præter hos falſos ſenſus detur omnibus auxilium ſufficiens vel non, extrà præſens Dubium eſt. Si de hoc fuerit diſputandum, quid SS. PP. de hoc ſenſerint apertè monſtrabo.

Tunc P. Vaſtida iterùm dixit: quòd ſi omnibus non datur, qui peccant, non poteſt iis imputari in peccatum.

Cui F. Thomas dixit: iſtam illationem eſſe etiam Pelagianam. Et ſic finita fuit Congregatio, cùm per duas horas duraſſet & dimidiam.

CONGREG.

CONGREGATIO VIGESIMA SEPTIMA CORAM CLEMENTE VIII.

Habita eſt 21. Aprilis feriâ, videlicèt, quartâ poſt Paſcha anni 1604. Præſentes fuêre Illuſtriſſimi Cardinales uno excepto Burgheſio. Adſtiterunt etiam Cenſores deputati omnes.

In quâ examinatum fuit, utrùm, juxtà Molinæ ſententiam, Deus antequàm fidem donet, ab homine exigat ut priùs faciat quod in ſe eſt? Et an Deus fidem concedere non ſoleat, niſi præcedant ea quæ homo ex ſe facere poteſt, quamvis, ut dicit Molina, non eapropter Deus fidem largiatur?

Vide Hiſt. Congr. de Auxil. l. 3. cap. 32. col. 509. & ſeqq.

IN hâc Congregatione actum fuit de Propoſitione ultimâ Scripti octavi à Sanctiſſimo tranſmiſſi: *An*, ſcilicèt, *Deus effectualiter exigat ab homine, ut priùs faciat quod in ſe eſt, antequàm fidem donet? quamvis enim Deus fidem non conferat propter illa quæ antecedunt, nihilominùs, niſi illa antecedant, conferre eam non ſolet.* Circà quam propoſitionem, excluſis præviis à quibus incepit P. Vaſtida, hæc in ſubſtantiâ dixit.

I°. quòd poterat intelligi quæſtio, vel de fide habituali, vel de actuali vocatione ad fidem. Et quidem de fide habituali certum eſſe dicebat, illam Deum non conferre adultis, niſi antecedant opera arbitrij ex priori auxilio gratiæ facta. De actuali autem vocatione ad fidem, dicebat eſſe errorem Pelagianorum aſſerere, quòd Deus effectualiter exigat ab homine, ut priùs faciat quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus, antequàm fidem donet. Cæterùm affirmabat Molinam hanc aſſertionem non affirmare. Et ut hoc probaret, dicebat: hoc nullo modo poſſe Molinæ adſcribi; quià *in diſp. 43.* a damnabat ſententiam tanquàm Pelagianam, quòd nos priùs eligamus, & quòd poſteà Deus auxilium ſuum tribuat. In quem errorem lapſum fuiſſe aïebat S. Chryſoſtomum abſque culpâ ſuâ, propterea quòd res nondùm erat examinata, nec ità declarata temporibus illis. Cùm ergò Molina hanc ſententiam ut Pelagianam condemnet; quomodò poteſt illi attribui, quòd effectualiter exigat ab homine, ut faciat quod in ſe eſt, antequàm fidem donet?

II°. quià ipſe Molina *in diſp. 9.* b. planè affirmat, quòd Deus ſæpè vocat ad fidem eos qui pertinaciter reſiſtunt, & contradicunt. Cùm autem ſæpè dicat, quòd Deus vocat ad fidem eos qui contradicunt, quomodò poteſt illi attribui, quòd dicat, quòd effectualiter Deus exigat ab homine, ut priùs faciat quod in ſe eſt, ad hoc quòd fidem donet?

III°. quià ipſe Molina *in diſp. 10.* c. dicit: quòd non ſolùm Deus vocat eos, qui ſæpè contradicunt; ſed etiam quòd nullus eſt peccator, licèt graviſſimis peccatis ſit irretitus, cui Deus auxilium ſufficiens non tribuat ad ſalutem. Qui autem hæc dicit, quomodò poteſt aſſerere, quòd effectualiter Deus exigat ab homine, ut priùs faciat quod in ſe eſt, ut ei fidem donet?

IV°. Et aliam ſimilem quartam rationem fecit, non multùm diſcrepantem

a *Pag. 177.*

b *§. Patet tertiò ℣. licet autem p. 29. col. 2.*

c *§. Hâc ergò pag. 33. col. 1.*

tem à præcedentibus, cujus memoriam non habeo. Sed iſta quarta ratio ſtatìm poſt pauca occurrit, quæ eſt talis: Molina *in diſp. 10.* a dicit: quòd quià regulariter homo non facit totum quod in ſe eſt; indè eſt quòd homines non convertuntur. Si ergò regulariter ſecundùm Molinam non facit homo quod in ſe eſt, quomodò ei attribuitur, quòd non donetur niſi ille faciat quod in ſe eſt, ſi quidem omnibus datur?

a Pag. 32. & ſeqq.

V°. dicebat: quòd ratio dubitandi in hâc materiâ, & id attribuendi Molinæ, fuit deſumpta ex illis verbis *diſp. 9. §. quod hâc, ℣. etenìm.* b ubì ſic habet in verbis præcedentibus: *Quatenùs ergò excitatio illarum cogitationum, ſine quibus Deus non influit affectum timoris, aut amoris ſupernaturalis, pendet à miniſtris & conatu Eccleſiæ, atque à libero arbitrio ejus in quo excitantur, juxtà ea quæ paulò ante explicata ſunt de cogitationibus neceſſariis, ut quis interiùs vocetur ad fidem, eatenùs gratia præveniens voluntatem peccatoris ad attritionem, vel contritionem, pendet ab iiſdem miniſtris, conatuque Eccleſiæ, atque à libero arbitrio ejus cui confertur. Etenìm quamvìs Deus illam non conferat propter ea quæ antecedunt, ſed merè gratìs; nihilominùs, niſi illa antecedant, conferre eam non ſolet.*

b Pag. 30. col. 1.

Super quem locum dicebat 1°. quòd illud verbum ſeu relativum *illam* referebat prævenientem gratiam ad contritionem, non verò ad fidem, ut ex antecedentibus planè conſtabat: licèt verum eſſet, quòd eadem omninò ratio eſt, ſi relativum *illam* referat prævenientem gratiam ad contritionem & vocationem ad fidem. Aliud relativum erat, *niſi illa antecedant*, & hoc relativum affirmabat referre notitias & ſpecies, non autem libera opera moralia. Et in hoc valdè inſiſtebat: quòd Deus non ſolebat immittere ſpecies & notitias, ſed aliundè homo eas accipiebat; ut dicebat Molina *in eâd. diſp. 9. §. hinc,* c ubì ità habet: *Hinc juxtà illud Pauli ad Rom. 10. Quomodò credent ei, quem non audierunt? Quomodò autem audient, ſine prædicante? Ergò fides eſt ex auditu: dicendum arbitror Deum Optimum Maximum ordinariè non tribuere auxilia gratiæ prævenientis & excitantis ad fidem, niſi præviâ aliundè notitiâ, & conſideratione eorum, quæ fides habet. Neque enim conſuevit immittere phantaſmata, & notitias eorum; ſed dùm aliundè eas adultus accipit, &c.* Igitur quod Molina aſſerit tantùm eſt, quòd niſi præcedant notitiæ & ſpecies aliundè acquiſitæ, non ſolet Deus vocare ad fidem. Et quamvìs Deus ſubitò aliquem convertat; ut patet de Paulo, quem convertit cùm eſſet in actuali peccato; non tamen ei immiſit ſpecies vel notitias, ſed illas aliundè acquiſitas præſuppoſuit. Undè concludebat ſic: Molina tantùm dicit: quòd niſi præcedant notitiæ & ſpecies, Deus non ſolet prævenientem gratiam dare, vel vocare ad fidem; ſed quòd homo acquirat, vel habeat tales notitias, non eſt facere quod in ſe eſt; ergò Molina non dicit, quòd homo priùs debeat facere quod in ſe eſt, ut fidem Deus donet. Minorem probabat: quià ut homo dicatur facere quod in ſe eſt, debet facere opus liberum, morale, bonum, & difficile; ſed homo ſæpè habet vel acquirit tales notitias per opus neceſſarium, cùm ſubitò illas abſque libertate acquirit; aliquandò illas acquirit per opus morale malum, videlicèt, cùm quis invitus cogitur audire Evangelium, vel quandò per curioſitatem pergit ad audiendum, ſicut contigit in ſancto Auguſtino, cùm accedebat ad audiendum ſanctum Ambroſium, ut videret ſi haberet tantam facundiam dicendi, ac Fauſtus Manichæus; ergò acquiruntur illæ ſpecies & notitiæ ſine libertate, & ſine opere morali bono. Et de iſtis notitiis & ſpeciebus loquitur Molina, non autem de operibus liberis: nec illud eſt facere quod in ſe eſt. Et ſic nunquàm Molina dixit: quòd Deus effectualiter exigat ab homine, ut priùs faciat quod in ſe eſt, antequàm fidem donet. Nec dicit:

c Pag. 28. col. 2.

quòd

Digitized by Google

quòd niſi priùs faciat homo quod in ſe eſt, non ſolet Deus fidem dare; ſed tantùm docuit, quòd niſi præcedant illæ ſpecies & notitiæ, non ſolet Deus vel fidem, vel excitationem ad pœnitentiam tribuere. Immò communis eſt, ut dicebat, Theologorum ſententia cum S. Thomâ, quem Molina defendit, quòd facienti quod in ſe eſt, ſivè id faciat ex naturæ viribus, ſivè ex divino auxilio, (nàm quantùm ad hoc parùm retulerit unum vel alterum dicere,) dantur ſpecies & notitiæ, ſine quibus homo ad fidem non convertitur, nec ad illam vocatur; ut patet de illis qui nutriuntur in ſylvis; & tamen non ideò licet inferre, quòd Deus effectualiter exigat ab homine, ut priùs faciat quod in ſe eſt, antequàm fidem donet. Hæc & ſimilia proponebat.

Tunc F. Thomas, omnia ad pedes Sanctiſſimi ex more ſupponens, incepit dicere: quòd jàm in præcedenti Congregatione diffusè ſatis etiam de iſtâ parte Dubij diſputaverat, & oſtenderat, id quod apertiſſimum eſt, Molinam, videlicèt affirmare & aſſerere expreſsè, quòd niſi antecedant opera libera, bona moraliter, ex ſolo libero arbitrio procedentia, non ſolet Deus ordinariè, & ſecundùm communes leges, gratiam prævenientem dare, ſivè ad fidem interiùs vocando, ſivè interiùs excitando ad pœnitentiam. Undè ad præſens nihil ſuperaddendum eſſet. Quià tamen PP. Societatis adhuc contendunt Molinam id non affirmare, breviter dicendum eſt, Molinam tria apertè dicere. 1°. Quòd niſi præcedant opera libera ex ſolâ facultate arbitrij facta, non ſolet Deus illam gratiam conferre. 2°. Dicit: immò Deus exigit cooperationem arbitrij noſtri, ut ordinariè det talem prævenientem gratiam. 3°. Dicit: addendum eſt præteteà, quòd quotiès homo facit quod in ſe eſt, Deus ex certâ lege dat illi prævenientem gratiam. Hæc patent *ex diſpp. 9. 10. & 11.*, nec oportet iterùm legere teſtimonia, quià notiſſima & clariſſima ſunt.

Quià verò PP. Societatis prædicta teſtimonia Molinæ, manifeſtam vim inferentes & textui & litteræ, dicunt eſſe intelligenda de quibuſdam phantaſmatibus, ſpeciebus, ſivè notitijs, non autèm de operibus bonis moralibus liberis; attendant, quòd non ſolùm Molina loquitur de ſpeciebus & notitijs, ſed potiſſimè de actibus moralibus liberis homo & bonis, quibus, faciendo quod in ſe eſt, acquirit illas notitias. Immò manifeſtè loquitur de alijs operibus moralibus bonis liberis, quibus ipſe homo facit quod in ſe eſt, poſt formatas & acquiſitas notitias; & quibus benè utitur notitijs acquiſitis, expendendo & conſiderando ea quæ per tales notitias proponuntur & repræſentantur. Itaque aperta doctrina Molinæ eſt, quòd vocatio ad fidem multùm dependet à libero arbitrio ejus qui vocatur.

Hìc enìm (quod obiter dixerim) ſermo non eſt de habitu fidei, ſed tantùm de actuali vocatione ad fidem: & dependet ſecundùm Molinam à libero arbitrio, in quantùm liberum arbitrium ſe applicat ad legendum vel audiendum Evangelium, ut notitias acquirat; & in quantùm accedit animo attendendi, & non recedendi, & in quantùm poſtquàm habet notitias, non vult aliò divertere conſiderationem, ſed attendit his quæ dicuntur; & in quantùm accedit animo parato obedire veritati; & in quantùm, poſt jàm acquiſitas notitias, illas liberè vult expendere & cogitare; & tandem in quantùm vult aſſentiri illis revelatis, ſicut à Deo revelatis. Hoc enìm dicit expreſsè *in diſp. 7.* a, & *in diſp. 9.* §. *patet tertiò, ſæpè citato.* b

Immò quòd loquatur non ſolùm de ſpeciebus & notitiis, ſed etiam de actibus liberis bonis, quibus homo illas acquirit, & quibus, poſt illas acquiſitas, illis benè utitur, eaſdem conſiderando & expendendo, fit manifeſtum. Aliis multis locis omiſſis propter brevitatem, ex eodem loco, quem

a §. *Pars affirmans*, *pag.* 22. *col.* 2.

b *Pag.* 29. *col.* 2.

PP. modò pro ſe adduxerunt, hoc deduco. Nàm vel in ipſo convincitur, Molinam loqui non ſolùm de notitiis, ſed etiam de actibus liberis bonis, quibus notitiæ acquiruntur, & quibus, poſt illarum acquiſitionem, illas rectè expendit & conſiderat. Sic enìm habet Molina *diſput. 9. §. hinc*, dicens: a *Hinc juxtà illud Pauli ad Rom. 10.: Quomodò credent ei, quem non audierunt? Quomodò autem audient, ſine prædicante? Ergò fides ex auditu: dicendum arbitror, Deum Optimum Maximum ordinariè non tribuere auxilia gratiæ prævenientis & excitantis ad fidem, niſi prævià aliundè notitià & conſideratione eorum, quæ fides habet.* Ubì dicit: quòd Deus ordinariè non vocat ad fidem, niſi aliundè, id eſt, ex libero arbitrio procedant hæc duo, videlicèt, & notitiæ, & etiam poſt notitias conſideratio eorum quæ ad fidem ſpectant; quâ, ſcilicèt, conſideratione homo expendat ea quæ per tales notitias repræſentantur.

a Pag. 28. col. 2.

Et poſteà hoc ipſum magìs declarat *in §. patet tertiò*, b ubì dicit: quòd homo ſe liberè applicet ad formandas & acquirendas notitias, & quòd non divertat aliò cogitationem poſt notitias formatas, ſed quòd attendat his quæ proponuntur per tales notitias. Et ſtatìm *in §. ſequenti*, c dicit: eandem omninò eſſe rationem de excitatione fidelis ad pœnitentiam; quòd, videlicèt, illa multùm pendeat à libero arbitrio, ſe liberè applicante ad acquirendas notitias. Sic enìm dicit: *Pendent enim quàm maximè à miniſtris & conatu Eccleſiæ, atque à libero cujuſque arbitrio, quo liberè ad audiendas conciones, ad lectionem Scripturarum Sacrarum, ad orationem & meditationem rerum ſpiritualium, aut ad Sacramentalem Confeſſionem ex præcepto Eccleſiæ ſingulis annis aut ſæpiùs ex laudabili conſuetudine liberè faciendam, accedit.* Ecce dicit: *quo liberè accedit*; loquitur ergò manifeſtè de actu libero.

b Pag. 29. col. 2.

c Pag. 30. col. 1.

Et poſt pauca dicit hæc verba: d *Etenim quamvìs Deus illam*, id eſt, gratiam prævenientem, quâ vocat ad fidem vel pœnitentiam, *non conferat propter ea quæ antecedunt, ſed merè gratìs; nihilominùs, niſi illa antecedant, conferre eam non ſolet*; niſi, inquam, illa antecedant, id eſt, notitiæ & ſpecies, & actus liberi boni quibus acquiruntur, & quibus poſt formationem notitiarum expenduntur, & conſiderantur ea quæ per tales notitias repræſentantur. Hic eſt apertus contextus Molinæ. Et quamvìs alius non eſſet, hæc ſola verba ſufficere deberent ad convincendum, Molinam loqui de actibus liberis. Si enìm de actibus liberis bonis moralibus non loqueretur, ſed tantùm de ſpeciebus & phantaſmatibus, quorsùm præmittit Molina hæc verba: *quamvìs propter illa non detur?* Nàm certiſſimum erat quòd actus indeliberati, ſivè ſpecies & phantaſmata, non ſunt merita gratiæ, nec propter illa datur vocatio, vel ad fidem, vel ad pœnitentiam. Loquitur ergò apertè de actibus liberis moraliter bonis; ex quibus poterat contrà ipſum inferri, quòd in illis conſtitueret meritum reſpectu gratiæ. Et propterea ad ſe excuſandum præmiſit illa verba: *quamvìs propter illa non detur*, id eſt, propter opera libera moraliter bona. Tamen niſi opera illa libera antecedant, conferre eam non ſolet.

d Ibid. col. 2.

Præterea ſtatìm poſt illa verba Molina dicit: e quòd *ante receptionem gratiæ, & in gratiæ receptione, & poſt illam, ſervanda eſt laus & induſtria libero hominis arbitrio.* Si ergò antè gratiæ receptionem ſervanda eſt laus arbitrio; ergò de operibus liberis ante gratiam loquitur. Nàm ſine libertate nec laus nec induſtria poteſt ſervari arbitrio. Manifeſtum eſt ergò Molinam dicere: quòd niſi præcedant opera libera moraliter bona, Deus non ſolet fidem conferre; & quòd effectualiter exigit Deus ab homine, ut priùs faciat quod in ſe eſt, antequàm fidem donet.

e Ibid. §. ut quæ.

Ad illa quæ P. propoſuit; quià omnia ea tendunt in hunc finem, quòd loquatur

Digitized by Google

loquatur Molina de quibuſdam notitiis & ſpeciebus, non autem de actibus liberis bonis moraliter; dicendum, quòd potiſſimè de actibus liberis loquitur, quibus acquiruntur & expenduntur illæ notitiæ. Undè reſpondeant ad hoc ſolùm: Illæ notitiæ de quibus Molina agit, acquiruntur per actus priores liberos, vel acquiruntur ſine libertate? Ad hoc reſpondeant.

Cui dixit P. Vaſtida: nolo modò reſpondere, ſed poſteà.

Tunc F. Thomas dixit: ut iſta materia de acquiſitione ſpecierum & notitiarum ſemèl intelligatur; tripliciter poteſt contingere, quòd notitiæ & ſpecies iſtæ acquirantur, vel formentur in homine. 1°. Deo illas immediatè infundente; ſicùt fortè contigit in Paulo, cùm illum ſubitò convertit ad fidem. 2°. Acquiruntur ab homine per priorem actum ſuum liberum, ſed malum moraliter; ut contingit in illo qui ex curioſitate audit Evangelium; ſicut de S. Auguſtino audiente S. Ambroſium iſti PP. modò dixerunt; vel ut contingit in illo qui coactè audit fidem, ut etiam PP. propoſuerunt; vel in illo qui animo irridendi audit res fidei: in iſtis enìm acquiruntur ſpecies, quià aures faciunt officium ſuum, & per illas ingrediuntur tales notitiæ. 3°. Et ultimò acquiruntur notitiæ & ſpecies illæ per actus priores liberos hominis bonos moraliter; ut contingit in illis qui bono animo, & cum intentione addiſcendi audiunt verbum Dei. Nec eſt imaginabilis alius modus, quo prædictæ notitiæ & ſpecies acquiruntur. Sed Molina expreſsè negat ſe loqui de acquiſitione ſpecierum & notitiarum primo & ſecundo modo; ergò loquitur, prout etiam ipſe expreſsè dicit, de acquiſitione ſpecierum & notitiarum tertio modo; cùm, videlicèt, acquiruntur per actus priores bonos morales liberos.

Quòd Molina neget illos duos priores modos, patet; quià *in hâc diſp. 9.* [a] dicit: ſe non loqui de ſpeciebus infuſis à Deo; quià, ut aït, Deus illas infundere non ſolet: ubì negat primum modum. Similiter *in* §. *patet tertiò ejuſd. diſp. 9.* [b] dicit, ſe non loqui de homine audiente Evangelium animo irridendi: ubì ſecundum modum acquirendi ſpecies & notitias negat. Loquitur ergò de acquiſitione ſpecierum & notitiarum tertio modo, id eſt, cùm acquiruntur per actus liberos moraliter bonos. Quod manifeſtè expreſſit, cùm aït: quòd homo ſe liberè applicat ad audiendum verbum Dei animo addiſcendi, & animo attendendi, & animo parato obedire veritati.

a §. *Hinc*, *pag. 29. col. 1.*

b *ibid. col. 2.*

Inter hos tres modos acquirendi notitias & ſpecies rerum pertinentium ad fidem, hæc eſt differentia; quòd cùm Deus infundit ſe ſolo notitias illas, ſicut ipſe Deus incipit, ità & perficit dando fidem. In ſecundo modo, cùm aliquis animo malo accedit ad audiendum, aliquandò Deus ex ſuâ miſericordiâ immutat illum malum animum, & convertit in bonum, relictis aliis qui ſimiliter illo malo animo accedunt. In tertio autem modo, de quo Molina loquitur, vult Molina, quòd homo ex ſolo ſuo arbitrio poſſit audire Evangelium, liberè ſe applicando per actum moralem bonum; & quòd illi ſic liberè audienti, etiam cum animo addiſcendi & amplectendi, Deus ex certâ lege det vocationem ad fidem; ità ut illa vocatio detur intuitu illius prioris bonæ voluntatis moralis; & ex conſequenti in illâ priori bonâ voluntate morali, quâ ſic accedit ad acquirendas notitias, & ad illas expendendas, fundat meritum gratiæ ipſe Molina.

Itaque cùm Molina dicit: quòd niſi illa præcedant, non ſolet Deus dare gratiam prævenientem, non loquitur de notitiis & ſpeciebus quomodocunque, ſed de notitiis & ſpeciebus acquiſitis per actus morales bonos liberos, & de actibus liberis ſubſequentibus eaſdem formatas notitias, & benè illas conſiderantibus & expendentibus. Et ſic reſpondetur ad

Digitized by Google

potiſſimum fundamentum iſtorum Patrum.

Tunc Vaſtida inſtabat : ut ſibi ad argumentum in formâ diceretur.

Cui F. Thomas : Reſpondeo ſic breviter in ſubſtantiâ ad argumentum, nè iſta totiès repetita faſtidium generent. Ut autèm videas me reſpondiſſe, advertas quòd tuum argumentum hoc fuit : Molina loquitur de homine acquirente notitias ; ſed homo acquirens notitias non facit quod in ſe eſt, ergò non loquitur de homine faciente quod in ſe eſt ; nec dicit : quòd Deus exigat ab homine ut faciat quod in ſe eſt, ut fidem donet. Et probata fuit minor : quià notitiæ poſſunt acquiri per actus neceſſarios, tùm per actus morales malos, & per actus morales faciles, in quibus homo non facit quod in ſe eſt ; quià ut homo faciat quod in ſe eſt, debet liberè operari actus bonos morales difficiles. Hoc tuum fuit argumentum cum probationibus. Ad quod jàm dixi, quòd Molina non loquitur de homine acquirente notitias per actus neceſſarios, & per actus malos ; hoc enìm non eſt facere quod in ſe eſt : ſed loquitur de homine acquirente notitias per actum liberum moralem bonum, quo accedit animo attendendi, amplectendi, & parato obedire veritati. Et hoc eſt facere quod in ſe eſt.

Ad aliud, quod PP. prædicti dicunt : non poſſe attribui Molinæ, quòd Deus exigat ab homine, ut effectualiter faciat quod in ſe eſt, ut fidem donet ; ex eo quòd ipſe damnat hanc ſententiam tanquàm Pelagianam ; quam etiam dicit incurriſſe S. Chryſoſtomum : facilis eſt reſponſio. Ipſe enìm dicit, S. Chryſoſtomum ſenſiſſe, quòd illud facere quod in nobis eſt, erat initium fidei ex nobis. Quod ipſe Molina reputat Pelagianum. At verò ipſe idem reipsâ dicit. Cæterùm quià verbis dicit : illud facere quod in nobis eſt, non eſſe initium fidei ; ideò hoc tenet, & illud negat & condemnat. Et hæc eſt Molinæ concordia & intentio.

Ad illud aliud quod dicunt : non poſſe id Molinæ attribui ; quià ipſe expreſsè dicit : quòd ſæpè Deus excitat torpentes, eoſque vocat qui pertinaciter reſiſtunt ; etiam patet ſatìs clarè de Molinæ ſenſu & concordiâ. Ipſe, ſicut & Caſſianus, conſtituit duos ordines hominum : aliorum, qui omninò faciendo quod in ſe eſt, Deum præveniunt ; & iſti cum libertate operantur : aliorum autem qui omninò præveniuntur à Deo ; & ſine libertate, in tali actu quo præveniuntur, operantur. De primo ordine hominum dicit : quòd Deus ordinariè & ſecundùm communes leges vocandi ad fidem hominem cum libertate, exigit ut priùs faciat homo liberè quod in ſe eſt, ut Deus ad fidem liberè vocet. De ſecundo autem ordine dicit : quòd Deus ſæpè præter iſtas ordinarias leges, vocat etiam pertinaciter reſiſtentes ; in quâ vocatione illi liberi non ſunt. Et iſta eſt intentio & doctrina Molinæ.

Et eodem modo reſpondetur : quòd licèt Deus ſecundùm Molinam omnibus, etiam exiſtentibus in peccatis maximis, non neget auxilium ſufficiens ; tamen hæc eſt differentia : quòd ut illi recipiant liberè illud auxilium, exigit Deus ab ipſis, ut priùs faciant quod in ſe eſt ; ſi autem priùs non fecerint quod in ſe eſt, recipient quidem, aït Molina, auxilium tale, cæterùm non liberè.

Ad illud quod ultimo loco dixerunt PP. : quòd detur auxilium gratiæ homini facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus, ſivè ex auxilio : Parùm enìm, aïunt, hoc refert ad præſentem quæſtionem ; advertant, quòd imò tota quæſtio contrà Pelagianos in hoc ſita eſt, & de iſtâ tantùm agitur : An detur gratia præveniens, ſivè vocatio ad fidem ſit, ſivè excitatio ad pœnitentiam, homini facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus ; ut contendebant Pelagiani ? An potiùs facienti quod in ſe eſt ex priori divino auxilio ; ut affirmabant Catholici ? Quomodò ergò dicunt iſti PP.,

PP., quòd quidquid ſit, ſivè unum dicatur ſivè aliud, parum refert ad præſentem quæſtionem?

Quod autem addidit P. Vaſtida: quòd S. Thomas cum communi Scholâ, & Molina cum ipſis dicunt: Deum dare gratiam facienti quod in ſe eſt, ut patet de puero perveniente ad uſum rationis, vel de illo qui nutritur in ſylvis, de quibus docet S. Thomas: quòd ſi fecerint quod in ſe eſt, illuminabuntur ſupernaturaliter à Deo; quomodò PP. nolunt attendere ad apertiſſimam & manifeſtiſſimam litteram S. Thomæ, in multis locis apertè declaratam, quâ dicit: quòd hoc ipſum, quòd homo faciat quod in ſe eſt, provenit à priori auxilio gratiæ? Hoc enim in terminis dicit, *1. 2. q. 109. art. 6. ad 2*^{m}. Et *q. 112. art. 3. in corp.* Et *Lib. 3. contrà Gentes cap. 49.*, *& 59.* Et apertiùs *ſup. Epiſt. ad Rom. cap. 10.* explicans illa verba Apoſtoli: *Nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Ubì hæc dicit: *Si qui tamen eorum*, id eſt, qui nutriuntur in ſylvis, *feciſſent quod in ſe eſt, Dominus eis ſecundùm ſuam miſericordiam providiſſet, mittendo eis prædicatorem fidei; ſicut Petrum Cornelio Actorum 10., & Paulum Macedonibus, ut habetur Actorum 19.; ſed tamen hoc ipſum quòd aliqui faciant quod in ſe eſt, convertendo ſe, ſcilicèt, ad Deum, ex Deo eſt movente corda ipſorum ad bonum, Threnorum 5.: Converte nos Domine ad te, & convertemur.* Quæ cùm ità ſint; quomodò iſta non vident RR. PP.? Vel quomodò contendunt, quòd S. Thomas dicit: quòd facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus Deus det auxilium gratiæ? Et hæc pauca dicens F. Thomas finivit.

Tunc iterùm P. Vaſtida ſic dicebat: primò enim aſſerebat, quòd in hoc apparebat quàm ſiniſtrè Molina intelligeretur ab eis qui impugnabant ejus doctrinam; ſi quidem, cùm ipſe dicat id quod à quolibet Catholico dicendum eſt, videlicèt, non dari gratiam prævenientem propter ea quæ antecedunt; adhuc de hoc damnatur Molina. Et quià iſte P. dixit: quòd ex hoc ſolùm convincebatur Molina, quòd loqueretur de operibus liberis; ſimiliter dicebat: quòd opponebatur Molinæ, ex eo quòd dixit, Deum exigere à nobis noſtram cooperationem, juxtà illud: a *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*; quòd exigat Deus à nobis illa opera libera antecedentia. Quod nullo modo poteſt Molinæ attribui; quià ipſe, tùm in illo contextu quem ibì legebat, tùm in alio loco quem etiam ibi perlegit, manifeſtè fatetur ſe loqui de cooperatione, quâ homo actu libero conſentit gratiæ excitanti. Immò ipſe Molina in hoc apertè dicit id quod docet Concilium Tridentinum *Seſſ. 6. cap. 5.*: cùm Deus dicit nobis: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, libertatis noſtræ admonemur. Et tamen adhuc Molina de hoc ipſo damnatur.

a Zachar. 1. 3.

Præterea dicebat, & inſtabat: quòd cùm Molina dicat apertè, quòd Deus ſæpè dat prævenientem gratiam, & ſæpè vocat ad fidem etiam reſiſtentes; non poteſt ei attribui, quòd ordinariè exigat ab homine ut priùs faciat quod in ſe eſt, ut eidem Deus fidem donet.

Et tandem inſiſtebat: ut ſuo argumento reſponderetur in formâ; quo dixerat: non eſſe facere quod in ſe eſt, acquirere notitias; ſi quidem poſſunt acquiri actibus neceſſariis & abſque libertate; ut patet in illo qui coactè premitur audire verbum Dei.

Ad quod F. Thomas dixit: ſi voluiſti attendere P. R., jàm hoc tuum argumentum ſolutum invenies. Iterùm autem reſpondebo; quià non timeo, ſicut vos reſpondere timetis.

Tunc ille magìs clamabat: ut ſibi reſponderetur in formâ.

Tunc F. Thomas dixit: non eſt facere quod in ſe eſt, acquirere notitias. Diſtinguo: acquirere notitias, quomodòcunque. Concedo: acquirere notitias, ſicut conſtituuntur acqui-

 ſitæ

ſitæ à Molinâ per actum liberum bonum moralem. Nego.

Tunc ille Vaſtida dicebat : acquirere notitias in genere, non eſt facere quod in ſe eſt.

Cui F. Thomas : non loquimur nunc de acquiſitione notitiarum in genere; nàm ſermones univerſaliores minùs utiles: ſed de acquiſitione notitiarum, ſecundùm quod conſtituitur à Molinâ. Jàm enìm dixi, quòd notitiæ in genere tribus modis acquiruntur, & à Deo infundente, & per actum liberum malum, & per actum liberum bonum moralem, quo aliquis animo parato obedire veritati accedit ad audiendum. Et hoc tertio modo loquitur Molina. Et hoc eſt facere hòminem quod in ſe eſt.

Tunc P. Vaſtida contrà hoc ſic oppoſuit : poteſt fieri quòd homo accedat ad audiendum Evangelium animo parato obedire veritati, & ſimùl cum animo non reſtituendi alienum; & tamen iſte non facit quod in ſe eſt.

Ad quod reſpondebam : quòd ille talis homo ſic accedens, ſecundùm Molinâ, licèt non faciat quod in ſe eſt in ordine ad dolorem de peccatis, & in ordine ad conſequendam juſtificationis gratiam; tamèn ſecundùm Molinam, facit quod in ſe eſt in ordine ad fidem : ut, videlicèt, ei detur vocatio ad fidem. Ipſe enìm Molina expreſsè diſtinguit de facere quod in ſe eſt in ordine ad fidem, & in ordine ad dolendum de peccatis.

Tunc iterùm Vaſtida : quomodò facit quod in ſe eſt, ut ſibi detur gratia præveniens, qui accedit cum animo non reſtituendi alienum, & cum obice & impedimento gratiæ?

Cui F. Thomas: hoc eſt quod contendit Molina : quòd peccator exiſtens in peccato, ſi faciat quod in ſe eſt, audiendo Evangelium cum animo attendendi, & cum animo parato obedire veritati, infallibiliter obtinet gratiam excitantem ad fidem. Et de hoc impugnatur Molina. Et proſequens F. Thomas dixit : breviter dicam ad aliud quod PP. proponunt de Concilio Tridentino. Sacrum enìm Concilium in illo loco adducto à PP. Societatis pro Molinâ, ità expreſsè damnat Molinæ ſententiam ; ut etiamſi aliud teſtimonium non eſſet, illud ſufficere deberet. Sic enìm Concilium dicit *Seſſ. 6. cap. 5. Undè in ſacris Litteris, cùm dicitur* : a *Convertimini ad me & ego convertar ad vos ; libertatis noſtræ admonemur. Cùm reſpondemus* : b *Converte nos Domine ad te, & convertemur; Dei nos gratiâ præveniri confitemur.* Ubì apertè Concilium, Dei prævenientem gratiam docet; & non quamcumque, ſed illam quæ nos convertit ; illam ad quam infallibiliter ſequitur converſio : ac ſi clariùs diceret : cùm Deus dicit nobis : *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos* ; libertatis noſtræ admonemur. Cùm autem nos dicimus Deo: *Converte nos Domine ad te, & convertemur* ; dicimus Deo : da quod jubes, & jube quod vis. Da quod jubes, quòd nos ad te convertamur; & nos oramus & petimus, ut des nobis noſtram converſionem quam jubes. At verò Molina dicit : quòd Deus non dat nobis noſtram converſionem, nec illam facit ; ſed quòd ex nobis ad Deum convertamur ; & quòd ipſe poſteà ſe convertat ad nos.

a Zachar. 1. 3.

b Thren. 5. 21.

Cùm autem adhuc P. Vaſtida inſtaret : quòd Molina adducebat illud teſtimonium quod adducebatur à Concilio ; F. Thomas reſpondebat : adducit idem teſtimonium à Concilio adductum, ſed in contrario ſenſu.

Tunc P. Vaſtida : adducit Molina illud teſtimonium, ſicut Concilium Tridentinum, præſuppoſitâ gratiâ præveniente.

Cui reſpondebat F. Thomas : nomine vocat Molina gratiam prævenientem ; ſed illa non recedit à lege atque doctrinâ.

Tunc P. Vaſtida : ſi non recedit à lege atque doctrinâ, quià non ponitur à Molinâ gratia phyſicè prædeterminans; aliud eſt. Gratia phyſicè prædeterminans non eſt definita. Cùm Sua Sanctitas definierit, illam tunc amplectemur.

ampleĉtemur. Similiter ad illud, quod F. Thomas dixerat: S. Thomam apertiſſimè docere, non dari prævenientem gratiam facienti quod in ſe eſt ex naturæ viribus, ſed ex auxilio Dei; reſpondebat P. Vaſtida: conveniamus in hoc, quòd ſi plures ex Thomiſtis dixerint, S. Thomam docere Deum dare gratiam prævenientem facienti quod in ſe eſt ex naturæ viribus; cedent PP. Prædicatores: ſi autem plures ex Thomiſtis affirmaverint S. Thomam docere, non dari gratiam prævenientem facienti quod in ſe eſt ex naturæ viribus; cedemus nos.

Cui F. Thomas reſpondebat: nec eſt veſtrum, PP., nec noſtrum hanc convenientiam facere; ſed Sanctiſſimus judicabit. S. Thomas apertè dicit gratiam prævenientem non dari facienti quod in ſe eſt ex naturæ viribus, nec Thomiſtæ aliud affirmant, aut affirmare poſſunt. Quòd ſi aliquis minùs advertens id dicat, parùm retulerit.

Similiter reſpondebat F. Thomas: nullam eſſe contradictionem in Molinâ; quòd cùm priùs dixiſſet Deum exigere ordinariè, ut homo faciat quod in ſe eſt, antequàm fidem donet, poſteà ait, quòd ſæpè Deus vocat etiam illos qui pertinaciter reſiſtunt. Nam, ut jàm dixi, duos ordines in hoc conſtituit Molina, ſicut & Caſſianus: alterum eorum qui prævenerunt Deum faciendo quod in ſe eſt; & hos recipere illam prævenientem gratiam, dicebat: alterum verò illorum qui præveniuntur à Deo; & hos affirmabat ſine libertate ſic à Deo vocari. At contrà Caſſianum dicebat S. Proſper: quòd utrumque ſimul errorem amplectebatur, & Pelagianorum, qui omnia libertati tribuebant, & Manichæorum, qui libertatem hominum negabant. Et hos duos errores ſimul amplectitur Molina: alterum cum Pelagianis, cùm dicit: quòd facienti quod in ſe eſt Deus ex certâ lege dat gratiam; & quòd hâc ratione eſt ſalus noſtra in manibus arbitrij noſtri: ità quòd ſi non antecedat illud facere quod in nobis eſt, non eſt libertas in nobis; & ſic cùm Deus ſæpè vocat reſiſtentes, tunc vocati nullam habent libertatem in actu quem vocati eliciunt. Et iſta eſt Molinæ ſententia.

Undè dicebat prædictus F. Thomas: quòd non ſolùm erat error Pelagianus dicere, quòd Deus ſemper ab omnibus exigat, ut homo faciat priùs quod in ſe eſt, ut ei fides donetur: ſed etiam eſt error Pelagianus dicere, quòd uni ſoli perſonæ detur præveniens gratia ad fidem ſivè ad pœnitentiam facienti priùs quod in ſe eſt ex ſolâ facultate naturæ. Licèt enìm iſte ſecundus error non ſit ità extenſus quòad materiam, ſicut ille primus; tamen in ſubſtantiâ, in ſpecie, in eſſentiâ, & intentione idem omninò error Pelagianus eſt dicere, quòd uni homini propter præcedentia opera detur præveniens gratia; ſicut ſi dicatur, quòd omnibus detur gratia talis propter opera antecedentia.

Poſt hæc Generalis S. Dominici ad hoc ipſum dicebat, quod eſt ſæpè & ſæpiùs dictum: ſi Molina velit dicere veritatem, debebat fateri quòd nunquàm Deus ſic dat gratiam.

Quod cùm audiſſet P. Vaſtida clamabat, & repetebat acriter: hoc dici non poſſe; & eſſe errorem affirmare, quòd Deus nunquàm id faciat.

Cui dicebat F. Thomas: P. non divertamus ad alia, ſed ſimus in puncto difficultatis. Molina dicit: Deum exigere, ut homo faciat quod in ſe eſt ordinariè, ut fidem donet.

Tunc Vaſtida dixit: quòd Molina dicebat: quòd facienti totum quod in ſe eſt; & quià homines regulariter non faciunt totum quod in ſe eſt, ideò non datur eis regulariter talis gratia.

Tunc F. Thomas dixit: verum eſſe quòd Molina aliquandò dicat, quòd facienti totum quod in ſe eſt, aliquandò autem tantùm, homini facienti quod in ſe eſt. Facere autem hominem totum quod in ſe eſt in ordine ad fidem, juxtà Molinam continet tria. 1m. Quòd liberè velit accedere

ad

ad audiendum verbum Dei, animo amplectendi & attendendi iis quæ dicuntur, & cum animo parato obedire veritati. 2^{m}. Quòd expendat & conſideret illa, quæ per notitias proponuntur. 3^{m}. Quòd denique aſſentiatur actu merè naturali revelatis tanquàm à Deo revelatis. Hoc tertium eſt ultimum quod homo poteſt ſecundùm Molinam. Dicit autem Molina: quòd etiam antequàm homo faciat hoc ultimum quod poteſt, ſi faciat illa duo priora, datur ſic facienti quod in ſe eſt gratia: ut apertè dicit ipſe Molina *diſp. 11.* [a] quam ibì à principio legit. Et cùm vellet explicare, illi duo PP. Vaſtida & Salas interrumpebant, dicendo: quòd Molina id ibì non dicebat.

[a] *Pag. 36.*

F. autem Thomas aſſerebat: quòd illa tria ibì conſtituebantur à Molinâ.

P. autem Vaſtida dicebat: quòd cùm citatur Molina, oportebat dicere id quod Molina dicebat, & ſimùl oportebat explicare id quod ex ipſo per conſequentiam inferebatur; quià aſſiſtentes, cùm audiunt hoc haberi in Molinâ, putant ità eſſe.

Cui F. Thomas reſpondebat: non putes, Pater, quòd propter tuum dicere, vel meum affirmare, Doctiſſimi qui aſſiſtunt Sanctiſſimo, aliquo modo moventur. Addebatque prædictus F. Thomas: meo quidem parvo judicio hæc habentur in Molinâ expreſsè; & ſi ſine paſſione & cum ratione, iſta tractarentur, intelligerentur planè. Addebatque ſuſpenſam quamdam ſententiam, dicens: Ah Patres! Et cùm dixiſſet, finivit.

Tunc P. Vaſtida legit in Magiſtro Medinâ: quòd opera moraliter bona dicebant quamdam congruentiam, id eſt, non repugnantiam ad gratiam; ſicut eſt ſiccitas in ligno. Legebatque locum S. Thomæ *ex L. 3. contrà Gentes*, quòd Deus ſæpè ſuprà ordinem naturæ dat gratiam exiſtentibus in peccato, ſicut ſuprà ordinem naturæ illuminat cæcos; & tamen ex eo quòd dicat *ſæpè*, non infertur, quòd conſtituat duos ordines rerum Caſſiani; ſicut PP. Dominicani inferunt Molinam, illos duos ordines rerum Caſſiani conſtituere, ex eo quòd dicit ſæpè Deum reſiſtentes vocare.

Cui dixit Sanctiſſimus: *che havéte la quèſto loco di S. Thomaſo?* Et quià ſine apparentiâ prædictus locus ſancti Thomæ inducebatur, & ex aliâ parte, hora jàm erat finiendi, dixit F. Thomas: iſte locus S. Thomæ, vel cujuſcunque ſit, nihil omninò facit ad rem. Undè finio. Et ſic finita fuit Diſputatio, cùm per tres ferè horas perduraſſet.

CONGREG.

CONGREGATIO VIGESIMA OCTAVA CORAM CLEMENTE VIII.

Habita eſt coràm Sanctiſſimo 30. Aprilis 1604. Præſentes fuêre omnes Cardinales, uno excepto S. Cæciliæ, atque etiam omnes Cenſores deputati.

In quâ eſt quæſitum : nùm omnes actus eliciti à libero arbitrio ex ſolâ naturæ facultate, qui à Molinâ conſtituuntur tàm circà fidem & Dei dilectionem, quàm circà pœnitentiam & tentationibus reſiſtentiam, quique juxtà ipſum omni bonâ veſtiti ſunt circumſtantiâ, & ratione finis & ratione objecti, immò fiunt intuitu vel juſtitiæ vel bonitatis Dei ; nùm, inquam, illi actus fiant pròut ad ſalutem oportet : ſuppoſitâ præſertìm lege, quâ, ut idem inquit Molina, facienti quod in ſe eſt Deus det gratiam ?

Vide Hiſt. Congreg. de Auxil. l. 3. cap. 33. col. 512. & ſeqq.

ACTUM fuit in hâc Congregatione de primâ difficultate contentâ in Scripto nono à Sanctiſſimo tranſmiſſo 29. Novembris anni 1603. quæ talis eſt : *Præſuppoſito quòd actus eliciti à libero arbitrio ex facultate naturali, credendi in Deum, ſperandi in Deum, diligendi Deum ſuper omnia, pœnitendi de peccatis cum propoſito & deliberatione ampliùs non peccandi, ſuperandi, nedùm minores, ſed graves tentationes, vel ſaltèm cohibendi conſenſum nè gravibus tentationibus ſuccumbat ; & quòd omnes iſti actus ſint eliciti, nedùm ſemotâ omni malâ circumſtantiâ, tàm ratione objecti quàm officij ; & quòd ſint eliciti intuitu & contemplatione omnipotentiæ Dei punientis ſcelera, & præmiantis virtutes ; & quòd iſti actus nedùm ſint naturales, ſed etiàm quoàd ſubſtantiam ipſorum actuum, ſecundùm Molinam, ſint ſupernaturales : an ſint pròut ad ſalutem oportet, ſuppoſitâ lege, quòd facienti quod in ſe eſt Deus det gratiam ?*

Vide ſuprà col. 47.

Poſtquàm Vaſtida prædictum Dubium legit, dixit primò : ſe ſupponere omnia quæ in Dubio ex Molinâ præſupponuntur, uno ſolo excepto, quòd, videlicèt, illi actus ſint ſecundùm Molinam quòad ſubſtantiam ſupernaturales ; hoc enìm non admittebat ; quià & Molina id negabat. Similiter ſupponebat Molinam ſæpè formalibus verbis negare, illos actus fieri ab homine pròut ad ſalutem oportet. Undè quod diſputatur, ut aïebat, eſt : an ex illis conditionibus & circumſtantiis, quibus Molina veſtit actus illos, inferatur minùs conſequenter fuiſſe Molinam locutum, negando illos fieri pròut ad ſalutem oportet.

Undè ad Dubium ſic reſpondebat : adhuc his omnibus ſuppoſitis, quæ in Dubio præſupponuntur, illi actus non fiunt pròut ad ſalutem oportet. Cujus fundamentalis ratio erat ; quià illi actus fiunt pròut ad ſalutem oportet, qui tales ſunt, ut habeant commenſurationem, vel ratione meriti vel ratione diſpoſitionis, cum ſalute ; ſed omnes illi actus, etiàm cum omnibus illis circumſtantijs, nec commenſurationem habent cum ſalute, nec in ratione meriti, nec in ratione diſpoſitionis ; ergò etiam cum omnibus illis circumſtantiis, illi actus non

 fiunt

Digitized by Google

fiunt pròut ad ſalutem oportet. Majorem multipliciter probabat. 1°. Ex S. Auguſtino *Lib. 4. contrà Julian. cap. 3.* a ubì dicit: quòd illud eſt bonum abſolutè & ſimpliciter, quod pertinet vel inducit ad ſalutem. 2°. Probabat ex S. Thomâ *in 2m. diſt. 28. q. 1. ad ult.* ubì dicit: illud opus fieri pròut ad ſalutem oportet, quod eſt meritorium, vel diſpoſitio ad gratiam. Idem probabat ex quodam loco Cajetani, & ex alio Magiſtri Soto. Iſti enìm authores nullum alium actum agnoſcebant fieri pròut ad ſalutem oportet, niſi ſit vel meritorius, vel diſponens ad gratiam. Idem probabat ſpecialiter ex Bullâ Pij V. & Gregorij XIII. In propoſitione enìm 58â. damnatâ, hanc damnat propoſitionem: *Celebris illa diſtinctio, divinæ legis mandata biſariàm impleri; altero modo quantùm ad præceptorum operum ſubſtantiam tantùm; altero, quantùm ad certum quemdam modum, videlicèt, ſecundùm quem valeant operantem perducere ad regnum æternum, hoc eſt, ad modum meritorium: commentitia eſt, & explodenda.* Ubì Summus Pontifex contrà obſervantiam mandatorum quòad ſubſtantiam tantùm, quæ non fit ab homine pròut ad ſalutem oportet, dicit, actum qui fit pròut ad ſalutem oportet, eſſe ſecundùm modum meritorium.

a *Tom. 10. n. 18. col. 594.*

Minorem item latè probabat: 1°. ex S. Thomâ *1. 2. q. 114. art. ult.* ubì dicit: quòd illud eſt bonum ſimpliciter, ac per conſequens pertinens ad ſalutem, quod ordinat hominem in finem vitæ æternæ. Igitur illud bonum quod non ordinat hominem in finem vitæ æternæ, non eſt bonum ſimpliciter, nec pròut ad ſalutem oportet; ſicut ſunt iſti actus naturales & morales, qui non ſunt ſimpliciter boni, nec hominem ordinant in vitam æternam. Et ratio eſt: quià actus qui ordinat hominem in vitam æternam, comparatur ad vitam æternam, ſicut via ad terminum; undè debent eſſe commenſurati & ejuſdem rationis cum ipſo termino. At verò actu naturales & morales, etiam cum omnibus illis circumſtantiis, non ſunt ſupernaturales, nec commenſurati cum vitâ æternâ, cùm ſint inferioris ordinis. Ergò cùm producuntur per rationem naturalem, non ſunt pròut ad ſalutem oportet.

Similiter dicebat: quòd à causâ indeterminatâ non producitur effectus determinatus; ſed iſti actus moraliter boni indeterminati ſunt, & aliquandò proponuntur per rationem naturalem, aliquandò verò per cognitionem ſupernaturalem; ergò cùm producuntur per rationem naturalem, non fiunt pròut ad ſalutem oportet.

De lege autem ſimiliter dicebat: quòd cùm lex ſit extrinſeca reſpectu operis illius; ſi opus ex ſuâ naturâ non ſit pròut ad ſalutem oportet; etiam ſuppoſitâ lege, non fiet pròut ad ſalutem oportet; quià opus ex ſe valorem ad id non habet.

Quod etiam confirmabat: quià homo in naturâ integrâ poterat diligere Deum ſuper omnia dilectione naturali; & tamen ille actus non ordinabatur ad vitam æternam. Undè ad hoc propoſitum inducebat quoddam teſtimonium ex Joanne Vincentio, *in Lib. de grat. Chriſti*, ubì dicebat: quòd de ratione proprij meriti eſt, quòd opus habeat valorem & condignitatem; ità ut ſi Deus ſtatueret dare gloriam propter opus merè naturale, illud non eſſet propriè meritum; ſed Deus ex fidelitate deberet dare illi vitam æternam. Et ſimilia multa dicebat, ad concludendum, quòd actus naturales & morales, cùm ſint inferioris ordinis, nec commenſurationem habeant cum vitâ æternâ, non fiunt pròut ad ſalutem oportet.

Et tandem dicebat: quòd ſi convincitur Molina, vel contrà illum infertur, quòd illi actus morales, cum omnibus illis circumſtantiis, ſunt pròut ad ſalutem oportet; idem omninò neceſſe eſt inferri contrà S. Thomam. Nàm ſanctus Thomas admittit ex naturæ viribus poſſe fieri illos actus cum omnibus illis circumſtantiis memoratis & expreſſis in Dubio. Undè ſic formabat

formabat dubium contrà S. Thomam: S. Thomas admittit omnes illos actus fieri ab homine ex ſolâ naturæ facultate; ergò ſanctus Thomas dicit, illos actus viribus naturæ fieri prout ad ſalutem oportet. Si autem nullus hoc audebit dicere de S. Thomâ, quòd conſtituat contrà Concilia, hominem operari prout ad ſalutem oportet ex ſolis ſuis naturalibus; nec id poteſt inferri contrà Molinam.

Ut autem probaret S. Thomam omnes illos actus, qui præſupponuntur in Dubio, admittere: dedit Dubium, quod formatum in chartâ habebat Socius P. Salas; & per modum Dialogi legebat Salas unamquamlibèt particulam: & ipſe Vaſtida legebat in S. Thomâ, laborans oſtendere id affirmare S. Doctorem. Et primus locus, ſi certè memini, fuit adductus *ex Lib. 2. Sententt. diſt. 5.* ubì dicebat: quòd contritio in eodem inſtanti juſtificationis fiebat à ſolo libero arbitrio. Similiter legebat S. Thomam *in eod. Lib. 2. diſt. 28. art. 4. ad 4^m.* ubì dicebat: quòd homo per id quod eſt in ratione naturali diſponitur ad habendam fidem. De electione autem naturali, adducebat S. Thomam, tùm in quodam loco *ex Lib. 4. Sententt.*, tùm *1. 2. q. 109. art. 3. ad 3^m.* ubì dicit: quòd præceptum de dilectione Dei non poteſt homo implere ex puris naturalibus, ſecundùm quòd ex charitate impletur. Ex quo inferebat S. Thomam aſſerere, hominem poſſe diligere Deum ſuper omnia naturæ viribus, ut authorem naturæ, non autem ex charitate, id eſt, ut objectum beatificum. Adducebatque locum *ex quæſt. diſputatis* S. Thomæ, in quo dicebat: hominem poſſe facere opus naturale cum omni bonâ circumſtantiâ & abſque omni malâ. Itèm adducebat locum S. Thomæ *in quæſt. diſp.*, & *1. 2.* ubì dicit: quòd ſi is qui nutritur in ſylvis, faciat quod in ſe eſt, Deus illi ſuâ providentiâ providebit de prædicatore, vel de inſpiratione internâ, per quam illuminabitur circà ea quæ ſunt fidei. Quòd autem S. Thomas dicat: quòd facienti quod in ſe eſt naturæ ſolius viribus, Deus dabit illam illuminationem fidei & gratiam; patere dicebat ex *Lib. ſententt.* ubì dicit: quòd ſolùm ex libero arbitrio poteſt homo ſic facere quod in ſe eſt; quià illud eſt in poteſtate liberi arbitrij, quod non indiget alterius adjutorio.

Deindè idem omninò dubium formabat contrà Cajetanum dicendo: Cajetanus dicit illa omnia expreſsè quæ proponuntur in Dubio; ergò Cajetanus dicit illos fieri actus prout ad ſalutem oportet. Quòd ſi illa illatio nulla eſt in Cajetano; nec valere aliquid poteſt in Molinâ. Legebat autèm, quòd Cajetanus in primis *1. 2. q. 109. art. 4. ad 3^m.* ſic dicit: ſecundùm hoc ergò dicendum, quòd reſponſio data ad tertium in litterâ extenditur ad omnia præcepta virtutum Theologalium, ità quòd etiam credere, ſperare, diligere Deum, confiteri ipſum Jeſum Chriſtum, poteſt homo per ſua naturalia, quantùm ad ſubſtantiam operum, implere, & non in quantùm impletur ex fide, ſpe, & charitate. Et ibì dicit: quòd Gentilis edoctus fidem, nolens eſſe Chriſtianus, poteſt credere totam fidem eſſe veram, ut Eccleſia tenet; & tamen conſtat, quòd ille nullo auxilio ſupernaturali ad id movetur.

Similiter ex Cajetano adducebat Opuſculum de Contritione, ubì dicit: hominem ex naturæ viribus poſſe conteri de peccato, ut de ſummo malo, & propter Deum ſummè bonum. Et alia ſimilia loca inducebat ex Cajetano; ubì dicebat: poſſe hominem naturæ viribus facere opus bonum morale, nullâ malâ circumſtantiâ veſtitum, ſed cum omni bonâ; quià poteſt Paganus, aït Cajetanus, nihil cogitans de Deo, honorare parentes cum omni bonâ circumſtantiâ. Et eodem modo inducebat Cajetanum dicentem: quòd facienti quod in ſe eſt ex naturæ viribus Deus dat gratiam; & tamen nullus intulit contrà Cajetanum: quòd in illis actibus conſtituat hominem operari ex ſuis viribus prout

Digitized by Google

ad ſalutem oportet; ergò, ut aïebat, nec id poteſt inferri contrà Molinam.

Idem omninò dubium, ut aïebat, formabat contrà Magiſtrum Soto; & diſcurrens per multa loca & teſtimonia ipſius, laborabat oſtendere id ipſum, videlicèt, omnia illa quæ proponuntur in Dubio, conſtitui à M. Soto; & tamen nullus unquàm contrà ipſum intulit; quòd affirmaret hominem operari ex ſuis ſolùm viribus pròut ad ſalutem oportet. Quomodò ergò id poteſt contrà Molinam inferri, qui illos actus tantùm conſtituit ſicut S. Thomas, Cajetanus, & Soto? Et tantùm temporis conſumebat, in tot perlegendis locis & Libris, ut videretur nec adhuc finiviſſe.

Similiter ad hoc ipſum conficiebat illud argumentum: quòd non poſſumus eſſe certi nos habere gratiam, & tamen poſſumus eſſe certi quòd habeamus illos actus; ergò illi actus non inferunt gratiam.

Tunc F. Thomas attendens ad omnia, ſic incepit: Beatissime Pater, ad cujus pedes quæcunque dixero humiliter ſuppono; Jàm PP. Societatis fecerunt ultimum ſuæ potentiæ, recapitulando ſimul omnia teſtimonia S. Thomæ, quæ in præcedentibus Congregationibus habitis in conſpectu Veſtræ Sanctitatis divisìm protulerunt. Nihil enìm modò aliud faciunt, niſi opponere ſimul, & conjunctìm, quæ tunc divisìm oppoſuerunt. Et pro magno hoc opponunt. Sed ſicut cum auxilio divinæ gratiæ in anterioribus Congregationibus divisìm ad iſta reſpondi; ità cùm eâdem gratiâ divinâ ad omnia ſimul copulata reſpondebo.

Sed ante omnia, Dubium à Sanctitate Veſtrâ propoſitum & modò relatum, quaſi brevi compendio univerſam ferè Molinæ doctrinam comprehendit, tangendo unicum totius doctrinæ ipſius fundamentum. Totale enìm fundamentum doctrinæ ejus in hoc conſiſtit: quòd poſſit liberum hominis arbitrium in naturâ lapsâ, abſque omni auxilio gratiæ, ex ſolis naturalibus viribus ſuis, credere in Deum; ſperare in Deum; diligere Deum ſuper omnia; pœnitere propter Deum ſummè dilectum; reſiſtere etiam non ſolùm levibus, ſed etiam gravibus tentationibus; poſſe prætereà elicere omnes illos actus cum omnibus bonis circumſtātiis, tàm ex parte officij quàm finis & objecti; denique poſſe ſic operari intuitu & contemplatione juſtitiæ Dei punientis ſcelera, & præmiantis virtutes. Hoc eſt totale fundamentum ad enervandam gratiam Jeſu Chriſti. Hoc enìm ſemel per Molinam conſtituto, manifeſtè ſequitur, id quod Molina principaliter intendit, videlicèt, nullam aliam gratiam eſſe neceſſariam ad credendum in Deum, ſperandum, diligendum, ac pœnitendum propter Deum, niſi ſolam illam allicientem & invitantem, quæ non recedit à lege atque doctrinâ, & quæ ſolùm invitet arbitrium, ut ipſum producat ex ſe ſimiles actus adjuvandos à gratiâ cooperante, operante priùs ipſo libero arbitrio ſimiles actus.

Itaque Dubium tangit unicum fundamentum doctrinæ Molinæ, & procedit ex ſuppoſitione ex manifeſtè traditis ab ipſo Molinâ, & ex diſputatis jàm & examinatis in prioribus Congregationibus habitis in conſpectu Sanctitatis Veſtræ. Undè de his quæ in Dubio ſupponuntur, quæque diſputata ſatìs & examinata ſunt, non eſt iterùm diſputandum; ſed ſolùm eſt agendum: an ſuppoſito, quòd ſecundùm Molinam poteſt liberum hominis arbitrium ex ſe ſolo producere ſimiles actus, illi fiant pròut ad ſalutem oportet.

Ad quod breviter reſpondetur, dicendo: illos actus cum omnibus circumſtantiis & conditionibus in Dubio expreſſis, fieri pròut ad ſalutem oportet. Undè ſicut contrà Concilia & Catholicam veritatem procedit, aſſerere: poſſe liberum arbitrium abſque omni auxilio gratiæ operari actus pròut ad ſalutem oportet; ità eâdem ratione contrà eandem veritatem

procedit

procedit aſſerere: poſſe liberum arbitrium ſe ſolo ſimiles actus elicere.

Veritas iſta ex præcedentibus omnibus Congregationibus manet ſatìs comprobata, tùm divinæ Scripturæ, tùm Sacrorum Conciliorum, tùm SS. Patrum apertiſſimis teſtimoniis. Quæ, nè inutilis fiat repetitio, omnindò omittuntur. Et ad præſens tantùm manifeſtatur ex illâ notiſſimâ doctrinâ S. Auguſtini contrà Julianum *Lib. 4. cap. 3.* Ubì S. Doctor convincit Julianum, quòd ex ſolo homine dicat procedere actus pròut ad ſalutem oportet; quià ipſe ex ſolo homine dicebat procedere actus virtutum moralium.

Talis autem fuit convincens fundamentalis ratio S. Auguſtini: Illi actus ſunt pertinentes ad ſalutem, qui ſunt boni & ratione officij, & ratione finis; ſed actus virtutum moralium ſunt boni ex officio & ex fine; ergò ſunt pertinentes ad ſalutem. Quæ ratio meliùs contrà Molinam procedit. Ipſe enìm admittit, quòd iſti actus, credere in Deum, ſperare, diligere, & pœnitere &c, ſunt facti ab homine cum omni bonâ circumſtantiâ tùm ex parte officij, tùm ex parte finis. Ergò ex S. Auguſtino convincitur, quòd fiant pròut ad ſalutem oportet. Immò, quod majus eſt, Julianus negabat, illa opera virtutum moralium fieri propter Deum, & ex conſequenti non perducere hominem ad ſalutem; & tamen S. Auguſtinus convincit, quòd quidquid ipſis verbis dicat, non fieri propter Deum, nec pertinere ad ſalutem, tamen & fiebant propter Deum, & ad ſalutem pertinebant.

Quid ergò faceret S. Auguſtinus, ſi iſtis temporibus audiret Molinam, & qui ejus defendunt doctrinam, dicentes: Actus credendi in Deum, ſperandi, diligendi Deum ſuper omnia, & pœnitendi, fieri propter Deum, immò propter Deum ſummè dilectum; & tamen audiret negari illos actus pertinere ad ſalutem? Certè fieri non poteſt, quòd Molina, & qui ejus defendunt doctrinam negent illud, quod Julianus ipſe vidit non poſſe negari. Vidit certè Julianus, quòd ſi ſemèl ipſe concederet illos actus fieri propter Deum, negare non poterat, illos pertinere ad ſalutem. Undè utrumque ſimul negavit. Quarè in hoc non ſolùm à S. Auguſtino, ſed etiam ab ipſo Juliano, cujus doctrinam ſequuntur iſti PP., convincuntur cum Molinâ.

Secundò quid Sacra Concilia intelligant per illam particulam *pròut ad ſalutem oportet*, cùm definiunt non poſſe ſine adjutorio gratiæ operari pròut ad ſalutem oportet, apertè declarat Franciſcus Suarez, quem tanti faciunt PP. Societatis, quem nec in conſpectu Sanctitatis Veſtræ adducerem, niſi hoc eſſet neceſſarium ad convincendos hos PP. ad hominem, ut dici ſolet. Is enìm author *in Lib. de Auxil. divin. grat. cap. 1. in fine*, tractans ex profeſſo: An actus ſint ſolùm ſupernaturales quòad ſubſtantiam; an verò quòad ſubſtantiam & modum? ſic dicit: *Nec verum eſt libertatem arbitrij faciliùs aut meliùs cum divinâ gratiâ concordari, ſi actus hi ſolùm quòad modum ſupernaturales ſint; quià vel ille modus nihil eſt in actu, quod à nobis liberè fiat; & hoc non eſt concordare gratiam cum libertate, ſed omninò gratiam evertere, & doctrinam Conciliorum eludere: vel ille modus aliquid eſt ſupernaturale, ad quod liberè faciendum gratia nobis eſt neceſſaria; & ſic eadem oritur difficultas; quomodò in eo modo faciendo libertas & gratia conſentiant? Neque enìm Concilia, cùm addunt illam particulam* (ſicut oportet) *accidentalem modum horum actuum indicant; ſed eſſentialem rationem & proprietatem, convenientem ipſis ex vi ſupernaturalis objecti & principij: ut eſt in fide Chriſtianâ V. G. inniti formaliter in primâ veritate, eique maximâ certitudine adhærere; & ſic de cæteris actibus. Addunt igitur illam particulam Concilia, ut hos actus ſeparent ab aliis actibus imperfectis, quos homo ſolet circà eadem materialia objecta exercere; ut cùm aſſenſu humano & imperfecto credimus aliquam fidei veritatem, non ex divino, ſed ex humano*

humano teſtimonio. Qui actus imperfectus propter ſimilitudinem quam habet cum ſupernaturali fide, (& idem eſt de ſpe & charitate) ſolet interdùm fides quoàd ſubſtantiam appellari. Et hoc ſenſu reperietur aliquandò ſcriptum ab authoribus Catholicis, poſſe hominem naturalibus viribus elicere actum fidei quoàd ſubſtantiam. Qui vel loquuntur juxtà ſenſum prioris ſententiæ; & ſic, licèt falſam ſequantur opinionem, non tamen errant in doctrinâ fidei; vel certè in prædictâ ſignificatione utuntur illâ voce, (quoàd ſubſtantiam) *ſcilicèt, ut ſignificat rationem communem & convenientiam actûs, non ut dicit propriam & eſſentialem rationem ſpecificam.*

Quæ omnia verba in libro coràm Sanctiſſimo perlecta ſunt; & finito contextu, ſubdidit F. Thomas: duo dicit apertiſſimè author iſte. Primum eſt, ſecundùm Concilia illud verbum *pròut oportet* ſignificare eſſentialem rationem & proprietatem convenientem ipſis actibus; ut eſt V. G. certò aſſentiri propter primam veritatem revelantem. Cùm ergò Molina dicat hominem ità certò, immò magìs certò poſſe aſſentiri veritatibus fidei omnibus ex ſolis ſuis naturalibus, quàm alius per fidem ſupernaturalem infuſam, propterea quià Deus revelavit; convincitur per ſuum ſocium Franciſcum Suarez, quòd ponat credere pròut ad ſalutem oportet. Dicit ſecundò Suarez: quòd illud verbum *pròut ad ſalutem oportet*, additum in Sacris Conciliis, ideò ponitur, ut hos actus ſeparent ab aliis actibus imperfectis, quos ſolet homo circà eadem materialia objecta exercere: ut cùm aſſenſu humano & imperfecto credimus aliquam fidei veritatem. Qui actus imperfecti propter ſimilitudinem vocantur actus fidei quòad ſubſtantiam à Scholaſticis. Ecce planè dicit, qui actus ſint quòad ſubſtantiam, videlicèt, actus imperfecti. Et explicans in quo ſint imperfecti, dicit quòd tunc ſunt imperfecti, cùm, videlicèt, aliquis alicui veritati, non omnibus aſſentitur aſſenſu infirmo & humano. Igitur verbum *pròut ad ſalutem oportet* additum in Conciliis, idem eſt quòd operari illos actus cum omni illâ perfectione maximâ, quam iſtis actibus tribuit Molina. Et ſic convincitur Molina quòd illos actus conſtituat pròut ad ſalutem oportet.

Undè (quod breviter hìc ſolùm tangendo examinandum propono, & Doctoribus remitto, qui Sanctiſſimo Domino noſtro aſſiſtunt) Concilium Arauſicanum II. *in can. 25.* [a] aliquandò conſtituit verbum hoc, *pròut ad ſalutem oportet*, aliquandò conſtituit ſuum æquivalens. V. G. dicit: *non poſſe hominem ex ſe ſolo diligere Deum pròut ad ſalutem oportet.* At verò cùm dicit: *non poſſe hominem ſe ſolo credere in Deum*, non apponit illam particulam, *pròut ad ſalutem oportet;* quià reputat certiſſimum, quòd credere in Deum ſit pròut ad ſalutem oportet. Undè illam particulam addere non oportebat; quià eſſet inutilis repetitio. Et ratio eſt; quià credere in Deum, dicit tendentiam in ipſum ſicut in finem, ut docet S. Thomas. Hâc enìm ratione fatemur nos credere unam ſanctam Eccleſiam Catholicam, nè denotetur quòd in Eccleſiam tendimus per credulitatem ſicut in finem. Credere autem in Deum, tendendo in ipſum ſicut in finem, reputat Concilium certiſſimum eſſe, quòd ſit credere pròut oportet. Et hâc ratione dicit, nos ex nobis non poſſe credere in Deum; nec addit illam particulam *pròut ad ſalutem oportet.*

Similiter docet nos non poſſe ex nobis ſolùm operari propter Deum eâdem ratione; quià operari propter Deum, dicit operari propter ipſum ſicut propter finem. Videbat autem Concilium apertiſſimam doctrinam S. Auguſtini: quòd operari propter Deum ſicut propter finem, erat ſine dubio operari ſicut ad ſalutem oportet. Et hâc ratione, cùm Concilium Arauſicanum definit: *nos ex nobis ſolùm non poſſe operari propter Deum;* non appoſuit illam particulam pròut oportet, ſicut illam adhibuit, cùm dixit: nos non

[a] *Tom. 10. inter Oper. Auguſt. in Append. col. 159. & 160.*

non poſſe diligere Deum pròut oportet; quià diligere Deum ut ſic, ſi non addatur *ſuper omnia*, neceſſe eſt addere *pròut oportet*, ut negetur naturæ viribus. Undè idèm omninò eſt in Conciliis, diligere Deum ſuper omnia, & diligere pròut ad ſalutem oportet.

Itèm idem Concilium Arauſicanum II. *can. 7.* a poſtquàm definivit, nos non poſſe tanquàm ex nobis ſine Spiritûs Sancti operatione facere opus aliquod pròut ad ſalutem oportet; cùm ſtatìm dicit: *nos non poſſe Evangelicæ prædicationi conſentire ex nobis ipſis*, non apponit illud verbum *pròut ad ſalutem oportet*; quià certiſſimum reputabat Concilium, quòd conſentire Evangelicæ prædicationi eſſentialiter, eſt conſentire pròut ad ſalutem oportet.

a *Ibid. col. 158.*

Quâ etiam ratione Concilium Tridentinum *Seſſ. 6. can. 3.* cùm definit: ſine Spiritûs Sancti inſpiratione non poſſe hominem credere, ſperare, diligere, & pœnitere, addit illud verbum, *pròut ad ſalutem oportet*; quià cùm loqueretur de credere, ſperare, diligere, & pœnitere ut ſic, nec explicaverit proprium modum credendi, ſperandi, diligendi, ac pœnitendi, neceſſe fuit omnes ſimul comprehendere addendo illam particulam *pròut ad ſalutem oportet*. Si autem Concilium dixiſſet: neminem poſſe credere in Deû, ſperare in Deum, diligere Deum ſuper omnia, pœnitere propter ipſum pròut ad ſalutem oportet, ſine gratiâ Spiritûs Sancti: tunc poſſent PP. Societatis diſtinguere, credere in Deum, & credere pròut ad ſalutem oportet; & diligere Deum ſuper omnia, à dilectione Dei pròut ad ſalutem oportet. Hoc propono, à Doctoribus qui aſſiſtunt, ut dixi, ponderandum ex Conciliis.

Prætereà tertiò (& per hoc aperietur & manifeſtabitur tota iſta doctrina totaliter) S. Thomas *1. 2. q. 89. art. 6.* expreſsè docet, id quod ſæpiùs dixit alibì: quòd ſi ille qui nutritur in ſylvis, cùm pervenerit ad uſum rationis, fecerit quod in ſe eſt, proponendo ſequi bonum & fugere malum, ſecundùm quòd ſibi per naturalem rationem tunc proponitur; iſte talis infallibiliter & certiſſimè à Deo recipiet juſtificationis gratiam, & emundabitur à peccato originali. Ubì S. Thomas apertiſſimè dicit, eſſe infallibilem ordinem inter actum illum moralem ſecutum ex rationis lumine, & inter ordinem gratiæ & juſtificationis; docet ergò apertè quòd ille actus moralis: volo ſequi bonum mihi per rationem propoſitum, & fugere malum; fit pròut ad ſalutem oportet; ſiquidem infallibiliter ei confertur juſtificationis gratia. Ut autem evitaret S. Thomas Pelagianorum errorem dicentium: hominem ſuis viribus incipere, & Deum poſteà adjuvare & infundere gratiam; ideò in totâ ſuâ doctrinâ ſemper docuit: quòd hoc ipſum quòd ille homo velit ſequi bonum & fugere malum, fit ex priori auxilio gratiæ, convertente cor illius hominis; & quòd ſic facienti ex auxilio gratiæ quod in ſe eſt, Deus dat illi juſtificationis gratiam; non autem facienti quod in ſe eſt ex naturæ viribus. Sic dicit in terminis, *1. 2. q. 109. art. 6. ad 2m.*, ſic dicens: *Ad ſecundum dicendum: quòd nihil homo poteſt facere niſi à Deo moveatur, ſecundùm illud Joannis 15°.: ſine me nihil poteſtis facere. Et ideò cùm dicitur homo facere quod in ſe eſt, dicitur hoc eſſe in poteſtate hominis ſecundùm quod eſt motus à Deo.* Et *ſuper epiſt. ad Rom. cap. 10. lect. 3.* expreſſiùs dicit: quòd *ſi illi qui nutriuntur in ſylvis fecerint quod in ſe eſt, Deus illis ſuâ providentiâ providebit, mittendo eis prædicatorem, ſicut Petrum Cornelio, & Paulum Macedonibus.* Et ſtatìm addit: *ſed hoc ipſum quòd illi faciant quod in ſe eſt, convertendo ſe in Deum, eſt illis ex ipſo Deo convertente corda eorum, ſecundùm illud: converte nos Domine, & convertemur.* Hæc S. Thomas.

Pro certo ergò habet S. Thomas, quòd ad illum actum bonum moralem ex objecto, & regulatum per lumen rationis, factum tamen ex divino auxilio,

Digitized by Google

auxilio, Deus dat juſtificationis gratiam. Similiter pro certo habet, quòd ſi homo ſolis ſuis naturalibus talem actum eliceret, quo conſequeretur juſtificationis gratiam, hoc eſſet Pelagianum. Et tamen ille actus: volo ſequi bonum & fugere malum, non eſt ità perfectus, ſicut eſt diligere authorem naturæ ſuper omnia. A fortiori ergò, ſi hanc dilectionem homo ſe ſolo poteſt habere, conſequetur juſtificationis gratiam, & gratia debita eſſet illis naturæ operibus.

Ratio autem à priori ob quam ſequitur juſtificationis gratia ad iſtos egregios actus morales, eſt, quià non ſtat hominem perfectè converti in Deum authorem naturæ, & eſſe averſum à Deo authore gratiæ; quià cùm ſit unus & idem Deus author naturæ & gratiæ, non poteſt eſſe, quòd homo ſit ei amicus quatenùs author naturæ, & inimicus quatenùs author gratiæ. Si autem eſſent duo Dij, poſſet quidem homo eſſe amicus Dei authoris naturæ, & inimicus Dei authoris gratiæ. Cùm verò ſit unus Deus, & author naturæ & gratiæ, non poteſt homo eſſe amicus illius quatenùs author naturæ eſt: & inimicus quatenùs eſt author gratiæ. Homo autem in naturâ lapſâ, tùm propter peccatum originale, tùm propter multa peccata actualia, ſecundùm fidem eſt averſus à Deo authore gratiæ; undè naturæ viribus non poteſt ſe perfectè convertere per hos excellentiſſimos actus morales in Deum authorem naturæ; vel ſi hoc poteſt, non manebit averſus à Deo authore gratiæ; & ſic gratia erit debita illis operibus naturæ; ut ſic talis homo non maneat averſus à Deo authore gratiæ.

Et hoc eſt, quod dixit S. Auguſtinus *Lib. 4. contrà Julian. cap. 3.* a quòd *per amorem Creatoris*, id eſt, per dilectionem Dei authoris naturæ ſuper omnia, *pervenitur ad Deum.* Et *Lib. de nat. & grat. cap. 2.* b expreſsè docet: quòd ſi homo ſine fide Chriſti, ex naturæ viribus, poteſt rectè vivere conformiter ad rationem, Chriſtus gratis mortuus eſſet; quià illi homini ſic rectè viventi ſecundùm rationem naturalem, & habenti juſtitiam naturalem & moralem, etiamſi Chriſtus ei non meruiſſet gratiam, nec pro dandâ illi gratis gratiâ Chriſtus moreretur, adhuc gratia illa eſſet homini debita, ut per illam perveniret ad æternam ſalutem.

a *Tom. 10. num. 33. col. 602.*

b *Tom. 10. num. 2. col. 128. & 129.*

Undè Concilium Milevitanum docet, hominem mandata legis naturalis, quæ currunt per legem naturæ Scriptam & Evangelicam, non poſſe ſervare naturæ viribus: & tamen illa ſunt moralia. Et iſta præcepta moralia ideò ex ſe homo ſervare non poteſt; quià ad illorum obſervationem ſequeretur quòd talis homo ingrederetur ad vitam; ut Chriſtus dixit: c *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Cùm autem homo non poſſit ad vitam ingredi ſine fide & gratiâ ſupernaturali; talis gratia eſſet debita ſervanti legis mandata. Et in hoc conſiſtit error Pelagianorum.

c *Matth. 19. 17.*

Immò Molina in his actibus quos ſoli naturæ tribuit, affirmat idipſum, quod æquivalentibus omninò verbis dixit Pelagius, relatus à S. Auguſtino *Lib. de grat. Chriſti cap. 22.* d quòd, videlicèt, de ſolius arbitrij fonte poteſt homo currere ad Deum; ſuſpendere voluntatem ſuam ex Deo; & fieri unus ſpiritus cum eo. Voluit dicere: quòd ex ſolâ facultate naturæ poteſt homo credere in Deum; per fidem enìm curritur ad Deum: & quòd poteſt ſperare in ipſum; per ſpem enìm ſuſpendit homo voluntatem ſuam ex Dei voluntate: & quòd poteſt diligere Deum ſuper omnia; per hanc enìm dilectionem homo fit unus ſpiritus cum Deo. Quod tamen impugnans ſanctus Auguſtinus, ſic dicit: Videte quantam rem dixerit, non effici niſi arbitrij libertate, ac per hoc ſine adjutorio Dei nos Deo æſtimat adhærere &c.

d *Tom. 10. n. 24. col. 240.*

Prætereà Caſſianus *Collat. 13. cap. 12.* ſolùm dixit: *Dubitari ergò non poteſt ineſſe quidem omni animæ naturaliter virtutum ſemina, beneficio Creatoris inſerta; ſed niſi hac opitulatione Dei fuerint*

rint excitata, ad incrementum perfectionis non poterunt pervenire. Et tamen S. Proſper contrà illum *cap. 27.* [a] ſic dicit: *Si dubitari non poteſt, ineſſe omni animæ naturaliter virtutum ſemina, beneficio Creatoris inſerta; ſolus Adam prævaricatus eſt, & in peccato ejus nemo peccavit; in nullis iniquitatibus concepti ſumus, & in nullis nos matres noſtræ peperêre delictis; &c.* Ubì manifeſtè dicit: tolli per hæc ſemina virtutum naturaliter inſerta, peccatum originale; & quòd liberum arbitrium non infirmum, ſed integrum ac ſanum conſtituatur. Quid autem diceret S. Proſper, ſi his temporibus audiret dici ab iſtis PP. Societatis: non ſolùm eſſe omni animæ naturaliter virtutum ſemina inſerta; ſed, quod majus eſt, poſſe hominem credere in Deum, ſperare in Deum, diligere Deum ſuper omnia, conteri cum propoſito & deliberatione ampliùs non peccandi; & poſſe ſolis viribus naturæ datis à Creatore, facere hæc bona opera cum omni bonâ circumſtantiâ, & intuitu ac contemplatione juſtitiæ Dei punientis ſcelera, & bonitatis Dei præmiantis virtutes? Procùl dubio multò magìs affirmaret tolli peccatum originis, & reddi liberum arbitrium hominis ſanum & integrum, non infirmum & læſum.

[a] *In App. tom. 10. Op. S. Auguſt. cap. 13. n. 37. col. 184.*

Inſuper Molina, conſequenter loquendo, ſicut ponit hos actus credendi in Deum, ſperandi in Deum, & diligendi eum ſuper omnia ex naturæ viribus; ità admittit *in diſp. 38. Antuerpiæ additâ*, [b] generari ex ſimilibus actibus in homine habitum fidei, ſpei, & charitatis naturalis, quibus homo faciliter, ſuaviter, & promptè credat in Deum, ſperet in Deum, & ipſum diligat ſuper omnia, contrà omnium Theologorum ſententiam, qui tales habitus non cognoverunt. Illi enìm habitus, nec ſunt virtutes Theologicæ, ut Molina fatetur, nec ſunt virtutes intellectuales, quas noverunt Philoſophi; quià iſtæ ſunt quinque tantùm, ſcilicèt, intellectus, ſapientia, ſcientia, prudentia, & ars: nec ſunt virtutes morales; aliàs inter virtutes morales annumerarent Philoſophi charitatem ad diligendum Deum ſuper omnia, & non ſolùm enumerarent prudentiam, juſtitiam, fortitudinem, & temperantiam.

[b] *§. Concurſus pag. 357. col. 2.*

Ultimò ipſe Molina *in illo §. ratio, diſp. 14. ſæpè citato* [c] apertè dicit: quòd *præexiſtente maximè lumine fidei, quo cognoſcimus Deum authorem naturæ & gratiæ, & quo cognoſcimus innumera beneficia & naturæ & gratiæ nobis collata, uſque ad proprij Sanguinis in Cruce effuſionem, poteſt homo ſolis naturæ viribus Deum ſic cognitum, & ſic voluntati per fidem propoſitum, diligere ſuper omnia.* Qui actus convincitur, quòd fiat ab homine pròut ad ſalutem. Quomodò enìm non pertinet ad ſalutem diligere primam & ſummam bonitatem per fidem cognitam & repræſentatam propter ipſam primam bonitatem? Profectò ſi iſte non eſt actus pertinens ad ſalutem, quis in vitâ mortalium erit actus pertinens ad ſalutem; cùm iſte homo diligat ſuper omnia divinam bonitatem propter eandem rationem propter quam amatur à Beatis? A Beatis enìm amatur ſuper omnia divina bonitas propter ſeipſam, quam cognoſcunt clarè lumine gloriæ; ille autem homo diligeret ſuper omnia eandem divinam bonitatem propter ſeipſam certiſſimè cognitam, ſed obſcurè per fidem. Immò talis homo diligeret divinam bonitatem propter eandem rationem ob quam ipſe Deus illam diligit. Deus enìm actu ſuæ dilectionis infinito, infinitè diligit infinitam ſuam bonitatem, propter ipſam divinam bonitatem. Dubitari ergò non poteſt, quòd ille homo ſic diligens divinam bonitatem ſuper omnia, propoſitam per fidem, diligit pròut ad ſalutem oportet.

[c] *Pag. 451. col. 2.*

Omitto illam certam legem de dandâ gratiâ. Quis enìm dicat, quòd actus, ad quem infallibiliter conſequitur ſalus, non ſit pròut ad ſalutem oportet? Sicut in corporalibus, quis dicat, quòd illa medicina, quâ poſitâ ponitur corporalis ſalus, non pertinet

Digitized by Google

tinet ad ſalutem corporalem?

Ad objecta autem modò reſpondetur. Et quidem dixit R. P. primò agendum eſſe, an Molina loquatur conſequenter ad ſua dicta, dùm negat hos actus fieri pròut ad ſalutem oportet. Ad quod reſpondetur: quòd in præſenti non agitatur, ſi Molina loquatur vel non loquatur conſequenter. Non enìm agit Sanctiſſimus: an Molina loquatur vel non loquatur conſequenter ad ſe; ſed an loquatur vel non loquatur Catholicè? De hoc præcepit Sanctiſſimus agendum.

Deindè P. R. totam vim ſuæ rationis in hoc fundavit, ad probandum ſupradictos actus non fieri pròut ad ſalutem oportet: illi actus fiunt pròut ad ſalutem oportet, qui ordinantur ad ſalutem, vel in ratione alicujus meriti, vel ſaltèm diſpoſitionis. Hæc fuit major. Et ſubſumebat hanc minorem: ſed actus illi etiam cum omnibus conditionibus ſupradictis, nec habent rationem meriti, nec diſpoſitionis ad ſalutem; quià non ſunt commenſurati, nec ejuſdem ordinis cum æternâ ſalute: ergò non fiunt pròut ad ſalutem oportet. Ad hoc argumentum in formâ, conceditur major, & negatur minor. Etenìm illi actus cum illis expreſſis conditionibus, fiunt abſque dubio pròut ad ſalutem oportet. Et ratio eſt manifeſta; quià, licèt illi actus ordinis ſint naturalis & inferioris ad ordinem gratiæ, inferunt tamen gratiam & ſalutem; undè fiunt pròut ad ſalutem oportet. Veritas autem Catholica dicit: quòd illi actus eſſentialiter ſint de pertinentibus ad ſalutem; & ex conſequenti, dicit procedere à Spiritu Sancto. Molina autem cùm conſtituat illos actus circà objecta pertinentia ad ſalutem, negat fieri à Spiritu Sancto. Et in hoc conſiſtit ejus error; quòd cùm actus à ſolâ naturâ producti non ſint merita vel diſpoſitiones ad gratiam, nec ſint ordinati ad ſalutem; tamen ipſe conſtituit tales actus, inter quos convincitur eſſe ordinem cum gratiâ, & eſſe diſpoſitiones ad gratiam. Et in hoc errat; quià ponit ordinem ubì nullus eſt ordo, & conſtituit meritum ubì nullum poteſt eſſe meritum. Si enìm illi actus verè eſſent vel diſpoſitiones vel merita gratiæ, non eſſet error dicere: quòd ſunt diſpoſitiones vel merita reſpectu ipſius gratiæ. Et per hoc patet ad id de commenſuratione. Dicitur enìm, quòd cùm actus ex viribus naturalibus, commenſurati non ſint cum gratiâ; tamen Molina contrà propriam naturam illorum actuum, in illis conſtituit commenſurationem, ſiquidem dicit, quòd attingunt objecta ſupernaturalia.

Adduxerunt S. Auguſtinum *Lib. 4. contrà Julian.*, & S. Thomam, & Cajetanum, & Soto, ut ex ipſis probent: quòd, videlicèt, illud eſt abſolutè & ſimpliciter bonum quod pertinet ad ſalutem. Ex quo inferebant: illos actus naturales, ex viribus videlicèt naturæ, nec eſſe ſimpliciter bonos, nec pertinere ad ſalutem. Quomodo autèm ad hoc adducitur S. Auguſtinus? cùm ibì expreſſè in illo loco ex profeſſo damnet Julianum de eodem de quo modò notatur Molina. Et veriſſimè dicit S. Auguſtinus, illud eſſe verum bonum & abſolutè bonum, quod pertinet ad ſalutem; de quo etiam Julianus conveniebat. Controverſia tamen erat: quinam eſſent iſti actus boni abſolutè & ſimpliciter, & conſequenter pertinentes ad ſalutem? Nàm Julianus contendebat actus virtutum moralium bonos ex officio & fine, nec eſſe ſimpliciter bonos abſolutè, nec ad ſalutem pertinere. S. autem Auguſtinus efficaciter convincebat, tales actus & bonos eſſe abſolutè, & Deo placere, & ad ſalutem pertinere ex intrinſecâ ſuâ ratione, à quocunque producantur. Et hæc eadem eſt modò quæſtio. Convenimus enìm iſtos actus debere ſolùm dici bonos abſolutè, qui pertinent ad ſalutem; ſed PP. dicunt actus in Dubio expreſſos non pertinere ad ſalutem, nec verè eſſe bonos ſimpliciter: nos autem id utrumque affirmamus.

Sed adduxit P. Vaſtida ad hoc probandum,

Digitized by Google

bandum, inſuper Bullam Pij V. in damnatâ propoſitione 58ª., quæ ſic habet: *Illa Doctorum diſtinctio, divinæ legis mandata bifariàm impleri; altero modo quantùm ad præceptorum operum ſubſtantiam tantùm; altero quantùm ad certum quemdam modum, videlicèt, ſecundùm quem valeant operantem perducere ad regnum æternum, hoc eſt, ad modum meritorium: commentitia eſt & explodenda.* Quam ibì legit F. Thomas, poſteà dicens: Putant iſti PP., quòd nemo præter illos habeat Bullam iſtam. Et quidem in illâ propoſitione ſolùm damnatur qui negaverit iſtam diſtinctionem obſervationis præceptorum, & quòad ſubſtantiam, & quòad modum. Quis autem illam negat? Vel ad quid illam inducunt? Sed ad hoc, ut videtur, quià dicit obſervationem quòad modum, eſſe quòad modum meritorium; & cùm illi actus non ſint merita, ſolùm ſunt illi actus tales quòad ſubſtantiam. Ad hoc dicendum: quòd illi actus cum illis conditionibus habent non ſolùm ſubſtantiam, ſed convincuntur habere modum, & modum meritorium; quià ſi homo poteſt habere ſimiles actus, meretur ut ſibi detur gratia; ut ſuprà dictum eſt. Nec alius fuit Pelagianorum error, niſi conſtituere in actibus ex ſolis naturæ viribus, (quibus repugnat ratio meriti reſpectu gratiæ) rationem meriti. Et de hoc damnatur.

Sed quomodò PP. Societatis adducunt Bullam iſtam; cùm in ipsâ ſemèl atque iterùm non obſcurè hæc ipſorum damnetur ſententia. Nàm in propoſitione 31. damnatâ in Bullâ, hæc damnatur propoſitio: *Charitas perfecta & ſincera, quæ eſt ex corde puro, & conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ, tàm in Catechumenis quàm in pœnitentibus, poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum.* Hìc certè videtur damnari ſententia Molinæ. Nàm ipſe dicit: quòd dilectio quæ ſupponit veram fidem ſupernaturalem, quæ eſt abſque dubio ex fide non fictâ, & quæ eſt ex conſcientiâ bonâ, poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum. Itèm apertiùs in eâdem Bullâ propoſitione 32. damnatur iſta propoſitio: *Charitas illa quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper conjuncta cum remiſſione peccatorum.* At verò charitas, quæ eſt plenitudo legis eſt dilectio naturalis ſuper omnia. Hæc enim eſt primum mandatum legis naturalis, in quo univerſa lex impletur. Et conſtat, quòd de hâc dicebat author cujus doctrina damnatur: quòd illa poterat eſſe in peccatore ſine remiſſione peccatorum & gratiæ infuſione.

Ad illud de homine in naturâ integrâ, in quo poteſt eſſe talis dilectio abſque gratiâ, reſpondetur: quòd argumentum tranſit de genere ad genus, & ſic nullum argumentum eſt. Tranſit enìm de uno ſtatu ad alium; à ſtatu, videlicèt, naturæ integræ, ad ſtatum naturæ lapſæ; cùm tamen omninò diverſa ratio ſit utriuſque ſtatûs. Homo enìm in naturâ integrâ, id eſt, in puris naturalibus creatus ante peccatum & ante gratiam, nullum haberet peccatum. Rursùs non eſſet ordinatus à Deo in finem vitæ æternæ. Undè quià nullum haberet peccatum, ſed eſſet ſanus, poſſet diligere Deum dilectione naturali ſuper omnia; quià verò non eſſet ordinatus in finem vitæ æternæ, licèt Deum diligeret ſuper omnia dilectione naturali, tamen ad hanc dilectionem non ſequeretur gratia. At verò homo in naturâ lapsâ eſt in peccato, & hâc ratione non poteſt exercere ſupremum actum hominis ſani, qui eſt diligere Deum ſuper omnia. Per impoſſibile autem admiſſo, quòd ex viribus ſuis infirmis Deum ſuper omnia diligat, ſequitur quòd ſe perfectè convertat in Deum authorem naturæ; & ex conſequenti, quòd non eſt averſus à Deo authore gratiæ; & conſequenter, quòd ſit in gratiâ ut dictum eſt.

Ad illud aliud quod dixit R. P.; quòd, videlicèt, iſti actus morales indifferentes ſunt, & quòd aliquandò proponuntur per fidem ſupernaturalem, aliquandò verò per rationis lumen; &

Digitized by Google

quòd quandò procedunt ex lumine rationis, non fiunt pròut ad ſalutem oportet, Reſpondetur: quòd ipſemèt arguens jàm à ſemetipſo convincitur. Si enìm quandò hi actus proponuntur per lumen ſupernaturale fidei, fiunt pròut ad ſalutem oportet; ergò dilectio Dei ſecuta ad lumen fidei, quam conſtituit Molina, fit pròut ad ſalutem oportet. Ecce ſeipſum convincit in hoc. In illo autem alio quod ait: quòd quandò proponuntur per lumen rationis non fiunt pròut ad ſalutem oportet; jàm ex dictis patet eſſe falſum.

Venio jàm ad dubium quod formavit prædictus P. contrà S. Thomam. Et primò inducitur S. Thomas *in 2m. diſt. 5.* qui locus jàm fuit inductus à P. Valentiâ. Et in ipſo loco, ut P. in litterâ apertè legit, loquitur ſanctus Thomas de actu contritionis, qui habetur in inſtanti juſtificationis, & qui eſt ultima diſpoſitio ad gratiam. Et volunt iſti PP. S. Thomam aſſerere hominem naturæ viribus poſſe ſe ultimò diſponere ad gratiam; quod in ſuo Molinâ non admittunt dicentes: hunc eſſe Pelagianorum errorem. Si ergò eſt iſte, & meritò, Pelagianus error, quarè illum attribuunt S. Thomæ nolentes intelligere litteram illius articuli? Ibì enìm S. Doctor loquitur contrà quoſdam, qui ad juſtificationem duplicem habitum gratiæ dicebant eſſe neceſſarium: alterum gratìs datæ, pro eliciendâ contritione, & diſpoſitione ad gratiam juſtificantem: alterum verò habitum gratiæ gratum facientis ad informandum talem actum contritionis. Et contrà hos dicit S. Thomas: quòd liberum arbitrium ſine tali habitu gratiæ gratìs datæ, poteſt elicere contritionem, quæ ſit ultima diſpoſitio ad gratiam in ipſo inſtanti juſtificationis. Et eundem habitum gratiæ gratìs datæ negat ſimiliter *in 2m. diſt. 28. art. 4.* Et *1. 2. q. 109. art. 6.* idem omninò dicit.

Secundo loco adduxerunt ſanctum Thomam, quòd dilectionem Dei ſuper omnia tribuat homini ex naturæ viribus; non autem illam quæ ex charitate procedit; quæ eſt de Deo, ut objectum beatificum eſt: ut dicit *1. 2. q. 109. art. 3. ad 3m.* Sed valdè mirandum eſt, quòd hoc adducant, cùm ſanctus Thomas *in corpore illius articuli* expreſsè dicat: quòd homo in puris naturalibus, id eſt, ſine gratiâ & ſine peccato, ſed in naturâ integrâ, ſicut à quibuſdam creatus ponitur, poterat diligere Deum ſuper omnia dilectione naturali; non autem homo in naturâ corruptâ poteſt ſic diligere, niſi ſanetur per gratiam. Cùm ergò hoc dicat in articulo; quomodò inducitur, ad probandum, quòd homo in naturâ lapsâ poſſit Deum ſuper omnia diligere? Cùm ergò S. Thomas *in ſolut. ad 3m.* dicat: naturam diligere Deum, non ut objectum beatificum, loquitur de naturâ integrâ & ſanâ, & contrarium totaliter docet de infirmâ. In naturâ autem infirmâ charitas infuſa, quæ primò & per ſe diligit Deum ut objectum beatificum, etiam ſecundò diligit Deum ut authorem naturæ; quià vires non ſunt ſine gratiâ ſanante ad diligendum Deum ſuper omnia, ut authorem naturæ.

Ad alia teſtimonia inducta ex S. Thomâ; quòd quòad ſubſtantiam poteſt homo implere quodlibèt mandatum, Reſpondetur: quòd dilectio Dei ſuper omnia dicit ſubſtantiam & modum. Illud enìm *ſummè dilectum*, vel *ſuper omnia*, modum propriè ſignificat, ut ſæpiùs explicavit S. Thomas. De quibus me remitto ad præcedentes Congregationes.

Ad illud quod adducitur ex ſancto Thomâ *in 2m. diſt. 28. art. 4. ad 4m.* quòd per actus naturales homo diſponatur ad fidem habendam, Reſpondetur: quòd loquitur de actibus naturalibus ex objecto, & quantùm ad ſuam eſſentiam; factis tamen ex adjutorio gratiæ; ut dictum eſt.

Ad aliud quod adducitur ex eodem S. Thomâ: quòd Deus ſuâ providentiâ facienti quod in ſe eſt, providebit de pertinentibus ad ſalutem, jàm dictum eſt: quòd facienti quod in ſe eſt ex auxilio gratiæ, Deus dat gratiam; ut

ut expreſſiſſimè ipſe manifeſtavit *1. 2. q. 109. art. 6. ad 2m.* Et *ſuper epiſt. ad Rom. cap. 10. lect. 3.* cujus verba jàm relata ſunt.

Ad illud quod dicit, aſſerere S. Thomam: quòd facienti quod in ſe eſt ex naturæ viribus Deus dat gratiam; quod probat ex illo loco *in 2m. diſt. 5.*, jàm diximus: quòd S. Thomas ibi ſolùm negat habitum eſſe ad id requiſitum, ut diximus, non autem divinam motionem, quam ſemper & ubique aſſeruit, & docuit.

Ad illa quæ adducta ſunt ex Cajetano & Soto, poteram eâdem facilitate per omnia diſcurrendo reſpondere; ſed ad brevitatem omitto, notando ſolùm duo, in quibus principaliter inſiſtitur: alterum eſt, quòd iſti authores dicant præcepta de actibus fidei, ſpei, & charitatis, quòad ſubſtantiam actûs, poſſe ſine auxilio gratiæ impleri ex ſolis naturæ viribus; quod veriſſimum eſt. Non tamen ij actus, quos conſtituit Molina, ſunt ſolùm quòad ſubſtantiam, ſed quòad ſubſtantiam ſimùl & modum, ut ſæpè dictum eſt. Et principaliter quânam ratione Cajetano attribuitur, quòd dicat hominem poſſe diligere ſolis naturæ viribus Deum ſuper omnia? cùm ipſe expreſsè *1. 2. q. 109. art. 4.* dicat: quòd duplex eſt dilectio Dei naturalis ſuper omnia; alia ſuper omnia ſecundùm quid, id eſt, ſuper aliqua referibilia in Deum; alia autem ſuper omnia ſimpliciter. Primam dicit poſſe eſſe in homine naturæ viribus; ſecundam autem affirmat non poſſe eſſe ſine gratiâ. Et rationem reddit; quià hæc omnium mandatorum ſuprema, virtute continet obſervantiam mandatorum omnium. Cùm ergò iſta ſint aperta in Cajetano, quomodò ei totaliter contrarium attribuitur?

Ad id quod objiciunt: quòd homo non poteſt eſſe certus de ſuâ gratiâ, poteſt autem eſſe certus ſe habere iſtos actus contritionis & dilectionis Dei ſuper omnia, Reſpondetur: quòd homo poteſt eſſe certus ſe habere fidem, ut ſanctus Thomas planè affirmat; non autem poteſt eſſe certus ſe eſſe in gratiâ. Undè vera eſt major, ſed minor falſa. Non enim poteſt homo eſſe certus ſe diligere Deum ſuper omnia, nec ſe conteri propter Deum. Sæpè enim homines putant ſe bonâ intentione operari, nec tamen ità eſt. Finis enim ob quem homo operatur, eſt ſæpè occultus; quià a *inſcrutabile eſt cor hominis*, & ſæpè qui veniunt ad Confeſſionem, arbitrantur ſe benè diſpoſitos eſſe, & ſæpè falluntur; quià ſeipſos non comprehendunt. Itaque poteſt experientiâ ſcire homo ſe diligere Deum, vel conteri de peccato; non tamen quòd ſuper omnia Deum diligat, de hoc habet certitudinem, propter ſimilitudinem quam habent inter ſe, dilectio Dei ſuper omnia, cum illâ quæ videtur eſſe ſuper omnia, & reverâ non eſt.

a *Jerem. 17. 9.*

Illud ſecundum, in quo inſiſtunt in Cajetano & Soto: quòd iſti authores admittant hominem poſſe ſolis naturæ viribus facere opus bonum morale cum omni bonâ circumſtantiâ, advertendum: quòd tripliciter poteſt contingere, quòd homo V. G. honoret Parentes, vel det eleemoſinam pauperi. 1°. Modo, ob vanam gloriam; & tunc actus moralis eſt ex naturæ viribus. 2°. Modo, poteſt V. G. Paganus dare eleemoſinam pauperi ex ſolis naturæ viribus nihil cogitando de Deo, ut dicit Cajetanus, nec propter malam circumſtantiam, nec referendo in Idolum; ſed propter ſublevandam miſeriam pauperis; & tunc iſte actus vocatur bonus ex objecto, & ex omnibus bonis circumſtantiis ſe tenentibus ex parte objecti; & iſte actus poteſt fieri ex ſolis naturæ viribus: & hoc eſt quod Cajetanus & Soto, immò omnes tenentur admittere. 3°. Modo, poteſt quis dare eleemoſinam pauperi propter Deum ſummè dilectum, & propter ultimum finem; & hoc fieri non poteſt ex ſolis naturæ viribus.

Poſtquàm autem F. Thomas dixit ſe nec verbum ultrà dicturum; P.

Vaſtida cœpit impugnare quæ dicta fuerant; potiſſimè autem dicebat: quòd malè adducebatur S. Auguſtinus contrà Julianum; quià ibì tantùm damnabat Julianum, quià dicebat, virtutes eſſe veras & de malo fine. Et ad hoc legebat ſanctum Auguſtinum ℣. *cunctarum*, a ubì hæc refert verba Juliani: *Cunctarum, inquis, origo virtutum in rationabili animo ſita eſt, & affectus omnes, per quos aut fructuosè, aut ſteriliter boni ſumus, in ſubjecto ſunt mentis noſtræ, prudentia, juſtitia, temperantia, fortitudo. Horum igitur affectuum vis, cùm inſit omnibus naturaliter, inquis, non tamen ad unum finem in omnibus properat; ſed pro judicio voluntatis, cujus nutui ſerviunt, aut ad æterna, aut ad temporalia diriguntur. Quod cùm ſit, non in eo quod ſunt, non in eo quod agunt, ſed in eo ſolo variant quod merentur. Nec nominis ſui igitur, inquis, poſſunt, nec generis ſuſtinere diſpendium; ſed ſolius quod appetiverunt præmij aut amplitudine ditantur, aut exilitate fruſtrantur.* Secundò dicebat P. Vaſtida: quòd Franciſcus Suarez poterat adduci coràm Sanctiſſimo; quià vir toto terrarum orbe celebris erat. Sed neſcio quid reſponderit ad locum adductum ex ipſo contrà eoſdem. Valdè enìm turbatus procedebat. Præterea dicebat: quòd Concilium Tridentinum non dicebat illa verba, quæ ponderata ſunt.

a Tom. 10. L. 4. contrà Julian. cap. 3. n. 19. col. 595.

Tunc F. Thomas: ego de Concilio Arauſicano II. verba ponderavi P., attendas ad ea quæ dicuntur.

Dicebat prætereà: quòd dictum fuerat à F. Thomâ: quòd credere ſit pròut ad ſalutem oportet.

Cui F. Thomas: immò Secretarius Congregationis R. P. Abbas de Farfa dixit: dictum eſt: quòd credere in Deum, ſit in Conciliis credere pròut ad ſalutem oportet.

Deindè Vaſtida dicebat: F. Thomam dixiſſe: gratiam juſtificantem ſequi ad actus moraliter bonos factos ex divino auxilio.

Tunc F. Thomas dixit: ego dixi: quòd ad actus ſupremos morales factos ex divino auxilio, quales ſunt contritio & dilectio Dei ſuper omnia, ſequitur juſtificatio.

Similiter P. Rada dicebat: quòd Vega in Concilium Tridentinum dicebat ſequi gratiam ad dilectionem Dei ſuper omnia naturalem.

Tunc tàm ipſe Vaſtida quàm Pater Salas dicebant: eſſe errorem in fide id aſſerere.

Quibus F. Thomas: eſt Catholica veritas, & doctrina expreſſa ſancti Thomæ.

Tunc P. Salas: omnes damnant de hoc Scotum.

Cui F. Thomas: non Scotus, ſed Durandus damnatur; quià dixit omnes actus elicitos ab habitibus fidei, ſpei, & charitatis, eſſe ſolùm quòad modum ſupernaturales, & naturales in ſubſtantiâ. De quo, non ſicut errans in fide, ſed ſicut temerarius damnatur. Similiter dici non poteſt: quòd ad actum naturalem in ſubſtantiâ & ex objecto, factum ex divinæ gratiæ auxilio, ſequatur immediatè gratia; quià mediat fides. Et hoc eſt, quod dicit S. Thomas: quòd per actus morales ex objecto, factos ex divino auxilio, diſponitur homo ad fidem, & ex conſequenti ad charitatem.

Tunc ſiluit P. Salas. Et P. Vaſtida proſequens dicebat: quòd ſibi fuerat reſponſum ad argumentum, ad majorem & minorem, ſed non ad probationem minoris.

Cui F. Thomas: ſi attendis P. ad omnia ſimùl & ſub brevitate reſpondi.

Ille autem magìs clamabat: quòd ſibi non erat reſponſum ad probationem minoris.

Cui F. Thomas: ad omnia reſpondi. Remitto me ad Acta; & ſi non vacaret propter temporis inopiam, & ne gravaretur Sanctitas Sua, reſponderem vobis uſque ad noctem, & uſque ad dimidium noctis. Hoc credite.

Tunc iterùm P. Vaſtida dicebat: ſibi non eſſe reſponſum ad illud argumentum: quo dixerat nos non poſſe

eſſe

Digitized by Google

eſſe certos de gratiâ; & tamen ſumus certi nos habere illos actus.

Cui dixit Sanctiſſimus: *jàm reſpondit ad hoc; quià dixit: nos non poſſe eſſe certos habere illos actus propter Deum ſummè dilectum.*

Tunc iterùm Pater Salas dicebat: Nùm ſit verum, hominem poſſe operari opus morale propter bonum finem?

Cui F. Thomas: poteſt homo operari ex ſolis ſuis viribus propter bonum finem proximum, ut dixi, ſed non propter bonum finem ultimum, vel Deum ſummè dilectum. Et ſic facto ſigno à Sanctiſſimo finita fuit Congregatio.

Habita eſt coràm Sanctiſſimo 7. Maij 1604. præſentibus omnibus Illuſtriſſimis Cardinalibus deputatis (uno excepto S. Cæciliæ) ac Conſultoribus.

Vaſtida & Salas pro Jeſuitis, Generalis & Lemos pro Prædicatoribus.

Vide Hiſt. Congr. de Auxil. Lib. 3. cap. 34. col. 515. & ſeqq.

CONGREGATIO VIGESIMA NONA CORAM CLEMENTE VIII.

In quâ, examinata eſt differentia quæ reperiri poſſet, inter Chriſtianæ motivum pietatis, & motivum ex intuitu juſtitiæ & bonitatis divinæ, in actibus ex timore & amore Dei ſuper omnia, factis.

IN hâc Congregatione agebatur de ſecundâ difficultate Scripti noni; quæ talis eſt: *Itèm in quo differant motivum pietatis Chriſtianæ, & motivum quòd actus fiant intuitu & contemplatione bonitatis & juſtitiæ Dei; cùm ij actus fiant ex timore & amore Dei etiam ſuper omnia.*

Ad quàm difficultatem, ſub correctione Sanctiſſimi, ſic reſpondebat P. Vaſtida: quòd jàm Sua Sanctitas præſupponebat in alio Dubio jàm examinato iſta motiva inter ſe diſtingui; quià ſic propoſitum fuit Dubium: *An bona opera noſtra moralia, nedùm bona ex genere & objecto ac ex officio, & nedùm ſemotâ omni malâ circumſtantiâ, ſed è contrà veſtita omnibus bonis circumſtantiis, non dicantur bona, nec ſecundùm Deum authorem naturæ & gratiæ, nec ad pietatem pertinentia; niſi ſint facta ex motivo fidei & pietatis ſupernaturalis, quamvìs facta ſint ſuppoſitâ fide, & intuitu & conſideratione juſtitiæ Dei ſcelera punientis, & beneficiorum Dei miſerentis &c.* Cùm ergò, uti dicebat, Veſtra Sanctitas ſupponat diſtingui motivum pietatis Chriſtianæ, à motivo operationis quæ fiat ex timore & amore Dei, videtur abſque dubio quòd motiva iſta diſtinguantur.

Secundò dicebat: quòd aliqua opera fieri ex motivo pietatis Chriſtianæ, erat certum, & pertinens ad dogma fidei. At verò per quid conſtituatur vel diſtinguatur motivum pietatis Chriſtianæ, pertinebat ad Scholas, nec hoc pertinebat ad fidem.

Tertiò proponebat tres Concluſiones. 1ª. Erat motivum pietatis Chriſtianæ diſtingui à motivo quo homo operatur actus morales bonos ex timore & amore Dei ſuper omnia; quam ſic probabat: quià homo in naturâ integrâ cum ſolâ juſtitiâ originali ſine gratiâ, vel in puris naturalibus conſtitutus, poterat operari ex motivo amoris Dei ſuper omnia; & tamen ille non operabatur ex motivo Chriſtianæ pietatis; ergò iſta motiva inter ſe diſtinguuntur. Major ſupponebatur ut certa; quià illam FF. Prædicatores, ut dicebat, publicè legendo affirmabant.

Minor

Minor autem ab ipſo probabatur ; quià finis pietatis Chriſtianæ erat ſuperexcedens illius hominis naturam in illo ſtatu : undè non poterat ipſe operari tunc ex motivo pietatis Chriſtianæ ; quià nec fidem ſupernaturalem, nec dona alia ſupernaturalia habebat. Et multùm temporis conſumebat in probando hoc ipſo ; quòd, videlicèt, homo ille in tali ſtatu nihil poterat operari pròut ad ſalutem oportet.

Deindè 2am. conſtituit Concluſionem, dicens : quòd illud opus ſit ex motivo pietatis Chriſtianæ, quod fit ex objecto formali ſupernaturali ; ità ut utrumque requiratur, ut opus ſit factum ex motivo pietatis Chriſtianæ, & quòd objectum ſit ſupernaturale, & quòd principium ſit ſupernaturale. Et in ſubſtantiâ hoc probabat ſic : quià liberum arbitrium ex ſuis viribus ſolùm, non habet vires, nec proportionem, nec commenſurationem cum objecto & fine ſupernaturali ; ergò neceſſe eſt, ut habeat principium ſupernaturale ad producendum actum pietatis Chriſtianæ circà objectum ſupernaturale : ſi ergò non fuerit in homine tale ſupernaturale principium, nunquàm operabitur homo ex motivo pietatis Chriſtianæ. Et in hâc ratione fundandâ tempus conſumebat.

Deindè dicebat 3°. : quòd motivum pietatis Chriſtianæ, & motivum quòd actus fiant ex timore & amore Dei ſuper omnia, diſtinguebantur inter ſe, ſicut duæ ſpecies ſub genere uno : ſicut diſtinguitur V. G. homo & equus ſub animali. Hæc in ſubſtantiâ dicebat. Et addebat : quòd divina bonitas ſuper omnia diligibilis, de ſe erat indifferens ad actum naturalem, & ad actum ſupernaturalem ; ſicut paries eſt indifferens ad albedinem & nigredinem : ità, quòd quandò proponebatur per lumen fidei, proponebatur ad actum ſupernaturalem, & ſub motivo pietatis ; quandò autem proponebatur per naturale lumen, proponebatur ad habendum actum naturalem, & ſub motivo pietatis.

Statìm autem F. Thomas, omnia ex more ad pedes Sanctiſſimi collocans, ſic dicebat : Ad Dubium à Sanctitate Veſtrâ propoſitum & modò relatum, facilis jàm ex dictis ſuprà in præcedenti Congregatione patet reſponſio. Dicendum eſt enìm motivum pietatis Chriſtianæ, & motivum quòd ij actus fiant intuitu & contemplatione juſtitiæ & bonitatis Dei, ex timore & amore Dei ſuper omnia, idem omninò eſſe motivum, nec poſſe motiva iſta inter ſeſe ab invicèm aliquâ ratione ſeparari in homine in naturâ lapſâ. Veritas iſta ex dictis in præcedenti Congregatione redditur manifeſta. Idem enìm omninò eſt, actus fieri pròut ad ſalutem oportet, & fieri ex motivo pietatis Chriſtianæ. Quod PP. Societatis non negabunt. Sed in præcedenti Congregatione efficaciter eſt comprobatum, hujuſmodi actus fieri ab homine pròut ad ſalutem oportet ; ergò ibì efficaciter relinquitur comprobatum fieri hujuſmodi actus ex motivo pietatis Chriſtianæ : nec propter dicta & allegata in Congregatione illâ aliquid de novo eſſet modò ſuperaddendum.

Cæterùm ad abundantiorem hujus veritatis manifeſtationem, quià Dubium hoc magìs explicativum eſt præcedentis, & confirmativum magìs, hæc pauca quæ ſequuntur breviter ſupponenda propono. 1°. Motivum quodcunque voluntatis, vel eſſe finem, vel tenere ſe ſaltèm ex parte finis ; nec aliquâ ratione eſſe confundendum cum principio tenente ſe ex parte principij efficientis ; quià motivum eſt, cujus intuitu homo operatur : undè eſt, cujus gratiâ aliquid fit, vel ad id reducitur ; & ſic vel erit finis, vel ex parte finis ſe tenens. Hoc eſt principium certiſſimum apud Philoſophos omnes ac Theologos. 2m. Simile eſt huic : nullum, videlicèt, motivum, nullumque finem poſſe hominis voluntatem movere, niſi per intellectum apprehendatur, & voluntati practicè proponatur. Principium hoc apud omnes eſt indubitatum.

tatum. 3m. Principium eſt : quòd ad hoc quòd aliquis ſit bonus finis, ſivè motivum bonum, ad bonum actum voluntatem movens, requiritur, quòd non ſolùm in ſe bonum ſit, ſed quòd apprehendatur ut bonum, & ut bonum voluntati proponatur : licèt enim res in ſe bona ſit, ſi tamen apprehenditur ut mala, & ut mala voluntati proponatur, actus qui ferretur in illud, erit malus ; quià eſt de malo fine & objecto formaliter, licèt materialiter objectum tale bonum ſit. Ex quâ doctrinâ multæ graves quæſtiones oriuntur in Theologiâ. Quomodò, videlicèt, homo tenetur ſequi conſcientiam errantem, & proponétem aliquod malum tanquàm præceptum à Deo ?

His ſuppoſitis, quæ certiſſima ſunt, ad præſens divina bonitas, cujus intuitu homo operatur, diligendo Deum ſuper omnia, finis eſt movens voluntatem. Cùm enim voluntas operetur intuitu ejus, operatur gratiâ illius ; & ex conſequenti operatur propter illam, ſicut propter finem ; quià finis eſt, cujus gratiâ aliquid fit. Deindè ipſa divina bonitas in ſe eſt ſumma Deitas, ſumma bonitas, & ſumma pietas. Cùm autem proponitur voluntati per lumen fidei ſupernaturalis, certum eſt quòd proponitur ſicut in ſe eſt, videlicèt, ſicut ſumma bonitas, ſicut ſumma pietas, ſicut objectum ſupernaturale & beatificum, & ſicut totius pietatis & ſanctitatis primum principium & ultimus finis. Quòd enim habitus fidei ſub hâc ratione proponat voluntati divinam bonitatem ipſamet fides docet. Si ergò voluntas divinam bonitatem ſic ſibi propoſitam & cognitam diligat ſuper omnia, neceſſe omninò eſt, quòd illam diligat ſub illâ formaliſſimâ ratione, ſub quâ ſibi per intellectum proponitur ; & ex conſequenti abſque dubio illam diligit ut ſummam bonitatem, & ut objectum ſupernaturale pertinens ad ſalutem, & ut beatificum objectum. Et ex aliâ parte dicit Molina: quòd divinam bonitatem ſic per fidem ſupernaturalem cognitam, poteſt homo diligere ſuper omnia ex ſolis naturæ viribus ; ergò convincitur quòd ex ſolis naturæ viribus voluntas diligat Deum authorem & finem ſupernaturalem ſuper omnia ; & ex conſequenti, quòd producat ex ſolis naturæ viribus actum pietatis Chriſtianæ, ex motivo pietatis Chriſtianæ, & pròut ad ſalutem oportet.

Nec ſufficit reſpondere, ut Patres Societatis prætendunt : quòd tunc voluntas habet illum actum dilectionis Dei ſuper omnia, circà objectum ſupernaturale materialiter, non autem formaliter. Quod aliis verbis dicunt: quòd tunc operatur homo circà objectum ſupernaturale fidei, non tamen ut ex fide: hæc enim ſolutio facilè præcluditur; tùm quià eſt contrà veritatem modò declaratam ; tùm quià eſt contrà expreſſam mentem & ſententiã Molinæ. Contrà veritatem quidèm ; quià, ut modò dictum eſt, voluntas non poteſt ferri in objectum, ſicut in finem, non præcognitum ; nec poteſt ferri in objectum ſeu finem ſub aliâ ratione, quàm ſub illâ, quâ ſibi per intellectum practicum proponitur. Cùm ergò habitus fidei in intellectu exiſtens, practicè proponat voluntati divinam bonitatem ut ſupernaturalem, & ut principium & finem totius pietatis & ſanctitatis, & voluntas illam ſic propoſitam diligat ſuper omnia, neceſſe eſt, quòd illam diligat ſub formaliſſimâ ratione ſupernaturalitatis, & Chriſtianæ pietatis.

Eſt etiam hæc reſponſio contrà expreſſam Molinæ ſententiam ; quià ipſe *in illo* §. *ratio*, *ſæpè citato ex diſp. 14.* [a] ſic dicit : *Ratio verò, quæ communi Doctorum ſententiæ patrocinatur, hæc eſt : quià, præexiſtente maximè lumine fidei, quo agnoſcimus Deum conditorem noſtrum, innumeraque & maxima beneficia, tùm naturæ, tùm gratiæ, quæ nobis contulit, uſque ad proprij ſanguinis in cruce effuſionem ; quo inſuper cognoſcimus juſtis ſempiternam felicitatem, impiis verò ignem ſempiternum, extremamque miſeriam eſſe propoſitam ; lethale autem peccatum tàm extremum eſſe malum, adeóque divinam Majeſtatem offendere,*

[a] Pag. 45. col. 2.

offendere, ut vel unum ſit ſatis, ut qui illud commiſerit, niſi de eo doleat, ſtatuatque nihil tale deinceps committere, ſupremam amittat felicitatem, in extremamque incidat miſeriam: proculdubio tàm potens eſt hæc cogitatio, ad excitandam & permovendam voluntatem, ut liberum arbitrium ejus qui hæc ſibi perſuaſerit, atque proprio acumine, aut alterius ſuggeſtione, & hortatu, rem attentè conſideraverit, cum ſolo concurſu generali Dei elicere valeat, intuitu quidem extremorum malorum, in quæ aliàs incidet, dolorem ſeu deteſtationem ſuorum ſcelerum, cum propoſito cavendi in poſterum omnia peccata lethalia, in quo conſiſtit attritio quoad ſubſtantiam actûs; intuitu verò bonitatis ac beneficiorum Dei, ſimilem deteſtationem ac propoſitum, in quibus poſita eſt ratio contritionis, quoad ſubſtantiam actûs, inſufficientis ad ſalutem; eò quòd peculiari impulſu Spiritûs Sancti excitata non ſit, nec effecta. Qui totus contextus ibì lectus fuit.

Et poſteà dicebatur à P. Lemos: Ecce ipſe Molina dicit: quòd hæc cogitatio quâ cognoſcimus ex fide divinam bonitatem, tàm potens eſt ad excitandam potentiam. Igitur cogitatio ex fide proveniens excitat & movet potentiam. Si ergò voluntas habet illum actum, quem Molina conſtituit, voluntas operatur ex fide; & ex conſequenti, naturæ viribus fertur in rem ut propoſitam per fidem; quâ ratione per illam proponitur ſub formaliſſimâ ratione ſupernaturalitatis. Dicit tamen Molina: quòd ille actus non fit pròut ad ſalutem oportet; quià non excitatus eſt à Spiritu Sancto. Hoc unum verbum dicit de gratiâ; quià illam omninò tacere timuit. Et cùm tanta dixiſſet in illo paragrapho, poſteà verbis ſolùm negavit illum actũ fieri pròut ad ſalutem oportet.

Itèm ipſe Molina adhuc clariùs *in* [a] *eâd. diſp. 14. memb. 4. §. tertiò*, ſic concludit: *Ergò, eo præſertìm intuitu, ut pœnas æternas evadat, ſempiternamque conſequatur felicitatem, & Deo, cui tot rationibus eſt devinctus, obſequatur, poterit hoc ſecundum, quod rationi, luminique naturali adeò eſt conſentaneum,* id eſt, poterit hoc ſecundum, videlicèt, conteri de peccatis propter Deum ſummè dilectum, intuitu ut æternam conſequatur felicitatem. Quid clarius? Ipſe Molina exprimit expreſsè ordinem quem dicit ille actus ad conſequendam æternam felicitatem; & tamen dicit: quòd ille actus non pertinet ad ſalutem, nec ordinatur ad ſalutem. Convincitur ergò Molina ex propriis verbis, quòd ex naturæ viribus conſtituat hominem conteri & diligere Deum ex motu pietatis Chriſtianæ formaliſſimè, & ex intuitu conſequendi æternam vitam.

[a] Pag. 35. col. 2.

Ex dictis etiam ſecluditur alius modus dicendi aliorum, qui metaphyſicantes contrà omnem Metaphyſicam, dicunt illum actum dilectionis Dei ſuper omnia & ſimiles, non fieri ex motivo pietatis, ſivè pròut ad ſalutem oportet; quià non fertur voluntas in illud objectum ſub ratione ſub quâ illius objecti. Nec attendunt qui ſic dicunt, quòd priùs conſtituitur objectum formale, ſivè in ſcientiis ſivè in virtutibus, quàm ex parte potentiæ conſtituatur ratio per quam potentia debet proportionari illi objecto, ut illud attingat; ità quòd ex ipſo formali objecto venamur rationem ex parte potentiæ proportionatam, ut ipſa poſſit tale formale objectum ſub illâ formalitate attingere. V. G. in Metaphyſicâ priùs conſtituitur objectum formale illius, quod eſt ens abſtrahibile ab omni materiâ ſenſibili & intelligibili. Hoc autèm conſtituto objecto formali, conſtituimus ex parte potentiæ lumen metaphyſicale, ſivè abſtractionem, ſivè rationem ſub quâ, tenentem ſe ex parte potentiæ, per quam ipſa potentia proportionatur illi objecto formali, & illud formaliter attingat.

Hoc poſito: ſicut ſi aliquis diceret: quòd ſine lumine & abſtractione tenente ſe ex parte potentiæ, poteſt ipſa potentia attingere formaliter ens ut abſtrahibile ab omni materiâ ſenſibili & intelligibili; iſte nihil aliud diceret: niſi quòd non eſt neceſſarium

lumen

lumen Metaphyſicum ex parte potentiæ, ad attingendum objectum formale Metaphyſicæ. Similiter, objectum formale fidei eſt, prima veritas revelans, ſivè revelatum ut revelatum à primâ veritate; ad attingendum autem objectum formale fidei, conſtituitur ex parte potentiæ divina revelatio, quâ proportionetur cum tali formali objecto, & cum quâ illud ſub tali formali tale poſſit attingere. Qui autem diceret: quòd prima veritas revelans, ſivè revelatum ut revelatum poſſet attingi à potentiâ abſque divinâ revelatione ſe tenente ex parte ipſius potentiæ; certè nihil aliud expreſsè diceret: niſi quòd ad attingendum revelatum ut revelatum, non eſt neceſſaria divina revelatio. Similiter nihil aliud diceret: niſi quòd ad attingendum objectum formale fidei, non eſt neceſſarium lumen fidei.

Et iſta fuit hæreſis Pelagianorum errantium non ſolùm in fide, ſed etiam in naturali Philoſophiâ. In fide quidem; quià dicebant hominem naturæ viribus inferioribus poſſe attingere illud quod eſt ſuprà ipſum, & quod ipſum excedit. Conſtat enim quòd nihil poteſt attingere illud quod ipſum excedit, niſi ab alio ſuperiori elevetur. Pari ergò ratione qui dicunt; propoſito objecto ſupernaturali per fidem, videlicèt, Deo, & ejus divinâ bonitate, poſſe hominem naturæ viribus illud attingere; nihil aliud dicunt: niſi quòd ad attingendum objectum ſupernaturale, non requiritur adjutorium gratiæ; ſed quòd abſque gratiâ homo operatur ex fine, & objecto, & motivo pio, & pertinente ad ſalutem. Immò in hoc conſiſtit error Pelagianorum: quòd cùm objectum pertinens ad ſalutem & pium dicebant ab homine attingi, non conſtituerunt proportionatum principium efficiens pium, videlicèt, adjutorium divinæ gratiæ. Cùm ergò Molina dicat: quòd homo poteſt diligere divinam bonitatem propoſitam per fidem, & motivum pietatis, & tamen ſolis naturæ viribus, ſine auxilio gratiæ; nihil aliud intendit: niſi quòd adjutorium gratiæ non eſt neceſſarium, ut homo operetur piè, & pròut ad ſalutem oportet, circà formale objectum pium, & ut pium ſibi propoſitum, & per fidem repræſentatum.

Secundò dicendum: Divina bonitas propoſita per rationem naturalem voluntati amanda, ut ultimus hominis finis naturalis, eſt motivum pietatis Chriſtianæ; & cùm homo conteritur de peccatis propter divinam bonitatem ſummè dilectam, ſic cognitam naturaliter, operatur ex motivo pietatis Chriſtianæ. Undè homo ſolis naturæ viribus ſic operari non poteſt, vel ſi ſic conſtituitur operari poſſe, convincitur quòd ex ſolis naturæ viribus poſſit homo operari ex motivo pietatis Chriſtianæ. Veritas iſta ſæpè probata fuit & confirmata, ut patet ex præcedentibus Congregationibus. Et ad præſens illam in terminis docet ſanctus Thomas *in 4m. diſt. 17. q. 1. art. 2. quæſtiunculâ 2. ad 4m.* ubì ſic dicit: *Ad 4m. dicendum: quòd recta intentio ad finem ultimum determinatè perducens, non poteſt eſſe ſine fide: ſed tamen finis ultimus, ſcilicèt, Deus, poteſt eſſe in intentione ejus etiam qui fidem non habet, per generalem vel naturalem cognitionem quam de Deo habet. Undè etiam ille qui fidem non habet, poteſt ſe ad fidem habendam præparare, & ad gratiam, ſi ſecundùm ſuam cognitionem peccatum ſibi diſpliceat, & in Deum affectus ejus feratur.* Ubì in terminis S. Thomas docet: quòd contritio, ſivè diſplicentia de peccato, ex affectu Dei authoris naturæ cogniti per ſolam naturalem rationem, diſponit hominem ad habendam fidem, & ex conſequenti gratiam juſtificantem.

Nè autem aliquis tribueret S. Thomæ: quòd iſtum actum diſponentem ad fidem & gratiam, haberet homo ex naturæ viribus, ut Pelagiani conſtituebant; ad excludendum errorem iſtum, præmiſerat *in ſolutione ad 2m,* hæc verba: *Ad 2m. dicendum, quòd voluntas noſtra eſt omninò pediſſequa*

 reſpectu

reſpectu gratiæ, & nullo modo prævia; quià ipſa voluntas bona, quæ gratiam gratum facientem præcedit, ex Deo nobis provenit, qui gratuitâ ſuâ voluntate nos ad hoc provocat, vel flagellis, vel aliquo auxilio interiori aut exteriori: nec tamen voluntas hæc eſt prævia, ſed pediſſequa reſpectu gratiæ gratum facientis; quià non eſt cauſa ipſius, ſed aliqualiter ad ipſam, viam parat. Idem dixerat *in 2m. diſt. 28. q. 1. art. 4. ad 4m.* Quòd, videlicèt, per actus qui ſunt in ratione naturali poteſt ſe homo diſponere ad habendam fidem & gratiam, dummodò fiant ex auxilio Dei; ut expreſsè præmiſerat *ſolut. ad 2m.*

Videatur etiam Sanct. Thom. L. 4. contrà Gentes cap. 72.

Immò non ſolùm docet S. Thomas, hos actus excellentiſſimos & nobiliſſimos, videlicèt conteri, & diligere Deum ſuper omnia ut authorem naturæ, diſponere ad fidem & gratiam; ſed quod majus eſt, *1. 2. q. 89. art. 6.* tractans S. Doctor hanc quæſtionem: *An cum ſolo peccato originali poſſit eſſe veniale?* Reſpondet negativè. Et rationem reddit; quià antequàm homo perveniat ad uſum rationis, excuſatur ab omni culpâ, ità veniali ſicut mortali; & ſtatìm ponit hæc verba: *Cùm verò uſum rationis habere incepit, non omninò excuſatur à culpâ venialis & mortalis peccati; ſed primum quod tunc homini cogitandum occurrit, eſt deliberare de ſeipſo. Et ſi quidem ſeipſum ordinaverit ad debitum finem, per gratiam conſequetur remiſſionem originalis peccati.* Quæ verba lecta ſunt ex ipſo Libro. Ecce apertè ſanctus Thomas docet: quòd, cùm homo incipit habere uſum rationis, ſi proponat vivere conformiter ad rectam rationem, proponendo ſequi bonum & fugere malum, ut alibi S. Thomas magìs explicavit, Deus illuminabit illum, & infallibiliter juſtificabitur, & conſequenter remiſſionem peccati originalis obtinebit.

Cæterùm nè aliquis putaret, poſſe hominem illum habere iſtum actum ex ſolis ſuis naturæ viribus, *eâdem 1. 2. q. 109. art. 6. & q. 111. art. 3.* expreſsè dicit: gratiam non ſequi ad actum factum ex naturæ viribus, niſi fiat ex Dei adjutorio. Et expreſſiùs idem dixit *ſuper cap. 10. epiſt. ad Roman. lect. 3.* Quæ loca ſæpè adducta & allata ſunt in conſpectu Sanctitatis Veſtræ. Certiſſimum ergò eſt in ſancto Thomâ, hos actus morales egregios regulatos per rationem, diſponere ad fidem & gratiam juſtificantem; & ex conſequenti fieri ex motivo pietatis Chriſtianæ. Quâ ratione S. Thomas docet: quòd ex naturæ viribus fieri non poſſunt, ſed ex adjutorio gratiæ.

Hoc ipſum apertiſſimè docet S. Auguſtinus *Lib. 4. contrà Julian. cap. 3.* [a] ubi loquens apertè de infidelibus, in quibus nulla eſt ſupernaturalis fides, ſed tantùm rationis lumen; & in quibus tamen Julianus conſtituebat opera virtutum moralium acquiſitarum, & contendebat, quòd, cùm eſſent opera moralia & inferioris ordinis, non pertinebant ad ſalutem; S. Auguſtinus contrà docet: quòd ſi homo infidelis talia opera ex ſolâ naturâ poteſt facere, illa operatur ut oportet ad ſalutem. Quod tamen dici non poteſt. At quòd S. Auguſtinus loquatur de infidelibus, in quibus eſt ſola naturalis ratio, patet; quià ſic incipit: *Soletis enim, negantes Dei dona eſſe virtutes, quibus rectè vivitur, & eas naturæ voluntatique humanæ, non gratiæ Dei tribuentes, hoc uti argumento: quòd eas nonnunquàm habeant infideles; ità conantes evacuare quod dicimus, neminem rectè vivere, niſi ex fide per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, unum Dei & hominum Mediatorem. Ubì vos ejus adverſarios apertiſſimè profitemini.* Quoties autem PP. iſti hoc uſi ſunt argumento? quòd in infidelibus ſunt veræ virtutes morales acquiſitæ, quià tamen tantùm ſequuntur rationis lumen, ideò non fiunt ex motivo pietatis.

[a] *Tom. 10. n. 14. col. 590.*

Et iterùm idem ſanctus Auguſtinus: [b] *Sed acerbiſſimi gratiæ hujus inimici exempla nobis opponitis impiorum, quos dicitis alienos à fide abundare virtutibus, in quibus ſine adjutorio gratiæ, ſolum eſt naturæ bonum, licèt ſuperſtitionibus*

[b] *Ibid. n. 16. col. 592.*

nibus mancipatum, qui ſolis libertatis ingenita viribus, & miſericordes crebrà, & modeſti, & caſti inveniuntur, & ſobrij. Ecce de virtutibus moralibus regulatis per lumen rationis erat controverſia. Illas Pelagiani conſtituebant in homine ſine adjutorio gratiæ. Et de illis malè in homine ſine gratiâ conſtitutis, ſic proſequitur S. Auguſ-
a Ibid. n. 17. col. 593. tinus: a *Quomodò eſt in eis vera juſtitia, in quibus non eſt vera ſapientia? Quam ſi eis tribuerimus, nihil erit cauſa, cur non eos ad regnum pervenire di-*
b Sap. 6. 21. *camus, de quo ſcriptum eſt:* b *Concupiſcentia ſapientiæ deducit ad Regnum. Ac per hoc Chriſtus gratis mortuus eſt, ſi homines ſine fide Chriſti, ad fidem veram, ad virtutem veram, ad juſtitiam veram, ad ſapientiam veram, quâcunque re aliâ, quâcunque ratione perveniunt. Prorsùs ſicut de lege veriſſimè*
c Galat. 2. 21. *aït Apoſtolus:* c *Si per legem juſtitia, ergò Chriſtus gratis mortuus eſt; ità veriſſimè dicitur: ſi per naturam voluntatemque juſtitia, ergò Chriſtus gratis mortuus eſt. Si per doctrinas hominum qualiſcunque juſtitia, ergò Chriſtus gratis mortuus eſt. Per quod enim eſt vera juſtitia, per hoc etiam regnum Dei. Deus namque ipſe, quod abſit, erit injuſtus, ſi ad ejus regnum verus non admittitur juſtus. &c.*

Quid clarius? Quid apertius? Apertiſſimè S. Auguſtinus docet: quòd ſi in infidelibus, in quibus nulla eſt ſupernaturalis fides nec implicita nec explicita Chriſti, ſed ſolùm naturalis ratio; ſi, inquam, in illis poſſunt eſſe veræ virtutes morales, regulatæ rationis lumine, ipſi erunt verè juſti illâ morali & naturali juſtitiâ; & quòd ſi ipſi per naturam habere poſſunt hanc moralem & naturalem juſtitiam, Deus, qui eſt juſtus, non debet eos excludere à regno ſuo: ſed quòd admittet eos ad regnum; & ex conſequenti, quòd dabit illis fidem & gratiam per quas perveniant ad regnum; & ex conſequenti, quòd gratis Chriſtus mortuus eſt; quià licet non moreretur, illi obtinerent ſalutem & regnum Cælorum.

Ex quo patet aliud: quòd S. Auguſtinus damnat veras virtutes morales, quas Julianus in infidelibus admittebat, non autem loquitur de falſis virtutibus; ut PP. Societatis in præcedenti Congregatione dixerunt, legentes ad hoc verſiculum illum hujus capitis tertij: d *Cunctarum, inquis,* d Tom. 10. L. 4. contrà Julian. cap. 3. num. 19. col. 595.
origo virtutum &c. Quem locum cùm R. P. in præcedenti Congregatione adduxiſſet, ad probandum Julianum damnari à S. Auguſtino, ex eo quòd dicebat illas virtutes ordinari ad malum finem: cùm actualiter P. legeret illum locum, turbatus eſt; quià vidit locum apertis verbis affirmare contrarium ejus ad quod adducebatur. Sic enìm habet locus ille; *Cunctarum, inquis, origo virtutum in rationabili animo ſita eſt, & affectus omnes, per quos aut fructuosè aut ſteriliter boni ſumus, in ſubjecto ſunt mentis noſtræ, prudentia, juſtitia, temperantia, fortitudo. Horum igitur affectuum vis, cùm inſit omnibus naturaliter, inquis, non tamen ad unum finem in omnibus properat; ſed pro judicio voluntatis, cujus nutui ſerviunt, aut ad æterna, aut ad temporalia diriguntur. Quod cùm ſit, non in eo quod ſunt, non in eo quod agunt, ſed in eo ſolo variant quod merentur. Nec nominis ſui igitur, inquis, poſſunt, nec generis ſuſtinere diſpendium, ſed ſolius quod appetiverunt præmij aut amplitudine ditantur, aut exilitate fruſtrantur.* Quibus verbis manifeſtè dicit: Julianum veras virtutes morales regulatas rationis lumine in infidelibus conſtituiſſe, & dixiſſe: quòd illis quidam homines ad debitum finem naturalem benè utebantur, & tunc erant fructuoſæ; à quibuſdam verò ordinabantur ad malos fines, & tunc reddebantur ſteriles. Et utrumque damnat S. Auguſtinus, dicendo: quòd virtus avarorum non poteſt dici vera virtus; quià virtute nullus malè utitur, ut alibì docuit S. Auguſtinus. Similiter damnat, quòd virtutes ordinatæ in bonum finem rationis poſſent eſſe in infidelibus; aliàs ipſi redderentur juſti, & placerent Deo.

Et eodem modo loquitur S. Auguſtinus *Lib. de nat. & grat. cap. 2.* a, etiam de infidelibus, ad quos nondùm pervenit Evangelij prædicatio, qui ſibi poſſunt ſufficere ad benè operandum conformiter ad rationem, docet S. Auguſtinus, quòd debent eſſe de præmio, id eſt, de vitâ æternâ ſecuri; & quòd Chriſtus, ſi hoc poſſunt, gratis mortuus eſſet. Sed PP. Societatis, ex quodam verbo S. Auguſtini, ex quo debebant colligere S. Doctorem loqui de homine in quo nulla eſt ſupernaturalis fides, colligunt contrarium. Docet ibì S. Auguſtinus: quòd ſi illi homines poſſunt ſibi ſufficere ad rectè vivendum conformiter ad rationem ſine fide Chriſti &c. Ex hoc colligunt, ſolùm negare ibì S. Auguſtinum fidem Chriſti, non autem fidem ſupernaturalem; ſicut fuit illa quam habebat Cornelius antè inſtructionem per Apoſtolum Petrum: quaſi ſit aliqua fides ſupernaturalis, quæ non ſit fides Chriſti, & quæ non detur ex meritis Chriſti. Si enìm agnoſcunt PP. aliquam ſupernaturalem fidem, quæ non ſit fides Chriſti, nec habeatur ex meritis ipſius, hoc erit aliud graviſſimum. Nulla ergò eſt in Eccleſiâ fides ſupernaturalis, quæ non ſit fides Chriſti, & quæ non habeatur ex meritis Chriſti: ſed eſt differentia, quòd quædam eſt fides Chriſti implicita, & quædam explicita; ſed tamen omnis illa eſt fides Chriſti. Et cùm S. Auguſtinus loquitur de homine, in quo non eſt fides Chriſti, ſed quòd ipſe homo ſibi ſufficit; procùldubio loquitur de homine in quo nulla eſt Chriſti fides, nec implicita, nec explicita. Immò hoc ibì dicit S. Auguſtinus; quià loquitur de homine, habente fidem, id eſt, cognitionem Creatoris. Fides enìm aliquandò ſumitur pro cognitione.

a *Tom. 10. col. 128.*

Igitur certum debet eſſe ex S. Thomâ, & S. Auguſtino, quòd opera moralia egregia, qualis eſt contritio & dilectio Dei authoris naturæ ſuper omnia, cogniti per rationis lumen, eſt actus ex ſuâ naturâ factus pròut ad ſalutē oportet; & quòd, ſi per impoſſibile iſti actus tribuuntur homini ſine gratiâ, homini tribuitur operari ex ſe ſolo pròut ad ſalutem oportet, & ex motivo pietatis Chriſtianæ. Immò Pelagius *in epiſt. ad Demetriad.*, nihil aliud intendit, niſi quòd homo poteſt ex ſe vivere conformiter ad rationem, & quòd poteſt ex ſeipſo non ſolùm habere bonos mores, ſed & virtutes bonas; quià cùm eſſet aſtutus, ſciebat benè, quòd ſi ſemèl ſibi concederetur, hominem poſſe vivere conformiter ad rectam rationem per bonos mores, quòd, inquam, ille homo admitteretur in Cælum; & ex conſequenti, ex debito daretur ei fides & gratia, per quæ pervenitur in Cælum.

Ad objecta. Dixit primò Reverendus Pater, Sanctitatem Veſtram jàm in quodam Dubio præcedenti ſenſiſſe motivum pietatis Chriſtianæ diſtingui à motivo quòd ij actus fiant intuitu & contemplatione juſtitiæ & bonitatis Dei ex timore & amore Dei ſuper omnia; quià Dubium ſic proponebat: *An bona opera moralia undequáque bona, niſi fiant ex motivo fidei & pietatis Chriſtianæ, non ſint ad ſalutem pertinentia?* In quo Dubio, ut dicunt, ſupponit Sanctitas Veſtra diverſa eſſe motiva iſta. Ad quod reſpondetur: ut crediderim Sanctitatem Veſtram illud Dubium formaſſe ad examinandam ſolutionem, quam ſemper iſti PP. ſolent adhibere, videlicèt, illa opera, quomodolibèt bona, niſi fiant ex motivo pietatis Chriſtianæ, non pertinere ad ſalutem. Undè Sanctitas Veſtra præſupponit in illo Dubio, id quod PP. Societatis dicunt; non tamen præſupponit ità eſſe, quòd motiva illa diſtinguantur.

Dixerunt ſecundò PP. Societatis: certum eſſe aliqua fieri ex motivo pietatis Chriſtianæ; per quid tamen conſtituantur in eſſe motivi pietatis Chriſtianæ, & per quid diſtinguatur ab aliis, eſſe non rem pertinentem ad fidei dogma, ſed ad Scholas. Ad quod dicendum: ad fidei dogma pertinere, iſta motiva non diſtingui, ſed idem motivum eſſe motivum pietatis Chriſtianæ,

tianæ, & motivum quo quis conteritur de peccatis, ut ſunt offenſa Dei, ex amore Dei ſuper omnia ; nec hoc reducendum eſſe ad Scholaſticas probabiles diſputationes. Laborant enim iſti PP. omnia reducere ad probabilitatem. Non ſunt iſtæ res de quibus eſt probabilitas ; ſed ſunt de pertinentibus ad fidem; immò ad totale fundamentum ipſius fidei : ut docet S. Auguſtinus contrà Celeſtium, qui primus ſe excuſare procurabat dicendo: illa quæ ſibi opponebantur, eſſe de rebus probabilibus, non de pertinentibus ad fidem. Non valet hìc recurrere ad probabilitatem ; quià iſta ſunt de rebus fidei, & ad fidem pertinentibus.

Prætereà P. conſtituit tres Concluſiones. 1ª. Fuit : iſta motiva diſtingui & diverſa eſſe ; quià homo in naturâ integrâ abſque gratiâ poterat diligere Deum ſuper omnia, nec tamen operabatur ex motivo pietatis Chriſtianæ, vel pròut ad ſalutem oportet ; ergò diſtincta ſunt ad invicem motiva iſta. Probat autem in illo ſtatu naturæ integræ, non operari ex motivo pietatis Chriſtianæ ; quià hoc motivum excedit naturæ vires : undè homo ille ex naturæ viribus non poterat operari ex motivo pietatis Chriſtianæ.

Ad hoc dicendum : hoc argumentum, ut jàm in præcedentibus Congregationibus dixi, tranſire de genere ad genus, & de uno ſtatu ad alium valdè diverſum ; undè nihil omninò probare. In ſtatu enim naturæ integræ ſine gratiâ homo non eſſet læſus, nec natura ejus infirma : undè, ut Theologi univerſi fatentur, & ſanctus Thomas *1. 2. q. 109. artt. 2. & 3.*, poterat in omne opus naturale ſibi proportionatum tendere ; & ſic poterat Deum authorem naturæ ſuper omnia diligere ; ſicut poterat ſe ab omni peccato præſervare ; quià videlicèt ſanus erat : & ex aliâ parte homo ille, ſi ſic crearetur in ſolâ naturâ integrâ ſine ordine ad gratiam, & ad ordinem ſupernaturalem, licèt Deum ſuper omnia diligeret ut authorem naturæ, non operaretur pròut ad ſalutem oportet ; quià ordinatus in ſalutem non eſſet. At verò homo in ſtatu naturæ lapſæ, de quo ſermo fit, ex unâ parte eſt infirmus & læſus, & cum vulnere peccati originalis, & cum aliis actualibus : undè ſibi repugnat diligere Deum ſuper omnia ut authorem naturæ. Quòd ſi malè dicatur illum hominem ex ſolis ſuis viribus poſſe Deum authorem naturæ diligere ſuper omnia ; cùm talis dilectio ſit proprius actus naturæ ſanæ, nec ſecum compatiatur peccatum, ut ſæpè propoſui & explicavi, fit conſequens, quòd natura ſic operans non infirma conſtituitur, ſed ſana. Et cùm non poſſit ſanari niſi per gratiam, ex hoc capite homo totaliter operans diſponeret ſe ad gratiam ex naturæ viribus; & ſic operaretur ex naturæ viribus pròut expedit ad ſalutem, cùm potiſſimè homo ille ordinatus ſit in ſalutem. Itaque in ſtatu naturæ integræ, ut Theologi univerſi fatentur, datur ſtatus medius inter ſtatum peccati & ſtatum gratiæ. At verò in ſtatu naturæ lapſæ, nullus poteſt dari ſtatus medius inter hominem exiſtentem in peccato, & exiſtentem in gratiâ ; ſed ipſo facto quòd homo operatur actum incompatibilem cum peccato, diſponitur ad gratiam. Philoſophari autem eodem modo de utroque ſtatu, nihil eſt aliud, quàm hominem modò integrum & non læſum per peccatum originale conſtituere. Et in hoc conſiſtit ſubſtantia hujus difficultatis ; ut ſæpè dixi.

In IIª. Concluſione propoſuit P., motivum pietatis Chriſtianæ ſumi ex fine & objecto formali ſupernaturali, & ex principio efficiente ſupernaturali ; ità quòd utrumque ſimùl requiratur ut actus fiat ex motivo pietatis Chriſtianæ. Sed ad hoc jàm dixi : non eſſe confundendum motivum (cùm ſit vel finis vel aliquid ſe tenens ex parte finis) cum principio efficienti. Undè ſi finis & objectum formale ſit pium, actus eſſentialiter eſt pius, & poſtulat principium efficiens pium. Quod

efficiens

Digitized by Google

efficiens principium, ſi pium non conſtituatur, hoc dicitur, hoc affirmatur, quòd actus pius eſſentialiter de objecto pio fiat ex ſolis naturæ viribus; in quo Semipelagiani errarunt. Undè vel in hoc conſtabit apertè actum pium & pertinentem ad ſalutem ſalvari, licèt principium efficiens pium non conſtituatur; quià Eccleſia damnavit Semipelagianos, quià ex naturæ viribus dicebant hominem operari pròut ad ſalutem oportet. Et tamen Semipelagiani non conſtituebant principium efficiens pium; & licèt illud non conſtituerent, tamen convicti ſunt & damnati, quòd actus tribuerent naturæ viribus factos pròut ad ſalutem oportet. Judicavit ergò Eccleſia illos actus, licèt non fierent ex principio effectivo pio, pios tamen eſſe, & factos pròut ad ſalutem oportet. Quomodò ergò Semipelagiani non ſe poterant excuſare, dicentes: nos non ponimus actus pios, nec ad ſalutem & pietatem pertinentes; quià non ponimus principium efficiens pium. Certè ſicut modò excuſatur Molina eâdem prorsùs ratione ſe poterant excuſare Semipelagiani.

Ad illud aliud quod P. dixit: quoſdam ſpecificare actus ex fine; quoſdam verò ex principio agendi; advertant, eſſe communem omnium ſententiam, quòd actus humani ex fine ſpecificantur, & ſecundùm formales rationes objectorum, ſi conſiderentur actus humani ut motus quidam; ſi autem conſiderentur ut actiones, ſpecificantur à principio agendi.

IIIam. poſtremò conſtituit Concluſionem: quòd, videlicèt, motivum pietatis Chriſtianæ, & motivum quòd ij actus fiant ex timore & amore Dei ſuper omnia, diſtinguantur ſicut duæ ſpecies ſub uno genere univoco; ſicut equus & homo conſtituuntur ſub animali. Certè cùm hoc audivi, miratus fui, quòd velit P. ordinem gratiæ & ordinem naturæ duas ſpecies eſſe ſub uno genere univoco; cùm inter ſe diſtinguantur pluſquàm genere. Sed hoc parùm retulerit, licèt aliquam gravitatem habeat. Certum enìm eſt contrarium. Quod ex Categoriis Ariſtotelis fit manifeſtum. Docet enìm S. Thomas: quòd quià Ariſtoteles non cognovit ens ſupernaturale, ideò diſtinguit ens in decem Prædicamenta; ſi autem ens ſupernaturale cognoviſſet, priùs divideret ens in naturale & ſupernaturale; deindè ens naturale in decem Prædicamenta, & ens ſupernaturale etiam ordinaret in Prædicamenta. Itaque certum eſt ens naturale & ſupernaturale pluſquàm genere diſtingui; tantùm abeſt, quòd ſint duæ ſpecies ſub uno genere univoco conſtitutæ. Et hìc finivit F. Thomas.

Statìm autem Pater Vaſtida reaſſumens nitebatur ad omnia reſpondere. Et in ſubſtantiâ dicebat quod priùs jàm dixerat: quòd licèt pertineat ad dogma fidei, aliqua ex motivo pietatis fieri, per quid tamen ea conſtituantur in motivo pietatis; non ad fidem, ſed ad Scholas pertinere.

Similiter dicebat: ſe convenire, ſeque fateri, quòd quandò aliquis operatur ex fide, & tanquàm ex fide, tunc operetur ex motivo pietatis. At verò negabat Molinam aſſerere, hominem ſine gratiæ auxilio operari ex fide, quià in illo inducto §. *Ratio*, id non dicebat; ſed tantùm quòd præexiſtente in homine lumine fidei, ſi acumine proprij intellectûs, aut alterius ſuggeſtione illud ſibi perſuaſerit, poteſt circà tale objectum ex naturæ viribus operari. Quæ verba, ut dicebat, declarant ipſum non loqui de fide tanquàm ex fide; ſed quòd præſuppoſitâ in aliquo fide, ſi aliundè, id eſt, proprio acumine, vel alterius hortatu, id ſibi perſuadeat. Significat ergò alium naturalem actum non provenientem ex fide.

Similiter dicebat: quòd quandò per rationis lumen proponebatur divina bonitas ut amanda ſuper omnia, non proponebatur ex motivo pietatis. Et ad teſtimonium ex ſancto Thomâ *ex 4. Sentent.* allato, nihil aliud reſpondebat, niſi S. Thomam mutaſſe ſententiam;

ſententiam; quià, ut aïebat, non auderet dicere, quòd ſententia ſit S. Thomæ: per actum naturalem ex objecto, vel moralem, licèt fiat ex adjutorio gratiæ, hominem diſponi ad juſtificationem.

Dicebat etiam: S. Auguſtinum *in Lib. de nat. & grat. cap. 2.* non loqui de homine operante ex ſolis naturæ viribus per rationis lumen; ſed de illo qui jàm habebat fidem implicitam; quià loquebatur de illo, ad quem nondùm pervenerat Evangelij promulgatio. E contrario autem F. Thomas dicebat illum loqui de homine ex ſolo rationis lumine operante; quià loquebatur de homine, qui ſolus ſufficiebat ex naturæ ſuæ viribus.

Similiter contrà id quod ex S. Auguſtino fuerat inductum, in infidelibus veras virtutes morales non eſſe; adducebat Vaſtida S. Thomam *1. 2. q. 65. art. 2.*, ubì affirmabat veras virtutes morales eſſe in infidelibus ſine gratiâ.

Ad quod dicebat F. Thomas: quòd jàm teſtimonium hoc S. Thomæ, fuerat inductum à P. Valentiâ in ſecundâ Congregatione, & fuerat convictus: quòd S. Thomas veras virtutes in homine ſine fide, quæ eſſent ſimpliciter veræ, non conſtitueret, ut dicebat *in eod. art.*; quià ipſe S. Thomas *1. 2. q. 65. art. 1.* ſe explicat de quibus virtutibus loquatur, videlicèt, de imperfectis, quæ ſunt in hominibus quædam inclinationes, ad opera virtutum; quæ non ſunt virtutes veræ. Undè de hoc ſe remittebat ad dicta & allegata in illâ ſecundâ Congregatione.

Tunc P. Vaſtida dicebat: quòd non ſolùm non fuerat P. Valentia tunc convictus; quin potiùs ipſe ſuâ manu Scriptum reliquerat: quòd cùm ipſe adduxiſſet iſtum locum S. Thomæ, bonus Pater nihil omninò potuit illi reſpondere.

Tunc F. Thomas: non eſt, inquit, Evangeliſta P. Valentia, ut ei fides adhibeatur. Sanctiſſimus Dominus noſter ſcit, ſi tunc illi eſt reſponſum, vel non.

P. autem Vaſtida dicebat: quòd Pius V. in Bullâ ſæpè citatâ damnabat ſententiam quæ aït: virtutes Philoſophorum eſſe peccata. Supponit ergò in Philoſophis eſſe virtutes.

Cui F. Thomas: de virtutibus politicis in ordine ad bonam gubernationem Reipublicæ loquitur Summus Pontifex; non verò de virtutibus moralibus veris, rectè ordinantibus mores hominum.

Poſt hæc aſſumens P. Salas parabolam ſuam, magno verborum ſtrepitu, quaſi fremens in F. Thomam, multa dicebat. 1°. Illum redarguebat; quià diceret motivum eſſe finem; cùm multa ſint motiva, quæ fines non ſunt. Et ſimiliter quòd divina bonitas ſit motivum, cùm etiam juſtitia ſit motivum.

Tunc F. Thomas aït: ego dixi motivum vel eſſe finem, vel tenere ſe ex parte finis. Hoc eſt quod dixi.

Deindè idem Pater Salas dicebat: quòd non fuerat ſufficienter dictum de fine; quià eſt finis cui, & cujus gratiâ &c. Deindè dicebat: falſum eſſe quòd habitus fidei proponat Deũ ut objectum beatificum, quià nec ſpes naturalis vel charitas diligit Deum ut objectum beatificum. Nàm diligere Deum ut objectum beatificum, a eſt amare Deum amore concupiſcentiæ, non amore veræ amicitiæ; quod dici non poteſt pertinere ad charitatem. Et tandem veniens ad locum adductum ex S. Thomâ *1. 2. q. 89. art. 6.* in quo dicebat: quòd ſi puer perveniat ad rationis uſum, & convertat ſe in Deum, purgabitur à peccato originali per gratiam; primò dicebat: S. Thomam in hoc difficilem apponere ſententiam, inſinuans in hoc non defendi S. Thomam.

a Principiũ Quietiſmi, in ſequenti Congregatione refutatum.

Cui F. Thomas: quià reliquiſtis doctrinam S. Doctoris, in iſta omnia inconvenientia incidiſtis.

Et proſecutus P. Salas, dicebat: non rectè adduci locum iſtum; quià in illo non tractatur de amore Dei ſuper omnia. Deindè dicebat: quià dixiſti in hâc Congregatione & præ-

teritâ quòd ad actum dilectionis Dei ſuper omnia naturalem ex objecto, ſequitur mediatè juſtificatio, id eſt, medio actu fidei ſupernaturalis; probo quòd ſit impoſſibile; quià tunc in illo actu fidei tolleretur libertas in homine; dùm neceſſariò & infallibiliter ille actus fidei deberet poni in homine; & ſic abſque libertate illum operaretur. Secundò, quià hoc derogaret maximè actui ſupernaturalis fidei, dùm ad ipſum diſponeret actus naturalis, & ità diſponeret, ut infallibiliter actus fidei ſequeretur. Et ſimilia quædam dicebat.

Et cùm non finiret, dixit ei Frater Thomas: viſ-nè P. detinere Sanctiſſimum per infinitas horas? Et cùm hæc dixiſſet, aït Sanctiſſimo: Beatissime Pater, ad iſta futilia non oportet reſpondere. Ob brevitatem finio.

Tunc Sanctiſſimus præcepit ut diceret. Et incipiens aït: P. Vaſtida dicit eſſe in infidelibus veras virtutes, & dicit hoc dici in Bullâ Pij V. Reſpondeat quomodò intelligit Bullam? An, videlicèt, intelligat eſſe in homine virtutes veras ſine fide, vel non virtutes veras? Cui F. Thomæ ille dicebat: eſſe in tali homine virtutes veras, & ità intelligendam eſſe Bullam; quià S. Thomas planè affirmabat, eſſe in infidelibus veras virtutes.

Cui F. Thomas: quid ampliùs? Satìs ſe aperiunt iſti PP. Jàm enim volunt ſententiam S. Auguſtini, totiès approbatam per Eccleſiam contrà Pelagianos, contrà quos ſemper docuit non eſſe in infidelibus veras virtutes; quià virtutes cum vitiis habitare non poſſunt: jàm, inquam, volunt ejus ſententiam per Eccleſiam damnatam eſſe.

Tunc P. Vaſtida, & P. Salas ſimùl loquebantur. Quibus F. Thomas: itaque PP. non vultis audire; ſed ad invicèm loquentes impeditis? Nec ergò aliud dicam.

Tunc P. Generalis S. Dominici dicebat ad Salas: quomodò P. dicis, quòd non locutus fuit iſte P. Lemos de ratione ſub quâ fidei? cùm expreſsè dixerit ſe loqui de primâ veritate revelante. Ecce objectum formale fidei, & rationem ſub quâ. Similiter, quomodò dicis, quòd fides non proponit Deum ut beatificatorem? cùm Paulus dicat: [a] *Accedentem ad Deum oportet credere quià eſt, & quià inquirentibus ſe remunerator eſt.* Ecce dicit: pertinere ad fidem, Deum eſſe remuneratorem. Similiter dicebat: quòd doctrina Molinæ erat doctrina nova, & quòd ipſemet dicebat eſſe novam; & tamen PP. iſti contendunt eſſe antiquam S. Thomæ & aliorum: quòd ſi ſic, non eſſet nova.

[a] *Heb. 11.6.*

P. Vaſtida ex aliâ parte dicebat: quòd Patres Dominicani publicabant contrà illos, eos docere doctrinam novam.

Et Sanctiſſimus dicebat: *Molina dicit, eſſe doctrinam novam.* Et ſic finita fuit Congregatio.

CONGREG.

Digitized by Google

CONGREGATIO TRIGESIMA CORAM CLEMENTE VIII.

Habita eſt coràm Sanctiſſimo 28. Maij 1604. præſentibus omnibus Cardinalib' atque etiam Cenſoribus omnibus.

In quâ fuit inquiſitum, an intellectu voluntati humanæ proponente Deum amandum ut ſummè bonum & juſtum, illud objectum ſit vel naturale, vel ſupernaturale, vel indifferens ad utrumque?

Vide Hiſt. Congr. de Auxil. Lib. 3. cap. 35. col. 519. & ſeqq.

Vide ſuprà col. 47.

ACTUM fuit in hâc Congregatione de illo Dubio decimo à Sanctiſſimo per ſuos Secretarios tranſmiſſo 11. Maij ejuſdem anni 1604. Quod & tale eſt: *An quandò intellectus proponit voluntati Deum amandum, & colendum, ut ſummè bonum, & ſummè juſtum; præmiantem virtutes præmio vitæ æternæ, & propterea ſummè amandum, quià pro nobis vitam & ſanguinem profudit; & ſcelera punientem æternâ damnatione; poſſit dici quòd proponat Deum, tanquàm objectum naturale tantùm, an etiam ſupernaturale, aut tanquàm indifferens ad actum naturalem & ſupernaturalem? Et an hoc modo dicatur proponere tanquàm rem ad fidem pertinentem, & ſic tanquàm objectum fidei?*

Ad hoc Dubium reſpondit P. Vaſtida per tres Concluſiones. I^a^. Quòd, quandò iſta contenta in Dubio proponebantur voluntati per naturalem rationem, tunc proponebantur tanquàm objectum naturale. II^a^. Concluſio. Quandò autem proponebantur ex fide, verius erat quòd proponerentur ſicut objectum ſupernaturale. III^a^. Concluſio quæ ſequebatur ex duabus præcedentibus, erat: quòd quandò intellectus illa relata in Dubio proponit voluntati, id proponit tanquàm indifferens ad actum naturalem & ſupernaturalem; ità tamen, quòd de facto nunquàm proponebat ut indifferens; quià de facto proponebat per rationis lumen, & tunc proponebat, ut quid naturale; vel proponebat per fidem, & tunc proponebat ut quid ſupernaturale. Quià tamen in abſtractione poterat tale objectum proponi, ſivè per rationis lumen ſivè per fidem; ideò dixerat, quòd poteſt proponi ut indifferens. Et relictis duabus poſtremis Concluſionibus, totum ſe contulit ad probandam primam propoſitionem; quam dicebat ſe probaturum ex principiis fidei, ex experientiâ, & rationibus Theologicis.

Primò autem & principaliter ſic probabat: quià quandò proponitur illud objectum per lumen rationis, proponitur ut naturale; ergò actus voluntatis circà illud erit naturalis; aliàs ſi proponitur ut ſupernaturale, ſequeretur quòd homo poſſit ſine fide juſtificari. Quod ſic probabat: quià ſine fide proponitur illud objectum ſupernaturale; ergò voluntas habebit circà illud dilectionem Dei ſupernaturalem; ergò juſtificabitur ſine fide: vel dicendum erit, quòd per dilectionem ſupernaturalem non juſtificabitur homo. Ut ergò evitentur iſta, dicendum eſt, quòd proponitur illud objectum ut naturale.

Secundò idem confirmabat: quià ſine fide nullus poteſt dari actus ſupernaturalis; ergò cùm proponitur per lumen rationis illud objectum ſine fide, nullo modo proponitur ut ſuper-

Digitized by Google

naturale; nec aliquo modo poterit eſſe ille actus ſupernaturalis.

Tertiò, quià certum eſt, quòd ad actum peccati Deus non concurrit ut particularis cauſa; ergò non proponitur ut objectum ſupernaturale. Probabat: quià aliquandò cùm proponitur Deus ſummè amandus ut objectum ſupernaturale, poteſt eſſe quòd homo ipſum amans peccet; ut V. G. ſi tunc occurrat præceptum ſuccurrendi infirmo; tenetur enim ille tunc ſuccurrere infirmo, & tunc non inſiſtere in diligendo Deum ſuper omnia.

Quartò dicebat: quòd, ut ſæpè aliàs propoſuerat, homo certus non poteſt eſſe de ſuâ gratiâ; & tamen experitur quòd habeat iſtos actus; ergò ſunt actus naturales, & de objecto naturali, & non ſupernaturali.

Experientiâ autem probabat: quià ſæpè hæreticus moritur pro ſuis erroribus, qui tamen habet iſtos actus, miſcendo dulcia colloquia cum Chriſto; ergò iſti actus non proveniunt ex ſupernaturali dono; nec ſunt ſupernaturales, ſed naturales.

Deindè venit, ad hoc ipſum ſuadendum authoritatibus Doctorum. Et 1°. id probabat ex authoribus, qui dicebant, hominem ex naturæ viribus poſſe habere quòad ſubſtantiam omnem illum actum, quem homo poteſt habere in gratiâ. Et ad hoc legebat S. Thomam & alios. 2°. Adducebat authores qui dicunt, charitatem ſolùm eſſe neceſſariam ad modum & ad meritum. Et plures legebat. 3°. Inducebat Doctores qui dicunt, hominem naturæ viribus poſſe deſiderare Deum, etiam ut eſt beatitudo Sanctorum. Et in iſto ordine inducebat Zumelem. Immò adducebat quamdam explicationem à F. Thomâ de Lemos, datam circà quemdam locum Zumelis, in quâ prædictus F. Thomas dixerat: quòd Zumel debebat intelligi, quòd de objecto ſupernaturali, quatenùs ſupernaturale eſt, poteſt homo naturæ viribus habere actum imperfectum, qui magìs velleïtas ſit, quàm abſolutus actus. Hanc autem explicationem ipſe impugnabat, dicens: quòd de objecto ſupernaturali, ut ſupernaturale eſt, nec actus abſolutus naturalis, nec velleïtas naturalis poterat eſſe. 4°. Tandem inducebat Doctores alios, qui dicunt: quòd ſi Chriſtus Dominus per actum merè naturalem regulatum rationis lumine operaretur, non haberet meritum. Ex quo à fortiori concludebat: quòd de objecto naturali actus naturalis nihil omninò pertineret ad ſalutem.

Inducebat etiam S. Thomam 1. 2. diſtinguentem temperantiam infuſam ab acquiſitâ, quòd acquiſita abſtinet propter incommoditatem corporis; at verò temperantia infuſa abſtinet ad caſtigandum corpus, & propter regulam ſuperiorem. Undè eadem abſtinentia ut regulata regulâ divinâ ſuperiori, & regulata regulâ naturali inferiori, diſtinguebat temperantiam acquiſitam & infuſam. Similiter ergò, dicebat, illud objectum in Dubio expreſſum, ut regulatum lumine fidei, erat objectum ſupernaturale; at verò ut regulatum naturali ratione, erat quid naturale.

Cùm autem ſæpiùs ipſe inſtaret: quòd per lumen rationis poteſt intellectus proponere voluntati, Deum eſſe præmiatorem præmij vitæ æternæ, & pro nobis propriam vitam & ſanguinem fudiſſe; dixit ei Sanctiſſimus: *Quomodò iſta objecta poſſunt proponere per lumen rationis?*

Reſpondens autem P. Vaſtida dixit: ſe intelligere, quòd poteſt homo per rationem id proponere voluntati; ſuppoſito tamen quòd aliundè ſupponatur revelatio facta Eccleſiæ de iſtis myſteriis. Et tunc finivit dicens: quòd de alterâ parte Dubij: *An proponatur tunc Deus ut res pertinens ad fidem, & tanquàm objectum fidei?* poſteà in aliâ Congregatione dicturus erat.

Tunc F. Thomas, omnia ex more ad pedes Sanctiſſimi conſtituens, ſic dixit: Dubium à Sanctitate Veſtrâ propoſitum, & modò relatum, tria expreſsè continet, quæ dicit intellectum proponere voluntati. 1^m. Eſt: quòd

quòd intellectus proponat voluntati Deum colendum & amandum, ut ſummè bonum. 2m. Quòd proponat voluntati Deum ſummè juſtum præmiantem virtutes præmio æternæ vitæ, & damnantem ſcelera æternâ damnatione. 3m. Denique: quòd proponat intellectus voluntati Deum ſummè amandum, qui pro nobis propriam vitam profudit & ſanguinem. Et præcipit Dubium, reſpondendum: *An quandò intellectus ità proponit voluntati Deum ſub hâc triplici conſideratione; poſſit dici, quòd proponat Deum, ut objectum naturale tantùm, vel ſupernaturale, aut etiam ut indifferens ad actum naturalem & ſupernaturalem? An potiùs dicatur proponere rem ad fidem pertinentem, & ſic tanquàm objectum fidei?*

Ad quod Dubium ut diſtinctè procedatur: Dicendum eſt I°. intellectum ſolùm rationis lumine illuſtratum, etiam elevatiſſimo, non poſſe proponere voluntati, Deum eſſe bonorum præmiatorem præmio vitæ æternæ, nec malorum damnatorem æternâ damnatione; & multò minùs Deum pro nobis propriam vitam & ſanguinem fudiſſe. Veritas iſta certiſſima eſt apud Theologos univerſos, quæ breviſſimâ ratione demonſtratur. Quià rationis lumen non poteſt pertingere ad ea quæ ſunt ſuprà totum rationis ordinem; non ergò pertingere poteſt ad cognoſcendum ea quæ ſunt eſſentialiter ſupernaturalia; & ex conſequenti non poteſt cognoſcere Deum eſſe præmiatorem bonorum præmio æternæ vitæ, & Deum pro nobis ſanguinem fudiſſe; quià iſta ſunt eſſentialiter ſupernaturalia, totum rationis ordinem tranſcendentia. Multò ergò minùs poterit intellectus ſolùm rationis lumine illuſtratus, hoc voluntati proponere. Poteſt quidem rationis lumen cognoſcere Deum authorem naturæ & finem univerſi, & illum ſic proponere ut ſummè amandum & colendum; & poteſt cognoſcere ea quæ ſunt præambula ad fidem, videlicèt, Deum eſſe, & eſſe unum. Cæterùm quòd ſolum lumen rationis cognoſcat, & voluntati proponat illa quæ eſſentialiter ſunt ſuprà naturam, hoc omninò eſt impoſſibile; etiamſi tale lumen rationis ſit in primo Angelo. Quarè de intellectu illuſtrato ſolùm lumine rationis nec procedit, nec procedere poteſt Dubium à Sanctitate Veſtrâ propoſitum. Et contrà apertam veritatem ſentiebat R. P.; ſed tamen edoctus à Sanctitate Veſtrâ mutavit ſententiam, dicens: ſe loqui de homine, ſuppoſitâ tamen revelatione illi factâ de illis objectis.

Dicendum II°.: Intellectus lumine fidei ſupernaturali illuſtratus, de facto per fidei lumen proponit voluntati inter reliquos fidei articulos, Deum eſſe bonorum præmiatorem præmio vitæ æternæ, & malorum punitorem æternâ damnatione; ac Deum pro nobis propriam vitam & ſanguinem fudiſſe. Patet veritas iſta; quià inter cæteros fidei articulos, unus ex pertinentibus ad divinitatem eſt, Deum eſſe glorificatorem; & alius ex pertinentibus ad Chriſti Domini humanitatem proponit Chriſtum venturum ad judicium, ad præmiandum bonos præmio vitæ æternæ, & puniendum malos æternâ damnatione; & ſimiliter articulus alius proponit Deum pro nobis propriam vitam & ſanguinem tradidiſſe. Igitur certiſſimum eſt per fidem ſupernaturalem proponi voluntati Deum ut glorificatorem, & præmiatorem vitæ æternæ, & ut objectum beatificans nos. Quarè R. P., ſcilicèt, Salas non potuit nec debuit in præcedenti Congregatione de hâc veritate dubitare, nec illam poterat impugnare. Impugnavit tamen quòd fides ſupernaturalis voluntati proponat Deum ut objectum beatificans.

Omitto quòd S. Thomas *2. 2. q. 1. art. 8.* expreſsè dicit: quòd fides ſupernaturalis primò & per ſe proponit nobis ea quæ nos beatificant; & hâc ratione proponit nobis myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, in cujus viſione beatitudo noſtra conſiſtit. Et ſimiliter hâc ratione proponit nobis Chriſti Domini myſteria; quià per illa per-

venimus ad beatitudinem. Et *eâd. 2. 2. q. 23. art. 4.* loquens de divinâ charitate, expreſsè docet S. Thomas: quòd charitas diligit Deum ſummum bonum tanquàm objectum beatitudinis.

Nec argumentum, quo P. inſtabat contrà hoc, aliquid juvat. Aſſerebat enìm quòd ſi fides, ſpes & charitas tria hæc, attingant Deum ut authorem beatificum, quòd tunc ille eſſet amor concupiſcentiæ. Negandum eſt enìm illum eſſe amorem concupiſcentiæ; quià amore concupiſcentiæ amamus aliquid ordinando ipſum in nos ſicut in finem. Quâ ratione amamus vinum, aut cibum, aut equum. Ridiculum eſt enìm dicere, quòd iſta amemus amore amicitiæ; quià illa ordinamus in nos ſicut in finem. Abſit hoc à charitate. Immò nos ipſos & omnia ordinat in Deum beatificantem ſicut in finem. Igitur dicendum eſt omninò, intellectum lumine ſupernaturali fidei elevatum, proponere voluntati Deum eſſe præmiatorem & beatificatorem æterno præmio beatitudinis.

Dicendum IIIº. eſt, ſtrictè Dubio reſpondendo: Quandò intellectus elevatus lumine fidei, proponit voluntati hoc objectum in Dubio propoſitum, non poteſt dici, quòd illud proponat ut objectum naturale, nec ut indifferens ad actum naturalem & ſupernaturalem; ſed omninò dicendum eſt, quòd id proponat ut objectum ſupernaturale, ut rem pertinentem ad fidem, & ſic tanquàm contentum ſub objecto formali & adæquato ipſius fidei. Satìs nota eſt veritas iſta. Quòd enìm non proponat ut objectum naturale, fit manifeſtum; quià illud eſt eſſentialiter ſupernaturale; ſi ergò fides proponit illud ut naturale, proponeret falſum: quod longè abeſt à fide. Et hâc ſolâ ratione demonſtratur non proponi per fidem illud ut objectum naturale tantùm.

Similiter conſtat: quòd non proponat illud objectum, ut objectum indifferens ad actum naturalem vel ſupernaturalem; quià proponit illud ut objectum ſupernaturale, poſtulans actum voluntatis ſibi proportionatum, etiam ſupernaturalem. Hic enìm eſt eſſentialis ordo inter cognitionem & amorem; quòd quandò cognitio eſt naturalis, & cognitum per illam cognoſcitur ut naturale; etiam amor voluntatis correſpondens eſt naturalis. quandò cognitio eſt ſupernaturalis, & cognitum per illam cognoſcitur ut ſupernaturale, etiam amor correſpondens ex parte voluntatis debet eſſe ſupernaturalis; in tantùm quòd fides in homine peccatore qui non habet charitatem, quantùm eſt ex ſe, proponit Deum ut authorem ſupernaturalem amandum ſupernaturali amore ſuper omnia, & amorem poſtulat ſupernaturalem; licèt aliundè proveniat, quòd voluntas illum amorem non impendat. Igitur dicendum eſt: quòd intellectus per lumen fidei proponit hoc objectum voluntati ut ſupernaturale, ut rem pertinentem ad fidem, & ut objectum formale fidei, vel ut contentum ſub objecto formali fidei. Et quià in hâc veritate etiam PP. Societatis conveniunt; ideò plura pro ipſius probatione omitto.

Dicendum eſt IVº. & ultimò: Quandò intellectus infidelis ex alterius prædicatione & hortatu credit credulitate naturali, imperfectâ, humanâ, & fallibili, Deum eſſe præmiatorem præmio æternæ vitæ, & pro nobis vitam & ſanguinem effudiſſe; (& idem eſt de hæretico, qui negando alia ad fidem pertinentia, non negat Deum pro nobis paſſum, & Deum eſſe præmiatorem præmio æterno) tunc dicenda ſunt quatuor. 1m. Eſt, quòd in iſto caſu intellectus illius proponit voluntati rem, quæ in ſubſtantiâ & entitate eſt ſupernaturalis; proponit tamen illam propriâ voluntate & proprio judicio naturali, imperfecto, & fallibili. Primum patet: quià reverâ intellectus illius rem ſupernaturalem proponit voluntati. Quòd autem illam proponat ſub ratione fallibili naturali, etiam patet; quià non proponit illam

illam ſub divinâ revelatione, ſed ſub fallibili motivo humano. 2m. Eſt, quòd in iſto caſu adhuc intellectus illius non proponit illud objectum ſicut indifferens ad actum naturalem & ſupernaturalem; quià nec voluntas poteſt habere actum ſupernaturalem circà illud objectum. Igitur non proponitur per intellectum ut indifferens ad actum naturalem & ſupernaturalem. 3m. Eſt, quòd in hoc eodem caſu voluntas illius hæretici non poterit habere actum perfectum & abſolutum, vel deſiderij, vel fidei, vel ſpei, vel charitatis. Patet 1°. quià eſſet incidere in errorem Pelagianum, dicere voluntatem humanam eſſe firmam & fortem ad appetendum perfectè quidquid ſibi per intellectum proponatur, & ſufficere oſtenſionem & manifeſtationem ex parte intellectûs. Patet 2°. quià eſſet conſtituere naturam ſanam, & integram, & non læſam per peccatum originale. 4m. Eſt denique, quòd in hoc eodem caſu poteſt voluntas hæretici illius habere aliquale imperfectum deſiderium, quod ſit velleïtas reſpectu illius objecti ſic propoſiti. Et ſic intelliguntur omnes Scholaſtici, cùm dicunt: poſſe hominem naturæ viribus habere actum circà talia objecta; loquuntur enìm de actu imperfectiſſimo, & qui magìs ſit velleïtas, quàm actus abſolutus.

Undè ad objecta: R. P. propoſuit primò tres Concluſiones. 1a. Quòd poteſt per lumen rationis proponere intellectus voluntati objectum cum omni circumſtantiâ in Dubio propoſitâ. 2a. Quòd quandò proponitur illud objectum per fidem, verius eſt, quòd proponatur velùt objectum ſupernaturale. In quo dicto latenter affirmat, quòd etiam poſſit verè dici, quòd per fidem proponatur ut objectum naturale. Et dixit aliquos Doctores hoc dicere. Cæterùm hoc dici non poteſt; quià, ut dixi, tunc fides falſa proponeret, dùm rem quæ eſſentialiter eſt ſupernaturalis, proponeret ut naturale objectum. Nec vidi, nec legi aliquem Doctorem qui hoc affirmet. 3a. Concluſio fuit, quòd illud objectum eſt indifferens ad actum naturalem vel ſupernaturalem. Dixit tamen quòd de facto quandò proponitur per lumen naturale proponitur ſemper ut naturale; & quandò proponitur per fidem, proponitur ut ſupernaturale. In quo ſibi contradicit. Si enìm dixit in Concluſione 2â., quòd etiam per lumen fidei poteſt verè dici, quòd proponatur ut naturale; quarè in 3â. dicit, quòd cùm proponitur per fidem ſupernaturalem, proponitur ut ſupernaturale?

Deindè pervenit P. Vaſtida, ut probaret illam primam Concluſionem, videlicèt, quòd per lumen rationis proponatur illud objectum ut naturale; & dixit ſe probare id ex principiis fidei, ex experientiâ, & ex rationibus Theologicis Ex principiis fidei probavit; quià de objecto ſupernaturali non poteſt eſſe actus naturalis; ſi ergò ſupponitur illud objectum ab intellectu infidelis ut ſupernaturale propoſitum, erit reſpectu illius amor ſupernaturalis, & ſic juſtificabitur ſine fide, vel per dilectionem Dei ſupernaturalem non juſtificabitur homo. Ad quod dicitur: quòd ille homo nullam dilectionem Dei ſupernaturalem poteſt habere. Undè nullum eſt argumentum.

2°. Dixit: quòd ſine fide non ſit actus ſupernaturalis; & ex conſequenti cùm ille homo non habeat fidem, non poteſt habere actum ſupernaturalem. Ad quod dicendum: Quòd ſine fide poteſt eſſe actus pròut ad ſalutem oportet, factus ex auxilio divino gratiæ prævenientis, & diſponentis ad ſalutem. Ut aït Concilium Tridentinum *Seſſ. 6. cap. 6.* excitati & adjuti fidem ex auditu concipientes &c.

3°. Dixit: Deum non eſſe cauſam particularem peccati. In quo etiam implicitè cum ſuo Molinâ *in diſp. 33. edit. Antuerp.* [a] videtur concedere Deum eſſe cauſam univerſalem peccati; quod tamen dici nullo modo poteſt. Nec enìm Deus eſt cauſa vel particularis

[a] *Pag. 187. & ſeq.*

Digitized by Google

particularis vel univerſalis peccati: nec hoc poteſt aliquâ ratione concedi.

Ad illud autem argumentum: quòd ſi homo ex adjutorio ſupernaturali proponente Deum eſſe objectum ſupernaturale & eſſe amandum, ſi continuet illum actum tempore quo obligat præceptum charitatis ſubvenire infirmo, jàm Deus erit cauſa particularis peccati; Reſpondetur: quòd tunc interrumpitur ille actus, & cùm à principio eſſet bonus, poſteà fit malus. Sicut dicere ſolent Theologi de homine comedente carnes ante primam horam diei Veneris, qui poteſt licitè tunc comedere, & fortè meritoriè; ſi autem continuet actionem illam, poſtquàm incepit dies Veneris, jàm interrumpitur ille actus in genere moris, & cùm à principio eſſet bonus & à Deo, fit malus ex ſolâ pravâ voluntate.

4°. Dixit, de homine qui non poteſt ſcire ſe eſſe in gratiâ, & tamen poteſt experiri ſe habere illos actus. Quod argumentum ſæpè ab his Patribus propoſitum eſt; ſæpiùs etiam eſt reſponſum: quòd homo ille non ſcit evidenter ſe facere illos actus propter Deum ultimum finem ſummè dilectum actu abſoluto. Nec hujus poteſt habere experientiam, ut ſæpè dixi.

5°. Venit ad probandum experientiâ idem in homine hæretico, qui moritur pro ſuis erroribus, & dicit dulcia verba cum Chriſto. Ad quod dicendum, hæreticum pro ſuâ pertinaciâ & errore poſſe ex ſe mori. At verò mori pro Deo ſine Deo eſt impoſſibile.

6°. Deniquè venit ad authoritates Doctorum, quas ſæpè citavit, & coacervavit plures, ſed peſſimè intellectas. Ad quas in genere, primò dicitur: quòd RR. PP. adduxerunt 500. loca pro ſuâ ſententiâ à principio hujus cauſæ; & à quibuſdam PP. meæ Religionis Provinciæ Hiſpanicæ oſtenſum fuit, omnia illa ſiniſtrè, & in pravo ſenſu allegari. Quod oſtenderunt in Apologetico quodam Tractatu. Similiter Doctores Lovanienſes in aliâ ſuâ juſtificatione manifeſtarunt plurima loca Sanctorum ab iſtis PP. citata truncatè, & ſiniſtrè adducta. Et eodem modo Cenſores à Sanctitate Veſtrâ deputati in anterioribus Congregationibus, omnia etiam iſta loca diligentiſſimè expendentes, invenerunt illa nullo modo rectè adduci, ſed in ſenſu valdè diverſo & alieno quàm Doctores intendunt. Et tandem RR. PP. Veſtræ Sanctitati dederunt 200. loca S. Auguſtini, [a] ad fundandum in S. Doctore ſententiam ſuam; & tamen nec ullus ex illis inventus fuit rectè adduci in illo ſenſu, in quo S. Auguſtinus illum inducebat. Eodem modo ergò iſti PP. adducunt tantam catervam Doctorum, & putant quòd iſtis citationibus terreamur. Sed ſi omnes iterùm expendantur, apparebit, quòd nihil prorsùs illis favent.

[a] *Vide ſuprà col. 73. & ſeqq.*

Undè in 1°. ordine adduxerunt aliquos Doctores, qui dicunt hominem naturæ viribus poſſe facere omnem illum actum quoàd ſubſtantiam, quem poteſt homo exiſtens in gratiâ facere. Ad quod jàm diximus: ipſos loqui manifeſtè de quibuſdam actibus imperfectiſſimis, ſimilibus in ſubſtantiâ cum actibus meritoriis; non autem loqui de actibus illis perfectiſſimis, ſimilibus in ſubſtantiâ, quos Molina tribuit naturæ viribus. Quod adeò eſt verum, ut etiam ſic dicat intelligendos eſſe Doctores ipſe Franciſcus Suarez; ut jàm in præcedentibus Congregationibus oſtendi. Undè ſi PP. Societatis non credunt S. Thomæ & Doctoribus aliis, credant ſaltèm vel ſuo Doctori Franciſco Suarez, qui hoc expreſsè dicit.

In 2°. ordine inducunt RR. PP. alios Doctores, qui dicunt, charitatem ſupernaturalem non eſſe neceſſariam, niſi ſolùm ad modum meritorium. Ad quod dicitur, Sanctos Doctores aſſerere charitatem eſſe neceſſariam ad modum meritorium; & tamen Molina ſine charitate conſtituit opera ex ſolis naturæ viribus perfecta etiam quoàd modum; etiamſi verbotenùs dicat illa ſolùm eſſe quoàd ſubſtantiam:

tantiam: ſicut etiam reipsâ conſtituit opera viribus naturæ facta prout ad ſalutem oportet; & tamen ſolis verbis dicit illa non fieri prout ad ſalutem oportet. Et præterea, quià ſine charitate non fiunt opera meritoria; undè quantùm ad modum meriti poſtulant SS. Doctores charitatem. At verò etiam ſine charitate per adjutorium gratiæ fiunt opera pertinentia ad ſalutem, nempè illa quæ diſponunt proximè ad charitatem.

In 3°. ordine inducunt PP. Societatis aliquos Doctores aſſerentes, etiam poſſe arbitrium ſolâ ſuâ facultate deſiderare Deum, quatenùs eſt beatitudo Sanctorum; ut Cajetanus, Zumel &c. Immò meipſum pro hoc allegavit prædictus P. Vaſtida. Ad quod primò dicendum: quomodò iſte P. contrà ſeipſum pugnat, & ſibi contradicit? Ipſe enìm expreſsè ſemel ac iterùm affirmavit, non poſſe eſſe aliquem actum naturalem nec perfectum nec imperfectum, nec velleïtatem de objecto ſupernaturali ut ſic. Cùm ergò hæc dicat; quarè adducit Doctores ad probandum poſſe eſſe actus merè naturales de objecto beatifico, & quatenùs beatificum eſt? Hoc eſt ſibi contradicere. Certè P. Valentia non ſibi contradicebat.

Deindè dico, me cum Cajetano ſentire: poſſe quidem liberum arbitrium ex ſolâ facultate naturæ habere imperfectiſſimum deſiderium, quod ſit velleïtas quædam Dei, ut objectum beatitudinis eſt, ſi ſemèl ſibi proponatur. Quod dixerim paratus corrigi, non ſolùm ad nutum Sanctiſſimi, ſed etiam alterius cujuſcunque ex aſſiſtentibus, qui dixerit hoc fieri non poſſe. Ratio autem meæ ſententiæ eſt; quià ſi conſtituamus hominem cum ſolâ fide ſine ſpe & charitate, & fides ipſa proponat Deum ut beatitudinem Sanctorum; certè cùm velleïtas, ſecundùm Ariſtotelem, ſit de impoſſibilibus; quarè non poterit homo velleïtate hoc deſiderare? Sed quidquid ſit de hoc, certum eſt, quòd de objecto ſupernaturali, quatenùs habet rationem communis boni, poteſt hominis voluntas habere iſtos actus imperfectos naturæ viribus. Et ſic eſſe intelligendos Doctores, dixerunt iſti PP. Societatis in anterioribus Congregationibus. [a] In reſponſione enìm ad quamdam 4^am^. Propoſitionem numero decimo, dixerunt expreſsè Cajetanum, Bannez, & alios, cùm dicunt liberum arbitrium poſſe naturæ viribus deſiderare Deum objectum beatitudinis, loqui de actibus quibuſdam imperfectis, qui ferantur in illud objectum, ſecundùm tamen quòd habet aliquam rationem communem boni. Cùm ergò ſub ſuis ſubſcriptionibus ſic expreſsè fateantur PP. Societatis, eſſe intelligendos Doctores illos loqui de actibus imperfectis; quomodò eos nunc adducunt, quaſi loquantur de actibus perfectiſſimis quos Molina naturæ viribus attribuit?

[a] Iſte locus fuit ibi lectus in Congregatione,

Ad illud aliud de merito Chriſti Domini, quod eſt allatum ex quodam Thomiſtâ; ego in hâc parte dicam quod ſentio. Sic enìm videtur dicendum: quòd etiamſi Chriſtus Dominus nullum habuiſſet lumen ſupernaturale, nec virtutem aliquam ſupernaturalem, adhuc tamen per actus naturales exercitos ab humanitate, ſecundùm quod procedebant à Verbo unito, mererentur infinitè; quià meritum Chriſti ex Perſonâ infinitâ deſumendum eſt.

Supereſt modò oſtendere, quòd Molina expreſsè dicat: quòd proponente intellectu per fidem hæc objecta, poteſt voluntas operari actu contritionis circà illa. Omiſſo enìm *illo* §. *ratio, ſæpè citato*, [b] in quo apertè dicit: quòd præexiſtente lumine fidei, quo cognoſcimus &c. quo, inquam, cognoſcimus. Ubì manifeſtè conſtituit fidei influxum ſuprà actum; eſt alius locus in Molinâ, qui nullâ poteſt tergiverſatione celari. *In diſp. 14. memb. 4. §. his ità conſtitutis*, [c] ſic dicit: *Quivis nàmque in ſeipſo experietur, ſi fidei lumine ante mentis oculos proponat, ſibique perſuadeat, excludendum ſe eſſe ab æternâ beatitudine, innu-*

[b] *Pag. 43. col. 2.*

[c] *Pag. 53. col. 1.*

meriſque aliis malis circumventum undique, ſempiterno igne eſſe cruciandum, niſi ſtatuat non peccare deinceps lethaliter; in facultate ſui arbitrij cum ſolo concurſu generali Dei eſſe, elicere in genere propoſitum abſolutum non peccandi ulteriùs lethaliter, ut tantum malum effugiat. Qui locus integer lectus fuit. Et poſteà dixit F. Thomas: ſi fidei lumine, dicit, proponat homo ante oculos mentis; eſt ablativi casûs, Patres, & per modum effectivi, ut ſoletis dicere in veſtris Scholis; quo ſignificatur efficientia & concurſus ipſius fidei, & quòd lumine fidei, & ex fide, & per fidem id proponat ante mentis oculos.

Undè modò ſic conſtituo argumentum: ipſi Patres concedunt, quòd cùm hoc objectum proponitur ex fide, proponitur ſub motivo pietatis Chriſtianæ, & quòd ſi voluntas illud vult, vult ſub motivo pietatis Chriſtianæ: Hoc dixerunt Patres & in præcedenti Congregatione, & in hâc præſenti; ſed Molina expreſsè dicit, quòd illud objectum ex fide proponitur; ergò dicit, quòd proponitur ſub motivo pietatis Chriſtianæ, & quòd voluntas illud volens vult ſub motivo Chriſtianæ pietatis. Et ex aliâ parte dicit: quòd illud vult ex ſolis naturæ viribus; ergò convincitur, quòd ex naturæ viribus dicat hominem operari ex motivo pietatis Chriſtianæ. Et in hoc particulariter facio inſtantiam in hâc præſenti Congregatione.

Ad illud autem quòd R. P. dividit hoc præſens Dubium, & dicit ſe dicturum ad aliam partem in aliâ Congregatione, hoc facit ut dilatetur negotium in infinitum. Quærunt enìm dilationes, ut nunquàm negotium terminetur. Nàm hoc Dubium in indiviſibili conſiſtit; ſi proponitur per fidem ut objectum naturale, vel ut objectum ſupernaturale. Et tamen adhuc hoc volunt dividere in diverſas Congregationes. Et tamen mala creſcunt. Refertur enìm quòd in pluribus partibus Fauſtus publicè legatur; cujus tamen doctrina damnata eſt per Eccleſiam, per felicis recordationis Gelaſium, per Hormiſdam Pontificem Summum, per Leonem I., & Concilium Arauſicanum II., per Cæleſtinum I., & alios Pontifices Summos. Et de doctrinâ illius Petrus Diaconus apud Fulgentium cum aliis Sociis dicit: quòd totam Chriſti gratiam negat ille Fauſtus. Et doctrina Molinæ magìs eſt doctrina Fauſti, quàm doctrina Caſſiani, & ſic finivit Frater Thomas.

Statìm Vaſtida dixit: quòd verum erat, quòd mala creſcebant. Nàm in Collegio S. Thomæ Hiſpalenſi inventus fuit quidam Libellus famoſus contrà ipſos publicatus, & miſſus à Româ. Et dabat intelligi, quòd à Patribus Prædicatoribus è Româ miſſus fuerit.

Tunc dixit illi Pontifex Summus: *Vos eritis authores hujus Libelli, ut FF. Prædicatoribus imputetis. Undè cùm libellus apud vos inveniatur, niſi oſtendatis authorem illius; ego vos ſicut authores illius condemnabo.*

Poſteà Vaſtida procurans reſpondere argumentis, dixit: quòd ferè in omnibus erat convenientia inter ſe & FF. Prædicatores. Nàm in 1ª. Concluſione, quòd illud objectum non poſſet cognoſci lumine naturalis rationis, conveniebant. Similiter etiam conveniebant in 2ª., quòd videlicèt, quandò proponebatur ex lumine fidei, proponebatur ut ſupernaturale, & ut objectum formale fidei. In 3ª. etiam convenientia erat, quòd in hæretico qui non negabat hæc myſteria, proponebantur ab intellectu ut ſupernaturalia in entitate, modo tamen & ratione inferiori naturali; & ſic quòd proponebatur ut naturale. Differentia tamen erat: quòd voluntas non poterat habere circà illud objectum, ſic propoſitum, actum perfectum.

Undè iterùm ipſe formabat argumentum: quòd quandò intellectus proponebat voluntati tale objectum, voluntas habebat dilectionem Dei ſuper omnia: Si ergò objectum proponebatur ut ſupernaturale, erat dilectio Dei

Dei ſuper omnia naturalis: & ſic vel juſtificabatur homo per illam, vel non: ſi juſtificabatur; ergò jàm ſine fide juſtificatur homo: ſi non juſtificabatur; ergò per dilectionem Dei ſuper omnia ſupernaturalem non juſtificatur homo.

Cui F. Thomas dixit: quòd nullo modo illius hominis voluntas poterat habere dilectionem Dei ſupernaturalem ſuper omnia; immò nec dilectionem Dei naturalem ſuper omnia. Undè nullum erat argumentum. Hæc fuit in ſubſtantiâ aſſignata ſolutio.

Ipſe autem inſtabat: ergò illud objectum proponitur ut naturale.

Cui F. Thomas: non proponitur ut naturale, ità ut voluntas poſſit circà illud habere actum dilectionis Dei perfectum. In hoc enìm conſiſtit punctum difficultatis: quòd voluntas, videlicèt, naturæ viribus poſſit habere illos perfectos actus circà tale objectum propoſitum. Et ſimiliter difficultas eſt: quòd Molina dicit: quòd cùm proponitur ex fide, poteſt voluntas habere perfectam contritionem circà illud.

Vaſtida autem negabat id Molinam aſſerere. Dicebat enìm: quòd Molina *in illo* §. *citato*, *his ità conſtitutis*, a non dicebat, quòd voluntas operetur ex fide; ſed quòd poſtquàm fides id propoſuit, poteſt intellectus circà illud conſiderare, & ad iſtam naturalem conſiderationem ſequebatur ille actus voluntatis. Quod ipſe Molina inſinuabat; quià dicebat ſtatìm, quòd naturale eſt unicuique fugere malum &c.

a *Diſp.* 14. *membr.* 4. *pag.* 53. *col.* 1.

Cui F. Thomas: ſic intelligitis Molinam ſicut Doctores alios, id eſt, peſſimè. Molina enìm dicit eſſe naturale voluntati fugere illud malum propoſitum per fidem, & amplecti illud bonum per ipſam repræſentatum. In quo convincimini.

Tunc Sanctiſſimus dicebat: *quòd Molina affirmabat, quòd poteſt homo credere omnia fidei myſteria revelata, & quià revelata, firmiter.*

Reſpondebant autem illi: quòd iſta firmitas erat ex parte credentis.

Quibus F. Thomas dixit: in hoc error conſiſtit, quòd non requiratur lumen fidei ad firmandum credentem, & intellectum illius circà omnia myſteria credenda.

Illi autem duo PP. Societatis dicebant: quòd Molina dicebat, non ex parte credentis, ſed ex parte ſubjecti eſſe illam certitudinem.

Quibus Frater Thomas dicebat: Idem eſt utrumque, & quòd certitudo teneat ſe ex parte credentis, & ex parte ſubjecti. Cæterùm Molina dicit expreſſè, ex parte credentis. Et legens verba Molinæ *in diſp.* 8. §. *ex dictis*. b, oſtendebat apertè qualiter dicebat, quòd *ex parte credentis* erat illa certitudo. Undè concludebat: Igitur ex parte credentis dicit Molina. Quòd autem error in hoc conſiſtat, patet; quià lumen fidei ad hoc eſt neceſſarium, ut det certitudinem credenti, & firmet intellectum ejus. Undè hæretici, qui non habent hanc certitudinem per fidem ex parte credentis, quotidiè mutantur ex unâ hæreſi in aliam propter vanitatem & mutabilitatem humani intellectûs. Tunc ipſi tacuerunt.

b *Pag.* 28. *col.* 1.

Pergebat autem Pater Vaſtida, ad ſuadendum: quòd Molina non loquebatur in caſu, quo intellectus ex lumine fidei proponebat voluntati illud objectum; ſed in caſu, quo per rationem proponebatur.

Tunc P. Salas affirmabat: quòd nullum erat inconveniens aſſerere, quòd loqueretur Molina de propoſitione per fidem.

Cui F. Thomas: Reverende Pater, alius ſocius te condemnat. Unus dicit unum, alius dicit oppoſitum. Cui reſpondebo?

Pater autem Salas, ut probaret, quòd etiamſi ex lumine fidei proponeretur illud objectum, idem omninò eſſet, ſic formabat argumentum: Cùm actus naturalis intellectûs proponit illud objectum, voluntas poteſt habere actum circà illud; ſed lumen ſupernaturale continet eminenter lumen naturale; ergò cùm lumen ſupernaturale illud

proponit, poterit voluntas eodem modo operari.

Ad quod argumentum reſpondebat reſumendo illud F. Thomas: Cùm lumen naturale vel actus naturalis ex parte intellectûs proponit illud objectum, poteſt voluntas habere actum circà illud: Diſtinguo; poteſt habere actum abſolutum & perfectum, Nego: poteſt habere actum imperfectum, Concedo.

Tunc P. Salas non volebat audire. F. autem Thomas dicebat: ſinas progredi ad minorem. Sed lumen ſupernaturale continet eminenter lumen naturale, Concedo. Ergò poterit voluntas habere actum imperfectum, Concedo; non autem perfectum. Inſuper lumen ſupernaturale, licèt eminenter contineat actum ſivè lumen naturale, tamen eſt alterius ordinis & generis illud lumen ſupernaturale; quià excedit naturam & vires illius. Undè voluntas niſi adjuvetur auxilio ſupernaturali, non habet proportionem cum tali lumine ſupernaturali proponente.

Tunc P. Salas iterùm dicebat: quòd qui poteſt portare quatuor Libras, poterat portare duas; quià qui poteſt majus, poteſt & minus.

Cui F. Thomas: hoc intelligitur in rebus ejuſdem ordinis & ſpeciei. In aliis non tenet. Poteſt enìm homo, aït Ariſtoteles, generare hominem, qui perfectior eſt; non autem poteſt generare equum, licèt ſit imperfectior.

Et P. Vaſtida neſcio quæ alia parvi momenti dicebat. Et ſic fuit finita Congregatio. Nec enìm oportet omnia minutatìm referre.

Habita eſt coràm Sanctiſſimo 30. Junij die, videlicèt Apoſtoli Pauli, præſentibus novem Cardinalib⁹ Ex novâ enumcreatione tres de novo intromiſſi ſunt. D. de Givri, D. de Taberna, & D. de Monopoli. Ex Epiſcopis defuit D. de S. Agathâ.

Vide Hiſt. Congreg de Auxil. Lib. 3. cap. 36. col. 524. & ſeqq.

CONGREGATIO
TRIGESIMA PRIMA CORAM CLEMENTE VIII.

In quâ quæſitum eſt: An ad fidem pertineat, & ideò ſit objectum fidei, cum intellectus voluntati proponit Deum eſſe amandum ut ſummè bonum & juſtum?

ACTUM fuit in hâc Congregatione de illâ Propoſitione in præcedenti Congregatione diſputatâ: *An quandò intellectus proponit voluntati Deum amandum & colendum, ut ſummè bonum & ſummè juſtum; præmiantem virtutes præmio vitæ æternæ; & proptereà ſummè amandum, quià pro nobis vitam & ſanguinem profudit; & ſcelera punientem æternâ damnatione: dicatur proponere tanquàm ad fidem pertinentem, & ſic tanquàm objectum fidei?*

Hâc lectâ priùs Propoſitione, P. Vaſtida breviter dixit: quòd quandò hæreticus fide humanâ, vel humanâ opinione credebat hujuſmodi veritatem, illam proponebat voluntati, tanquàm materialiter pertinentem ad fidem, & tanquàm materiale objectum fidei; non tamen proponebat illam, tanquàm formaliter pertinentem ad fidem, vel tanquàm formale objectum fidei. Et rationem fundamentalem hujus aſſignabat in hunc modum: Quandò intellectus aſſentitur rebus quæ fide creduntur, non tamen tanquàm ex fide credendis, tunc proponit rem pertinentem ad fidem, non tamen tanquàm formaliter ad fidem pertinentem; ſed hæreticus proponit

Digitized by Google

ponit rem, quæ fide tenetur, non tamen tanquàm credendam ex fide; ergò proponit rem, quæ pertinet ad fidem, non tamen tanquàm formaliter ad fidem pertinentem. Majorem probabat; quià Beatus per lumen gloriæ proponit voluntati hoc ipſum objectum quod pertinet ad fidem, non tamen tanquàm credendum ex fide; & ex conſequenti proponit rem, quæ pertinet ad fidem, non tamen tanquàm formaliter ad fidem pertinentem: Sic ergò dicebat quòd Hæreticus, quandò humanâ fide, vel opinione humanâ credebat hanc veritatem in Dubio relatam, illam proponebat quæ pertinet ad fidem, non tamen tanquàm formaliter ad fidem pertinentem. Minorem autem probabat; quià Hæreticus non credebat illas veritates ex fidei lumine, ſed humanâ opinione: ut dicebat S. Thomas *2. 2. q. 5. art. 3. ad 1.* Quem locum ibì legebat; in quo S. Thomas affirmabat: quòd Hæreticus illis veritatibus fidei, quas non negat, aſſentitur alio modo quàm fidelis, id eſt, non inhærendo primæ veritati, ſed proprio ſpiritui & voluntati; quià ultima reſolutio quarè credebat, non eſt quià prima veritas revelavit, ſed quià ipſe illis vult credere; & ſic ratio quarè credit, eſt quià vult.

Similiter dicebat: quòd quandò aliquod objectum eſt indifferens ut cognoſcatur lumine rationis, vel per fidem; quandò cognoſcitur rationis lumine, non cognoſcitur tanquàm objectum formaliter ad fidem pertinens. V. G. Deum eſſe unum, & cognoſcitur lumine fidei, & ratione naturali. Undè quandò cognoſcitur rationis lumine, non cognoſcitur tanquàm aliquid ad fidem formaliter pertinens. Nec recordor ipſum aliquid aliud, quod ſubſtantiale ſit, dixiſſe in prædictâ Congregatione.

Tunc F. Thomas, ex more ad pedes Sanctiſſimi omnia conſtituens, ſic incepit: Quià Dubium à Sanctitate Veſtrâ propoſitum inquirit: An quandò intellectus voluntati proponit hoc objectum in Dubio expreſſum, & modò relatum, illud proponat ſicut rem ad fidem pertinentem, & ſic tanquàm objectum fidei; oportet priùs ſub brevitate declarare, quodnam ſit objectum fidei, ut apertè intelligatur, an quandò intellectus hoc proponit, illud proponat ſicut objectum fidei. Igitur fidei objectum, ſicut & quodlibèt aliud cujuſcunque potentiæ, habitûs, ſcientiæ, vel virtutis, duo in ſe comprehendit: & objectum materiale adæquatum, quod ſolet vocari, *ratio quæ*; & objectum formale, quod dici ſolet, *ratio ſub quâ*. Per rationem enìm ſub quâ conſtituitur objectum in ratione formali objecti, ut communis eſt tùm Philoſophorum tùm Theologorum recepta ſententia. Objectum materiale adæquatum fidei, eſt Deus; objectum verò formale, eſt veritas prima revelans. Ut apertè docet S. Thomas *2. 2. q. 1. art. 1.* Quam ſententiam magìs explicans ipſe S. Doctor, magíſque confirmans *2. 2. q. 5. art. 3.* dicit quædam verba notatu digna in hunc modum. *Formale autem objectum fidei eſt veritas prima, ſecundùm quod manifeſtatur in Scripturis Sacris & doctrinâ Eccleſiæ, quæ procedit à veritate primâ.* Quibus verbis S. Thomas, & rationem formalem objecti, & conditionem intrinſecam per quam veritas prima revelat, comprehendit ſimùl. Doctrina enìm Eccleſiæ eſt conditio intrinſeca, ſivè cauſa proponens, per quam Deus nobis de facto revelat fidei myſteria. Et in tantum vult S. Thomas doctrinam Eccleſiæ eſſe neceſſariam ad objectum fidei, quòd dicit illam claudi in objecto formali fidei. Ex quo deducit in articulo citato, quòd qui negat Eccleſiæ doctrinam, ipſo facto convincitur negare objectum formale fidei; & ex conſequenti convincitur, quòd fidem non habeat. Dixi quòd nobis de facto prima veritas revelat myſteria fidei per Eccleſiam; quià Angeli, & Primi Parentes, Beatus Paulus &c. fidem receperunt immediatè, Deo ipſo revelante, & abſque Eccleſiâ proponente. Cæterùm nobis de facto

divina myſteria fidei non revelantur, niſi per Eccleſiæ doctrinam, quæ procedit à veritate primâ. Et hâc ratione dixit S. Thomas; quòd objectum formale fidei eſt veritas prima, ſecundùm quòd manifeſtatur in Scripturis Sacris, & in doctrinâ Eccleſiæ, quæ procedit à veritate primâ. Et hoc eſt primum fundamentum tenendum & obſervãdum.

Secundum fundamentum, maximâ conſideratione dignum, ad tollendas æquivocationes quæ ſolent nimìs perturbare in hâc materiâ, eſt, duplicem eſſe rationem formalem objecti fidei, duplicem eſſe revelationem divinam, & duplicem rationem ſub quâ objecti fidei: Alteram tenentem ſe ex parte objecti, alteram tenentem ſe ex parte potentiæ. Quæ aliis nominibus ſolent dici, *ratio objectiva*, & *ratio ſubjectiva*. Ratio formalis objecti fidei objectiva, eſt prima veritas, ſecundùm quòd manifeſtatur, & proponitur per Eccleſiam; ut modò ex S. Thomâ dixi. Ratio verò formalis ſubjectiva, eſt ipſum fidei lumen quo Deus facit hominem aſſentiri myſteriis fidei, propter primam veritatem propoſitam & explicatam per Eccleſiam. Sicut Theologi communiter ſolent dicere, duplicem eſſe beatitudinem: Aliam objectivam, quæ eſt ipſe Deus clarè viſus: alteram verò ſubjectivam, quæ eſt ipſa Dei clara viſio.

Doctrina iſta de duplici ratione formali objecti fidei, eſt expreſſa ſententia S. Thomæ *2. 2. q. 1. art. 6. ad 2.* Inquirit enìm in hoc articulo S. Thomas: An credibilia, ſint per certos articulos diſtinguenda? Et conſtituit concluſionem affirmativam. Contrà quam ſic opponit *in argumento ſecundo: Materialis diſtinctio, cùm in infinitum fieri poſſit, eſt ab arte prætermittenda; ſed formalis ratio objecti credibilis, eſt una & indiviſibilis, ſcilicèt, veritas prima; & ſic ſecundùm rationem credibilia diſtingui non poſſunt: ergò prætermittenda eſt credibilium materialis diſtinctio per articulos.* Et reſpondet: *Ad ſecundum dicendum: quòd ratio formalis objecti fidei poteſt accipi dupliciter. Uno modò ex parte ipſius rei creditæ; & ſic ratio formalis omnium credibilium eſt una, ſcilicèt, veritas prima: & ex hâc parte articuli non diſtinguuntur. Alio modo poteſt accipi ratio formalis credibilium ex parte noſtri; & ſic ratio formalis credibilis, eſt ut ſit* non viſum: *& ex hâc parte articuli fidei diſtinguuntur.*

Apertiſſimè ergò docet S. Thomas duplicem eſſe rationem formalem objecti fidei, & duplicem revelationem divinam: alteram ex parte objecti; alteram ex parte potentiæ. Non ſunt ergò confundendæ iſtæ duæ rationes formales. Non ſunt confundendæ iſtæ duæ revelationes. Non eſt confundenda una ratio ſub quâ cum aliâ; ſed utraque eſt neceſſariò admittenda & diſtinguenda: quià ſi altera auferatur, non poſſumus credibilia diſtinguere per articulos plures; ut probat S. Thomas in verbis adductis.

Eſt autem inter has duas formales revelationes ille eſſentialis ordo, qui eſt inter virtutem & objectum formale illius. Nàm ſicut priùs eſt, quòd formale objectum conſtituatur, & poſteà quòd virtus ab illo ſicut à priori ſpecificetur, & in illud tendat: ità priùs eſt, quòd objectum formale fidei conſtituatur per illam revelationem objectivam, & poſteà quòd lumen fidei ab ipſo ſpecificetur, & in illud tendat. Ex quo manifeſtè deducitur, quòd qui ſemèl admittunt myſteria fidei eſſe propoſita & explicata per Eccleſiam, tanquàm à Deo revelata, & quià à Deo revelata ſunt, manifeſtè conſtituunt objectum formale fidei. Undè ſi poſteà ex parte potentiæ non conſtituant illam aliam ſecundam revelationem ſubjectivam, ſed dicant intellectum naturæ viribus aſſentiri omnibus revelatis, tanquàm à Deo revelatis, & quià à Deo revelata ſunt, manifeſtè convincuntur, quòd intellectus ſolis naturæ viribus attingat objectum formale fidei, & quòd homo ſolis naturæ viribus credat propter primam veritatem revelantem, per Eccleſiam propoſitam &

Digitized by Google

explicatam; & ex conſequenti convincuntur, quòd homo ſolis naturæ viribus credat fide Chriſtianâ, quæ in hoc conſiſtit, quòd propter primam veritatem revelantem credat.

Undè non poteſt dici unam ſolam eſſe divinam revelationem, vel rationem ſub quâ objecti fidei, quæ ſe teneat ex parte potentiæ; quià, præter dicta, eſt manifeſtum, quòd ratio ſub quâ, cùm ſit objecti conſtitutiva, in ipſo objecto debet eſſe, & non in potentiâ. Itèm quià S. Thomas in utroque articulo modò citato, pro certo habet, quòd ſicut ſcientia utitur medio ad demonſtrandum, ità fides utitur veritate primâ revelante, tanquàm medio ad credendum: ſed eſt apertiſſimum, quòd medium quâ utitur ſcientia ad demonſtrandum, tenet ſe ex parte rei. Minor patet; quià V. G. in hâc demonſtratione: omne animal rationale eſt riſibile; omnis homo eſt animal rationale; ergò eſt riſibilis: medium quo utitur ſcientia ad concludendum omnem hominem eſſe riſibilem, eſt rationale. Rationale autem ex parte rei ſe tenet. Sic ergò medium quo utitur fides, quod eſt veritas prima revelans, ex parte rei ſe tenet; nec eſt ipſum lumen fidei. Et hoc eſt, quod communiter dicunt Theologi: quòd objectum formale fidei eſt veritas prima revelans per Eccleſiam. Non dicunt objectum formale fidei eſſe veritatem primam revelantem intellectui hujus vel alterius per lumen fidei.

His igitur ſuppoſitis; quòd objectum formale fidei eſt veritas prima revelans per Eccleſiam; & quòd huic debet reſpondere lumen revelans ex parte intellectûs, ut attingatur illud objectum formale fidei: cùm Dubium inquirit: An quandò intellectus proponit voluntati illud relatum objectum; hoc poteſt multipliciter accipi; & quadrupliciter poteſt intelligi ſecundùm quadruplicem ſtatum ſeu conditionem, in quâ poſſumus imaginari, poſſe conſtitui humanum intellectum. Vel enìm procedere poteſt Dubium de intellectu illuſtrato ſolùm rationis lumine, antè omnem ſibi propoſitam divinam revelationem; vel poteſt procedere de intellectu elevato lumine fidei; vel tertiò de intellectu Hæretici, qui negatis aliis veritatibus, iſtis in Dubio expreſſis adhæret; vel tandem procedere poteſt de intellectu Pagani, cui tamen aliquis ſuadet hujuſmodi veritates. Et de omnibus dicendum erit per ſingula.

Dicendum ergò omninò videtur I°., intellectum illuſtratum ſolo rationis lumine, ante omnem auditam divinam revelationem, non poſſe vel cognoſcere, vel voluntati proponere objectum, de quo Dubium procedit; nec ut materiale objectum fidei, nec ut formale, nec ratione aliquâ. Itaque hoc objectum non eſt cognoſcibile rationis lumine; & ità eſt abſolutè dicendum & affirmandum. Nàm aſſerere, quòd aliquandò hoc objectum eſt cognoſcibile lumine rationis, eſt aſſerere, quòd rationis lumen, etiam nullâ factâ divinâ revelatione, ad illud poſſit attingere. Patet veritas iſta; quià lumen rationis ſolùm attingere poteſt id quod intrà naturæ limites continetur: at verò illud objectum intrà naturæ limites non continetur: ergò à lumine rationis attingi non poteſt. Undè in hâc parte, licèt R. P. in præcedenti Congregatione dixerit nos convenire; utinàm eſſet, quòd in veritate conveniremus! ſed reverâ minimè convenimus. Cùm enìm ipſe dicat, aliquandò hoc objectum cognoſci rationis lumine; ego autem affirmem, nullo modo hoc objectum eſſe cognoſcibile lumine rationis: nulla inter nos convenientia eſt. Et multò minor convenientia eſt in eo, quòd P. R. dixit in præhabitâ Congregatione: quòd, videlicèt, hoc objectum eſt indifferens ad lumen rationis, & ad lumen fidei. Hoc enìm nullo modo poteſt dici. Quià hoc objectum eſt ex ſuâ intrinſecâ naturâ ſupernaturale; ergò ex eâdem ſuâ naturâ intrinſecâ poſtulat ſupernaturale lumen fidei ſibi proportionatum, per quod infallibiliter cognoſcatur; ergò non eſt

ex

Digitized by Google

ex naturâ ſuâ indifferens; ut cognoſcatur aliquandò lumine rationis, & aliquandò lumine fidei; ſicut corpus eſt indifferens ad albedinem & nigredinem. Quià corpus ex ſuâ naturâ non magìs poſtulat albedinem, quàm nigredinem. Et ità benè ſe habet, quandò informatur albedine, ac quandò actuatur nigredine. Et hâc ratione indifferens dicitur ad utramque formam.

Dicendum eſt II°., loquendo de intellectu elevato lumine fidei: intellectus talis per ipſum fidei lumen proponit voluntati Deum eſſe bonorum remuneratorem præmio vitæ æternæ, & malorum damnatorem æterno ſupplicio, & pro nobis propriam vitam & ſanguinem fudiſſe, ſicut rem formaliter ad fidem pertinentem, & ſic tanquàm objectum formale fidei. Veritas eſt ſatìs clara. Quià lumen fidei, ſicut & quilibèt habitus, omnia quæ apprehendit & proponit, attingit ſub ratione formali ſui objecti; & ſic fides omnia proponit inhærendo primæ veritati, & propter veritatem primam. Undè nullo modo poteſt admitti vel dici, quòd lumen fidei proponat Deũ eſſe paſſum pro nobis tanquàm objectum naturale; ſicut R. P. in præhabitâ Congregatione affirmavit: & ratio videtur apertè convincere. Nàm hoc objectum relatum eſt eſſentialiter ſupernaturale; ergò non poteſt dici, quòd proponatur per fidem tanquàm objectum naturale, niſi dicatur proponere fidem rem aliter quàm ſit: & ex conſequenti, niſi dicatur, quòd falſum proponat; quod eſſet deſtruere rationem formalem fidei, quæ cùm innitatur primæ veritati, quæ nec falli, nec fallere poteſt, illi non poteſt ſubeſſe falſum. Quarè in hoc etiam nullo modo convenimus; ut videat Reverendus Pater, quâ ratione dicere potuit, quòd erat inter nos convenientia.

Veniendo autem III°. ad intellectum hæretici, dicenda ſunt quatuor, ut diſtinctè procedatur. 1m. Eſt: intellectus illius hæretici ſe ipsâ & ſecundùm veritatem non aſſentitur illis veritatibus, quas non negat, negatis aliis ad fidem pertinentibus, tanquàm objecto formali fidei, & propter primam veritatem revelantem per Eccleſiam. Nec loquor modò de intellectu proponente voluntati, ſed de intellectu aſſentiente; quod eſt valdè diverſum, ut conſtabit ſtatìm. Concluſio iſta eſt expreſſa ſententia Sancti Thomæ *2. 2. q. 5. art. 3.* ubì manifeſtè docet, hæreticum quemlibèt, eo ipſo quòd negat aliquid ex pertinentibus ad fidem quæ proponuntur per Eccleſiam, non adhærere primæ veritati, nec aſſentiri propter primam veritatem, nec habere rationem formalem objecti fidei; & ex conſequenti concludit ipſum non habere fidem. Et ratio pro ſententiâ S. Thomæ concludit. Quià objectum formale fidei ut ſic, nequit attingi niſi per lumen fidei, ſicut nec objectum formale alicujus potentiæ vel habitûs poteſt ut ſic attingi per talem potentiam vel habitum. Hæc enìm eſt eſſentialis adæquatio, quæ eſt ſemper inter habitus & objecta formalia, quòd videlicèt, ſicut potentia nequit aliquid attingere quod ſit extrà latitudinem ſui objecti adæquati; ità objectum formale ut ſic, nequeat attingi niſi à ſuo habitu.

Dico 2°.: intellectus illius hæretici aſſentitur veritatibus illis ſupernaturalibus proprio ſpiritu, propriâ voluntate, & proprio judicio humano, ſeu opinione humanâ fallibili. Patet; quià nec aſſentitur lumine fidei, nec rationis lumine; ergò aſſentitur vel fide humanâ vel opinione humanâ. Præter iſta enìm quatuor, non eſt aliud medium quo poſſit aſſentiri. Sed advertendum, quòd licèt ſit verum, illum aſſentiri fide humanâ vel humanâ opinione, non tamen eſt dicendum quòd aſſentiatur rationis lumine. Sub appellatione enìm luminis rationis, non intelligitur vel fides humana vel humana opinio, ut Philoſophi rectè dixerunt; quià fides humana ſeu humana opinio reductivè pertinet ad

Digitized by Google

rationis lumen, ſicut quid imperfectiſſimum in illo genere.

Dicendum 3°. quòd in hoc caſu ille hæreticus arbitratur ex ſuâ falsâ æſtimatione ſe aſſentiri illis veritatibus tanquàm objecto formali fidei, & tanquàm ex fide, & tanquàm à Deo ſint revelata. Hoc experientiâ comprobatur. Hoc enìm publicant, & hoc contendunt hæretici: quòd, videlicèt, credant ex fide, & propter primam veritatem revelantem.

Ex quo dicendum eſt 4°., directè ad Dubium reſpondendo: quòd, videlicèt, intellectus illius hæretici proponit voluntati illud objectum, tanquàm rem formaliter ad fidem pertinentem, & ſic tanquàm objectum formale fidei. Veritas iſta à priori demonſtratur; quià intellectus ità proponit objectum voluntati, ſicut illud apprehendit, etiamſi in apprehenſione fallatur; ſed intellectus illius hæretici apprehendit, licèt falsò, illud objectum tanquàm formale fidei & formaliter ad fidem pertinens; ergò illud proponit voluntati tanquàm objectum fidei formaliter. Minor cum conſequentiâ eſt manifeſta. Et major eſt Philoſophorum receptiſſimum principium, ex quo plures graviſſimæ veritates dependent.

Dependet enìm 1°. quòd objectum voluntatis non ſolùm ſit verè bonum, ſed apparens bonum. Dependet 2°. quòd ſi intellectus illud quod eſt à parte rei verè malum, illud tamen falsò apprehendat ut bonum, poſteà cùm id proponit voluntati, illud tanquàm bonum proponit. Dependet 3°. quædam graviſſima veritas, quam S. Thomas *1. 2. q. 19. art. 5.* deducit: quòd, videlicèt, voluntas diſcordans à ratione errante, eſt mala. V. G. apprehendit ratio errans hodiernâ die eſſe jejunandum ex præcepto Eccleſiæ, & hoc proponit voluntati; ſi voluntas non voluerit jejunare, peccat; quià licèt reipsâ hodiernâ die non ſit præceptum jejunandi, tamen poſtquàm ratio errans id apprehendit ſicut præceptum jejunandi, jàm id proponit voluntati tanquàm præceptum ab Eccleſiâ. Et poſtquàm S. Thomas hanc firmavit ſententiam, ſtatìm contrà illam arguit in primo loco, forti argumento dicens: quòd ratio errans, quià non derivatur à lege æternâ, non poteſt obligare voluntatem. Et Reſpondet in hunc modum: *Ad primum ergò dicendum: quòd judicium rationis errantis, licèt non derivetur à Deo, tamen ratio errans judicium ſuum proponit ut verum, & per conſequens ut à Deo derivatum, à quo eſt omnis veritas.* Sic ergò in terminis licèt ratio errans in hæretico non derivetur à Deo, nec à primâ veritate, nec adhæreat objecto formali fidei; tamen illa ratio errans apprehendit illud ſicut à primâ veritate revelatum, & tanquàm objectum formale fidei; & ex conſequenti illud voluntati proponit tanquàm objectum fidei formale.

Ex quo alia veritas deducitur: quòd ſi voluntas illius hæretici nollet, quòd intellectus illi veritati crederet, peccaret ſine dubio novo peccato hæreſis; quià diſcordaret à ratione errante, & proponente illud objectum, ſicut objectum formale fidei. Sequitur etiam quòd ſi voluntas illius hæretici habeat habitum ſpei, & haberet actum circà illud objectum, actus ille ferretur in objectum ſupernaturale; quià ut ſupernaturale eſt propoſitum. Confirmatur: quià ſi V. G. ſit Prædicator Catholicus, qui (quod Deus avertat) incideret in hæreſim cum pertinaciâ, & poſt hæreſim continuaret populo prædicationem, & prædicaret Deum eſſe præmiantem virtutes præmio æternæ vitæ, & punientem ſcelera æterno ſupplicio, & pro nobis vitam propriam & ſanguinem profudiſſe: ſine dubio tunc proponeret hoc objectum populo tanquàm formaliter ad fidem pertinens, & ſicut objectum formale fidei; ità ut qui ex populo ex Dei adjutorio crederent, crederent illi objecto, ſicut objecto fidei formaliter, & tanquàm objecto formali per Prædicatorem illum propoſito, & explicato. Eſt ergò valdè diverſa ratio de aſſenſu & de

Eee propoſitione

propoſitione quâ intellectus proponit voluntati quod apprehendit.

Immò ad ſuperabundantiam doctrinæ, dico: quòd etiamſi hæreticus illud objectum negaret, & irriſoriè ſeu fictè, ut ſolent, id proponeret populo ſicut proponit Eccleſia, dicendo illud eſſe revelatum à Deo, & illi eſſe credendum propter primam veritatem revelantem; adhuc ille proponeret illud objectum, ſicut objectum formale fidei. Sicut hæreticus baptiſans utendo formâ, quâ utitur Eccleſia, Sacramentum conficit; quià utendo formâ Eccleſiæ cenſetur habere intentionem faciendi quod facit Eccleſia. Et licèt ille hæreticus ſit extrà Eccleſiam, tamen Sacramentum quod conficit eſt intrà Eccleſiam; quià extrà Eccleſiam nullum eſt verum Sacramentum.

Ultimò & IV°. deveniendo ad intellectum Pagani, breviter dicenda ſunt alia quatuor, ſecundùm quod quadrupliciter poteſt proponi illud objectum. Primò enìm ſi proponatur ipſi ſimùl cum omnibus aliis myſteriis tanquàm à Deo revelatis, & quià à Deo revelata ſunt, ut ipſe illis propter primam veritatem revelantem aſſentiatur, verè credit ſupernaturali fide ex Dei dono, & verè intellectus ejus proponit illud objectum voluntati tanquàm objectum formale fidei.

Poteſt ſecundo modo illi proponi tale objectum expreſsè, & alia implicitè, dicendo ei: ſunt alia etiam à Deo revelata, quibus propter primam veritatem eſt aſſentiendum, licèt modò non proponantur. Et tunc qui ſic aſſentiret, etiam ex Dei dono & fide ſupernaturali aſſentiret; quià haberet expreſſam fidem circà illud myſterium, & implicitam circà alia; & tunc etiam proponeret intellectus illius ſuæ voluntati verè illud objectum ſicut objectum formale fidei.

Poteſt tertiò proponi illi iſtud objectum tanquàm à Deo revelatum cum negatione aliorum; ut potè ſi ei dicatur, alia à Deo non eſſe revelata. Et tunc dicendum eſt de illo, ſicut & de hæretico, quòd, videlicèt, reipsâ non aſſentitur ex fide, nec ſicut ex objecto formali fidei. Quià tamen ipſe apprehendit illud objectum, tanquàm objectum formale fidei, hâc falsâ æſtimatione ſuppoſitâ illud objectum proponit voluntati, ſicut objectum formale fidei.

Denique quartò, poteſt proponi ei illud objectum, ità ut ei dicat qui proponit, crede mihi, hoc eſt verum. Si iſte tunc credat, propter illius hominis proponentis authoritatem, ſicut propter rationem formalem aſſentiendi, & non ſicut propter motivum tantùm; tunc nec aſſentitur illi objecto ſicut objecto formali fidei, nec illud proponit voluntati ſicut objectum formale fidei; ſed ſolùm tanquàm objecto materialiter ad fidem pertinenti aſſentitur.

Ad objecta ex dictis patet, nec oporteret ultrà dicere. Tamen ſub brevitate dicam. R. P. in ſubſtantiâ dixit: hæreticum non proponere illud objectum tanquàm formale fidei, ſed ſolùm tanquàm materiale. Et unâ ratione id probavit in hunc modum: Quandò intellectus proponit quæ fide creduntur, non tamen ſicut credenda ex fide, tunc proponit rem ad fidem pertinentem, non tamen tanquàm formaliter ad fidem pertinentem: ſed hæreticus proponit illud objectum quod fide tenetur, non tanquàm credendum ex fide; ergò non proponit illud tanquàm formaliter ad fidem pertinens. Majorem probavit ex intellectu beatorum, qui proponit voluntati beati hoc idem objectum quod fide tenetur, non tamen tanquàm credendum ex fide; & ſic proponit rem ad fidem pertinentem, non tamen tanquàm pertinentem ad fidem.

Ad hoc Reſpondetur: quòd intellectus beati per altius lumen, quàm ſit lumen fidei, proponit illud objectum ſupernaturale, tanquàm ſupernaturale, & tanquàm ab aliis viatoribus fide tenendum, & à ſe clarè viſum. Undè de hoc caſu non procedit præſens Dubium. Nec Molina, cujus occaſione hoc Dubium movetur,

Digitized by Google

tur, aliquandò locutus eſt de lumine beatorum; ſed tantùm locutus fuit de viatoribus, quòd, videlicèt, illo objecto illis propoſito, ſivè per fidem, ſivè aliundè, poterat voluntas habere circà illud dilectionem ſuper omnia, & contritionem &c. Undè non oportet modò divertere ad lumen beatorum, quod eſt lumen ſupernaturale clarum proponens hoc objectum ſupernaturale clarè, quod fides proponit obſcurè. In viatoribus autem, ut dictum eſt, illud objectum proponitur ut fide habitum & creditum, licèt ex falsâ æſtimatione.

Ad illud aliud quod dixit de Deo uno, qui & per fidem ſupernaturalem proponitur, & etiam per naturale lumen rationis; dicendum: quòd illud objectum eſt ordinis naturalis, & ſic poteſt cognoſci lumine naturali à Philoſophis, & cognoſcitur lumine fidei à fidelibus. At verò hoc objectum de quo Dubium procedit, eſt eſſentialiter ſupernaturale. Undè non poteſt cognoſci lumine rationis, ſed ſupernaturali lumine; ut dictum eſt.

Dicebat etiam P. Lemos: quòd *in illo art. 3. q. 5. ex 2. 2.* quem adduxerat P. Vaſtida, poterat ipſe videre refutari apertè doctrinam Molinæ; quià ibì S. Thomas pro certo habet, quòd omnibus articulis fidei certò nullus poteſt credere, niſi ex fide, & per fidem. In quo Molinæ ſententia damnatur. Aliud autem eſt de aliquibus, ut patet in hæretico, ſicut & S. Thomas manifeſtè dicit in illo articulo.

Statìm P. Vaſtida reaſſumens dixit: quòd in primâ Concluſione convenimus; quià ipſe nunquàm dixerat hoc objectum cognoſci vel cognoſcibile eſſe lumine rationis.

Tunc F. Thomas reſpondit: in præcedenti Congregatione ſæpè dixiſti: quòd hoc objectum aliquandò cognoſcitur per fidem, & aliquandò lumine rationis.

Tunc iterùm ipſe dixit: ſe id non dixiſſe.

Cui F. Thomas: dixiſti quidèm; ſed hoc omitto. Saltèm dixiſti, eſſe indifferens ut cognoſcatur lumine rationis poſt auditam revelationem, vel lumine fidei. Quod dici non poteſt. Nàm hoc objectum ex ſuâ naturâ eſt ſupernaturale; ergò ab intrinſeco poſtulat lumen ſupernaturale; ergò non eſt indifferens.

Cui argumento dicebat Vaſtida: quòd quià cognoſcitur aliquandò humanâ opinione erat indifferens.

Cui F. Thomas: quandò cognoſcitur humanâ opinione, cognoſcitur præter naturam ſuam, vel contrà ſuam naturam. Undè nullo modo eſt dicendum indifferens. Et multò minùs poteſt dici indifferens, ſicut corpus eſt indifferens ad albedinem & nigredinem. Hoc enìm ſuum exemplum facit doctrinam ſuam clariorem.

Cui ille reſpondebat: ſe non adhibuiſſe hoc exemplum; ſed exemplum de animali, quod eſt indifferens ad rationale & irrationale.

Tunc F. Thomas: verè dixiſti illud exemplum de corpore indifferenti ad albedinem & nigredinem. Sed idem omninò eſt de alio exemplo quod fateris; quià animal ex naturâ ſuâ non magìs poſtulat rationale quàm irrationale: undè eſt ad utrumque indifferens. At verò hoc objectum ex naturâ poſtulat lumen ſupernaturale: undè non poteſt dici indifferens ad lumen naturale & ſupernaturale.

Tunc ille dicebat: quòd eſt indifferens ad recipiendum, ſicut aqua eſt indifferens ad calorem & frigiditatem.

Cui F. Thomas: vel in hoc exemplo fit manifeſtum, non poſſe dici indifferens. Quis enìm Philoſophus dicat aquam indifferentem ad frigiditatem & calorem, cùm frigiditas ſit ei connaturalis, calor verò ſit contrà ejus naturam? Et ratio eſt: quià dicere aliquid eſſe indifferens ad duo, dicit propriam naturam ſic eſſe indifferentem; cùm autem natura objecti ſupernaturalis petat ſemper lumen ſupernaturale, non poteſt dici indifferens ad lumen naturale & ſupernaturale. Et ſtatìm præcepit Sanctiſſimus,

ut ad alia diceretur.

Tunc P. Vaſtida procedens dixit: quòd ideò dixerat, fidem ſupernaturalem verè poſſe proponere hoc objectum tanquàm naturale, quià non volebat qualificare ſententiam Scoti, dicentis; quòd poteſt Beatus, etiamſi non haberet ex parte voluntatis charitatem, habere actum circà Deum clarè viſum; ex quo inferebat: quòd Deus clarè viſus proponatur tanquàm quid naturale.

Cui F. Thomas: ſententia Scoti fuit, conſiderare in Deo clarè viſo, & rationem authoris naturæ & finis naturæ, & rationem authoris gratiæ. Utramque enim rationem includit Deus clarè viſus in ſeipſo. Et dixit Scotus: quòd in illo caſu poteſt voluntas Beati actu naturali deſiderare Deum clarè viſum ut authorem & finem naturæ; non autem ut authorem ſupernaturalem. Ex quo nullo modo ſequitur, quòd fides poſſit proponere hoc objectum, *Deus eſt mortuus*, ut objectum naturale; cùm hoc objectum ſit eſſentialiter ſupernaturale. Aliàs fidei poſſet ſubeſſe falſum. Cui argumento nullo modo reſpondit Pater Reverendus.

Tunc Vaſtida dixit: non ſequi fidei ſubeſſe falſum; ſicut cùm fides proponit rem naturalem ut objectum ſupernaturale, non ei ſubeſt falſum.

Cui F. Thomas: nullo modo fides proponit objectum naturale ſicut ſupernaturale; quià etiam ſic falſa redderetur.

Tunc P. Vaſtida inſtabat; ut ſineret ipſum dicere omnia.

Cui F. Thomas: dicas ergò omnia, & ego poſteà dicam.

Dixit ergò Vaſtida: quòd Frater Thomas in 3ª. Concluſione dixerat rem falſam, & quæ dici non poterat; quòd, videlicèt, intellectus hæretici proponat voluntati illud objectum, tanquàm objectum formale fidei. Et ratio erat: quià aliàs voluntas illius haberet actum materialem circà objectum ſupernaturale, & circà objectum formale fidei. Deindè dicebat, non poſſe dici: quòd in hæretico maneat ſpes. In quo etiàm inſtabat P. Salas illius ſocius. Deindè deveniens ad exemplum de Prædicatore hæretico proponente populo hoc objectum, quod adhibitum fuerat à P. Lemos, dicebat: quòd ſi hæreticus interiùs movebatur auxilio Dei, proponebat illud ſicut objectum formale fidei, & ſicut ſupernaturale; ſin autem minimè. Dicebat etiam circà ultimam Concluſionem poſitam à Fratre Thomâ de intellectu Pagani, pauca quædam nullâ conſideratione digna. Et ad illud quod F. Thomas dixerat: quòd Deum eſſe unum eſt præambulum fidei, & cognoſcibile lumine rationis, undè non mirum quòd lumine rationis cognoſcatur; dicebat: hoc non provenire ex eo quòd ſit præambulum; quià & animam eſſe immortalem cognoſcitur rationis lumine, cùm etiam proponatur per fidem.

Præterеà dicebat P. Vaſtida: quòd F. Thomas impugnando ea quæ dixerat ipſe, propoſuerat argumentum illius, ſed non ſolverat, ſed tranſierat ad exemplum adductum à P. Vaſtidâ de lumine beatorum, dicens: quòd in hâc parte non agebatur de hoc; nec unquàm Molina de hoc locutus fuerat. Ad quod dicebat ipſe Vaſtida, ſe adduxiſſe exemplum illud ad probandum, quòd poteſt id quod fide tenetur, proponi non tanquàm objectum formale fidei; quià, videlicèt, ſunt aliqua quæ poſſunt cognoſci lumine fidei, vel rationis lumine, vel fide humanâ, vel humanâ opinione. Et tandem dicebat: quòd Molina in ſuâ ſententiâ citat articulum illum *q. 5. ex 2. 2.*; tantùm abeſt ut illi contradicat. Et ad hoc legebat locum Molinæ, in quo ipſe affirmat: quòd nihil aliud intendebat dicere: niſi quòd omnibus revelatis tanquàm revelatis poteſt homo aſſentiri actu merè naturali, qui ſit humana opinio.

Illicò autem ut finivit, F. Thomas dixit: Ad illud argumentum quo probavi, fidem proponere falſum; ſi proponat objectum eſſentialiter ſupernaturale,

turale, tanquàm naturale, non eſt reſponſum. Nec eſt verum, quod fides objectum naturale proponat, ut objectum ſupernaturale; quià etiam falſum proponeret fides. Ad illud aliud quo P. nimìs ſcandalizatur, in eo quod dixi ex S. Thomâ: quòd, videlicèt, hæreticus licèt non aſſentiatur illi objecto, ſicut objecto formali fidei, patet facilis reſponſio. Quomodò enim ſcandalizatur de re adeò clarâ, & evidenti, & à S. Thomâ expreſsè affirmatâ: quòd, videlicèt, ratio errans licèt verè non ſit derivata à Deo, tamen quià ità judicat, proponitur voluntati ſicut verè à Deo derivata? Quæ eſt communis & veriſſima ſententia, quam P. non valuit improbare. Sic ergò ratio errans in hæretico, licèt reverâ non aſſentiatur illi objecto, ſicut objecto formali fidei; quià tamen apprehendit illud ut objectum formale fidei, ità illud proponit voluntati ut objectum fidei formale. Et non diſtinguere inter aſſentire & proponere voluntati quod apprehenditur, eſt omnia confundere. Nec argumentum quo utitur in oppoſitum aliquid probat. Dico enim quòd voluntas illius hæretici circà tale objectum propoſitum habere poteſt quandam velleitatem, quatenùs illud objectum habet communem rationem boni. Ad illud autem quod dixi de ſpe manente in hæretico, intellexi non manere in ratione virtutis Theologicæ, ſed materialiter, & in eſſe habitûs, ùt quidam dicunt. Quod non videtur inconveniens.

Tunc Generalis S. Dominici dicebat: quòd ſpes non contrariabatur peccato hæreſis; & ſic per illam immediatè non corrumpebatur.

Sed Jeſuitæ inſtabant: An permaneret?

Quibus F. Thomas dixit: jàm dictum eſt non permanere in ratione virtutis Theologicæ. Si autem manet materialiter in ratione habitûs, non eſt inconveniens.

Tunc P. Salas dicebat: jàm retractat ſententiam.

Cui F. Thomas: non retracto ſententiam, ſed explico; & ſi mereretur retractationem, libentiſſimè retractarem. Et utinam vos ô Patres, ſic retractaretis veſtras ſententias! Sed dico, quidquid ſit de ſpe, certum eſt, quòd doctrina à me tradita in hoc non fundatur; ſed in expreſsâ doctrinâ S. Thomæ, in quâ, etiamſi nullo modo ſpes maneat in illo hæretico, reſpondeo argumento: quòd circà illud objectum propoſitum per intellectum tanquàm ſupernaturale; & tanquàm objectum formale fidei; poteſt voluntas nuda habere actum velleitatis, in quantùm continet communem rationem boni.

Ad illud aliud quod dicit P.: quòd quandò hæreticus proponit per prædicationem populo illud objectum; jàm P. convincitur, quòd tunc id proponit tanquàm objectum formale fidei; & tamen ipſe proponens non aſſentitur ex fide. Videat ergò hæc eſſe diverſa. Nec eſt verum, quòd tunc tantùm ille hæreticus proponit ut objectum formale fidei, quandò à Deo illuminatur; quià, ut probavi, etiamſi fictè & irriſoriè proponat, dùm tamen proponat ſicut proponit Eccleſia; proponit tanquàm objectum formale fidei; ſicut de hæretico baptizante, & utente formâ Eccleſiæ jàm dixi, quòd tunc habet intentionem Eccleſiæ, & verè Sacramentum conficit.

Ad illud quo P. dixit, me non reſpondiſſe argumento ſuo: ſciat me ſubſtantialiter & doctrinaliter reſpondiſſe; nec oportet more incipientium ſemper in formâ reſpondere. Hæc enim ſunt minutiſſima, à quibus abſtinere ſolent, qui doctrinaliter loquuntur. Sed jàm nunc in formâ reſpondeo, diſtinguendo illam majorem, videlicèt, quandò intellectus proponit ea quæ fide tenentur non tanquàm credenda ex fide, tùnc proponit materialiter rem pertinentem ad fidem, non formaliter tanquàm ad fidem pertinentem. Diſtinguo: ſi apprehendat tanquàm credendum ex fide; nego, quòd non proponat tāquàm formaliter ad fidem pertinens: ſi autem non apprehendat

hendat tanquàm credendum ex fide; concedo, quòd tunc non proponit ut objectum formale fidei. Hæreticus autem, ut dixi, quià apprehendit, licèt falsò, illud objectum tanquàm creditum ex fide; ideò voluntati illud proponit ſicut objectum formale fidei.

Ad illud aliud quod dicit: aliqua poſſe & proponi per fidem, & lumine rationis, & fide humanâ, & opinione humanâ; verum eſt. Sed iſta ſunt illa quæ in ſe ſunt objecta naturalia, V. G. ſicut eſt, animam eſſe immortalem, vel Deum eſſe unum. At verò illa quæ ſunt eſſentialiter ſupernaturalia, ſicut eſt objectum de quo tractatur, non poſſunt cognoſci per ſe niſi lumine ſupernaturali, ut dixi.

Ad aliud quod Molina dicit: ſe tenere cum S. Thomâ; hoc quidem verbis ſolùm dicit, non re & veritate. Docet enìm S. Auguſtinus, quòd Julianus ſic ſententiam temperabat ut & ſuâ & noſtrâ poſſet voce defendi. Et *lib. de grat. Chriſti contrà Pelag. cap. 2.* a dicit: non attendimus ad verba, ſed ad ſenſum. Quid ergò juvat Molinam, quià dicit ſe in illo actu naturali, quo dicit aſſentiri poſſe omnibus revelatis tanquàm à Deo revelatis, non ponere niſi opinionem humanam; cùm alibì apertè dicat: quòd credit ille homo ſolis naturæ viribus majori certitudine quàm alius per fidem ſupernaturalem divinam. Hoc-nè eſt conſtituere tantùm opinionem humanam, quæ certitudinem non habet, ſed per inſtantia mutatur? Nihil minus.

a *Tom. 10. col. 230.*

Tunc P. Vaſtida conſtituit hoc argumentum: Actu naturali non attingitur niſi objectum naturale; ergò ſi voluntas illius hæretici actu naturali aſſentitur illi objecto, tale objectum proponitur ut naturale.

Ad quod argumentum dicebat F. Thomas: quòd actu efficaci abſoluto atque perfecto naturali non attingitur niſi objectum naturale; at verò velleïtas actu naturali poteſt attingere objectum ſupernaturale propoſitum, non quatenùs ſupernaturale, ſed quatenùs habet communem rationem boni; ſicut de velleïtate circà impoſſibile aliàs à me dictum eſt. Voluntas enìm damnati V. G., cui beatitudo ſua per intellectum ſuum proponitur ut impoſſibilis, poteſt tamen habere velleïtatem circà illam beatitudinem. Quæ tamen velleïtas non attingit illam, quatenùs impoſſibilis eſt; quià impoſſibile ut impoſſibile non habet rationem vel entis vel boni aut convenientis; undè impoſſibile ut ſic à voluntate appeti non poteſt. Quià tamen intellectus proponens beatitudinem impoſſibilem, voluntati proponit duo, & beatitudinem & impoſſibilitatem; voluntas poteſt ferri in beatitudinem velleïtate, licèt quatenùs impoſſibilis eſt, non poſſit.

Sic ergò intellectus proponens objectum ſupernaturale, & tanquàm ſupernaturale, voluntati proponit duo, & bonum in communi ſivè perfectum, & illud ut ſupernaturale & excedens naturam. Undè voluntas nuda poteſt actu velleïtatis tendere in illud objectum ſupernaturale, in quantùm habet communem rationem boni, non autem in quantùm eſt ſupernaturale. Et hoc eſt quod dixi ſemper. Et quidèm P. R. in præteritâ Congregatione induxit quædam verba mea à me ſcripta antè annos tres; quibus explicabam Doctorem quemdam modernum, quem pro ſuâ ſententiâ adducebant RR. PP. Sed P. adduxit illa truncatè, lectis prioribus verbis, & omiſſis immediatè ſequentibus. Quod & ſolent facere in authoritatibus quas inducunt. Ego enìm ſic dixi in prioribus verbis. b *Zumel tria dicit. 1°. Quòd homo ex ſolis naturalibus poteſt diligere Deum, ut objectum beatificum, (poſtquàm, videlicèt, hoc cognoverit) dilectione imperfectâ & inefficaci.* Quod nullum eſt inconveniens. Cùm enìm ibì expreſsè tractaretur de dilectione perfectâ & ſuper omnia, quam Molina dat naturæ viribus, & in excuſationem illius adducerent PP. Societatis

b Legit aperto codice in reſponſione ad primā propoſitionem Jeſuitarum.

Digitized by Google

tatis Zumelem ità ſenſiſſe; mihi viſum fuit ſufficere, illum Doctorem non loqui, ſicut Molina, de dilectione perfectâ & ſuper omnia, ſed de imperfectâ & velleïtate. Et hanc ſtatìm verbis ſequentibus dixi verſari circà objectum ſupernaturale materialiter. Sic enim ſtatìm dixi: *3°. dicit Zumel, quòd poteſt homo ſuâ facultate naturæ diligere Deum dilectione naturali, & quoad ſubſtantiam actûs reſpectu objecti ſupernaturalis materialiter tantùm.* Hæc, inquam, ſunt verba mea. *Materialiter tantùm* dixi. Quæ verba P. ſubticuit in præcedenti Congregatione.

Poſt hæc, cùm clamaret P. Vaſtida, ut diceretur ſibi ad illam majorem, quâ dixerat actu naturali attingi objectum ſupernaturale; F. Thomas dixit: Reſpondeo ad hoc ex vobis ipſis. Et legens reſponſionem PP. Societatis ad 4^{am}. quamdam propoſitionem, fuit manifeſtum ipſos dicere: poſſe hominem actu naturali imperfecto attingere objectum ſupernaturale & beatificum, ſecundùm quòd illud habet communem rationem boni & commodi. Ecce P., vos ipſi fatemini, quòd actu imperfecto naturali poteſt attingi objectum propoſitum ut ſupernaturale, quatenùs, videlicèt, habet rationem commodi & boni. Quid ergò modò contendis? Hìc non diſputamus animo contendendi ſed inquirendi veritatem.

Adhuc P. Vaſtida contendebat; ut ſibi diceretur ad illam majorem.

Tunc F. Thomas dixit: Diſtinguo majorem; diſtinguo, inquam, majorem: actu naturali imperfecto ſeu velleïtate attingitur objectum naturale tantùm; nego: attingitur objectum naturale vel ſupernaturale ſecundùm communem rationem boni & commodi; concedo: ut jàm dixi. Quòd ſi tibi non ſatisfacit iſta reſponſio, alij reſpondebunt meliùs.

Tunc ille: nec etiam alij mihi reſpondent.

Tunc F. Thomas: non fiunt Diſputationes, ut tibi reſpondeatur vel non reſpondeatur; ſed ut veritas cognoſcatur.

Tunc P. Salas dixit: ergò illam communem rationem boni attingit ille actus ut objectum naturale.

Cui F. Thomas: non attingit illam communem rationem boni, niſi ut abſtractam à naturali & ſupernaturali. Quod bonum eſt objectum voluntatis. Et ſic finita fuit Congregatio.

CONGREG.

CONGREGATIO TRIGESIMA SECUNDA CORAM CLEMENTE VIII.

Habita eſt coràm Sanctiſſimo die 26. Julij 1604. præſentibus novem Cardinalibus ſuprà relatis & Cenſoribus omnibus.

In quâ examinatum fuit, utrùm liberum hominis arbitrium primas in juſtificatione partes obtineat, ſuppoſitâ Molinæ doctrinâ de naturali arbitrij potentiâ ad actus morales & ſupernaturales; de lege dandi gratiam facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus: de gratiæ determinatione à libero hominis arbitrio; & de facultate vanam & irritam reddendi gratiam, cùm libuerit?

Vide Hiſt. Congr. de Auxil. Lib. 3. cap. 37. col. 529. & ſeqq.

Vide ſuprà col. 47.

ACTUM fuit in illâ Congregatione de illo Dubio anteà à Sanctiſſimo tranſmiſſo die 29. Decembris anni 1603. Quod erat hujuſmodi: *Præſuppoſito quòd in viâ Molinæ, liberum arbitrium & gratia ſint duæ cauſæ partiales; & quòd liberum arbitrium ſeparatìm conſideratum, nihil habeat à gratiâ niſi poſſibilitatem naturalem, quam Deus in ſuâ creatione ei dedit; à ſe autem habeat ut poſſit aſſentiri omnibus myſteriis fidei revelatis, tanquàm à Deo revelatis, & quià à Deo revelata ſunt; & ſic quòd poſſit credere & ſperare, & Deum amare ſuper omnia, atteri, & conteri de peccatis commiſſis, cum propoſito ampliùs non peccandi; poſſitque nedùm minores, ſed etiàm graves tentationes ſuperare, vel ſaltèm cohibere conſenſum, nè gravibus tentationibus aſſentiatur; martyrium ſubire; & in ſummâ omnia bona exercere, non ſolùm bona ratione objecti & officij, ſed quæ ſint bona ex omnibus circumſtantiis; & hæc omnia facere intuitu & conſideratione bonitatis & juſtitiæ Dei præmiantis & punientis, & ſic ex timore & amore Dei; à gratiâ autem habeat motivum, videlicèt, quòd hæc fiant ex motivo pietatis Chriſtianæ: quænam ex iſtis duabus cauſis partialibus in juſtificatione noſtrâ præponderet; ſuppoſitâ præſertìm lege quòd facienti quod in ſe eſt, Deus det gratiam; & ſuppoſitâ opinione Molinæ, quòd liberum arbitrium determinet ipſam gratiam, eamque, cùm vult, poſſit reſpuere, & vanam reddere?*

Legit quidem P. Vaſtida omninò hoc Dubium; deindè dubitare ſe dixit: an ageretur de illatione tantùm; id eſt, an ex illis ſuppoſitis, manifeſtè inferatur liberum arbitrium eſſe principaliorem partem in juſtificatione? Et circà ſuppoſita dubitavit, quòd illud ſuppoſitum, quo affirmatur liberum arbitrium nihil habere à gratiâ niſi poſſibilitatem, non poterat intelligi à P. Arrubal; quià à gratiâ liberum arbitrium non habet illam poſſibilitatem naturalem; quià hanc accepit ex creatione, & non ex gratiâ. Undè dubitavit hoc debere intelligi conformiter ad illud aliud Dubium jàm diſputatum, in quo ex profeſſo de hoc actum fuit, & ſic habetur: *An quòd liberum arbitrium & gratia ſint duæ cauſæ partiales ad eumdem actum perficiendum; & quòd liberum arbitrium conſideratum ſeparatìm à gratiâ, nihil habeat à Deo, niſi poſſibilitatem illam, quam Deus tribuit ab initio libero arbitrio &c?* Undè ſenſus hujus Dubij,

Vide ſuprà Dub. 4. col. 9.

Digitized by Google

Dubij, conformiter ad hoc, eſt, quòd liberum arbitrium nihil habeat à Deo niſi poſſibilitatem.

Secundò dicebat: quòd ſupponebat, omnia iſta præſuppoſita eſſe dicta à Molinâ, in ſenſu in quo explicata fuerant à P. Valentiâ; vel quòd in libero arbitrio eſt potentia remota incompleta reſpectu actuum ſupernaturalium. Et etiam admittebat, quòd in libero arbitrio erat potentia propinqua ad eliciendos actus morales inferioris ordinis.

Tertiò admittebat, quòd gratia dabatur certâ ex lege facienti quod in ſe eſt ex naturæ viribus, ſicut removenti prohibens.

Quartò circà determinationem dicebat: quòd Arrubal non invenit in Molinâ, quòd liberum arbitrium determinat gratiam; ſed quòd liberum arbitrium ſe determinat non prædeterminatum à gratiâ; quià hoc ſolùm eſt dicere, quòd liberum arbitrium liberè influit in actum.

Tandèm ultimò admittebat: quòd liberum arbitrium poteſt reſpuere gratiam cùm vult; quià hæc eſt expreſſa ſententia Concilij Tridentini *Seſſ. 6. cap. 5.*

Undè his ſuppoſitis dicebat: quòd ex nullo horum inferebatur, quòd liberum arbitrium ſit principalis pars juſtificationis. Et quidem ex I°. ſuppoſito hoc non infertur. Nàm iſta illatio nulla prorsùs eſt: In libero arbitrio eſt potentia remota incompleta reſpectu actuum ſupernaturalium; ergò liberum arbitrium eſt principalis pars in juſtificatione. Immò totum contrarium infertur, quòd, videlicèt, non ſit principalior pars.

Ex II°. etiam præſuppoſito id non ſequitur. Non enìm infertur: liberum arbitrium eſt cauſa proxima actuum moralium ordinis inferioris ad gratiam; ergò liberum arbitrium eſt cauſa principalis in actu juſtificationis; quià ex diverſis non fit illatio. Sicut non ſequitur: Aqua Baptiſmi concurrit ad lavandum corpus; ergò ipſa ſubſtantia aquæ eſt principale agens in ablutione animæ.

Ex III°. etiam fundamento non ſequitur; quià non infertur: liberum arbitrium eſt cauſa per accidens, removens prohibens, ut gratia detur; ergò liberum arbitrium eſt cauſa principalis. Hoc magìs non ſequitur; quià cauſa quæ eſt per accidens, ſemper minùs principalis exiſtit.

Ex IV°. etiam præſuppoſito id dicebat nullo modo ſequi; quià ex hoc quòd ponatur liberum arbitrium liberè concurrere in actu juſtificationis, ut fides docet, non ſequitur contrà fidem, quòd liberum arbitrium ſit magìs principalis cauſa. Per hoc autem quòd liberum arbitrium ponatur à Molinâ ſe determinare in juſtificationis actu, nihil aliud dicetur, niſi quòd liberè concurrit in tali actu. Ergò ex hoc non infertur, quòd liberum arbitrium ſit magìs principalis cauſa. Dicebat etiam quòd ex hoc, quòd una cauſa aliam determinat ad operandum, non ſequitur, quòd ſit illa magis principalis; ſicut patet, quià cauſa particularis determinat cauſam univerſalem ad agendum hoc vel illud; tamen non eſt cauſa magìs principalis illa particularis quàm univerſalis. Dicebat prætereà: quòd ex S. Thomâ conſtabat, quòd illa erat cauſa magìs principalis, quæ magìs influit in effectum. Et ſic, quià cauſa prima magìs influit in effectum, illa erat magìs principalis. Licèt ipſe S. Thomas *q. 4. de potentiâ art. 4.* admittat, quòd cauſa prima per influxum cauſam ſecundam determinet; non ideò dicit quòd cauſa ſecunda ſit principalis magìs.

Ex V°. etiam præſuppoſito dicebat, quòd non ſequebatur liberum arbitrium eſſe principaliorem cauſam, ex eo quòd poterat reddere caſſam ſeu vanam gratiam; quià hoc nihil eſt aliud, quàm liberum arbitrium habere dominium ſui actûs, & facere ſuam libertatem. Ex quo non ſequebatur eſſe cauſam magìs principalem.

Poſtremò dicebat ſe velle firmare idem omninò Dubium ex actibus iſtis

 præſuppoſitis

Digitized by Google

præſuppoſitis à S. Thomâ, & inferre ſimiliter contrà illum, quòd liberum arbitrium ſit cauſa magis principalis. Nàm in primis S. Thomas dicit, liberum arbitrium & gratiam eſſe actus partiales; ut jàm declaraverat, cùm actum fuit ex profeſſo de concurſu cauſæ partiali. Ergò ſi infertur ex hoc contrà Molinam liberum arbitrium eſſe cauſam principalem, & idem infertur contrà S. Thomam.

Secundò S. Thomas expreſsè dicit: quòd ſubſtantia actûs habet ſe ex parte arbitrij, & meritum ex parte gratiæ; ut patet *1. 2. q. 114. art. 3.* ubì ſic habet: *Opus meritorium dupliciter poteſt conſiderari. Uno modo ſecundùm quòd procedit à libero arbitrio; alio modo ſecundùm quòd procedit à gratiâ Spiritûs Sancti. Si conſideretur ſecundùm ſubſtantiam & per ſe, & ſecundùm quòd procedit à libero arbitrio; ſic non poteſt ibì eſſe condignitas. Si autem loquamur de opere meritorio, ſecundùm quòd procedit ex gratiâ Spiritûs Sancti; ſic eſt meritorium vitæ æternæ de condigno.* Ex hoc inferebat, quòd ſubſtantia illius actûs non tribuitur gratiæ, ſed libero arbitrio.

Similiter inducebat alium locum S. Thomæ, *1. p. q. 83. art. 1. ad 5m.* ubì ſic habet: *Quòd qualitates ſupernaturales ſubjacent libero arbitrio, in quantùm in nobis eſt tales qualitates acquirere, vel cauſaliter, vel diſpoſitivè, vel à nobis excludere.* Ecce ſecundùm S. Thomam ſupernaturalia dona poſſumus à nobis excludere. Ergò ſi ex hoc infertur contrà Molinam, quòd liberum arbitrium ſit principalior pars; etiam contrà S. Thomam idem omninò ſequitur.

Tertiò S. Thomas dicit: quòd facienti quod in ſe eſt ex naturæ viribus datur, ſecundùm communem providentiam, auxilium ſupernaturale. Ergò ſi ex hoc contrà Molinam infertur, quòd liberum arbitrium ſit cauſa magìs principalis; etiam id omninò ſequetur contrà ſanctum Thomam.

Quartò S. Thomas docet: quòd determinatio arbitrii eſt in poteſtate arbitrij. Ergò ſi ex hoc infertur liberum arbitrium eſſe cauſam magìs principalem; etiam hoc ſequetur contrà S. Thomam. Et ſic concludebat, quòd contrà Molinam hoc non inferebatur. Et alia contrà rem dicebat, in quibus non oportet morari.

Tunc F. Thomas ex more omnia ad pedes Sanctiſſimi conſtituens, dixit: Dubium à Sanctitate Veſtrâ propoſitum, & modò relatum, quaſi brevi compendio, univerſa ferè dicta & diſputata in præcedentibus omnibus Congregationibus comprehendit, & principale punctum hujus magnæ controverſiæ proponit.

Principale enìm punctum hujus controverſiæ illud eſt: quænam pars ſit principalis magìs in actu juſtificationis, & in omnibus aliis ad ſalutem pertinentibus, liberum arbitrium aut gratia? & quæ iſtarum cauſarum ſimùl ad invicèm concurrentium, alteram ad agendum determinet? Hoc certò eſt principale punctum quæſtionis hujus, de quo jàm anteà per Diſputationes plures fuit diſputatum; cùm vel actum fuit de Electorum prædeſtinatione ſecundùm firmum Dei propoſitum, & non ſecundùm præſcientiam in Congregatione unâ celebri; Et cùm in aliâ agebatur de efficaciâ doni perſeverantiæ; & in aliâ de concurſu partiali liberi arbitrij & gratiæ ſecundùm quòd à Molinâ conſtituitur; & cùm tandèm quærebatur in aliâ: An Molina cum Pelagio conveniret, conſtituens auxilium prævenientis gratiæ, quod donet tantùm poſſe non autem ipſum velle & operari? In omnibus enìm iſtis Congregationibus abſque dubio, & quidem ex profeſſo de principali puncto difficultatis hujus tractabatur: ſed jàm nunc expreſſiùs magìs, magìſque in terminis hoc ipſum proponit Dubium præſens quod proindè inter multa quæ præſupponit, unum principale præſupponit, in quo nunc inſtandum eſt; & aliud inquirit.

Præſupponit quidèm inter alia, quòd ſecundùm Molinam in iſto concurſu

curſu partiali gratia non determinat liberum arbitrium ad conſentiendum; ſed liberum arbitrium è contrà determinat gratiam ad cooperandum ex hujuſmodi determinatione efficaci, quantùm ad exercitium actûs. Itaque inquirit Dubium, an ſuppoſito, quòd liberum arbitrium determinet gratiam ut ſecum cooperetur in operis exercitio; quæ iſtarum cauſarum magìs præponderet?

Ad hoc Dubium unicâ tantùm Concluſione dicitur, in hunc modum: ſuppoſito quòd in viâ Molinæ liberum arbitrium determinet gratiam ut ſecum cooperetur, manifeſtum eſt liberum arbitrium in hoc concurſu partiali principaliorem partem exiſtere. Immò hoc ipſo præſuppoſito, quòd liberum arbitrium determinat gratiã, manifeſtum eſt totum negotium ſalutis tunc libero adſcribi arbitrio, & malè Dei gratiæ denegari. Duas continet principales partes Concluſio iſta reſponſiva. Alteram, quòd hoc ſuppoſito liberum arbitrium ſit principalior pars: alteram verò, quòd hoc ſuppoſito totum libero tribuatur arbitrio, & negetur gratiæ Dei.

Prima pars demonſtratur. Et I°. ſic: quandò duæ cauſæ partiales concurrunt ad eumdem actum perficiendum, illa abſque dubio eſt magis principalis, quæ alteram poſt ſe trahit determinatè ad operandum; ſed in iſto concurſu partiali, quem Molina conſtituit, liberum arbitrium poſt ſe trahit gratiam determinatè ad operandum; ergò liberum arbitrium eſt cauſa principalior in iſto partiali concurſu. Manifeſta eſt major, & ſatìs clara; quæ tamen ſic probatur. Illa cauſa quæ aliam poſt ſe trahit, majorem activitatem habet quàm illa quæ trahitur; ergò eſt magìs principalis. Conſequentia patet; quià principalitas cauſæ penès majorem activitatem attenditur. Et antecedens probatur; quià cauſa quæ alteram poſt ſe trahit, habet rationem trahentis & moventis; quæ autem trahitur, habet rationem tracti & moti: ſed in univerſum omne trahens & movens majorem activitatem habet quàm tractum & motum: ergò illa cauſa quæ alteram ſecum trahit, majorem habet activitatem quàm illa quæ trahitur. Hanc etiam Majorem exempla tùm ex Phyſicâ, tùm ex quotidianâ experientiâ ſatìs reddunt manifeſtam. Nàm inter alias rationes, univerſi Philoſophi hâc ratione demonſtrant, motum Primi Mobilis in cælo præſtantiſſimum eſſe ſuper omnes motus Planetarum; quià activitate ſuâ omnes alios poſt ſe trahit. Similiter edocet experientia. V. G. ſi duo homines, ut fieri ſolet, conjungantur ad idem pondus ferendum; & alter illorum alium, quandò vellet, ſecum traheret ut ſecum ambularet, & quandò vellet illum faceret ſiſtere; certum eſt quòd ille talis in illâ tractatione & motu magìs principalis eſſet. Igitur Major illa eſt vera.

Minor autem, ſcilicèt, quòd in viâ Molinæ liberum arbitrium trahat poſt ſe gratiam, ex multis teſtimoniis ipſius Molinæ convincitur. 1°. Quià ipſe a *in diſp. 40. §. ex dictis*, dicit apertè: quòd conſentiente jàm libero arbitrio ex ſe gratiæ excitanti, ipſa gratia ſit cooperans & coadjuvans; ergò liberum arbitrium ſic jàm conſentiens trahit poſt ſe gratiam ut ſit cooperans. a Pag. 164.
Et *in §. antequàm, in eâd. diſp.* b affirmat gratiam eſſe *efficacem ab effectu*, vel *dependenter à cooperatione arbitrij*; ergò liberum arbitrium ſuâ cooperatione trahit poſt ſe gratiam, ut ſecum efficaciter cooperetur. b Pag. 166. col. 1.

Et *eâd. diſp. §. hinc quinto loco*, c dicit: quòd quandò liberum arbitrium vult, reddit gratiam efficacem, & quandò vult, illam reddit caſſam; ergò liberum arbitrium ſic omninò ſecundùm Molinam trahit gratiam ſivè ad cooperandum, ſivè ad non cooperandum; ergò illa Minor in viâ Molinæ eſt vera; & ex probatâ Majori convincitur intenta concluſio: quòd, videlicèt, in iſto partiali concurſu liberum arbitrium ſit magìs principalis cauſa. c Pag. 166. col. 1.

II°. idem probatur, & magìs præcedens ratio confirmatur. Quandò

Digitized by Google

duæ cauſæ ſimùl ad unum actum concurrunt, illa quæ facit determinatè ut alia faciat, eſt magìs principalis; ſed liberum arbitrium in iſto concurſu partiali, ſecundùm Molinam, facit determinatè ut gratia faciat; ergò liberum arbitrium eſt cauſa magìs principalis. Major certa eſt, & indubitata, & ex probationibus præcedentis Majoris redditur manifeſta; quià cauſa quæ facit ut altera faciat, majorem habet activitatem. Minor autem, præter inducta loca ex Molinâ quæ illam apertè probant, eſt teſtimonium aliud ipſius in quo id ferè in terminis tenet *in diſp. 43.* a ubì ſic dicit: *liberum arbitrium reddere poteſt caſſam gratiam excitantem ſi ei non conſentiat; vel ei conſentiendo, & cum illâ cooperando per ſuum influxum liberum, poteſt efficere ut tranſeat in gratiam cooperantem & coadjuvantem noſtras electiones.* Ergò ſecundùm Molinam liberum arbitrium per ſuum influxum facit ut gratia cooperetur, & faciat. Nàm gratia cooperando facit. Igitur Minor illa vera eſt in ſententiâ Molinæ. Ex quâ cum Majori infertur rectè iſta Concluſio: quòd in viâ Molinæ liberum arbitrium principalior ſit cauſa quàm gratia.

a *Pag. 178. col. 1.*

III°. probatur, & magìs explicantur duæ præcedentes rationes. Quandò duæ cauſæ ſimùl concurrunt ad eumdem actum, illa quæ aliam ſibi ſubdit, eſt magìs principalis, quæ autem alteri ſubditur, minùs principalis eſt; ſed in iſto partiali concurſu Molinæ gratia ſubditur libero arbitrio; ergò eſt cauſa minùs principalis. Major eſt ſatìs nota. Nàm cauſa quæ alteri ſubditur, ipſo facto inferior conſtituitur, & ex conſequenti minùs principalis. Minor autem, præter loca inducta ex Molinâ, quæ illam manifeſtè probant, habetur expreſsè in Franciſco Suarez *Lib. 3. de Auxil. divinæ grat. num. 6. & 7. §. venio, & §. dicet fortaſsè aliquis.* Cùm enìm *in §. venio,* probavit ille ſuo fundamentali argumento, quòd ſi auxilium eſt efficax in actu primo, tollit libertatem; ſtatìm *in §. dicet fortaſsè aliquis*, opponit ſibi in hunc modum: *Dicet fortaſsè aliquis id eſſe verum in actu primo, qui ex ſe & omni ex parte eſt determinatus ad unum: in præſenti autem, licèt auxilium illud ex ſe ſit determinatum ad unum; tamen illud non eſſe totum principium actûs; ſed includi etiam voluntatem; quæ ex ſe non eſt determinata ad unum; & ex hâc parte actum non eſſe ſimpliciter neceſſarium.* Cui objectioni reſpondens, ſic immediatè proſequitur: *Sed hoc diceretur quidem rectè, ſi illud auxilium poſitum in voluntate ſubderetur libero uſui ejus: non autem ſic ponitur, ſed potiùs ſubdens voluntatem uſui neceſſario ſuo. Et ideò libertas vel indifferentia, quam voluntas ex ſe habet, nihil conferre poteſt ad uſum liberum talis actionis; quià ad illam nullo modo applicatur, ſed impeditur prorsùs.* Quibus verbis apertè dicit, gratiæ adjutorium ſubdi libero uſui arbitrij; nec etiam libertatem agnoſcit in nobis, niſi quandò uſui noſtro ſubditur gratiæ adjutorium. Certè S. Proſper *in epiſt. ad S. Auguſt.* b ſic refert de Semipelagianis. Dicit enìm: *Nec conſiderant ſe gratiam Dei, quam non præviam, ſed comitem volunt eſſe humanorum meritorum, etiam illis voluntatibus ſubdere, quas ab illâ ſecundùm ſuam phantaſiam non negant eſſe præventas.* Undè Suarez convenit cum Semipelagianis, ſubdens gratiæ adjutorium uſui liberi arbitrij.

b *Tom. 10. num. 5. col. 781.*

IV°. idem magìs probatur. In iſto partiali concurſu, gratia exſpectat uſum liberi arbitrij, & ab illo dependet; ergò gratia minùs principalis conſtituitur in illo concurſu. Conſequentia patet: quià cauſa quæ aliam exſpectat, & ab aliâ dependet in operatione ſuâ minùs principalis eſt; quià prius non dependet à poſtremo, ſed poſtremum dependet à priori. Antecedens autem eſt ſententia Molinæ apertiſſima in multis locis, quæ ſæpè in conſpectu Sanctitatis Veſtræ fuerunt inducta. Undè omittenda ſunt modò.

V°. probatur. In hoc partiali concurſu,

curſu, ſecundùm Molinam, liberum arbitrium adjuvatur per gratiam cooperantem quià vult, non autem adjuvatur ut velit; ergò gratia conſtituitur pediſſequa reſpectu liberi arbitrij; ergò conſtituitur multò minùs principalis. Utraque conſequentia eſt notiſſima; quià ſi gratia eſt pediſſequa, minùs principalis erit abſque dubio; erit autem pediſſequa ſi voluntas præcedat in actione; præcedet autem voluntas, ſi tantùm gratia cooperatur quià vult iſta voluntas. Antecedens autem in viâ Molinæ eſt certiſſimum; quià ſi interrogetur Molina, quarè iſte homo qui habet gratiam excitantem adjuvatur per gratiam cooperantem? Reſpondet Molina; quià ipſe homo vult. Nec aliam reddit rationem, niſi quià in quantùm homo ex ſe vult benè uti gratiâ excitante, ideò adjuvatur à gratiâ cooperante, ſecundùm verba Molinæ manifeſta. Immò, quod magìs eſt, ipſe *in q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 11. §. poſtremò*, [a] reddens ibì rationem quarè aliqui cum majoribus auxiliis gratiæ prævenientis nòn ſalvantur, alij autèm cum multò minoribus ſalvantur; ſic dicit: *Sed quòd hi cum majoribus auxiliis prædeſtinati & ſalvi non fuerint, illi verò cum minoribus prædeſtinati ac ſalvi fuerint, non aliundè fuit, niſi quià illi pro innatâ libertate noluerunt uti itâ ſuo arbitrio, ut ſalutem conſequerentur; hi verò maximè.* Non aliundè, inquit, niſi quià noluerunt uti ſuo arbitrio. Quæ excluſiva *non aliundè* terribilis eſt, & in terminis à S. Auguſtino damnata. [b] De quo tamen modò non eſt diſputandum.

[a] *Pag. 371. col: 2.*

[b] *Tom. 2. epiſt. 143. ad Julian. nunc 188. col. 692. & ſeqq.*

VI°. & ultimò probatur, & in hoc ſit principalis inſtantia. In iſto concurſu partiali gratia non determinat liberum arbitrium ut conſentiat; ergò liberum arbitrium ſeipſum determinat ad conſenſum ſanctum & pium; ergò liberum arbitrium eſt primum ſe determinans in iſto partiali concurſu. Omnia iſta admittit in terminis Molina, & hæc eſt ſententia iſtorum RR. PP.. Ipſi enìm expreſsè affirmant, liberum arbitrium non à gratiâ ſed à ſeipſo ſe determinare; & quòd liberum arbitrium eſt prima radix ſuæ determinationis. Sic enìm in terminis dicit Franciſcus Suarez *Lib. 1. Opuſc. cap. 8. num 8. §. quapropter.* Undè iterùm ſic procedo: liberum arbitrium eſt prima radix ſuæ determinationis, & primum ſe determinans; ergò liberum hominis arbitrium eſt primum liberum non dependens à Deo in ſuâ determinatione; ergò negatur prima divina cauſalitas in Deo, & quòd Deus ſit omnium habentium quoquo modo eſſe cauſa prima. Immò ſequitur, quòd liberum creatum arbitrium ſit independens à Deo in ſuâ eſſentiâ & eſſe; & ſic quòd ſint duo principia prima in ſuâ eſſentiâ ab invicèm independentia. Omnia iſta manifeſtè convincuntur, ex eo quòd liberum hominis arbitrium conſtituatur primum ſe determinans, nec à Deo in illâ ſuâ determinatione dependere.

Hoc apertè convincit S. Thomas *in 2m. ſententt. diſt. 37. art. 2.* ubì ex profeſſo diſputans contrà aliquos qui dicebant, hominem in aliquâ ſuâ operatione non dependere à Deo; docet apertè iſtam illorum ſententiam propinquiſſimam eſſe errori duplici. Primò quià ad minùs, inquit S. Doctor, qui illam defendunt evitare non poſſunt, quòd homo ſit primum agens, & quòd illius actio non reducatur in Deum, ſicut in primam cauſam omnium rerum, quæ quoquo modo habent eſſe; & ſic negatur apertè Deum primam cauſam eſſe omnium. Immò, inquit S. Thomas, aliud ſequitur, nempè, quòd ſint ſimpliciter & abſolutè duo prima principia in ſuo eſſe & eſſentiâ ab invicèm independentia. Quod ſic concludit S. Thomas: ſi homo non dependet à Deo in ſuâ operatione, ergò non dependet à Deo in ſuâ virtute; quià operatio ſequitur ad virtutem. Quòd ſi non dependet à Deo in ſuâ virtute, non dependet in ſuâ eſſentiâ; quià virtus ſequitur ab eſſentiâ; nec fieri poteſt, ut quod ab alio pendet neceſſariò in ſuo eſſe, non

Digitized by Google

pendeat ab eo in ſuâ operatione; & ſi in operatione non pendet, ipſo facto convincitur, quòd in ſuo eſſe & in ſuâ eſſentiâ non dependeat; & ſic ſequitur, quòd ſint duo prima principia independentia ab invicèm per eſſentiam.

Utraque ratio iſta eſt in terminis S. Thomæ, ubì ſuprà; in quâ convincit, quòd ſi ſemèl admittatur hominem non dependere à Deo in aliquâ ſuâ operatione, admittetur etiam reipsâ quòd ab eo non dependeat in ſuâ eſſentiâ. Quæ ratio S. Thomæ ità eſt efficax, ut Concilium Florentinum illâ utatur, & illam confirmet, & dicat ità eſſe veram, ut etiam in infinito Dei Verbo, per æternam Patris generationem genito, teneat. Docet enìm prædictum Concilium, quòd hoc ipſum quod eſt Verbum ſpirare Spiritum Sanctum, eſt illi à Patre, & à Patre habet hanc activam Spirationem; quià à Patre eſt æternaliter genitus, & à Patre habet ſuum eſſe ſubſiſtens, habet etiam ſic ſpirare. Et S. Auguſtinus ipſum idem docet, cùm illa verba Chriſti exponit: a *Doctrina mea non eſt mea.* Aït enìm: ſi doctrina ſua, quomodò non ſua? Si mea, inquit, quomodò non mea? Et reſpondet S. Auguſtinus: ideò eſt mea, & non mea; quià ego à meipſo non habeo, ſed à Patre à quo per æternam generationem habeo eſſe. Quià, inquit, à Patre habeo eſſe, & non ex me, ità habeo à Patre operari.

a *Joan.* 7. 16.

Manifeſtum eſt ergò, quòd S. Thomas concludit, quòd, videlicèt, ſi homo in aliquâ ſuâ operatione non dependet à Deo, quòd nec in eſſe ab ipſo dependeat. Modò ergò liberum hominis arbitrium eſſe primum ſe determinans, dicit illa ſententia; ergò in ſuâ determinatione non dependet à gratiâ, nec à Deo; ergò evitari non poteſt, ut aït S. Thomas, quìn homo ſit in illâ determinatione primũ agens: & ità ex eo quòd illa determinatio non reducatur in Deum, ſicut in primam omnium rerum cauſam, naſcitur apertè prima cauſalitas, quæ Deus non ſit, & naſcitur quòd Deus non ſit omnium rerum prima cauſa.

Similiter aliâ ſecundâ ratione S. Thomæ manifeſtè concluditur in hunc modum. Homo non dependet à Deo in illâ primâ ſuâ determinatione; ergò non dependet à Deo in ſuâ virtute quâ ſe determinat; quià operatio ſequitur ad virtutem; ergò non dependet à Deo in ſuâ eſſentiâ liberâ; quià virtus illa ſequitur ad eſſentiam: & ſi in virtute non dependet, nec in eſſentiâ dependet; & ſic de primo ad ultimum, ſi homo eſt primum ſe determinans, concluditur, quòd homo ſit primum principium ſimpliciter, non dependens à Deo.

Huic rationi S. Thomæ conantur reſpondere duplici ſolutione. Sed neutra planè ſatisfacit, aut rationem S. Thomæ infringit. Dicunt enìm 1°. non ſequi hominem eſſe primum liberum independens à Deo in ſuâ operatione; nec ſequi negandam eſſe primam cauſam; quià antè illam hominis determinationem datur gratia illa excitans, à quâ incipit ille bonus actus hominis. Sed iſta ſolutio, etiam ab ipſis à quibus aſſignatur, rejicitur. Nàm ipſi planè fatentur: quòd illa gratia excitans non determinat liberum arbitrium ut conſentiat; immò ad verba poſita concedunt, quòd homo ſe primò determinat: ergò ſemper convincitur, quòd homo ſit primum ſe determinans, & cætera quæ ex hoc principio modò ex ſancto Thomâ deduximus.

Et prætereà; quià ſi recurramus ad primum principium, ex quo provenit, quòd homo habeat illam excitantem gratiam, inveniemus quòd in doctrinâ Molinæ, ideò illam habet, quià homo facit quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus; & ex conſequenti ſemper homo manet primum ſe determinans & primum ſe movens ad illam etiam gratiam habendam.

Undè hâc rejectâ ſolutione magìs inſiſtunt RR. PP. in ſecundâ ſolutione, dicendo, non ſequi quòd homo non dependeat à Deo in ſuâ operatione;

tione; quià per concurſum ſimultaneum Deus & per gratiam, quatenùs operans eſt, producit quidquid entitatis eſt in illâ actione; immò quidquid formale eſt in illâ actione à Deo produci per illum influxum gratiæ cooperantis quatenùs cooperans eſt. Undè, ut aïunt, non ſequitur, quòd homo in illâ actione non dependeat à Deo. Hæc eſt potiſſima illorum ſolutio, quaſi putent per eam omnia inducta inconvenientia evitare.

Cæterùm quamvìs hæc ſolutio aliquã apparentiam videatur habere; ſi tamen attentiùs inſpiciatur, nullo modo rationem ex S. Thomâ factam infringit, nec ponit quòd homo in illâ ſuâ operatione dependeat à Deo, & ab influxu gratiæ. Secundò quià non agitur, an operatio hominis dependeat à Deo in ſuo operari; ſed an determinatio in operando à Deo dependeat? Itaque debent aſſignare, à quo habet homo quòd operetur, quòd ſe moveat, quòd ſe applicet ad operationem ſuam. Et cùm ipſi expreſsè fateantur, quòd non niſi ex ſeipſo hoc habeat homo, apertè convincuntur, quòd operans, ut ſic operetur, non dependeat à Deo. Et ſic idem quòd primò per S. Thomam convincuntur.

Aperitur hoc magìs. Nam ipſe Molina, qui dicit Deum per concurſum ſimultaneum & per gratiam, quatenùs cooperans eſt, producere omnem entitatem illius actionis & omnem ejus formalitatem, dicit tamen expreſsè, quòd Deus non producit illam actionem, quatenùs determinatio libera eſt, nec quatenùs influxus liber eſt, nec quatenùs cooperatio libera. Quæ determinatio libera diſtinguitur ratione ab illâ actione. Et in hoc conſiſtit punctum difficultatis: quòd, videlicèt, Deus non ſit cauſa illius actionis hominis, quatenùs determinatio libera eſt; ſed quòd homo eſt ſe primò determinans.

Ex quo planè concluditur tota ratio S. Thomæ modò facta, hoc modo: Homo eſt primum ſe determinans, ergò in illâ ſuâ primâ determinatione non dependet à Deo; ergò homo eſt primum agens in illâ ſuâ determinatione; ergò illa determinatio, quatenùs libera eſt, non reducitur in Deum ſicut in primam cauſam; ergò ipſo facto negatur, quòd Deus ſit omnium, quæ quoquo modo habent eſſe, prima cauſa.

Et eodem modo manifeſtè concludit ſecunda ratio S. Thomæ, hoc modo: Homo eſt primum ſe determinans; ergò homo in illâ ſuâ determinatione primâ non dependet à Deo; ergò nec dependet in virtute quâ ſe determinat, quià operatio ſequitur ad virtutem; ergò non dependet in ſuo eſſe & eſſentiâ, quià virtus ſequitur ad eſſentiam; ergò dantur duo prima principia in ſuâ eſſentiâ ab invicèm independentia.

Immò aſſerere, ut Molina dicit, quòd homo in primâ ſuâ determinatione à Deo non dependeat, & quòd Deus non eſt cauſa illius actionis quatenùs libera determinatio eſt, quòdque eſt cauſa illius actionis quatenùs actio eſt; planè eſt id ſolùm verbis affirmare. Nam reipsâ convincitur Molina, quòd ſi Deus non eſt cauſa illius actionis quatenùs libera determinatio eſt, quòd etiam non ſit cauſa aliquo modo illius actionis. Hoc enìm mirabiliter contrà Fauſtum, qui negabat hominem determinari à gratiâ, ſed eſſe ſeipſum primum determinans, & inchoans actionem ſuam, demonſtrat S. Auguſtinus a *Lib. de prædeſtinat. Sanct. cap. 2.* cùm aït: *Cur autem totum non tribuatur homini, ut qui ſibi potuit inſtituere quod non habebat, ipſe quod inſtituit augeat, omninò non video.* Omninò non video, inquit S. Auguſtinus, cur non totum tribuatur homini, ut, videlicèt, producat totam actionem ſuam ſine Deo, ſi abſque Deo poteſt illam inchoare. Si enìm homo poteſt ex ſeipſo & ſine Deo inſtituere quod non habebat inchoando actionem; quarè non poterit etiam ex ſe & ſine Deo perficere & conſummare eamdem actionem?

a *Tom. 10. num. 6. col. 793.*

Ratio iſta S. Auguſtini eſt manifeſtè convincens,

Digitized by Google

convincens. Nam magìs requiritur ad inchoandùm actum, quàm ad illum perficiendum; ergò ſi homo ex ſe ſolo ſine Deo poteſt hoc quod majus eſt; videlicèt, actum inchoare; poterit abſque dubio etiam ex ſeipſo ſine Deo id quod minus eſt, videlicèt, actum perficere & conſummare. Magìs enìm certè difficile eſt, quòd homo inſtituat ſibi quod non habebat, ſe reducendo de potentiâ in actum; quàm actum augere, ſeu perficere ſemel à ſe inchoatum. Si ergò illud primum, quod magìs difficile eſt, homini tribuitur ſine Deo, & hoc ſecundum minùs difficile homini ſine Deo tribuitur; & ſic reipsâ & quòad ſenſum totaliter negatur divinus concurſus, ſivè prævius, ſivè ſimultaneus; & voce tantùm dicitur, quòd Deus per gratiam cooperatur illam actionem, & quòd illa actio producitur à Deo:

Quarè autem non totum tribuant homini qui ſemel ei tribuunt illud primum, S. Auguſtinus non ſiluit, ſed explicavit dicens: quòd ideò hoc faciunt, nè videantur repugnare apertiſſimis Scripturæ teſtimoniis &c. Immò ipſe S. Auguſtinus *eod. Lib. de prædeſt. Sanct. cap. 19.* a ex illis verbis Aopſtoli: b *qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ*; ſic contrà Pelagianos concludit: ergò initium fidei Deus operatur ſecundùm conſiliũ voluntatis ſuæ. Eodem modo ergò ſic etiam concludo: Deus operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ; ergò quòd nos determinemus ad actum ſanctum & bonum, Deus operatur ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ; vel ſi Deus non operatur ut nos determinemus ad actum ſanctum & bonum, abſque dubio Deus non operabitur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ. Nam determinatio illa ad opus ſanctum & bonum, aliquid eſt, & bona determinatio eſt. Immò eſt illud potiſſimum & principale, quod homo habet in quantùm liber eſt, & in quantùm manifeſtat perfectionem ſuam liberam. Undè ſi iſtam determinationem liberam, quatenùs liberam, Deus non cauſat, & operatur in nobis, procùldubio aliquod principale bonum noſtrum Deus non operatur ſecundùm conſilium ſuæ voluntatis.

a *Tom. 10. n. 38. col. 816.*

b *Epheſ. 1. 11.*

Et eodem prorsùs modo S. Thomas magnus Diſcipulus S. Auguſtini *Lib. 3. contrà Gentes cap. 89.* ex illo Iſaïæ: c *Omnia opera noſtra in nobis operatus es Domine*, ſic concludit: *Omnia opera noſtra operatus es Domine; ergò quòd nos incipiamus, in nobis operatur Deus.* Sic ergò ego concludo: Omnia opera noſtra in nobis operatus es Domine; ergò quòd nos determinamus ad opus pium & ſanctum, in nobis operatus es Domine. Aliàs determinatio ſancta & pia non erit in nobis à Domino, nec illam Deus operabitur in nobis; & ſic falſum erit, quod abſit, omnia opera noſtra in nobis operari Deum.

c *Iſa. 26. 12.*

Igitur his rationibus concluditur prima pars Concluſionis à principio propoſitæ, quâ dixi: quòd ſuppoſito, quòd ſecundùm Molinam gratia non determinet liberum arbitrium, ſed potiùs liberum arbitrium determinet gratiam; ſequitur manifeſtè, quòd liberum arbitrium ſit principalior pars in actu juſtificationis.

A ſecundâ autem Concluſionis parte, quâ dicitur, quòd hoc ſuppoſito totum datur libero arbitrio, & malè Dei gratiæ negatur, facillimè me expediam unicâ tantùm ratione, quæ ex S. Auguſtino deducitur. Ideò enìm ſecundùm S. Doctorem totum dandum eſt gratiæ, quià ipſa facit ut faciamus, ut notiſſimum eſt in S. Auguſtino, nec ampliùs probandum & manifeſtandum; ſed ut concluſum eſt, in viâ Molinæ liberum arbitrium facit ut gratia faciat; ergò in viâ Molinæ convincitur, quòd totum datur libero arbitrio. Major, ut dixi, aperta eſt ſententia Sancti Auguſtini. Minor autem ex dictis ſatis manet comprobata. Undè concluſio manifeſtè deducitur.

Nec valet reſpondere: quòd liberum arbitrium non facit ut vera & propria cauſa quòd gratia faciat; ſed tantùm

Digitized by Google

tantùm ut conditio ſine quâ gratia non faceret; ut aliquandò ſe excuſat Molina; & quòd proptereà non ſequitur, quòd totum detur libero arbitrio; quià non totum poteſt tribui conditioni ſine quâ non, ut eſt manifeſtum. Hæc, inquam, ſolutio non valet; 1°. quià in hâc parte idem omninò judicium eſt de ratione, causâ, vel conditione; ſi ſemèl admittatur, quòd liberum arbitrium facit ut gratia faciat. Si enìm Pelagianis ſemèl concederetur, quòd liberum arbitrium facit gratiam efficacem, & facit quòd gratia faciat; ſed quòd hoc facit liberum arbitrium ſicut conditio ſine quâ non: obtinerent Pelagiani principale intentum & finem quem prætendebant; negare, videlicèt, efficaciam gratiæ ſuper liberum arbitrium. Nec ſolliciti eſſent de iſtis quæſtionibus metaphyſicis: An id faceret ſicut cauſa, vel ratio, vel ſicut conditio?

Secundò non obſtat prædicta reſponſio: quià ipſe Molina, qui aliquandò, ut ſe excuſet, recurrit ad conditionem iſtam ſine quâ non, dicendo quòd liberum arbitrium facit gratiam efficacem ſicut conditio ſine quâ non; in aliis docet idem eſſe loqui in hâc parte de conditione, & de ratione; & de utrâque indiſcriminatìm loquitur ut patet *q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 11. §. octava concluſio.* a Immò quidam Doctor ex præcipuis Societatis Jeſu, Gabriel Vaſquez *in 1am. part. diſp. 91. cap. 7. num. 4. §. porrò*, apertè dicit hæc verba: *Porrò ſi de hâc primâ vocatione loquamur, non ut in nobis ſit, aut nobis donetur, quæ eſt primus effectus prædeſtinationis; ſed ut in nobis ſit congrua & efficax: non ſolùm liberum arbitrium eſt conditio ſine quâ non, quæ nullo modo ſit cauſa; ut recentiores poſteriùs allegati autumant; nec ſolùm eſt cauſa ſine quâ non, & per accidens; nec ſolùm eſt ratio: ſed etiam vera cauſa per ſe, & efficiens, cooperans primæ vocationi & gratiæ.* Ubì apertè iſte author fatetur id quod in hâc ſuâ & aliorum ſententiâ habetur: quòd, videlicèt, liberum arbitrium non ſolùm eſt conditio, ſed vera & propria cauſa efficiens quòd gratia faciat, & ſit efficax.

a Pag. 365. col. 1.

Et ratio id convincit; quià cùm liberum arbitrium ſit vera & propria cauſa efficiens illius ſuæ determinationis, & ad illam ſequatur inevitabiliter quòd gratia cooperando faciat, ipſum liberum arbitrium erit cauſa vera, & propria, ſaltèm mediata; & ex conſequenti, quòd gratia faciat; quià in univerſum quidquid eſt propria & vera cauſa efficiens aliquid, ad quod ſequitur aliud, ſaltèm ex conſequenti & mediatè eſt cauſa vera & propria illius alterius. Igitur, iſtis ſolutionibus non obſtantibus, fit manifeſtum, quòd cùm liberum arbitrium in viâ Molinæ faciat ut gratia faciat, totum negotium ſalutis, hominis tribuitur arbitrio. Quâ ratione S. Auguſtinus, ut modò dixi, illa verba protulit: *Quarè autem non totum detur Deo, omninò non video.*

Omnia ergò quæ modò dixi, unicâ tantùm brevi ratione comprehendo; ut RR. PP., ſi velint, poſſint faciliùs reſpondere. Talis autem ratio eſt: Ex eo quòd negatur gratia determinans efficaciter liberum arbitrium ut conſentiat, ſequitur apertè liberum arbitrium eſſe principaliorem cauſam; ſequitur etiam totum tribui libero arbitrio in negotio juſtificationis; ſequitur prætereà quòd liberum arbitrium ſit primum ſe determinans; & quòd negetur Deum eſſe omnium rerum primam cauſam: ſed iſta planè Pelagiana ſunt; ergò ex eo quòd negatur gratia efficaciter determinans liberum arbitrium ut conſentiat, conſtituitur ſententia Pelagiana. Quòd ſi huic rationi conjungamus id quod RR. PP. expreſsè affirmant: quòd, videlicèt, idem omninò eſt gratia efficaciter determinans liberum arbitrium ad actum, & gratia prædeterminans efficaciter; apertè concluditur, quòd ex eo quòd negatur gratia efficaciter prædeterminans, conſtituitur Pelagianorum ſententia.

Jam in hâc ſecundâ parte, ſummâ brevitate quâ potero, reſpondebo objectis,

jectis, quæ in contrarium ſunt oppoſita. Primò omnium aliqua dixit P. R. circà ea quæ jàm à Dubio examinata præſupponuntur, & diſputata, de quibus nihil oportet dicere. Remitto enìm me ad præcedentes Diſputationes, & ad ea quæ à me in illis dicta ſunt. In ſummâ autem dixit P. ſe admittere liberum arbitrium & gratiam duas eſſe cauſas partiales; & quòd in libero arbitrio eſt potentia remota circà actus ſupernaturales; itèm quòd in ipſo eſt potentia propinqua circà actus morales inferioris ordinis. Similiter admiſit, quòd facienti quod in ſe eſt Deus ex certâ lege dat gratiam; facienti, inquam, quod in ſe eſt, ſicut removenti prohibens, quo remoto ſtatìm gratia datur. Itèm admiſit gratiam non determinare liberum arbitrium; ſed quòd liberum arbitrium ſeipſum determinat. Et tandem admiſit, quòd liberum arbitrium poteſt gratiam reſpuere, quandò vult. Quibus præſuppoſitis, quinque illationes ſeu conſequentias fecit, ad probandum quòd ex neutro capite ex enumeratis inferatur Molinam conſtituere liberum arbitrium eſſe principalius in negotio juſtificationis.

Sed antequàm diſcurram per ſingula; R. P. commiſit defectum, dùm argumentatur ex quolibet capite diviſìm; cùm Dubium ex omnibus ſimùl inferat quænam ſit principalior pars. Undè hoc fuit argumentari à diviſo ad compoſitum. Quæ argumentatio nulla eſt. Sed hoc omiſſo, jàm venio ad illationes.

I^a. Illatio in eo fuit, quòd dixit: hæc illatio nulla eſt: in libero arbitrio eſt potentia remota ad actus ſupernaturales; ergò liberum arbitrium eſt cauſa magìs principalis. Ad hoc Reſpondeo: quòd ſine causâ involvitur hìc liberum arbitrium eſſe remotam potentiam, cùm Dubium expreſsè procedat de libero arbitrio ſecundùm quod eſt cauſa partialis in actu juſtificationis. Secundùm quam conſiderationem, liberum arbitrium abſque dubio eſt cauſa non remota, ſed proxima. Undè divertere ad potentiam remotam, eſt extrà Dubium. Itèm quià, licèt non ſequatur liberum arbitrium eſſe partem magìs principalem, ex eo quòd ſit potentia remota; tamen ſi ponitur potentia remota ad modum quo Molina illam conſtituit, ſic benè infertur.

II^a. Illatio, ſivè conſequentia talis fuit: Illa conſequentia eſt nulla: In libero arbitrio eſt potentia proxima ad actus morales ordinis inferioris; ergò liberum arbitrium eſt pars magìs principalis in actu juſtificationis. Ad quod diſtinguendum eſt. Licèt enìm non ſequatur liberum arbitrium principaliorem partem eſſe, ex eo quòd ſit potentia proxima reſpectu aliquorum actuum moralium, ut concedere oportet; tamen ex eo quòd liberum arbitrium ſit potentia reſpectu cujuſcunque actûs moralis, etiam excellentiſſimi, cum omnibus debitis circumſtantiis, etiam in ordine ad finem ultimum, ut Molina conſtituit; ex eo, inquam, benè infertur, quòd liberum arbitrium ſit cauſa magìs principalis, ut modò probatum eſt.

Prætereà adduxit R. P. in ſuam confirmationem exemplum quoddam de aquâ Baptiſmali; neſcio tamen ad quod propoſitum: ſic autem deberet argumentari, ſi aliquid vellet concludere: Aqua Baptiſmi, ex propriâ naturâ aquæ, naturaliter determinat influxum Dei, ut detur gratia Baptiſmalis: ergò aqua eſt cauſa magìs principalis. Conſequentia nulla eſt. Sed ſi aqua ſic determinaret influxum gratiæ, ſicut liberum arbitrium in Molinâ determinat influxum gratiæ, aqua eſſet cauſa magìs principalis; quià traheret poſt ſe gratiam, & gratia eſſet debita naturæ aquæ.

III^a. illatio ipſius hæc fuit: hæc conſequentia eſt nulla: facienti quod in ſe eſt, tanquàm removenti prohibens, & per accidens concurrenti, datur gratia; ergò liberum arbitrium eſt cauſa magìs principalis; certè conſequentia nulla eſt; immò ſequitur oppoſitum; quià cauſa per accidens ſemper

per minùs principalis eſt. Ad quod reſpondeo 1°. quòd Molina non dicit, hominem faciendo quod in ſe eſt, eſſe cauſam per accidens, removentem prohibens: ſed hanc excuſationem aliqui poſt Molinam, oppreſſi vi argumenti, tradiderunt. Undè in Molinâ convincitur, quòd liberum arbitrium ſit cauſa operans per ſe, ſaltèm diſponendo ſe remotè ad talem gratiam; cui proindè operi hominis gratia ſit debita: & ſic in Molinâ liberum arbitrium in illo concurſu cauſa magìs principalis eſt.

Reſpondeo 2°. quòd nec alij effugiunt vim argumenti. Nàm gratìs eis conceſſo, liberum arbitrium eſſe cauſam removentem prohibens, & per accidens in genere phyſico; tamen in genere moris cauſa per ſe eſt, cui gratia ut debita redditur; & ſic liberum arbitrium cauſa prima & magìs principalis eſt. Itèm; quià nec eſt poſſibile quòd liberum arbitrium ſit cauſa removens prohibens, ità ut gratia infallibiliter ſequatur; quià removere impedimenta gratiæ, officium gratiæ eſt proprium, nec id poteſt facere liberum arbitrium: aliàs liberum arbitrium poſſet auferre peccatum originale ſe ſolo, quod eſt impedimentum ſufficiens.

IVª. Illatio fuit facta in hunc modum. Iſta conſequentia nulla eſt: gratia non determinat liberum arbitrium, ſed liberum arbitrium determinat ſe; ergò liberum arbitrium eſt cauſa magìs principalis. Tùm quià cauſa quæ determinat aliam, ex eo quòd determinat, non eſt magìs principalis, ut patet; quià cauſa ſecunda determinat primam, & tamen non eſt magìs principalis: tùm quià S. Thomas *in q. 4. de potentiâ art. 4.* dicit: influxum cauſæ primæ determinari per influxum cauſarum ſecundarum; ex quo tamen non ſequitur, quòd S. Thomas dicat cauſam ſecundam eſſe magìs principalem quàm primam. Itèm dicebat R. P., non inveniri in Molinâ id quod Dubium dicit, videlicèt, quòd liberum arbitrium determinet gratiam.

Ad hoc Reſpondeo 1°. quòd in Molinâ id habetur æquivalentibus omninò verbis. Dicit enìm ſæpè, quòd gratia non determinat liberum arbitrium ad conſenſum, & quòd arbitrium per ſuum conſenſum facit quòd gratia cooperetur: ergò dicit apertè quòd liberum arbitrium per ſuum conſenſum determinat gratiam. Et certè altera cauſa debet alteram determinare; ſi ergò ſecundùm Molinam gratia non determinat liberum arbitrium, neceſſe eſt fateri, ipſum ſentire quòd liberum arbitrium determinat gratiam. Itèm ſecundò, quià Molina expreſsè dicit, eandem omninò eſſe rationem de concurſu gratiæ cooperantis, & de concurſu illo generali ordinis naturalis; ſed concurſus ille generalis, ſecundùm Molinam id expreſsè affirmantem, determinatur per influxum cauſæ particularis; ergò apertè ſentit, quòd gratiæ cooperantis influxus determinatur per liberum arbitrium. Major & Minor ſunt expreſſiſſimè in Molinâ. Undè concluſio convincitur apertè, quòd ſentiat gratiam determinari per liberum arbitrium. Modò hoc ſuppoſito, veniendum eſt ad conſequentiam. Igitur.

Reſpondeo 2°. quòd optimè infertur: quòd ſi liberum arbitrium determinat gratiam, quòd ſit cauſa magìs principalis; quià determinat ſicut primum determinans, ſicut dictum eſt. Ex quo convincitur, quòd ſit magìs principalis cauſa.

Ad illum autem locum S. Thomæ *ex q. 4. de potentiâ art. 4.*, ubì S. Thomas dicit, influxum primæ cauſæ determinari per cauſas ſecundas, Reſpondeo 3°. quòd etiam alium ex Opere contrà Gentes poterat adducere, in quo aït: quòd cauſæ ſecundæ ſunt quaſi particulariſantes influxum primæ cauſæ. Quæ duo loca S. Thomæ in cortice videntur habere aliquam apparentiam; ſed vera intelligentia eſt quæ apertè deducitur ex eodem S. Thomâ in multis aliis locis, in quibus ſæpè docet influxum primæ cauſæ non determinari per cauſas ſecundas, ut

 ſtatìm

Digitized by Google

ſtatìm deducam. In quibus locis S. Thomas non eſt ſibi contrarius. Undè vera intelligentia ipſius eſt, quam Ferrarienſis loco citato *ex Lib. 3. contrà Gentes cap. 66.* docet, & Cajetanus *1. p. q. 19. art. 8.* videlicèt, quòd S. Thomas tantùm intendat, quòd Deus in cauſis ſecundis ſuum influxum ipſis proportionatum determinat; non autem quòd ab ipſis ſecundis cauſis influxus primæ cauſæ determinetur. Sunt enìm iſta valdè diverſa: Influxum cauſæ primæ determinari *in* ſecundis cauſis, quod verum eſt; & concurſum cauſæ primæ determinari *à* cauſis ſecundis, quod & falſum eſt, & omninò S. Thomæ contrarium. Sæpè enìm docet Deum ſuo concurſu eſſe omnium determinans, nec ab alio determinari, etiam in genere cauſæ materialis; ſed quòd Deus omnia determinat. Hoc enìm expreſsè docet S. Thomas, in primis *Quodlibeto 12. art. 4.* ubì apertè dicit: quòd per divinam providentiam omnia ſunt prędeterminata & ordinata. Et *Lib. 3. contrà Gentes cap. 90.* docet: quòd omnes humanæ electiones ſubduntur divinæ providentiæ & cauſalitati. Quod multis rationibus probat, quæ ob brevitatem omittuntur. Et ſtatìm opponit quædam loca Sacræ Scripturæ, in quibus videtur inſinuari contrarium; ut eſt illud: a *Deus conſtituit hominem in manu conſilij ſui &c.* Et reſpondet his verbis: *Hæc autem verba ad hoc inducuntur, ut homines eſſe liberi arbitrij oſtendantur; non ut eorum electiones à divinâ providentiâ ſubtrahantur.* Et ibì explicat S. Damaſcenum, cùm dicit *Lib. 2. de fid. Orth.* quòd ea quæ ſunt in nobis Deus prænoſcit, ſed non prædeterminat. In cujus explicationem hæc verba habet S. Thomas: *Exponenda ſunt, ſcilicèt, iſta verba, ut intelligantur. Ea quæ ſunt in nobis, divinæ determinationi non eſſe ſubjecta quaſi ab eâ neceſſitatem accipientia.* Ubì apertè S. Thomas duplicem prædeterminationem conſtituit; aliam imponentem neceſſitatem, quam dicit negare S. Damaſcenum; & aliam ſalvantem libertatem, quam dicit non negari ab illo Sancto.

a Ecclici. 15. 14.

Cùm autem RR. PP. potiſſimè propter S. Damaſcenum dicant ſe negare prædeterminationem, videant amore Dei quam prædeterminationem negavit, & quam admiſit, ut apertè docet S. Thomas. Sed RR. PP. manifeſtè in hoc non tenent S. Thomam. Itèm S. Thomas *q. 5. de veritate art. 5.* cùm doceat omnia à divinâ providentiâ diſponi; ſtatìm in primo argumento iterùm opponit ſibi illud verbum Damaſceni, & reſpondet: quòd verbum Damaſceni non eſt ſic intelligendum, quòd omnia quæ ſunt in nobis, id eſt, in electione noſtrâ, à divinâ providentiâ excludantur; ſed quià non ſunt per divinam providentiam ità determinata ad unum, ſicut ea quæ libertatem arbitrij non habent. Ubì iterùm prædeterminationem neceſſitantem docet negare S. Damaſcenum, non autem aliam. Et *1. p. q. 23. de prædeſtinat. art. 1. ad 1.* in primis pro eodem ſumit prædeſtinationem & prædeterminationem. Et ad 1m. oppoſitum ex S. Damaſceno ſic dicit: *Ad primum ergò dicendum, quòd Damaſcenus nominat prædeterminationem impoſitionem neceſſitatis, ſicut in rebus naturalibus quæ ſunt prædeterminatæ ad unum. Quod patet ex eo quod ſubdit: non enìm vult malitiam, nec compellit virtutem.* Ubì iterùm tertiò S. Thomas prædeterminationem cogentem dicit negari à S. Damaſceno, non autem aliam ſalvantem libertatem. Undè docet ſæpè alibì S. Thomas, quòd Deus non determinat ex neceſſitate, ſed ſalvâ libertate. Alia multa S. Thomæ loca omitto propter brevitatem. Ex his omnibus manifeſtum fit, quòd ſemper S. Thomas docuit humanam voluntatem, ſalvâ ejus libertate, determinari & prædeterminari à Deo; nec de hoc poteſt eſſe dubium in S. Thomæ ſententiâ.

Præterea, quod magìs eſt, Clemens I. S. Petri Apoſtoli Diſcipulus & Succeſſor *Lib. 3. recogn. cap. 19.* expreſsè aſſerit, S. Petrum Apoſtolum Tracta-

Digitized by Google

tum compoſuiſſe de divinis prædefinitionibus ſeu prædeterminationibus, occaſione diſputationis quam Romæ habuit cum Simone Mago, qui divinæ voluntatis prædeterminationes negabat. De hoc enim puncto diſputavit Apoſtolus Petrus cum Mago illo Simone. Undè & refert Clemens, ſic argumentatum fuiſſe Magum contrà Apoſtolum. Quidquid Deus vult, eſt: ergò omnia ex neceſſitate eveniunt. Cui reſpondit Petrus Apoſtolus ſub diſtinctione, videlicèt: quædam Deus vult eſſe neceſſariò, & iſta neceſſariò eveniunt; & quædam vult liberè fieri, & iſta liberè fiunt. Quæ ſolutio à primâ Petrâ derivata fuit in omnes Eccleſiæ Doctores, in Auguſtinum, Anſelmum, & Thomam, qui nihil aliud reſpondent huic argumento, niſi quod B. Petrus Apoſtolus docuit.

Itèm magnus ille Dionyſius cognomento Areopagita *Lib. de divinis nominibus cap. 5.* de Exemplaribus ſic dicit: *Exemplaria autem in Deo eſſe dicimus exiſtentium rationes ſubſtantificas, & ſingulariter præexiſtentes, quas Theologia divinas prædefinitiones vocat, ac bonas voluntates, exiſtentium prædeterminativas, & productivas; ſecundùm quas ſuperſubſtantialis eſſentia omnia prædefinivit atque producit.* Ubì ſemèl, iterùm, & tertiò, divinæ voluntatis prædeterminationes apertè docet. Negari ergò non poteſt quìn liberum arbitrium determinetur & prædeterminetur à Deo. Et per hoc patet ad omnia quæ contrà S. Thomam ſunt oppoſita. Unicâ enìm prædeterminatione, ab ipſo ſæpè expreſsâ, omnia ſimùl corruunt.

V^{a}. Illatio ſeu conſequentia facta à R. P., illa fuit: liberum arbitrium poteſt reſpuere gratiam: ergò liberum arbitrium eſt cauſa magìs principalis. Quæ illatio, ut dicebat, nulla eſt: quià antecedens nihil aliud dicit, niſi quòd homo ſit liberi arbitrij, & quòd non ſe habeat tantùm paſſivè, ut apertè contrà Calvinum docet Concilium Tridentinum *Seſſ. 6. cap. 5. & can. 6.* **Ad quod Reſpondeo**: optimè ſequi liberum arbitrium eſſe principaliorem cauſam, ſi poteſt reſpuere, cùm vult, gratiam, & illam reddere inefficacem ad modum quo dicit Molina; ità ut de facto quandò ſibi placet reducat potentiam in actum, & de facto reddat caſſam gratiam. Nec Concilium Tridentinum aliquandò docuit, quòd hoc modo poteſt homo reſpuere vel rejicere gratiam. Vera autem intelligentia Concilij jàm ſemèl, ſecundò & tertiò inducta eſt à me in conſpectu Sanctitatis Veſtræ. Undè nec in hoc ampliùs videtur immorandum.

Tres tantùm Propoſitiones conſtituo. Prima eſt: *liberum arbitrium à Deo motum & excitatum poteſt diſſentire.* Hæc eſt abſolutè & ſimpliciter vera. Secunda eſt: *liberum arbitrium à Deo motum & excitatum non diſſentiet.* Quæ etiam eſt veriſſima propter efficaciam moventis. Tertia eſt, ad quam oro ut Reverendi Patres velint attendere: *incompoſſibile eſt liberum arbitrium à Deo motum eſſe, & ſimùl diſſentire.* Dico hoc eſſe incompoſſibile, nec poſſe iſta duo ſimùl conjungi, quòd, videlicèt, liberum arbitrium efficaciter moveatur à Deo, & diſſentiat.

Quod autem opponunt, quòd tollitur liberum arbitrium: hoc anteà oppoſitum fuit S. Auguſtino, quòd libertatem auferebat, & fatum conſtituebat; quià efficaciam divinæ gratiæ independentem ab arbitrio prædicabat. Et Sanctitas Veſtra multò meliùs ſcit, quid S. Doctor ad hæc reſpondeat. Et jàm quædam ex S. Auguſtino ad hoc propoſitum anteà adducta ſunt in conſpectu Sanctitatis Veſtræ. Undè à repetitione abſtineo.

Statìm autem Vaſtida dixit, prædictum F. Thomam intromiſiſſe quædam de prædeterminatione, de quâ Dubium non procedebat, & de quâ affirmabat ſe nolle aliquid dicere. Deindè etiam dicebat, ſe non ſolùm diviſivè, ſed conjunctìm, feciſſe illationes; ità quòd ex omnibus illis præſuppoſitis ſimùl non inferebatur quòd liberum arbitrium ſit magìs principalis cauſa. Deindè dicebat Molinam

non dicere, quòd liberum arbitrium trahebat poſt ſe gratiam, ſicut illi imponebat prædictus F. Thomas. Dicebat etiam, quòd illa determinatio in quantùm libera determinatio, non fiebat à Deo determinante voluntatem: aliàs quòd tollebatur libertas.

Et P. Salas dicebat: quòd Molina non dicebat, quòd Deus non cauſaret illam determinationem liberam, quatenùs libera eſt. Sed P. Vaſtida dicebat id aſſerere Molinam.

Quibus F. Thomas reſpondit: Patres ad invicem ſunt contrarij; alter affirmat, alter negat. Sed quòd hoc dicat Molina, oſtendo. Et legit in Molinâ *in q. 23. art. 4. & 5. diſput. 1. memb. 7. §. ad confirmationem* a ubi id expreſsè affirmabat. Et *in §. in quarto argumento*, b legebat qualiter Molina dicebat, Deum nec etiam ſimùl naturâ cum voluntate ſe determinante illam determinare.

a Pag. 338.
b Ibidem. col. 2.

Cui reſpondebat Salas: quòd ideò Molina dixit, quòd concurſus Dei non erat cauſa determinationis voluntatis, quià eſt ipſa cauſatio & determinatio. Deindè dicebat: quòd ibì non loquebatur de gratiâ præveniente, quòd ſimùl naturâ non determinaret.

Ad hæc F. Thomas dixit: Molina planè affirmat, Deum per nullum concurſum, nec prævium, nec ſimultaneum, cauſare illam determinationem voluntatis, quatenùs libera eſt; ut patet ex inductis teſtimoniis. Et quòd nec per prævenientem gratiam cauſet illam determinationem, docet expreſsè *eâd. diſp. memb. 10. §. Undè quandò in fine*, c, & *§. quòd enìm actus.* d, quos ibì legit, & oſtendit ipſum palàm affirmare, illum actum hominis quatenùs præcisè procedit à libero arbitrio, quâ ratione liber eſt, non eſſe effectum gratiæ prævenientis; ergò apertè dicit, quòd gratia præveniens non ſit cauſa illius actûs, quatenùs actus liber eſt, procedens à libero arbitrio. Ad id autem quod dicit P. R., quòd quià ille influxus Dei eſt ipſa cauſatio, & idem realiter cum determinatione voluntatis, ideò dicitur, quòd non eſt cauſa illius determinationis: hoc in Molinâ dici non poteſt; quià ipſe tenet quòd influxus Dei eſt idem cum actione voluntatis; & tamen dicit, quòd ille influxus eſt cauſa illius actionis, ſivè Deus per illum.

c Pag. 356. col. 2.
d Ibidem.

Deindè uterque inſiſtebat, quòd nullum erat inconveniens, quòd gratiæ adjutorium ſubderetur arbitrio. Dicebant enìm, quòd cùm homo conſentit, ſubditur illi gratia cooperans.

Ad hoc F. Thomas dicebat: quòd nullo modo adjutorium gratiæ ſubdebatur tunc libero arbitrio, nec ità poterat dici; ſed quòd efficacia gratiæ ſuâ potenti virtute potiùs ſubdebat ſibi liberum arbitrium, faciens illud liberè conſentire.

Præcipuè autem Salas inſtabat: quòd character ſubdebatur uſui liberi arbitrij. Ex quo inferebat, quòd etiam efficacia gratiæ ſubdebatur uſui arbitrij. In quo cùm nimìs inſiſteret, nec audire vellet.

Dixit F. Thomas: ſine causâ adducitur hìc character. Nos loquimur de actuali efficaciâ gratiæ. Character autem primò & principaliter ſubditur voluntati Dei moventi efficaciter hominem ad utendum charactere, quod etiam efficaci gratiæ negatur ab iſtis RR. PP.; quià volunt illam primò & principaliter ſubdi uſui liberi arbitrij, ſicut primo ſe moventi, & primo ſe determinanti.

Ultimò Vaſtida dicebat: quòd F. Thomas affirmarat liberum arbitrium à Deo efficaciter motum & excitatum, poſſe abſolutè & ſimpliciter diſſentire: & quòd ſecundò affirmarat, quòd liberum arbitrium non poterat diſſentire.

Cui F. Thomas: Nunquàm hoc dixi; ſed quòd incompoſſibile erat, liberum arbitrium eſſe efficaciter motum, & ſimùl diſſentire.

Cui Vaſtida: debebas dicere, quòd in ſenſu diviſo poteſt diſſentire, non in ſenſu compoſito.

Cui F. Thomas: idem omninò eſt dicere, quòd poteſt diſſentire abſolutè,

&

Digitized by Google

& ſimpliciter, & in ſenſu diviſo. Et idem eſt, quòd ex ſuppoſitione non poteſt diſſentire, & in ſenſu compoſito.

Tunc Vaſtida: aliqui etiam ex veſtris dicunt, quòd in ſenſu compoſito poteſt diſſentire.

Cui F. Thomas: ſententia eſt expreſſa S. Thomæ, quòd in ſenſu compoſito non poteſt homo reſiſtere efficaci Dei motioni. Senſus autem compoſitus eſt, quandò componitur actus cum potentiâ; ut S. Thomas ſemper declarat. Undè *in q. 23. de veritate art. 5.* tradit regulam: quòd iſta duo non ſunt incompoſſibilia: Deus iſtum prædeſtinavit, & iſte poteſt damnari. Non, inquam, iſta ſunt incompoſſibilia. Benè autem iſta incompoſſibilia ſunt: Deus iſtum prædeſtinat, & iſte damnatur; qui eſt ſenſus compoſitus conjungens ſimùl actum cum actu. Non eſt autem poſſibile illos duos actus ſimùl conjungendo componere. Hoc eſt notum in omni Philoſophiâ, & Dialecticâ, ſeu Metaphyſicâ. Philoſophus enìm *9. Metaph.* aït: quòd potentia rationalis eſt ad oppoſita, non tamen ad oppoſita ſimùl habenda. Et ipſe Ariſtoteles has duas propoſitiones ſicut veras concedit: album poteſt eſſe nigrum, quæ diviſa propoſitio eſt, & vera. Et ſimùl concedit hanc compoſitam veriſſimam: impoſſibile eſt album poſſe eſſe nigrum; quià hæc propoſitio eſt impoſſibilis: album eſt nigrum. Ità cum hâc verâ propoſitione: liberum arbitrium à Deo motum & excitatum poteſt diſſentire, quæ diviſa eſt, & abſolutè vera, ſtat ſimùl veritas hujus compoſitæ: incompoſſibile eſt liberum arbitrium eſſe à Deo motum & excitatum & ſimùl diſſentire. Sicut etiam poſtquàm Deus determinavit producere Antichriſtum, impoſſibile eſt Antichriſtum non produci. Cum quò ſtat quòd Deus adhuc ſuppoſitâ illa determinatione poſſit non producere abſolutè & ſimpliciter ſeu divisè.

Tunc P. Vaſtida dicebat: ſe pro ſuâ ſententiâ habere Univerſitates Europæ, & quædam alia ſimilia impertinentia clamabat immodeſtè ſatìs.

Sed F. Thomas dixit: ad illa non oportere ſe reſpondere. Et ſic finita fuit Congregatio, cùm circiter per horas quatuor perduraſſet.

Habita eſt coràm Sanctiſſimo die 27. Octob. anni 1604. In quâ ſex tantùm fuêre Cardinales. Defuit enìm Aſculanus, S Cęciliæ, & Arrigonius. At præſentes fuêre omnes Cenſores.

Diſputatur de Scientiâ-mediâ circà Dubium 11. à Pontifice ſignatum.

Vide Hiſt. Congreg. de Auxil. Lib. 3. cap. 38. col. 533. & ſeqq.

Vide ſuprà col. 49.

CONGREGATIO
TRIGESIMA TERTIA CORAM CLEMENTE VIII.

In quâ de Scientiâ-mediâ diſceptari primitùs eſt inceptum ex profeſſo, examinataque eſt ejus natura; & deindè quæſitum: num in Deo reperiatur?

ACTUM fuit in iſtâ Congregatione de illo Dubio fundamentali à Sanctiſſimo per Secretarios tradito 25. Julij 1604. Quod & tale eſt: *An ſit ſententia ſancti Auguſtini, quòd ante decretum abſolutum divinæ voluntatis detur in Deo cognitio certa & infallibilis contingibilium dependentium à causâ liberâ, qualem Molina per Scientiam-mediam Deo tribuit?*

Hìc à principio proponebat P. Vaſtida. Primò longam Præfationem antepoſuit, qualiter occaſione hæreſûm magìs ac magìs ſemper veritas fuit

fuit patefacta. Ad quod diverſa S. Auguſtini teſtimonia inducebat. Deindè applicans aſſerebat occaſione extirpandæ hæreſis Pelagianæ laboraſſe aliquos contrà illos in conciliandâ libertate arbitrij cum gratiâ per illam præſcientiam, quâ Deus ſciat futuram hominum operationem. Et ſimilia quædam generalia dicebat. Tertiò jàm accedens ad præſens Dubium dicebat, in illo non quæri, an illa præſcientia ſit cauſa prædeſtinationis & gratiæ? Quod poterat proponi.

Præhereà dicebat in illo propoſito Dubio tria proponi, & in tria eſſe dividendum affirmabat. Ut omnium primò diſputetur, an Deus cognoſcat hæc futura conditionata? Secundò, an Deus certò illa cognoſcat? Tertiò an iſta illorum certa cognitio ſit antè actum divinæ voluntatis, vel poſt illum? Undè de primo puncto affirmabat ſe diſputaturum in præſenti Congregatione, & de aliis duobus in aliis Congregationibus; quià de omnibus ſimùl, ut dicebat, in unâ Congregatione agere ſibi erat impoſſibile. Quâ tripartitâ partitione propoſitâ ad illud primum ſuum Dubium quod ipſe fingebat,

Unicâ Concluſione Reſpondebat, dicendo: Deum cognoſcere quidem hæc futura conditionata, ſivè certò, ſivè incertò. Hanc veritatem & ex Scripturæ teſtimoniis, & ex SS. Patrum, & Scholaſticorum doctrinâ, & rationibus Theologicis probandam oſtendebat.

Et 1°. inducebat illud *Luc. 10.* a & *Matth. 11.* b *Si in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ in te factæ ſunt, olìm in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.* Ubì Chriſtus cognovit abſque dubio, & revelavit illud futurum conditionatum: nemo autem revelat id quod non cognoſcit: neque enìm quod non cognoſcitur ab aliquo, revelari ab eodem poteſt. Et illud adducebat de viris Ceïlæ *1. Reg. 23.* c ubì Dominus Davidi revelavit, quòd ſi Saül deſcenderet, viri Ceïlæ ipſum illi traderent. Et illud adducebat ex Evangelio: d *Niſi breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro; ſed propter electos breviabuntur.* Et ſimilia teſtimonia undecim vel duodecim inducebat, ex quibus hoc tantùm concludebat: certum omninò eſſe, Deum cognoſcere hæc futura conditionata liberâ ratione facta, quià, videlicèt, illa ſunt in Scripturâ à Deo revelata; ſed niſi Deus illa cognoſceret, illa revelare non poſſet; ergò Deus illa cognoſcebat. Et ex hoc inferebat: quòd cùm ſit eadem ratio de illis ac omnibus aliis ſimilibus, certum debet eſſe, Deum omnia alia futura contingentia conditionata cognoſcere, ſivè certò, ſivè incertò, ut dicebat.

a *Luc. 10. 13.*
b *Math. 11. 21.*
c *1. Reg. 23. 12.*
d *Matth. 24. 22.*

Hoc 2°. ex S. Auguſtino probabat *ex epiſt. 49. q. 2.* e ubì ſic habet Auguſtinus: *Ac per hoc magis, ſi tantæ poteſtatis fuiſſet Pithagoras, ut ubì vellet, & quandò vellet, ſua dogmata prædicaret, & ſic haberet etiam cum eâ poteſtate ſummam rerum præſcientiam, nuſquàm & nunquàm appareret, niſi ubì & quandò ſibi homines credituros eſſe prænoſceret.* Et ſtatìm infrà: *Hoc ſolùm eis brevitatis gratiâ, in hujus quæſtionis diſputatione dicamus, tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quandò ſciebat, & ubì ſciebat eſſe, qui in eum erant credituri.* Quem locum ſic expendebat, quòd S. Auguſtinus loquatur de præſcientiâ conditionatâ, quâ Chriſtus ſcivit, qui in eum eſſent credituri. Ait enim: quòd ſicut Pithagoras ſi haberet poteſtatem prædicandi ubì vellet, & quandò vellet, & cum hâc poteſtate haberet omnium rerum præſcientiam, illis ſolùm prædicaret, quos ſciebat recepturos doctrinam ſuam: ità Chriſtus, quià habuit poteſtatem prædicandi ubì volebat, & quandò volebat, & habuit etiam ſummam rerum præſcientiam, tunc voluit apparere, quandò ſciebat, & ubì ſciebat eſſe, qui in eum fuerant credituri. Igitur loquitur S. Auguſtinus de præſcientiâ illâ conditionatâ, quâ præſcivit homines credituros ſuæ doctrinæ. Undè, ut inferebat, S. Auguſtinus

e *Nunc ep. 102. ad Deo gratias. t. 2. num. 14. col. 278.*

Auguſtinus *Lib. de prædeſt. Sanct. cap. 9.* a hæc eadem verba priùs à ſe dicta contrà Paganos explicans, iterùm confirmat nihil eſſe verius, quàm præſcire Chriſtum, qui, & quandò, & ubì eſſent, qui in eum fuerant credituri.

a *Tom. 10. num. 17. col. 802.*

Tertium teſtimonium adducebat ex eodem Auguſtino *Lib. de corrept. & grat. cap. 8.* b ſub his verbis: *Reſpondeant, ſi poſſunt, cur illos Deus, cùm fideliter & piè viverent, non tunc de hujus vitæ periculis rapuit, nè malitia mutaret intellectum eorum, & nè fictio deciperet animas eorum* c *? Utrùm hoc in poteſtate non habuit, an eorum futura mala neſcivit? Nempè nihil horum niſi perverſiſſimè atque inſaniſſimè dicitur.*

b *Tom. 10. num. 19. col. 760.*

c *Sap. 4. 11.*

Probabat etiam id ex quodam Patre Auguſtiniano, inſigni Doctore, in Academiâ Salmantinâ Magiſtro, qui ſolitus erat dicere, quòd iſta veritas: quòd, videlicèt, Deus cognoſcat futura conditionata contingentia, tot habet teſtes, quot ſunt homines in mundo. Unuſquiſque, etiamſi Idiota, ſi interrogetur: quid eſſet de te, ſi ires in Hiſpaniam? continuò reſpondet, neſcio, Deus ſcit. Et alius qui Religioſus eſt, cùm interrogatur: quid eſſet de te, ſi in ſæculo permaneres? Etiam continuò reſpondet, neſcio, Deus ſcit. Et ſimilia inducebat exempla diſcurrendo per hominum ſortes atque conditiones. Igitur manifeſtum eſt, concludebat, Deum cognoſcere hæc futura contingentia conditionata.

Itèm illud probabat ratione Theologicâ: quià ad perfectionem divinæ providentiæ pertinet, quòd Deus ſciat hæc futura contingentia conditionata; ergò ſine dubio Deus illa cognoſcit. Antecedens probabat; quià qui habet providentiam, debet ſcire modum per quem debet aſſequi finem à ſuâ providentiâ intentum; & debet ſcire quomodò certò providebit ut effectum conſequatur: ergò debet ſcire quid liberum arbitrium facturum eſt, ſi in tali vel tali rerum ordine collocetur; ut ſic quandò aliquid vult providere, conſtituat hominem in tali rerum ordine in quo ſciat, quòd hoc operabitur, ut ſic reddatur certa Dei providentia.

Itèm illud probabat ex illâ ratione quâ pij viri communiter orant Deum, dicentes: Domine ſi ſcis quòd iſta dignitas profutura eſt mihi, concedas; ſi autem ſcis quòd nocitura, avertas. Supponunt ergò omnes, Deum ſcire hæc futura conditionata contingentia. Immò ipſa Eccleſia id orat Dominum, ut det illud quod ſcit nobis convenire, & auferat quod ſcit nobis nocere. Undè S. Thomas docet, quòd quandò aliquid petimus à Deo, petimus ſub intellectâ implicitâ conditione, licèt illam non exprimamus. Et ſimilia talia quædam, extrà Dubium omninò procedendo, proponebat, ad ſuadendum, Deum futura iſta conditionata contingentia cognoſcere.

Et tandem quâdam peroratione valdè acri versùs nos dicebat: Dicant ergò Patres contrà tàm apertam veritatem. Dicant Deum non præſcire futura conditionata. Dicant contrà tàm aperta loca Sacræ Scripturæ Deum inſcium horum futurorum. Dicant &c. Et multa ſimilia exaggerabat, quorum non oportet memoriam facere, & tempus impertinenter conſumere; quià omnia ad hoc tendebant, quòd Defenſores gratiæ negabant Deum ſcire iſta conditionata contingentia. Et ſic per horam & dimidiam his rebus, totaliter extrà Dubium, laborabat, cum verborum ſtrepitu, & audaciâ non parvâ.

Illicò autem F. Thomas de Lemos, omnia ex more ad pedes Sanctiſſimi conſtituens, ſic incepit: BEATISSIME PATER, ad cujus pedes quæcunque dixero, humiliter ſuppono: attentè omnia conſiderans quæ P. R. protulit, hoc unum deprehendi, nedùm R. P. Dubio non reſpondiſſe, ſed nec difficultatem ſummitate labiorum tetigiſſe. Undè nè ſimilis illi exiſtam, difficultatis punctum proponam.

Baſis enìm totius doctrinæ Molinæ, ſine quâ, etiam ut ipſe expreſsè

Hhh fatetur,

fatetur, omnis ejus ſententia penitùs evaneſcit, eſt illa media ſcientia, quæ Deo tribuit certam cognitionem contingibilium dependentium à causâ liberâ, antè omne decretum abſolutum divinæ voluntatis. Undè ad evertendum hoc totius ſuæ ſententiæ totale fundamentum, omnium primò propriam rationem atque quidditatem hujus mediæ ſcientiæ denudabo. Deindè illam ſemper fuiſſe per S. Auguſtinum impugnatam & expugnatam, oſtendam. Ac tandem tertiò objectis omnibus, quæ in defenſionem illius non ſunt propoſita, ſed deberent proponi, Deo adjuvante ſatisfaciam.

Circà primum: Hæc media ſcientia, quæ ſic primitùs fuit à Molinâ nominata, ad hoc introducitur, ut per illam certò cognoſcat Deus antè omnem actum divinæ voluntatis, quid creatum arbitrium ex ſuâ innatâ libertate acturum eſt, ſi tamen illud Deus conſtituat in tali rerum ordine & circumſtantiâ, & ſi cum ipſo arbitrio jàm operante, ipſe Deus concomitanter concurrere voluerit. Itaque antequàm Deus abſolùtè velit, aut abſolutè permittat, quid liberum arbitrium creatum acturum ſit, certò cognoſcit Deus per hanc ſcientiam, ut dicetur, hoc futurum conditionatum: ſi ego conſtituam arbitrium in tali rerum ordine & circumſtantiâ, & ſi cum illo jàm operante concurrere concomitanter voluero, ipſum creatum arbitrium ex ſuâ innatâ libertate ſe certò determinabit ad hoc volendum in particulari. Undè hoc futurum conditionatum, cum hâc duplici conditione modò expreſsâ, eſt objectum formale & adæquatum hujus mediæ ſcientiæ; & ratione utriuſque conditionis includit hæc ſcientia in ſuo objecto voluntatem Dei concurrendi cum arbitrio, non præviam efficacem, ſed comitem; immò hanc præviam Dei voluntatem efficacem expreſsè negat. Et quià objectum hujus ſcientiæ eſt conditionatum, ideò vocatur ab aliis hæc media ſcientia, ſcientia conditionata, vel ſcientia conditionatorum, vel ſcientia futurorum ſub conditione.

Rursùs, quià omne conditionatum adimpletâ conditione tranſit in abſolutum; & Defenſores hujus ſcientiæ-mediæ expreſsè conſtituunt omnem hanc conditionem perfectè adimpletam in omni creato arbitrio, quod jàm ſub cælo eſt conſtitutum, in tali ordine rerum; ideò conſequenter loquendo Defenſores hujus mediæ ſcientiæ de objecto conditionato, ex ipsâ inferunt aliam ſcientiam de futuro abſoluto, quâ Deus abſolutè videat quodlibet arbitrium creatum in ſuo ordine, ex ſuâ innatâ libertate operari quidquid operatur, & non ex Deo donante & faciente quòd operetur. Immò ad hanc ſcientiam de futuro abſoluto, ſicut ad finem, ordinatur hæc alia de objecto conditionato à ſuis Defenſoribus, ut ex propriis ipſorum verbis apertè monſtrabo. Hæc eſt propria ratio, propriaque natura hujus ſcientiæ-mediæ & ſui objecti conditionati.

Apertâ jàm ſatiſque declaratâ propriâ ratione hujus mediæ ſcientiæ, & alterius præſcientiæ abſolutæ, quæ ex ipsâ naſcitur, facilis patet ſolutio ad illud primum à principio propoſitum, quod & principaliter intenditur, de mente S. Auguſtini. Dicendum eſt enìm nihil expreſſius in doctrinâ S. Auguſtini inveniri, quàm ipſum impugnaſſe & expugnaſſe ſemper hanc mediam ſcientiam, quæ Deo tribuit certam cognitionem contingibilium dependentium à causâ liberâ, antè abſolutum decretum divinæ voluntatis, ſivè volentis bona fieri, ſivè permittentis mala. Et omittens ad præſens malorum permiſſionem, venio ad oſtendendum id in quo principaliter S. Auguſtinus inſiſtebat in omni ſuâ doctrinâ contrà Pelagianos. Intentum enìm ejus in omni ſuâ doctrinâ, unicâ hâc demonſtratione comprehendo.

Nihil magìs expreſsè impugnat S. Auguſtinus contrà Pelagianos, quàm certam in Deo ſcientiam, quâ Deus cognoſcat

cognoſcat bonum, quod creatum arbitrium ex ſe & ex ſuâ innatâ libertate facturum eſt, Deo non donante & faciente ut faciat: ſed, ut dicunt, per hanc mediam ſcientiam certò cognoſcit Deus, quod liberum arbitrium, ſi in tali ordine ponatur, ex ſuâ innatâ libertate facturum eſt, Deo non donante & faciente ut faciat: ergò nihil magìs S. Auguſtinus damnat quàm hanc mediam ſcientiam. Minor habetur in terminis per hanc mediam ſcientiam. Hoc enim expreſsè dicunt ejus Defenſores; quòd, videlicèt, antè omnem actum divinæ voluntatis dantis tribuentis atque facientis quod liberum arbitrium creatum facturum eſt, certò cognoſcit Deus, quod ipſum liberum arbitrium ex ſuâ innatâ libertate operabitur, ſi in tali rerum ordine collocetur. Sed idipſum expreſſiùs declarat Molina *in diſp. 52.* §. *ſciſcitabitur* ℣. *itèm*, cujus verba ſunt: [a] *Itèm quòd res libero arbitrio prædita, ſi in certo ordine rerum & circumſtantiarum collocetur, in unam aut alteram partem ſe flectat, non provenire ex præſcientiâ Dei; quin potiùs ideò Deum id præſcire, quià ipſa res libero arbitrio prædita, liberè idipſum agere debet; neque provenire ex eo quòd Deus velit id ab eâ fieri, ſed ex eo quòd ipſa liberè id velit facere.* Ubì in terminis dicit, Deum præſcire per hanc mediam ſcientiam, quod liberum arbitrium ex ſe facturum & voliturum eſt, abſque eo quòd Deus velit id ipſum velle. Et ex hâc ſcientiâ de futuro conditionato, ſeu mediâ ſcientiâ, conſequenter loquendo infert ipſe Molina illam aliam abſolutam *in diſp. 50.* §. *juxtà ea ergò*, ℣. *accedente*, [b] ſic dicens: *Accedente verò determinatione liberâ voluntatis, non quâ liberum arbitrium creatum determinet ad alteram partem contradictionis, (ut Scotus & alij volunt) ſed quâ, relinquendo illud liberum & omninò indifferens, ut ad quod voluerit porrigat manum, ſtatuat creare hunc vel illum ordinem rerum & cauſarum ac circumſtantiarum, in quo ſunt hæ vel illæ cauſæ liberæ, certò cognoſcit complexiones omnes contingentes ſecundùm eſſe futurum abſolutè & ſimpliciter, ac ſine ullâ jàm hypotheſi & conditione.* Quibus verbis manifeſtè dicit certò cognoſcere Deū quodcunque futurum liberum fiendum à libero arbitrio abſolutè & ſimpliciter, & ſine aliquâ conditione, antè determinationem & decretum divinæ voluntatis, volentis quòd ità fiat ab arbitrio, poſitâ ſolâ determinatione, quâ illud Deus voluit conſtituere in tali rerum ordine.

[a] Pag. 228. col. 1.

[b] Pag. 216. col. 2.

Igitur manifeſta eſt illa Minor: quòd per hanc mediam ſcientiam, ut dicunt, certò cognoſcit Deus, quod liberum arbitrium ex ſuâ innatâ libertate acturum eſt, Deo non dante, non volente, & non faciente ut liberum arbitrium id faciat. Immò manifeſtum eſt, ut dixi, illam aliam præſcientiam abſolutam oriri ex iſtâ ſcientiâ-mediâ, per quam Deus videat, quid quodlibet arbitrium creatum, conſtitutum jàm in tali ordine rerum, ex ſuâ innatâ libertate facturum eſt, ſine decreto divinæ voluntatis donante ut id faciat.

Major verò; quòd S. Auguſtinus nihil magìs expreſsè damnet quàm præſcientiam iſtam, adeò aperta & trita eſt in doctrinâ S. Auguſtini, ut ad longum id probare non oporteat, ſed breviter pauca referre. V. G. *Lib. de prædeſt. Sanct. cap. 10.* [c] inquit: *Prædeſtinatione quippè Deus ea præſcivit quæ fuerat ipſe facturus.* Et ſtatìm poſt pauca explicans illud Apoſtoli: [d] *quià quæ promiſit, potens eſt & facere;* dicit: *Non ait,* (videlicèt Apoſtolus,) *prædicere; non ait, præſcire; nàm & aliena facta poteſt prædicere atque præſcire; ſed ait: potens eſt & facere: ac per hoc facta, non aliena, ſed ſua.* Et paulò antè: [e] *Promiſit enim* (Deus) *quod ipſe facturus fuerat, non quod homines; quià etſi faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum; ipſe facit ut faciant illi quæ præcepit: non illi faciunt ut ipſe faciat quod promiſit.* Et *eod. Lib. cap. 15.* inquit: [f] *hæc ſe Deus eſſe facturum profectò præſcivit.* Et *Lib. de don. perſev. cap. 14.* ait: [g] *Quæ utique ſi præſcivit, profectò beneficia ſua, quibus* nos

[c] Tom. 10. n. 19. col. 803.

[d] Rom. 4. 21.

[e] Tom. 10. n. 19. col. 803.

[f] Ibid. num. 31. col. 810.

[g] Ibid. num. 35. col. 839.

Digitized by Google

nos dignatur liberare, præſcivit. Et *cap.* 17. *ejuſdem Lib.* a ſubjungit: *Iſta igitur ſua dona quibuſcunque Deus donat, proculdubio donaturum ſe eſſe præſcivit, & in ſuâ præſcientiâ præparavit.* Et iterùm ibì dicit verba valdè notanda: b *ſic videant*, inquit, *nec ad fidem, nec ad perſeverantiam impediri exhortationes ſuas, ſi & ipſa opera, quod verum eſt, eſſe Dei dona, eaque præcognita, id eſt, ad donandum prædeſtinata eſſe dicantur.* Ubì apertiſſimè bona opera quæ fiunt à libero arbitrio, eſſe Dei dona à Deo præcognita, id eſt, ad dandum prædeſtinata, dicuntur. Nullam enìm aliam præcognitionem certam noſtrorum bonorum operum admittit S. Auguſtinus, niſi poſt prædeterminationem, quâ Deus illa voluit hominibus dare.

a Ibid. num. 41. col. 844

b Ibid. num. 42. col. 845

Idem Doctor *Lib. de correptione & gratiâ cap.* 10. c dicit quòd *in providentiſſimâ ſuâ diſpoſitione præſcivit.* Et tandem *Lib. de prædeſt. Sanct. cap.* 17. d concludit, contrà hanc præſcientiam quâ dicunt præſcire Deum, qui ex ſuâ innatâ libertate ſunt crediturі ſi eis Evangelium prædicaretur, loqui Chriſtum Dominum, cùm ait: e *non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos*; cùm, ſi vera eſt iſta præſcientia, hoc potiùs præſcierit Deus, quòd ipſi eum fuerant electuri, ut ab illo mererentur eligi. Igitur apertiſſimum eſt, veram & indubitatam eſſe illam Majorem, quòd, videlicèt, nihil magìs expugnat S. Auguſtinus, quàm certam præſcientiam alicujus boni humani, quod liberum arbitrium creatum ex ſuâ innatâ libertate, & non ex Deo donante & faciente, acturum eſt. Et ex conſequenti manifeſtum eſt, quòd ex illâ Majori & Minori apertè concluditur, nihil magìs expreſsè impugnaſſe S. Auguſtinum, quàm illam ſcientiam mediam.

c Ibid. num. 23. col. 763.

d Ibid. num. 34. col. 813.

e Joan. 15. 16.

Sed ut jàm veniam ad falſas explicationes, quæ litteræ S. Auguſtini attribuuntur contrà illius propriam mentem & litteram: Dicunt 1°. S. Auguſtinum in omnibus prædictis teſtimoniis loqui contrà Pelagianos de præſcientiâ abſolutâ futurorum; non verò de præſcientiâ conditionatâ futurorum ſub conditione. Sed iſta explicatio, ut ex dictis jàm patet, magìs ſuos proprios authores confundit. Si enìm, ut fatentur, S. Auguſtinus damnat contrà Pelagianos præſcientiam abſolutam quâ dicebant præſcire certò Deum, quid liberum arbitrium ex ſuâ innatâ libertate acturũ eſt, & non ex Deo donãte; & hæc abſoluta præſcientia naſcitur inevitabiliter ex illâ aliâ mediâ ſciẽtiâ, ſeu præſcientiâ conditionatâ, ut modò etiam ex ipſo Molinâ probavi; manifeſtum eſt quòd S. Auguſtinus etiàm illam mediam damnat ſcientiam, quæ origo & cauſa eſt illius abſolutæ præſcientiæ. Nàm benè ſequitur: poſitâ illâ mediâ ſcientiâ, ex ipsâ infallibiliter ſequitur illa alia abſoluta; ſed illa præſcientia abſoluta ſicut Pelagiana damnatur à S. Auguſtino; ergò etiam damnatur illa media ſcientia. In bonâ enìm conſequentiâ, ſi conſequens eſt falſum, antecedens eſt falſum; ſi conſequens eſt Pelagianum, antecedens eſt Pelagianum.

Prætereà 2°. S. Proſper *in epiſt. ad S. Auguſtinum* ℣. *tales perdi, taleſque ſalvari*; f Et ℣. *ſed in tantùm quibuſcunque commentitiis meritis.* g. Et ℣. *Evangelium non audierunt, quià nec fuerant recepturi.* h Et S. Hilarius ℣. *cùm autem dicitur eis*, i referunt S. Auguſtino Semipelagianos uſos fuiſſe hâc ſcientiâ mediâ ſub nomine præſcientiæ, ſicut fundamento ſuorum errorum: ergò S. Auguſtinus contrà illos Semipelagianos ex profeſſo diſputans in utroque libro de prædeſtinatione Sanctorum, cùm damnat ipſorum præſcientiam quam in Deo conſtituebant, ſine dubio hanc mediam ſcientiam, ſeu præſcientiam ſub conditione, damnat.

f Tom. 10. num. 5. col. 781.

g Ibidem.

h Ibidem.

i Tom. 10. num. 3. col. 785.

Prætereà ipſi PP. RR. in quodam Scripto, quod in favorem hujus mediæ ſcientiæ publicarunt, cujus titulus eſt: *Reſcriptum de ſcientiâ mediâ*, expreſsè fatentur, id quod negare non poſſunt, videlicèt, Semipelagianos uſos fuiſſe pro ſuis ſententiis defendendis hâc mediâ ſcientiâ, ſeu hâc

præſcientiâ

Digitized by Google

præſcientiâ futurorum ſub conditione: ergò cùm S. Auguſtinus damnat Semipelagianorum ſcientiam, hanc profectò mediam ſcientiam damnat.

Cùm autem vident RR. PP. eſſe apertum in SS. Auguſtino, Proſpero, atque Hilario impugnari illam Semipelagianorum præſcientiam conditionatam, ſivè mediam ſcientiam; aliam ſecundam parant Reſponſionem, dicentes: impugnare S. Auguſtinum illam mediam ſcientiam, ſeu præſcientiam ſub conditione, in quantùm à Semipelagianis conſtituebatur cauſa prædeſtinationis & gratiæ; non autem in quantùm illam certam conſtituebant antè divinæ voluntatis decretum. Undè damnatos fuiſſe aiunt, quià illam præſcientiam dicebant cauſam prædeſtinationis & gratiæ, non autem in quantùm dicebant illam eſſe certam antè divinæ voluntatis decretum.

Sed in primis, etiamſi hoc gratìs eis concedamus, ex conceſſis convincitur hanc mediam ſcientiam expugnatam fuiſſe per S. Auguſtinum, ſecundùm illam rationem quâ à Molinâ introducitur. Jàm enim in Congregatione quâdam præteritâ, a quæ fuit de Prædeſtinatione, ut crediderim, ſatis evidenter oſtendi ex propriis verbis Molinæ, illum hanc mediam ſcientiam introducere, ut per illam conſtituat cauſam prædeſtinationis, ut prædeſtinatio eſt certa, diſtincta à providentiâ incertâ. Ergò cùm conceditur damnaſſe S. Auguſtinum hanc mediam ſcientiam ſecundùm quòd à Semipelagianis conſtituebatur cauſa prædeſtinationis & gratiæ, & à Molinâ etiam conſtituatur cauſa prædeſtinationis & gratiæ; fit manifeſtum damnari hanc mediam ſcientiam per S. Auguſtinum ſecundùm eandem rationem quâ à Molinâ introducitur. Et præterea, quià, ut etiam in illâ citatâ Congregatione b oſtendi, S. Thomas *q. 6. de veritate art. 3.* docet expreſsè, quòd per quamcunque præſcientiam, quæ det certitudinem prædeſtinationi, conſtituitur cauſa prædeſtinationis; & quòd prædeſtinatio non eſt per liberam electionem prædeſtinationis. Quod eſt contrà authoritatem Scripturæ, & dicta Sanctorum, ut ibi S. Doctor affirmat.

a *Suprà in Congreg. 17 col. 485. & ſeqq.*

b *Ibid. col. 490. & ſeqq.*

Sed ad abundantiam doctrinæ oſtenditur tertiò, hanc mediam ſcientiam expugnatam fuiſſe per S. Auguſtinum, etiam ſecundùm quòd à Semipelagianis conſtituebatur certa de bono uſu hominis antè decretum divinæ voluntatis. Hoc apertè conſtat ex S. Auguſtino *Lib. de prædeſt. Sanct. cap. 9.* c Quamvìs enim R. P. pro ſe iſtum locum induxerit, quaſi præoccupando locum, quo potiſſimè hæc illorum media ſcientia deſtruitur: tamen in iſto loco potiſſimè inſiſtendum eſt contrà mediam ſcientiam. Docuit enim me S. Auguſtinus *Lib. 2. contrà Litteras Petiliani cap. 77.* d quoſdam conari præoccupare arma quibus ſuperandi ſunt. Igitur S. Auguſtinus *in illo cap. 9. de prædeſt. Sanct.* manifeſtè expugnat mediam ſcientiam ſecundùm quòd conſtituebatur certa de bono uſu hominis antè decretum divinæ voluntatis. Nàm ibì reſpondens S. Hilario, qui ſibi retulerat Semipelagianos eidem attribuere illam ſuam præſcientiam mediam, ſuorum errorum fundamentum, propter quoddam S. Auguſtini teſtimonium, antè exortam hæreſim Pelagianam, in quo diſputans adversùs Paganos dixerat, tunc voluiſſe apparere Chriſtum, & apud illos prædicari doctrinam ſuam, quandò ſciebat, & ubì ſciebat eſſe qui in eum erant credituri: explicans, inquam, S. Auguſtinus *in cap. 9. de prædeſt. Sanct.* hæc ſua priora verba, & præcludens falſam intelligentiam Pelagianorum, poſtquàm omnia retulit de verbo ad verbum, quæ in illo objecto teſtimonio dixerat, ſic concludit: e *Cernitiſ-nè, me ſine præjudicio latentis conſilij Dei, aliarumque cauſarum, hoc de præſcientiâ Chriſti dicere voluiſſe, quod convincendæ Paganorum infidelitati, qui hanc objecerant quæſtionem, ſufficere videretur? Quid enim eſt verius, quàm præſciſſe Chriſtum, qui & quandò, & quibus locis in eum fuerant credituri?*

c *Tom. 10. col. 801. & ſeqq.*

d *Tom. 9. n. 172. col. 265.*

e *Tom. 10. n. 18. col. 802. & 803*

credituri? Sed utrùm prædicato ſibi Chriſto à ſeipſis habituri eſſent fidem, an Deo donante ſumpturi, id eſt, utrùm tantummodò eos præſcierit, an etiam prædeſtinaverit Deus, quærere ac differere tunc neceſſarium non putavi. Proindè quod dixi, tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quandò ſciebat, & ubi ſciebat eſſe qui in eum fuerant credituri, poteſt etiam ſic dici, tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quandò ſciebat, & ubi ſciebat eſſe, qui electi fuerant in ipſo antè mundi conſtitutionem. Sed quoniàm, ſi ità diceretur, lectorem faceret intentum ad ea requirenda, quæ nunc ex admonitione Pelagiani erroris neceſſe eſt copioſiùs & laborioſiùs diſputari: viſum mihi eſt, quod tunc ſatis erat, breviter eſſe dicendum; exceptâ, ut dixi, altitudine ſapientiæ & ſcientiæ Dei, & ſine præjudicio aliarum cauſarum, de quibus non tunc, ſed aliàs opportuniùs diſputandum putavi.

Omnia hæc verba lecta ſunt in conſpectu Sanctiſſimi. Quibus verbis S. Auguſtinus, ut etiam RR. PP. dicunt, loquitur de ſcientiâ mediâ ſeu conditionatâ; quià loquitur de præſcientiâ, quâ præſciat Deus, qui in eum erant credituri, ſi eis Evangelium prædicaretur: de quâ etiam locutus fuerat in priori illo loco, qui ſibi à Pelagianis objiciebatur; & manifeſtè docet, ſe nomine illius præſcientiæ conditionatæ, nunquàm intellexiſſe certam aliquam præſcientiam de bono uſu hominis antè electionem divinæ voluntatis, & antè prædeſtinationem & decretum divinum, ſed poſt electionem talem; docetque apertè nihil eſſe verius, quàm ſciviſſe Chriſtum, qui in eum eſſent credituri, ſi eis Evangelium prædicaretur; & ſimiliter docet nihil eſſe verius, quàm id præſciviſſe Chriſtum, non antè, ſed poſt electionem & decretum divinæ voluntatis. Damnat igitur S. Auguſtinus apertè certam in Deo præſcientiam de aliquo bono uſu hominis antè electionem & decretum divinæ voluntatis dantis illum bonum uſum hominibus.

Magìs hoc explicatur. Nàm ſanctus Auguſtinus in illo loco nec mentionem aut verbum aliquod facit de certâ præſcientiâ ſecundùm quod conſtituebatur à Semipelagianis cauſa prædeſtinationis & gratiæ; ſed totus inſiſtit in damnandâ hâc mediâ præſcientiâ ſecundùm quod certa à Semipelagianis conſtituebatur de bono uſu hominis antè electionem & decretum divinæ voluntatis, & ſecundùm quod tribuebatur S. Auguſtino à Semipelagianis, quòd ipſe ſentiret eſſe in Deo certam illam præſcientiam antè decretum & electionem divinæ voluntatis. Igitur S. Auguſtinus in terminis damnat hanc præſcientiam, ſecundùm quod certa conſtituitur in Deo antè decretum divinæ voluntatis. Quamvìs enìm S. Auguſtinus in proceſſu hujus Libri expugnet etiam hanc præſcientiam ſecundùm quod à Semipelagianis conſtituebatur cauſa prædeſtinationis & gratiæ; tamen *in hoc cap. 9.*, in quo incipit agere contrà iſtam præſcientiam, incipit primam radicem ac primum fundamentum totius malæ doctrinæ eradicare, damnando eſſe in Deo certam aliquam præſcientiam de aliquo bono uſu hominis antè electionem & decretum divinæ voluntatis illum tribuentis. Nec enìm fuit contentus S. Auguſtinus, ſi tantùm expugnaret præcipuum finem ad quem hæc media ſcientia ordinabatur à Semipelagianis, impugnando illam eſſe cauſam prædeſtinationis & gratiæ: ſed hujus potiſſimum fundamentum negavit, negando talem præſcientiam eſſe certam antè electionem & decretum divinæ voluntatis.

Ratio autem à priori, ob quam meritò S. Auguſtinus impugnat hanc mediam præſcientiam ſecundùm quod certa conſtituitur antè decretum divinæ voluntatis, illa eſt; quià aliàs præſciret Deus hominem ex ſe habere bonum aliquem uſum, quem non haberet ex Deo dante participatum.

Qui

Qui maximus error eſt, & aliorum errorum origo, & in quo S. Auguſtinus & S. Proſper potiſſimè inſiſtebant. Igitur manifeſtum eſt S. Auguſtinum impugnaſſe *in illo cap. 9. de prædeſtinat. Sanct.* hanc mediam præſcientiam ſecundùm quod à Semipelagianis conſtituebatur in Deo de aliquo bono uſu hominis ante electionem & decretum divinæ voluntatis.

Cùm autem fuerint his convicti Defenſores mediæ ſcientiæ, S. Auguſtinum impugnaſſe hanc illorum mediam ſcientiam ſecundùm quod certa in Deo conſtituebatur de bono uſu hominis antè electionem & decretum divinæ voluntatis; ad aliam quartam divertunt reſponſionem, dicentes: S. Auguſtinum impugnaſſe quidem hanc mediam ſcientiam ſecundùm quod à Semipelagianis certa in Deo conſtituebatur de bono uſu hominis antè decretum & electionem divinæ voluntatis; non autem ſecundùm quod conſtituitur à Molinâ. Quià Semipelagiani dicebant præſcire Deum per illam homines ex ſeipſis credituros, ſi eis tantùm prædicaretur exteriùs Evangelium, abſque aliquo interiori dono gratiæ. At verò Molina hoc non dicit; ſed admittit interius gratiæ donum, & præſcire Deum homines credituros & conſenſuros, ſi Deus ità illos interiùs vocaverit ad fidem. Hæc eſt ſolutio in quâ ab his Patribus fit major inſtantia.

Sed ſolutio iſta, ſicut & aliæ præcedentes, non minùs contrà mentem & apertam ſententiam S. Auguſtini exiſtit: quià Semipelagiani non tantùm errabant in eo quòd dicebant præſcire Deum homines eſſe credituros ſine auxilio interiori gratiæ, ſi tantùm eis Evangelium exteriùs prædicaretur; ſed etiam errabant, quià dicebant, præſcire Deum homines ſine adjutorio gratiæ ex ſe benè operari, & in gratiâ perſeverare, ſi tale adjutorium eis daretur; ut apertè conſtat *ex epiſt. S. Proſperi ad S. Auguſtinum ℣. illud etiam qualiter.* a Immò id expreſſiùs conſtat ex S. Auguſtino *in Libris de prædeſt. Sanct., & de dono perſev.* Sicut enim in Libro de prædeſtinatione Sanctorum damnavit Semipelagianorum præſcientiam, quâ dicebant homines ex ſeipſis credituros, ſi eis tantùm Evangelium prædicaretur exteriùs, & non ex Deo donante ut crederent; ità etiam in alio Libro de dono perſeverantiæ per totum, damnavit Semipelagianorũ præſcientiam, quâ dicebant præſcire Deum homines ſub adjutorio gratiæ perſeveraturos ex ſeipſis, & non ex Deo dante, & efficaciter faciente quòd perſeverarent.

a Tom. 10. num. 8. col. 784.

Igitur, etiamſi Molina admittat illam quam vocat interiorem gratiam, quæ ſi ponatur, præſcit Deus homines credituros & conſenſuros, præſcientiam reverâ admittit, quæ à S. Auguſtino contrà Semipelagianos manet damnata. Secundò, quià etiamſi ponatur illa gratia interiùs excitans, invitans, & alliciens hominis voluntatem, ſemper verificatur, quòd præſcit Deus illum hominem ex ſe conſenſurum, & ſe determinaturum ad conſentiendum, ut Defenſores hujus mediæ ſcientiæ ſecundùm illam expreſsè dicunt: non autem verificatur præſcire Deum homines credere, Deo donante & faciente quòd credant; ut expreſsè etiam affirmant. Sed ſanctus Auguſtinus *in hoc cap. 9. de prædeſt. Sanct.*, in hoc principaliter inſiſtit: quod eſt damnare præſcientiam quâ Deus ſciat homines ex ſe credituros, & non ex Deo donante & faciente ut credant. Ergò damnat expreſsè illam mediam ſcientiam, etiamſi ponatur cum illis excitationibus & invitationibus interioribus, quibus Deus non donat, nec facit homines credere.

Inſuper tertiò, ſecundùm expreſſam ſententiam S. Auguſtini *Lib. de grat. Chriſti contrà Celeſt. & Pelag. capp. 7. 8. 9. 10. & ſeqq.* b Et *epiſt. 107. ad Vital.* c Et clariùs *Lib. 1. q. 2. ad Simplicianum* d: illæ excitationes & invitationes interiores, quæ verè non faciunt hominem credere & conſentire, ſed ſolùm excitant & invitant, non

b Tom. 10. col. 233. & ſeqq.

c Nunc 217. tom. 2.

d Tom. 6. n. 2. col. 89. & alibi.

Digitized by Google

non recedunt à lege atque doctrinâ; quod ſæpè ex S. Auguſtino fuit oſtenſum: ergò idem judicium ſumendum eſt de illis, ac de prædicatione & doctrinâ exteriori: ergò ſicut damnat S. Auguſtinus præſcientiam, quâ Deus præſciat homines ex ſeipſis conſenſuros & credituros, ſi ipſis tantùm Evangelium exteriùs proponetur; etiam damnat præſcientiam, quâ Deus præſciat homines ex ſeipſis credituros, ſi eis adhibeantur illæ interiores excitationes & invitationes, ſicut ponitur per iſtam mediam ſcientiam.

Concludendum eſt ergò, hanc mediam ſcientiam, non obſtantibus prædictis ſolutionibus, omni ex parte & ſecundùm omnem rationem manere per S. Auguſtinum expugnatam; & ſecundùm quod ex ipſâ ſequitur illa præſcientia abſoluta; & ſecundùm quod conſtituitur cauſa prædeſtinationis & gratiæ; & ſecundùm quod certa in Deo conſtituitur de bono uſu hominis antè electionem & decretum divinæ voluntatis; & ſecundùm quod ponitur cum illis interioribus invitationibus & excitationibus; & deniquè ſecundùm omnem rationem quæ à Molinâ introducitur.

Omitto SS. Proſperum, Hilarium, atque Fulgentium, qui ſemper docuerunt præſcientiam boni uſûs ſequi ad decretum divinæ voluntatis. Et potiſſimè de hoc tractat Fulgentius per totum Librum de prædeſtinatione ad Monimum. S. etiam Proſper, præter citata loca, id expreſsè dicit *Lib. contrà Collat. cap. 35.* a Ubì reprehendit Caſſianum, quià dixerat: Tantam poteſtatem dediſſe Dominum Tentatori ad tentandum, quantam noverat eſſe in Job virtutem ad reſiſtendum. Contrà quem dicit: *Diceres potiùs: quantam & illi reſiſtendi noverat ſe dediſſe virtutem.* Ubì concludit: quòd iſta præſcientia conſtituit *Deum inſpectorem non operatorem noſtrorum operum.*

a *In App. tom. 10.*

Omitto etiam perpetuam doctrinam S. Thomæ, qui ſemper hanc negavit præſcientiam. V. G. *q. 6. de veritate art. 3. citato.* Et *1. p. q. 23. art. 5.* docet expreſsè Deum non præſcire hominem benè uſurum gratiâ ex ſe, ſed ex ipſâ gratiâ. Et *1. p. q. 19. art. 8.* docet apertè primam radicem contingentiæ eſſe efficaciam divinæ voluntatis, ſine quâ nec poteſt eſſe aliqua contingentia in effectibus; & ex conſequenti non poteſt cognoſci. Et ſimilia docet in multis aliis ſuæ doctrinæ teſtimoniis.

Omitto etiam Scotum, qui *in 1m. diſt. 39., in 2m. diſt. 37., in 4m. diſt. 49., & in quodlibb. q. 16.* docet Deum contingentia futura non cognoſcere, niſi in determinatione ſuæ voluntatis.

Omitto etiam communem omnium Scholaſticorum doctrinam unanimiter dividentium & adæquatè divinam ſcientiam, in ſcientiam neceſſariam, quæ vocatur ſimplex intelligentia; & in liberam, quæ vocatur ſcientia viſionis. Nec aliquandò nominarunt, vel intellexerunt aliam tertiam mixtam, ſeu mediam ſcientiam.

Sed omittenda nullo modo eſt diverſitas maxima, immò plana contradictio multiplex, quâ Defenſores ſcientiæ mediæ adversùs ſeipſos pugnant. Molina enìm primus dixit, *q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 11. §. de ſecundâ*, b parùm aut nihil de hâc mediâ ſcientiâ fuiſſe locutos SS. Patres & Scholaſticos Doctores. At verò Franciſcus Suarez *Lib. de ſcientiâ conditionatâ cap. 2.* dicit familiarem fuiſſe hanc mediam ſcientiam & antiquis Patribus, & Doctoribus Scholaſticis.

b *Pag. 369. col. 2.*

II°. Molina dicit, *eâd. q. 23. diſp. 1. memb. 6. §. quòd ad Auguſtinum*, c S. Auguſtinum exiſtentem in illâ quaſi ſuâ caligine, ad iſtam mediam ſcientiam non attendiſſe pro concordandâ libertate cum gratiæ donis. Et tamen Franciſcus Suarez *citato loco*, S. Auguſtino hanc mediam ſcientiam laborat adſcribere.

c *Pag. 332. col. 2.*

III°. Molina *q. 23. diſp. 1. in ultimis verbis totius diſputationis*, d dicit expreſsè, à nemine, quem ipſe viderit, fuiſſe traditam huc uſque conciliationem arbitrij cum gratiâ per hanc mediam ſcientiam. Cæterùm Franciſcus

d *Pag. 389. col. 2.*

Suarez

Digitized by Google

Suarez *loco citato in capp. 2. & 3.* illam mediam ſcientiam dicit traditam à SS. Patribus, & Doctoribus.

a Pag. 227. col. 2. b Ibidem. IV°. Molina *diſp. 52.* §. *triplicem*, a & §. *ſciſcitabitur*, b dicit hanc mediam ſcientiam nullâ ratione eſſe liberam, nec reducendam ad ſcientiam viſionis. Et tamen Franciſcus Suarez *loco citato cap. 3.* §. *ſemper tamen*, affirmat hanc mediam ſcientiam eſſe ſimpliciter liberam ex parte objecti, & pertinere ad ſcientiam viſionis.

V°. Aliqui Defenſores hujus ſcientiæ mediæ, ipſâ ſuppoſitâ, admittunt divinæ voluntatis prædefinitiones reſpectu omnium noſtrarum bonarum operationum; ut Gabriel Vaſquez *1. p. diſp. 99. cap. 5.* §. *horum tamen ſententia.* Molina autem illas omninò negat. At verò Franciſcus Suarez, hâc mediâ ſcientiâ præſuppoſitâ, reſpectu aliquarum noſtrarum bonarum operationum non reſpectu omnium illas admittit.

VI°. Molina *diſp. 52.* §. *quæret fortaſſis*, c negat Deum hâc mediâ ſcientiâ præſcire antè ſuæ voluntatis determinationem, quid ſua voluntas actura ſit, quià aliàs ab eâ tolleret libertatem. Et tamen alij Defenſores ſcientiæ mediæ illam etiam conſtituunt reſpectu divinæ voluntatis.

c Pag. 228. col. 2.

VII°. & ultimò Molina *diſp. 52.* §. *quæret fortaſſis*, d explicando modum, quo Deus cognoſcit per hanc ſcientiam futura conditionata, dicit: quòd illa cognoſcit in eminentiſſimâ comprehenſione, quâ infinito exceſſu comprehendit arbitrium creatum. At verò Franciſcus Suarez dicit *in Lib. 2. de ſcient. futur. condit. capp. 7. & 8.*: hæc eſt mea ſententia, non cognoſcere Deum illa futura in tali comprehenſione, ſed in ipſâ veritate, in ſeipsâ; quià, videlicèt, eſt determinata ad unam partem: ſed iſtam determinationem ad unam partem dicit Molina *in diſp. 52.* §. *quidam contendentes*, e & §. *verumtamen*, f eſſe contrà communem Doctorum ſententiam, & tollere arbitrij libertatem.

d Ibidem. e Pag. 230. col. 2. f Ibidem.

Tanta autem diverſitas, & tàm aperta contradictio in fundando potiſſimo, immò unico totius doctrinæ ſuæ fundamento, quid aliud oſtendit, quàm RR. PP. in hoc ſuo fundamento firmum fundamentum non invenire, & proptereà ſic fluctuare?

Rationibus etiam plurimis impoſſibilitas hujus mediæ ſcientiæ poterat demonſtrari; quibus omiſſis unam vel alteram proponam.

I°. igitur hæc ſcientia media certam cognitionem & perfectionem mendicaret à creaturâ, quod dici nullo modo poteſt. Probatur breviter. Nàm ſecundùm iſtam mediam ſcientiam, prima omnium radix quarè Deus cognoſcat liberum arbitrium hoc facturum, eſt quià ità liberum arbitrium ex ſuâ innatâ libertate eſt facturum: ergò objectum illud creatum eſt prima radix ob quam Deus illud certò cognoſcit: & ſic certa Dei cognitio ſicut à primâ radice pendet & ſumitur à creato illo objecto.

Nec valet reſpondere, divinam eſſentiam repræſentantem illud objectum creatum, eſſe objectum illius certæ cognitionis. Nàm ſecundùm iſtam mediam ſcientiam, ideò divina eſſentia repræſentat liberum arbitrium hoc eſſe facturum; quià ità liberum arbitrium ex ſuâ innatâ libertate facturum eſt; ergò prima radix quarè divina eſſentia illud repræſentat, eſt creatum illud objectum; & ſic idem quod priùs.

II°. hæc media ſcientia negat apertè divinam primam cauſalitatem, tàm in eſſe naturæ, quàm in eſſe gratiæ; ergò intolerabilis eſt. Antecedens, ut crediderim, ſatis à me fuit oſtenſum in præcedenti Congregatione, & modò ſummâ brevitate probatur. Nàm per hanc mediam ſcientiam cognoſcit Deus, non quod ipſe facturus eſt ut faciat homo ſi in tali ordine rerum conſtituatur, ſed quod ipſe homo ex ſe facturus eſt, Deo ſimul influente, vel potiùs ſubſequente: ergò per hanc mediam ſcientiam cognoſcit Deus hominem in illâ ſuâ operatione à primâ cauſalitate non dependere. Et ſic negat primam cauſalitatem.

III°. hæc media ſcientia ponit Deū non habere certam cognitionem horum contingibilium, & Deum conſtituit non eſſe præſcium futurorum. Probatur oſtendendo impoſſibilem utrumque modum, quem Defenſores hujus mediæ ſcientiæ conſtituunt. Primò Molina dicit Deum cognoſcere hæc contingentia futura in comprehenſione altiſſimâ & eminentiſſimâ, quâ comprehendit creatum arbitrium: ſed in hâc comprehenſione impoſſibile omninò eſt quòd Deus id certò cognoſcat: ergò &c. Minor probatur à Franciſco Suarez *in cap. 7. citato*, §. *hac ſententia*, ubi ex ratione demonſtrativâ S. Thomæ convincit, impoſſibile eſſe talem certam cognitionem in illâ comprehenſione habere; quià in causâ indifferenti & indeterminatâ ad duo, impoſſibile eſt unum determinatè cognoſcere: ſed liberum arbitrium, etiam conſtitutum ſub omnibus illis conditionibus conſtitutis per mediam ſcientiam, eſt indifferens & indeterminatum ad hoc vel illud agendum: ergò in comprehenſione talis arbitrij impoſſibile eſt unum determinatè cognoſci. Immò quantò magìs Deus infinito exceſſu comprehendit liberum arbitrium, tantò magìs ejus indifferentiam & indeterminationem cognoſcit. Undè in tali comprehenſione nequit cognoſci liberum arbitrium eſſe ad unam partem determinatum.

Undè Franciſcus Suarez alium tradit hujus certæ cognitionis modum, dicens: certò cognoſcere Deum per illam mediam ſcientiam illud conditionatum futurum in ipsâ veritate, in ſeipsâ; quià, videlicèt, determinata eſt ad unam partem, ſi talis conditio apponatur. Sed iſte dicendi modus multò magìs eſt impoſſibilis, quàm ille qui à Molinâ aſſignatur. 1°. Quià ſi antè decretum divinæ voluntatis eſt determinatè verum, quòd liberum arbitrium hoc acturum eſt, ſi ſic vel ſic conſtituatur; ergò jàm illa determinata veritas à primâ causâ liberâ non dependet. Prætereà, quià admittere illud futurum eſſe in ſeipſo determinatum, antequàm intelligatur cauſa ad illud determinata, omninò impoſſibile redditur. Cùm igitur per hanc mediam ſcientiam negetur primæ cauſæ determinatio, & etiam determinatio cauſæ ſecundæ, quià ponitur indifferens & indeterminata, impoſſibile eſt intelligere illud futurum eſſe in ſeipſo determinatum.

IV°. & ultimò: hæc media ſcientia tollit omninò à libero arbitrio omnem ejus libertatem quòad exercitium actûs. Eâdem enim viâ quâ plùs æquo extollit arbitrium, ipſum deſtruit. Probatur. Nàm hæc media ſcientia certa in Deo conſtituitur; ergò ejus objectum eſt certum; ſed objectum ejus eſt, liberum arbitrium ſi in tali rerum ordine collocetur ſe determinaturum certò & infallibiliter ad illud volendum; ergò certum eſt & infallibile, quòd liberum arbitrium ità ſe determinabit ad hoc determinatè volendum. Tunc rursùs: ità certa & infallibilis arbitrij determinatio non provenit ex determinatione primæ cauſæ, quæ tàm tenaciter negatur; nec provenit ex illo ordine rerum & circumſtantiarum quæ liberum arbitrium non determinant; nec provenit ex priori actu arbitrij, quià de illo priori idem fit argumentum; ergò neceſſe eſt, quòd illa certa arbitrij determinatio proveniat ex ipsâ arbitrij propriâ naturâ, vel ex aliquâ complexione, aut causâ naturali quæ neceſſariam connexionem habeat cum talibus conditionibus, ut ſic illis poſitis operetur: ergò arbitrium ex naturâ ſuâ eſt determinatum ad ſic operandum poſitis illis conditionibus.

Nec infringitur vis rationis hujus, dicendo magìs verbis quàm reipsâ: ipſum arbitrium ex ſuâ innatâ libertate ſe determinaturum; tùm quià nulla aſſignatur ratio, quarè magìs ad hanc partem certò ſe determinabit, quàm ad aliam; tùm etiam quià libertas arbitrij hoc habet ex ſe, quòd ad hoc vel illud poſſit ſe determinare: non autem libertas arbitrij hoc habet, quòd poſitis talibus conditionibus hoc

certò

certò & determinatè ſit volitura. Hæc enìm certa futura determinatio ex libertate arbitrij non provenit, ſed aliundè debet provenire. Ratio iſta, eſt demonſtratio facta ab Ariſtotele *Lib. 1. de interpret. cap. ult.*, ubì apertè demonſtrat, quòd ſi futurum contingens ſingulare ex naturâ ſuâ & ex propriis meritis ponatur determinatè futurum, illud jàm non erit contingens, nec liberum, ſed abſolutè & ſimpliciter neceſſarium: & ità docet, quòd periret omnis rerum contingentia; ſed illud futurum contingens ſingulare ponitur determinatè futurum ex propriis meritis, propriâque naturâ; ergò convincit Ariſtoteles, quòd illud non eſt contingens vel liberum, ſed abſolutè neceſſarium.

Ad objecta omnia unicâ diſtinctione reſpondetur. Diſtinguendum enìm eſt de futuris conditionatis: hæc enìm omnia ſunt in duplici differentiâ. Quædam ſunt quæ ex meritis propriis propriâque naturâ tenent ex vi illationis & bonitatis conſequentiæ, & ex ſuâ naturâ dicunt infallibilem ordinem & neceſſariam habitudinem & connexionem cum conditionibus illis quæ in ipſis exprimuntur; & iſta futura ſicut in illatione neceſſariâ fundantur, ità neceſſaria ſunt, & propoſitiones quæ de ipſis formantur, veritatem continent neceſſariam. Nec illatio illa ſeu veritas conditionis talis ab aliquâ libertate dependet; qualia ſunt V. G. ſi Thomas diſputat, loquitur: ſi Petrus currit, movetur: ſi Deus creaverit alium mundum, ipſum gubernabit: ſi divina voluntas aliquid efficaciter voluerit, illud erit: ſi Deus dederit alicui efficax auxilium ad liberam converſionem, liberè convertetur: ſi Deus efficaciter permiſerit hominem peccare, homò liberè peccabit. In his enìm & ſimilibus, illatio & conſequentia eſt neceſſaria. Licèt enìm, quòd Thomas diſputet, & liberè diſputet, ex divinâ proveniat voluntate; tamen, quòd ſi diſputat, loquatur: illativa illa veritas à nullâ causâ liberâ dependet, ſed neceſſaria eſt. Quâ ratione, impoſſibile redditur omninò, quòd ſi diſputat, non loquatur. Similiter, quòd Deus det alicui auxilium efficax, ex liberâ Dei gratiâ deſcendit; & quòd homo, illo poſito, convertatur, ex divinâ voluntate primò, & etiam ex liberâ hominis voluntate dependet. Cæterùm illativa iſta veritas conditionalis: ſi Deus dederit alicui auxilium efficax ad liberam converſionem, ille liberè convertetur, infallibilis & neceſſaria veritas eſt, quæ à S. Thomâ *q. 24. de veritate art. 1. ad 13.* Et *Lib. 1. contrà Gentes cap. 6.* Et *6. Metaph. lect. 3.* Et *Opuſc. 48. cap. ult.* Et *1. p. q. 25. art. 3. ad 2.*, vocatur hâc ratione neceſſitas conſequentiæ; non conſequentis; quià, videlicèt, conſequentia & illatio, in quâ eſſentialiter conſiſtit veritas illius conditionalis, neceſſaria eſt; licèt conſequens ſit abſolutè contingens & liberum. Undè cùm Deus cognoſcit hoc conditionatum futurum: ſi huic homini dedero auxilium efficax ad ſui liberam converſionem, ille liberè convertetur, nihil aliud cognoſcit, niſi efficaciam ſuæ voluntatis, & omnipotentiæ ſuæ, cujus propria natura eſt, quòd ſemper impleatur. Iſta ergò futura conditionata, ſicut neceſſaria ſunt, ab aliquâ libertate non dependentia, ità cognoſcuntur à Deo per ſcientiam neceſſariam in Deo, quæ eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ.

In ſecundo genere ſunt futura conditionata contingentia & libera, quæ proindè ex propriis meritis, propriâque naturâ, non tenent ex vi illationis & conſequentiæ, nec infallibilem dicunt habitudinem cum conditionibus quæ in ipſis exprimuntur. V. G. ſi Petrus fuerit domi, leget: ſi infans qui è vitâ rapitur diutiùs viveret, peccaret: ſi Rex percuſſiſſet quinquiès, ſexiès vel ſeptiès baculo terram, deſtruxiſſet totaliter Syriam, *4. Reg. 13.*. Omnia iſta & ſimilia non dicunt certam & infallibilem connexionem cum ſuis conditionibus; ſed quædam dicunt adhuc poſitis conditionibus æqualem omninò indifferentiam ad illum actum qui in ipſis exprimitur, ſicut ad

quemlibet alium ; ut in exemplo primo patet. Ex vi enìm hujus conditionis : ſi Petrus fuerit domi, non magìs ſequitur quòd legat, quàm quòd oret, vel dormiat, vel quid ſimile faciat. Quædam autem ſunt, quæ majorem inclinationem & propenſionem habent cum actu qui in illis exprimitur, quàm cum alio, citrà infallibilitatem tamen. Sicut eſt illud in exemplo ſecundo poſito : ſi infans diutiùs viveret, peccaret ; quià natura lapſa in hominibus magìs inclinat ex ſe ad peccatum, quàm ad benè operandum. Tandem alia ſunt, quæ dicunt cum ſuis conditionibus habitudinem diſparatam ; quale eſt illud : ſi percuſſiſſes totiès terram, deſtruxiſſes Syriam ; quod ex propriis meritis antè divinæ voluntatis determinationem, connexionem importat diſparatam, & potentem per accidens evenire. Igitur iſta conditionata hujus ſecundi ordinis, ſicut ante decretum divinæ voluntatis conſiderata ex propriis meritis propriâque naturâ, infallibilem veritatem non continent in ratione futuri ; ità à Deo antè decretum voluntatis non cognoſcuntur ut certò futura ; niſi dicamus (quod abſit) falsò divinum intellectum intelligere rem aliter, quàm ipſa ſit. Poſt decretum autem divinæ voluntatis, volentis & ordinantis quòd poſitis illis conditionibus illud ponatur ; (ſicut ordinaverat ; quòd ſi ille Rex totiès baculo terram percuteret, Syriam devaſtaſſet,) per ſcientiam viſionis, quæ libera eſt in Deo, & decretum liberum divinæ voluntatis ſupponit, certò à Deo cognoſcuntur, in ratione futuri. Et per has duas regulas explicantur & intelliguntur omnia quæ poſſunt ad hanc materiam pertinere ; & omnibus quæ poſſunt objici perfectè reſpondetur.

Ad ea quæ P. R. dixit, licèt non oporteret reſpondere, dicam tamen. Igitur primò poſt longum præambulum, ad hoc venit, quòd Dubium præſens debebat dividi in tria. 1°. An Deus cognoſcat hæc conditionata futura ſivè certò, ſivè incertò ? 2°. An Deus cognoſcat certò ? 3°. An certò illa cognoſcat antè decretum abſolutum divinæ voluntatis ? Ad quod tamen dicendum, P. dividere punctum indiviſibile. Una enìm ſimplex & indiviſibilis veritas eſt quæ proponitur : An, videlicèt, ante decretum abſolutum divinæ voluntatis Deus certò cognoſcat hæc contingibilia ? Sed intentionem ſatìs verbis declarat. Quid intendat, ſatìs manifeſtat.

Deindè conſtituit concluſionem affirmativam : Deum, videlicèt, ſcire hæc futura conditionata ſivè certò, ſivè incertò. Et nobis attribuit, quòd hanc concluſionem negemus. Quod certè ità non eſt ; fatemur enìm Deum cognoſcere omnia futura conditionata, ſecundùm quod propria ipſorum natura poſtulat, ut jàm explicavi.

Præterea ipſe P. duodecim teſtimoniis Scripturæ ſuam concluſionem probavit, & eâdem facilitate poterat adducere quinquaginta. Ad quæ reſpondetur : quòd non militant contrà id quod modò propoſui. Immò probant Deum illa futura conditionata cognoſcere, non antè, ſed poſt decretum ſuæ voluntatis.

Præterea adduxit locum S. Auguſtini *ex cap. 8. Lib. de correptione & gratiâ.* a Sed teſtimonium hoc nullo modo procedit de ſcientiâ futurorum ſub conditione, ſed de ſcientiâ futurorum abſolutorum. Quod ſic oſtendo. Et ibì legit locum, oſtendens qualiter procedat de præſcientiâ abſolutâ, quâ Deus prævidit præſcitum in peccato moriturum, nec tamen cùm eſſet in gratiâ illum à vitâ voluit eripere. Dixitque prædictus F. Thomas de Lemos : ſi iſte locus non eſt viſus, parùm retulerit.

a Tom. 10. n. 19. col. 760.

Præterea adduxit inſignem illum Magiſtrum Salmanticenſem ex familiâ Auguſtinianâ, qui dicebat : omnes homines, etiam idiotas, eſſe teſtes ſuo communi modo loquendi, quòd Deus ſciat hæc futura conditionata : cùm enìm quæritur, quid futurum eſſet de eis, ſi alibì fuiſſent, reſpondent : Deus ſcit. Ad quod dicitur : illos

idiotas

Digitized by Google

idiotas benè reſpondere, quòd Deus id ſciat. Sed Theologus ulteriùs debet aſcendere ad primam hujus cauſam, & dicere Deum id ſcire, quià ipſe ſcit quid determinaſſet in caſu illo, vel quid tunc eſſet facturus ut fieret.

Deindè illud probabat ratione Theologicâ: quià ad perfectionem divinæ providentiæ pertinet, ut ſciat hæc futura conditionata. Ad quod reſpondetur, hanc mediam ſcientiam negare divinam providentiam, ſicut negat divinam prædeſtinationem. Nec ad divinam providentiam pertinet ſcire, quid homo ex ſe facturus eſt, exſpectando hominis voluntatem. Satìs eſt, ſi Deus ſciat omne quod ipſe voluerit, ità futurum eſſe. Nec oportet exſpectare & videre quid homines facturi ſunt, ſicut ſpectat & attendit ad iſta humana providentia imperfecta. Volunt enim RR. PP. per hanc mediam ſcientiam, quòd ſicut aliquis ſpectat bonum tempus, ſi eſt accommodatum ad ambulandum in agrum, ità exſpectet Deus has obſervationes ad hominem convertendum.

Præthereà induxit orationes hominum piorum, immò Eccleſiæ ipſius, quæ petit à Deo, ut nobis bona concedat, ſi viderit ea nobis profutura, aliàs non. Ad quod dicitur: certè id ſub conditione à Deo poſtulari; quià nos neſcimus quid nobis conveniat. Undè & petimus ut divina voluntas in nobis impleatur, dando nobis bona, quæ ad ſalutem nobis proſint. Et ſic concluſit diſputationem ſuam prædictus F. Thomas.

Statìm autem P. Vaſtida dicebat, prædictum F. Thomam ſibi finxiſſe hoſtem quem feriret; affirmabatque ſe non dediſſe illud Scriptum de ſcientiâ mediâ.

Cui F. Thomas: hoc Scriptum à vobis factum fuit. Et legebat titulum ejus. *Reſcriptum de ſcientiâ mediâ à Patribus Societatis.* Simulque oſtendebat in eodem Scripto reſponſiones à ſe datas illi Scripto.

Tunc rursùs Vaſtida: Nos non dedimus hoc Scriptum Congregationi; quià ſolùm dedimus Congregationi brevem Reſponſionem ad quatuordecim propoſitiones, quæ agebant de ſcientiâ mediâ.

Cui F. Thomas: ſivè datum fuerit Congregationi, ſivè non; hoc certum eſt, quòd veſtrum eſt hoc Scriptum, & quòd pluſquàm centum vel ducenta tranſſumpta ſunt à vobis per Urbem publicata. Immò in illâ Reſponſione ad propoſitiones quatuordecim modò relatâ quam tradidit Pater Cobos, habetur expreſsè hoc ipſum quod in hoc Scripto, videlicèt, hâc mediâ ſcientiâ uſos fuiſſe Semipelagianos.

Poſteà dicebat Vaſtida: F. Thomam dixiſſe, omnia conditionata libera eſſe in duplici differentiâ; & ſtatìm ſubjunxit: quòd quædam erant neceſſaria, & quædam libera, quod implicabat.

Cui F. Thomas dixit: Non attendiſti P. ad ea quæ ego dixi. Ego ſolùm dixi, quòd omnia conditionata futura, etiam imaginabilia, erant in duplici differentiâ; quædam erant neceſſaria ex vi conſequentiæ & illationis, alia autem libera.

Tunc iterùm ipſe Vaſtida, referendo exempla illa de futuris allata à F. Thomâ, dicebat: dixit quòd iſta ſunt neceſſaria: Thomas diſputat, ergò loquitur: Deus dat alicui auxilium efficax, ergò convertetur.

Cui F. Thomas: P. nòn attendis ad ea quæ dixi. Ego non feci conſequentias abſolutas per verbum *ergò*, ſed conditionales; & dixi illas conditionales eſſe neceſſarias; & tamen tu illas facis abſolutas.

Tunc Vaſtida dixit: Iſta ergò eſt conditionalis neceſſaria: ſi Deus dat alicui auxilium efficax, ipſe convertetur. Ergò conſequens eſt neceſſarium, & ſic non eſt liberum.

Ad quod F. Thomas dicebat: illa conditionalis eſt conſequentia neceſſaria, & tamen antecedens eſt abſolutè liberum, & ſimiliter conſequens eſt abſolutè liberum; quià illatio poteſt

 eſſe

Digitized by Google

eſſe neceſſaria inter antecedens & conſequens quæ ſunt abſolutè libera. Quod ampliùs explicare non oportet, præter id quod jàm explicavi.

Tunc veniens idem Vaſtida ad impugnandum primam rationem à Fratre Thomâ factam, dicebat: ſi ex eo quòd Deus præſcit, quid liberum arbitrium facturum eſt, conſtituitur quòd Dei cognitio & perfectio pendeat à creaturâ, & ab objecto creato; ergò multi Doctores qui dicunt ideò Deum præſcire futurum quià ipſum futurum eſt, dicunt divinam cognitionem & perfectionem pendere à creaturâ. Et in particulari adducebat Romæum Caſtilionenſem Generalem S. Dominici, qui id dicebat, affirmabatque idem dicere S. Hieronymum.

Statìm autem F. Thomas dixit: eâdem ratione poterat adducere pluſquàm viginti, qui illam propoſitionem dicunt, ſed in ſenſu valdè alieno. Senſus enìm quem intendunt Doctores prædicti eſt, quem S. Thomas ipſos explicando adhibet *1. p. q. 14. art. 8. ad 1.* ubì ſic dicit: Et aperiens librum legit, tùm argumentum in contrarium, tùm ſolutionem, in quâ apertè dicebat duo. Primum eſt, quòd cùm Doctores dicunt: non ideò futurum eſſe aliquid quià Deus præſcivit, loquuntur de præſcientiâ in quantùm eſt pura ſpeculatio, non in quantùm habet voluntatem annexam, ſecundùm quam rationem eſt rerum cauſa. Loquendo enìm de Dei præſcientiâ ut habet voluntatem annexam, potiùs dicendum eſt, ideò futurum eſſe, quià Deus præſcivit. Secundò docet S. Thomas: quòd cùm Sancti dicunt aliam propoſitionem, videlicèt, ideò Deum præſcire futurum quià futurum eſt, verbum *quià* non dicit cauſam eſſendi, ſed cauſam conſequentis; ità quòd benè ſequatur: hoc futurum eſt, ergò Deus præſcivit. Quæ conſequentia tenet à poſteriori ſivè ab effectu. Sicut cùm dicimus: quià homo eſt riſibilis, eſt rationalis: quæ conſequentia tenet à poſteriori & ab effectu. At verò PP. RR., cùm dicunt per ſcientiam mediam Deum ideò præſcire quià futurum eſt, dicunt id eſſe à priori cauſam ob quam Deus præſcit. Itaque dicunt quidem verba materialiter tenta Doctorum & Sanctorum, ſed in ſenſu valdè alieno. Secundò SS. PP., cùm dicunt ideò Deum præſcire futurum quià ipſum futurum eſt, loquuntur de præſcientiâ peccatorum. Et ad oſtendendum illa non eſſe à Deo cauſata, ideò negant illa eſſe futura, quià Deus præſcivit, id eſt, quià cauſavit.

Tùm P. Vaſtida dicebat: Mihi ſufficit, quòd SS. ſic loquantur. Et procedens ad aliam rationem, negabat quòd per mediam ſcientiam tolleretur hominum libertas, ſicut probatum fuerat. Et aliqua dicebat non multùm ad rem pertinentia.

Tunc F. Thomas legit in Molinâ in Concordiâ, qualiter expreſsè ipſe dicat per illum modum quem defendit Suarez, & Vaſtida defendebat, tolli omninò libertatem. Qui locus ibì publicè fuit lectus.

Tandèm ipſe Vaſtida inſtabat ut ſibi reſponderetur: An Deus ſciat futura conditionata? Quià, ut aïebat, negabatur hoc à Defenſoribus gratiæ. Et inducebat quemdam diſcipulum S. Thomæ ſic noviter affirmantem. Referendo enìm ſententiam aliquorum dicebat: quidam negant Deum hæc futura cognoſcere.

Cui F. Thomas dixit: Deus cognoſcit illa futura, Diſtinguo: antè decretum ſuæ voluntatis, Nego; poſt illud, Concedo.

Ipſe autem Vaſtida dicebat: Conveniamus modò an Deus cognoſcat, & poſteà dicemus, ſi antè vel poſt decretum cognoſcit.

Cui iterùm F. Thomas: cognoſcit iſta futura, Diſtinguo: antè decretum, Nego; poſt illud, Concedo. Cùm autem ipſe non valeret diſtinctionem impugnare, ſed inſtaret, quòd conveniremus, an Deus cognoſcat hæc futura; F. Thomas dixit: Pater, non potes prævalere contrà diſtinctionem datam, in quâ conſiſtit tota difficultas, & determinatus ad unum dicis:

conveniamus,

conveniamus; & remittis te ad ulteriores Congregationes. Et his dictis, non recordor ſi aliud dictum fuit; ſed crediderim ſtatim finitam fuiſſe Congregationem, cùm duraſſet per quatuor horas & ampliùs.

Habita eſt coràm Sanctiſſimo in Vigiliâ S. Andreæ, videlicèt 29. Novembris 1604. Ex illuſtriſſimis Cardinalib' defuit Cardinalis Taberna; & ex Reverendiſſimis Epiſcopis defuit D. de monte Piloſo, quià infirmabatur, & D. Aquilanus, quià abſens erat.

Vide Hiſt. Congreg. de Auxil. Lib. 3. cap. 39. col. 542. & ſeqq.

CONGREGATIO TRIGESIMA QUARTA CORAM CLEMENTE VIII.

In quâ iterùm de Scientiâ-mediâ eſt diſputatum; & præcipuè nùm Deus per illam futura conditionata libera certò cognoſcat?

ACTUM fuit in hâc Congregatione de eodem Dubio in præcedenti Congregatione tractato; quià PP. Societatis ità poſtularant. Undè incipiens P. Vaſtida, ſic dicebat: Dubium propoſitum ità habet: *An ſit ſententia ſancti Auguſtini, quòd ante decretum abſolutum divinæ voluntatis detur in Deo cognitio certa & infallibilis contingibilium dependentium à causâ liberâ, qualem Molina per Scientiam-mediam Deo tribuit?*

Circà quod ità proponebat. In præcedenti Congregatione dixi, Deum cognoſcere hæc futura conditionata; nunc oſtendam illa Deum certò cognoſcere; & in Congregatione aliâ dicam, an illa cognoſcat antè vel poſt decretum divinæ voluntatis.

Statìm autem ſua Sanctitas dixit ei: quòd hoc altera pars non negabat. Ipſe autem Vaſtida dixit: quòd interrogaverat Sanctitatem Suam, quòd ſi ſibi daretur, quòd Deus certò cognoſcat illa futura conditionata, ulteriùs procederet ad diſputandum, an antè vel poſt decretum illa cognoſceret; & quòd ſua Sanctitas eidem reſponderit, ut faceret quod ſibi benè videretur.

Illicò Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Cardinalis de Monopoli dicebat etiam Vaſtidæ, quòd ſua Sanctitas ſupponebat, quòd illa futura certò cognoſcebantur, & inquirebatur tantùm: An antè vel poſt decretum cognoſcerentur certò? Et quòd oportebat ad hoc tertium venire, & tangere difficultatem.

Sed ipſe Vaſtida irreverenter ad hoc reſpondebat: ſe velle omninò ſuo modo diſputare, an certò cognoſcerentur, ſuppoſito quòd Sua Sanctitas taliter eidem reſponderat.

Tertiò Archiepiſcopus Armachanus idem omninò dicebat: quòd, videlicèt, difficultas erat: an antè decretum vel poſt, illa futura cognoſceret ipſe Deus?

Et nihilominùs perſeverans P. Vaſtida in ſuâ opinione, nullo modo acquieſcebat; ſed inſtabat ſe omnibus modis velle priùs diſputare: an certò cognoſcat? Quià ſi hoc eſſet firmum, facilè probaret in illâ Congregatione, quòd antè decretum illa certò cognoſcebat: affirmans quòd omnes moderni, qui hanc tractabant quæſtionem, priùs tractabant, an Deus illa cognoſceret? Secundò, an certò? Tertiò, an antè vel poſt decretum divinæ voluntatis? Suadens etiam quòd hoc decretum abſolutum de objecto conditionato à paucis conſtituebatur, ſed ſolùm à duobus vel tribus modernis Thomiſtis, non autem à Doctoribus antiquioribus,

Digitized by Google

antiquioribus. Undè tandem obtinuit quod petebat. Et permiſſus diſputare quod vellet, unicam Concluſionem affirmativam conſtituebat, dicendo: Deum certiſſimè cognoſcere omnia iſta futura conditionata. Hanc conſtituebat, ut dicebat, contrà eos, qui convenientes cum Calvino, Deo tribuebant conditionem conjecturalem, ſicut etiam cum eo conveniunt conſtituentes illam efficaciam gratiæ prædeterminantis.

Probabat concluſionem primò ex Sacris Litteris; & 1°. ex illo *Matth. 11.* a *Si in Tyro & Sidone facta fuiſſent virtutes quæ in te factæ ſunt, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.* Ubì Dominus certiſſimam pronuntiavit futuram illarum Gentium converſionem, ſi eis prædicatum fuiſſet Evangelium.

a *Math. 11. 21.*

2°. Id probabat ex illo *3. Reg. 11.* b ubì dicitur: *quòd Rex Salomon adamavit mulieres alienigenas de gentibus, ſuper quibus dixit Dominus filiis Iſraël: non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad veſtras. Certiſſimè enim avertent corda veſtra ut ſequamini Deos earum.* In quo loco Deus dicit eſſe certiſſimum hoc conditionatum futurum: ſi filij Iſraël ingrederentur ad mulieres alienigenas, certiſſimè averterentur corda eorum.

b *3. Reg. 11. 1. & 2.*

Item illud *1. Reg. 23.* c ubì conſuluit David Dominum: *Si tradent me viri Ceïlæ in manus ejus*, ſcilicèt Saülis, *& ſi deſcenderet Saül?.... & Dominus reſpondens dixit: tradent.* Ubì certiſſimum revelavit hoc conditionatum futurum: ſi David permanſiſſet Ceïlæ, traderent eum viri Ceïlæ Saüli. Ubì Dominus non revelavit aliquam conjecturalem vel incertam traditionem; ſed certiſſimam traditionem pronuntiavit futuram: ſi tamen inter Ceïlanos permaneret David.

c *1. Reg. 23. 11. & 12.*

Ex iſtis locis, multis verbis ponderando idipſum quod modò diximus, affirmabat: hæc futura conditionata, & omnia ſimilia cognoſci à Deo. Et ſubjungebat: quòd aliqui d hæc omnia, & alia ſimilia conditionata in Scripturâ poſita, explicabant & intelligebant, non quòd Dominus declaraſſet ipſum futurum conditionatum certiſſimè eventurum, ſi tales apponerentur conditiones, ſed quòd tantùm revelavit Deus id quod erat in diſpoſitione ſecundarum cauſarum, licèt id certò eventurum non eſſet. Sed iſta explicatio, ùt dicebat, eſt contrà ipſa Scripturæ teſtimonia, & maximam imperfectionem conſtituit in Deo: quaſi ipſe non habeat certam cognitionem illorum futurorum, ſed ſit quaſi dubius, habens conjecturalem cognitionem. Undè contrà iſtam explicationem, ut affirmabat, opponebat quatuor Eccleſiæ Doctores SS. Hieronymum, Ambroſium, Gregorium, & Auguſtinum, qui dicebant: quòd verbum *fortè*, quo ſæpè Deus in Scripturis utitur, dicens: e *ſi fortè audiant me*, non eſt dubitantis nec opinantis, nec conjecturantis, ſed certiſſimè prænunciantis; quià divina Majeſtas, ut SS. Doctores affirmant, nec opinatur, nec dubitat. Loca quibus ex SS. Doctoribus hoc probabat, referre non oportet, cùm hoc ſit certiſſimum, quòd SS. Doctores affirmant; nec de hoc aliquis unquàm dubitavit. Undè nec chartam implere iſtis locis oportet.

d Iſtos aliquos non nominavit.

Eſt autem iſta ſententia M. Curiel Salmãticenſis, doctrinæ Molinæ non parùm defenſoris.

e *Jerem. 26. 3. & aliis.*

Inducebat etiam Franciſcum Zumel *1. p. q. 14. de ſcientiâ Dei*, de quo dicebat: quòd cùm eſſet acerrimus doctrinę S. Thomæ defenſor tamen dicebat non eſſe tutum in fide negare Deum certò cognoſcere iſta futura talia; & negat illa cognoſci in decreto divinæ voluntatis abſoluto. Quem locũ ibì legebat.

Præterea tres rationes in ſummâ conficiebat, ad probandum, Deum certiſſimè hæc futura conditionata cognoſcere. I^a. ſic formabatur. Deus cognoſcit hæc futura conditionata, ut ex locis Scripturæ inductis patet, & ex omnibus aliis quæ in præcedenti Congregatione protulerat: Sed non poteſt dici, quòd habeat ſcientiam conjecturalem illorum vel dubiam: ergò dicendum eſt quòd illa certiſſimè cognoſcat. Minorem probabat; quià ſcientia conjecturalis dicit maximam imperfectionem

Digitized by Google

imperfectionem in Deo. Quod iterùm probabat; quià dicebat medium imperfectum, & principium imperfectum non potens ex ſe cauſare certam & indubitatam cognitionem.

IIa. ratio ſic formabatur ab illo: quià ad perfectam Dei providentiam pertinet, quòd Deus certò ſciat hæc futura conditionata; ergò dicendum eſt, quòd Deus illa certiſſimè cognoſcit. Antecedens probabat: quià ad certam & perfectam providentiam, oportet quòd providens ſciat per quæ media debet obtinere conſecutionem effectûs; & ſic debet ſcire, quòd ſi hoc fiat, erit illud; & ſi hoc ponatur, aliud ſequetur: aliàs ſi antè providentiam non certò ſciat, quòd ſi hoc ponatur, aliud ſequetur, exponeretur vel periculo non providendi certò, nec obtinendi effectum, vel periculo neceſſitandi voluntatem. Et neſcio quid ſimile aliud in iſtâ ratione proponebat.

IIIa. ratio erat: quià communiter cùm omnes homines interrogantur, quid eſſent facturi ſi fuiſſent in Hiſpaniâ, vel in aliâ parte mundi in quâ nunquàm fuerunt, ſolent reſpondere: quòd id Deus ſcit; pro certò ſupponentes id certiſſimè ſciri à Deo, & non ſolùm conjecturaliter. Itèm cùm homines devoti & pij orant Deum, ut, ſi expediat eis tale vel tale bonum, illud concedat; ſi autem non expediat, illud avertat: pro certo omnes ſupponunt certiſſimè Deum cognoſcere, ſi tale bonum daretur, expedire, vel non expedire ad animæ ſalutem. Et in hoc explicando multùm laborabat, in quantùm quòd Sua Sanctitas dixit ei, quòd nihil aliud faciebat, niſi repetere ea ipſa, quæ in præcedenti Congregatione jàm dixerat.

Similia alia omninò minùs pertinentia, & totaliter extrà Dubium proponebat: quòd conjecturalem cognitionem in Deo antè decretum divinæ voluntatis reſpectu horum futurorum conceſſerat R. P., (me ipſum nominans) in præcedenti Congregatione; quià diſtinxerat, quòd poſt decretum cognoſcebat Deus iſta futura conditionata; non autem antè decretum. Et crediderim, quòd paucis adhibitis tandem finivit.

Tunc ſtatìm F. Thomas de Lemos, omnia ex more ad pedes Sanctiſſimi conſtituens, ſic incepit: Beatissime Pater, ad cujus pedes omnia quæcunque dixero humiliter ſuppono: Dixi jàm in præcedenti Congregatione adversùs hanc mediam ſcientiam, quæ gratiam Dei vehementer oppugnat, qualiter illam S. Auguſtinus graviter impugnaverit & expugnaverit ſemper, tanquàm Semipelagianorum inventum, ad ſubtrahendum divinæ cauſalitati & gratiæ, quod malè libero hominis adſcribebant arbitrio. Dixi, quæ & quanta impoſſibilia & abſurda ex hâc mediâ ſcientiâ apertiſſimè conſequantur. Undè ad præſens, quià P. R. ità in hâc, ſicut & in præcedenti Congregatione, nec Dubio reſpondit, nec difficultatem tetigit; ſed ſuo multiloquio vera involvit obſcuris: Ego iſta clariùs diſtinguens, ſub brevitate

Dico 1°.: Deus certò & infallibiliter cognoſcit omnia futura conditionata, quæ certò futura ſunt, ſi tales adhibeantur conditiones. Hæc eſt indubitata veritas, de quâ nulla unquàm fuit, aut potuit eſſe dubitatio. Et hanc probant, ſi quid probant, omnia in univerſum, quæ P. R. modò propoſuit.

Dico 2°.: Omnia alia futura conditionata, quæ non ſunt certò futura, etiamſi conditiones adhibeantur, ſed confinguntur eſſe futura ſub illis conditionibus, non cognoſcuntur certò à Deo eſſe futura: & talia ſunt ſine dubio conditionatè futura, quæ implicantur in objecto ſcientiæ mediæ. De illis enìm, qui contendebant illa certò eſſe futura & certò cognoſci à Deo, certè S. Proſper affirmabat, quòd novo abſurditatis genere futura quæ non ſunt futura confingunt. Et de iiſdem conditionatis futuris dixit etiam S. Auguſtinus: *Quid quòd exinanitur omninò præſcientia, ſi quod*

 præſcitur

Digitized by Google

præſcitur non erit? L. de prædcſt. Sanct. cap. 14. a & *Lib. 1. de orig. animæ cap. 12.* b ubì contrà Semipelagianos qui contendebant Deum certò ſcire hoc futurum conditionatum, ſi infans qui è vitâ rapitur, diutiùs viveret, peccaret, dicit : *Quid quòd exinanitur omninò præſcientia, ſi quod præſcitur non erit?* Exinanitur, inquit, omninò præſcientia, ſi hoc conditionatum futurum ponatur certò præſciri à Deo, cùm illud, etiam adhibitâ conditione, non eſſet certò futurum ex meritis propriis atque propriâ naturâ antè decretum divinæ voluntatis id permittentis. Et ratio eſt convincens. Nàm niſi falſitas ponatur in divinâ cognitione, non poteſt certò cognoſcere aliquid ſub aliquâ conditione eſſe futurum, quod tamen, etiamſi illa conditio ponatur, certò futurum non eſt. Immò

a *Tom.* 10. *n.* 26. *col.* 807.

b *Tom.* 10. *n.* 15. *col.* 845.

Dico 3°. & ultimò : Certiſſimè cognoſcit Deus, quòd illa futura conditionata, ſecundùm quòd implicantur in objecto ſcientiæ mediæ, etiamſi omnes illæ conditiones adhibeantur; certiſſimè, inquam, cognoſcit Deus, quòd nunquàm futura erunt. Itaque hoc certiſſimè cognoſcit Deus, quòd ſi liberum arbitrium conſtituatur in tali vel tali ordine rerum & circumſtantiarum, ſecundùm quod præcisè conſtituitur per ſcientiam mediam; certiſſimè, inquam, cognoſcit Deus, quòd tale arbitrium nunquàm operabitur, & nunquàm conſentiet. Hoc certiſſimè cognoſcit Deus.

Probatur unicâ brevi ratione; nàm in re adeò clarâ non eſt immorandum. Certiſſimè cognoſcit Deus nihil eſſe certò futurum ſub quibuſcunque conditionibus conſtituatur, niſi ipſe Deus velit aut permittat quòd ſit futurum; ergò certiſſimè cognoſcit Deus, quòd antè decretum ſuæ voluntatis volentis & permittentis, etiamſi liberum arbitrium conſtituatur ſub quibuſcunque conditionibus, nunquàm operabitur, & nunquàm conſentiet. Et per hoc conſtat, fitque manifeſtum quomodò iſtorum Patrum ſententia eſt, non noſtra, quòd Deus non cognoſcat certò contingentia futura, nec abſoluta, nec conditionata. Ipſi enìm ſunt, qui à Deo totaliter auferunt certam cognitionem futurorum contingentium; quià per hanc mediam ſcientiam conſtituunt illa futura conditionata nunquàm eſſe futura. Et ex conſequenti hoc dicunt, hoc affirmant, quòd Deus illa certò non cognoſcat. Nàm id quod non eſt certò futurum, certò à Deo cognoſci non poteſt eſſe futurum; aliàs falſitas in divino intellectu conſtitueretur, ut dixi.

Nos ergò affirmamus ſemper eſſe certiſſimam Dei cognitionem: quià futura, quæ, ſi ponantur conditiones, ſunt certò futura vel eſſent certò futura, illa certiſſimè Deus cognoſcit eſſe futura; illa autem conditionata futura, quæ, etiamſi conditiones apponantur, non eſſent certò futura, immò ſunt certò non futura, dicimus certiſſimè cognoſcere Deum illa non eſſe futura, etiamſi tales conditiones apponantur. Nullam ergò dubiam, nullam conjecturalem & imperfectam cognitionem Deo tribuimus. Et per hoc patet, ut dixi, Reſponſio ad omnia quæ P. R. propoſuit. Jàm enìm dixi, quòd omnia probant Concluſionem, quòd, videlicèt, Deus certò cognoſcat omnia futura conditionata, quæ ſi conditiones apponantur, eſſent certò futura. Ex quo autem capite habeant, quòd ſunt certò futura, quod P. tangere non vult, Dico quòd ex decreto divinæ voluntatis hoc habeant. In particulari autem, ad ea quæ P. dixit, reſponderem; ſed in re clariſſimâ non oportet conſumere tempus.

Unum tamen dixit R. P., me, videlicèt, dixiſſe in præcedenti Congregatione, Deum antè decretum cognoſcere illa conditionata futura conjecturaliter; quod tamen nullo modo dixi, nec verbum de hoc protuli. Attendat ergò P., & videat quid attribuat. Hæc enìm verba mea fuerunt, cùm ipſe inſtaret quòd cognoſcit Deus illa

Digitized by Google

illa futura conditionata; ſic ego diſtinxi: cognoſcit illa, Diſtinguo: poſt decretum ſuæ voluntatis, concedo: antè decretum, nego. Non tamen dixi, quòd antè decretum illa cognoſcit conjecturaliter; ſed quòd antè decretum non cognoſcit illa eſſe futura; quià, ut modò dixi, illa non ſunt certò futura antè decretum tale. Immò certiſſimè cognoſcit Deus antè decretum, quòd non eſſent futura, etiamſi omnes illæ conditiones apponantur.

Illud autem aliud quod dixit de Franciſco Zumel, quòd affirmet non eſſe tutum in fide, negare Deum cognoſcere certò illa futura. Quomodò non videt, quòd ipſe Franciſcus Zumel, *in eâdem primâ parte*, apertiſſimè contrà hanc mediam ſcientiam diſputans, aït: non eſſe tutum in fide illam defendere? Et cùm hæc dixiſſet F. Thomas, finivit propter brevitatem ſibi commendatam, & potiſſimè quià omnia quæ PP. Societatis dixerant, extrà punctum difficultatis procedebant.

Statìm autem P. Vaſtida dicebat: prædictum F. Thomam in primâ propoſitione ſeu Concluſione dixiſſe, Deum certò cognoſcere futura conditionata, quæ certò futura ex vi illarum conditionum ſunt.

Quod cùm protuliſſet; reſpondens F. Thomas, dicebat: Quis dixit, P. illa futura eſſe certò futura ex vi illarũ conditionum? Ego hoc nullo modo dixi; ſed tantùm in meâ Concluſione affirmavi, ut iterùm verba mea proponã: Deum certò cognoſcere futura conditionata, quæ certò futura ſunt ſi tales conditiones apponantur; non autem dixi, quæ certò futura ſunt ex vi ipſarum conditionum. Hæc enìm duo magìs diſtant, quàm cælum à terrâ. Certiſſimum eſt enìm Tyrios & Sidonios acturos fuiſſe pœnitentiam, ſi eis Chriſtus Dominus prædicaſſet; non autem acturi erant pœnitentiam ex vi illius prædicationis, ſed ex vi decreti, quo decreverat Deus illos convertere, ſi tamen eis prædicaſſet. Immò PP. RR. ipſi ſunt, qui dicunt illos acturos fuiſſe pœnitentiam ex vi illius prædicationis exterioris, & cujuſdam alterius prædicationis ſeu excitationis interioris. Itaque non dixi, quòd ex vi illarum conditionum illa conditionata ſunt certò futura.

Iterùm autem dicebat idem Vaſtida, ut prædictus F. Thomas exemplificaret illam ſuam primam Concluſionem, & declararet quænam ſunt illa futura quæ eſſent certò futura, ſi tales conditiones apponerentur. Et ſi eſſent in Scripturâ exempla, in quibus illa prima Concluſio verificaretur.

Cui reſpondebat F. Thomas: illa futura, quæ ſunt certò futura ſi conditiones apponantur, ſunt illa à te modò inducta: Illud, videlicèt, *Matth. 11. Si in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes, &c.* Sic enìm eſſet certiſſimè futurum, quòd egiſſent pœnitentiam, ſi eis Chriſtus prædicaret. Ex quo capite autem hoc futurum eſſet certò futurum illâ poſitâ conditione, jàm dixi, quòd eſt ex vi decreti, quo Deus ſtatuerat illos convertere, ſi illa poſita fuiſſet conditio. Similiter illud aliud exemplum inductum ex illo *3. Reg. 11.* quo Dominus dixit: quòd ſi filij Iſrael ingrederentur ad alienigenas, certiſſimè averterentur corda ipſorum &c. fuit futurum pronuntiatum, quod certò futurum eſſet, ſi talis conditio fuiſſet appoſita; quià decreverat Deus permittere, quòd averterentur illorum corda in pœnam inobedientiæ, quâ contrà divinum præceptum ad alienigenas ingrediebantur. Illud etiam tertium exemplum de David conſulente Dominum, an Ceïlani illum traderent, ſi Saül deſcenderet? inter alias duas explicationes habet iſtam: quòd Dominus reſpondit, certò futurum ut David traderetur, ſi permaneret Ceïlæ; quià ità ipſe decreverat permittere.

Statìm autem prædictus P. Vaſtida dicebat; quòd iſta decreta, quæ vocabantur abſoluta ex parte volentis, licèt eſſent de futuro vel de objecto conditionato, nec ab antiquioribus, nec à Scholaſticis tradebantur; ſed à duobus vel tribus Thomiſtis modò apponebantur:

tur : & quòd nullum fundamentum habebant.

Ad quod taliter reſpondebat F. Thomas : Iſta decreta divinæ voluntatis de objecto conditionato quod nunquàm futurum eſt, expreſsè traduntur à S. Auguſtino *Lib. de dono perſev. cap. 9.* a cùm aït: Tyrios & Sidonios acturos fuiſſe pœnitentiam, ſi eis Chriſtus prædicaſſet, quià decreverat illos ad fidem convertere, ſi eis prædicaſſet. Quod magìs explicans *in cap. 14.* b ſic dicit: *Verùm quod dixit Dominus de Tyriis & Sidoniis, aliquo alio modo poteſt fortaſsìs intelligi; neminem tamen venire ad Chriſtum, niſi cui fuerit datum, & eis dari qui in illo electi ſunt antè conſtitutionem mundi, proculdubio confitetur, à quo non ſurdis auribus cordis eloquium divinum auribus carnis auditur.* Et poſt pauca: *Audiunt enìm hæc, & faciunt, quibus datum eſt; non autem faciunt, ſivè audiant, ſivè non audiant, quibus non datum eſt.* Ubì docet apertè, quòd ſi Tyrij & Sidonij venirent ad fidem, venirent, quià ſibi daretur ut venirent. Et *in cap. 9. de prædeſt. Sanct.* c docet nihil eſſe verius quàm præſciſſe Chriſtum, qui & quandò in eum eſſent crediturì, ſi eis Evangelium prædicaretur; ſed tamen apertè affirmat, nihil eſſe verius quàm id præſciſſe Chriſtum, non antè, ſed poſt electionem & decretum ſuæ voluntatis.

a Tom. 10. num. 23. col. 832.

b Ibid. num. 35 col. 840.

c Tom. 10. num. 18. col. 803.

Immò eſſe in Deo iſta decreta abſoluta ex parte volentis de aliquo futuro conditionato, quod nunquàm futurum eſt, docet Chriſtus *Matth. 26.* d dicens Apoſtolo Petro : *An putas, quià non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquàm duodecim legiones Angelorum? Quomodò ergò implebuntur Scripturæ?* Ubì ad litteram duo docet Chriſtus Dominus. Primum eſt, Æternum Patrem decreviſſe dare Chriſto Filio ſuo duodecim legiones Angelorum, ſi ipſe Chriſtus illas in illâ occaſione efficaciter poſtulaſſet. Secundum eſt, *ut adimplerentur Scripturæ*, & redemptio generis humani perficeretur, noluiſſe Patrem Æternum, quòd Chriſtus Dominus illas poſtulaſſet, nec illas dare voluiſſe. Similia multa Scripturæ teſtimonia adduci poſſent, quæ hoc affirmant; ſed hoc ſufficiat.

d Matth. 26. 53.

Statìm autem inferebat P. Salas: quòd ſi Chriſtus tantùm ſcivit Tyrios & Sidonios pœnitentiam acturos, quià decreverat Deus illos convertere, nihil proprium tribuitur perfectiſſimæ cognitioni Chriſti; quià etiàm hoc nos ſcimus certò, quòd ſi Deus illos vellet convertere, converterentur.

Ad quod unico verbo dicebat F. Thomas : Chriſtus Dominus certò ſcivit, quòd Pater Æternus decreverat illos Tyrios & Sidonios convertendos. Quod niſi ipſe revelaſſet, nullus alius ſciret, nec ſcire potuiſſet.

Inſtabat autem P. Vaſtida : quòd conſtituere illud decretum, erat conſtituere futurum conditionatum neceſſarium, quod cognoſcitur per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ; non autem dicitur, aut ſalvatur, quòd Deus certò cognoſcat futura contingentia; quià illa futura conditionata jàm eſſent neceſſaria; quià inter exempla quæ præcedenti Congregatione ſunt allata à R. P. (F. Thomam nominando) tàm neceſſaria veritas eſt iſta: ſi dedero alicui auxilium efficax, convertetur; ſicut iſta: ſi Thomas diſputat, loquitur. Cùm autem iſta conditionalis ſit neceſſaria, & alia prima erit neceſſaria. Et ſic non cognoſcitur futurum contingens per iſtum modum dicendi, ſed futurum neceſſarium.

Ad quod dicebat F. Thomas: quòd expreſſa erat ſententia S. Thomæ *6. Metaph. lect. 3.* Et *Opuſc. 48. cap. ult.* Et *q. 3. de potentiâ art. 6. ad 3.* Et *Lib. 1. contrà Gentes capp. 66. & 67.* Et *1. p. q. 25. art. 3.*: quòd veritas propoſitionis conditionalis conſiſtit in illatione & bonitate conſequentiæ. Ex quo ſecundò infert, omnem conditionalem veram eſſe neceſſariam, & omnem falſam eſſe impoſſibilem. Et ex hoc infert tertiò, ad veritatem conditionalis, non eſſe attendendum

vel

Digitized by Google

vel ad veritatem antecedentis, vel conſequentis; quià poteſt eſſe antecedens falſum, & conſequens falſum, & tamen conditionalis vera & neceſſaria: ſed attendendum eſſe ad illationem & habitudinem terminorum. V. G. in hâc: ſi homo volat, habet alas; antecedens eſt impoſſibile, & conſequens eſt impoſſibile; & tamen illatio & veritas hujus conditionalis eſt neceſſaria. Similiter, quod eſt aliud exemplum S. Thomæ, loco citato *ex Lib. contrà Gentes*; iſta conditionalis: ſi ego video Petrum ſedere, Petrus ſedet; hæc, inquam, conditionalis continet veritatem neceſſariam, & tamen antecedens eſt abſolutè liberum, ſimiliter etiam conſequens; quià me videre Petrum ſedere, liberum eſt, & ipſum Petrum ſedere, liberum eſt. Cæterùm habitudo inter utrumque hoc liberum, eſt neceſſaria. Oportet ergò diſtinguere dè neceſſitate conſequentis; quià ſtat optimè, quòd propoſitio conditionalis ſit neceſſaria quantùm ad illationem neceſſariam, & quòd conſequens ſit tantùm ex ſuppoſitione neceſſarium, & abſolutè contingens & liberum. Et utrumque Deus cognoſcit. Itaque R. P. putat: quòd ſi certò inferatur, quòd Petrus convertetur, quòd illa converſio ſit neceſſaria, & ſine libertate. Quod dici non poteſt; quià eſt illud conſequens certum tantùm & neceſſarium ex ſuppoſitione, & eſt abſolutè contingens & liberum.

Poſteà procedebat P. Vaſtida ad impugnandum 2am. Concluſionem propoſitam à F. Thomâ, quâ dixerat: eſſe aliqua futura conditionata, quæ non ſint certò futura, ſi tales conditiones adhibeantur. Et interrogabat: An omnia illa futura quæ exprimuntur in Scripturâ conditionata, ſunt hujuſmodi? Vel ſi in Scripturâ datur exemplum hujus?

Cui F. Thomas: jàm poſui exempla in quibus verificatur illa propoſitio, videlicèt, in futuris conditionatis, quæ conſtituuntur in objecto ſcientiæ mediæ.

Ad quod P. Vaſtida reſpondebat: hoc fuit exemplum poſitum in 3â. Concluſione, non in 2â.

Cui F. Thomas: Immò hoc ipſum exemplum appoſui expreſsè in 2â. & 3â. Concluſione.

Cùm autèm P. Vaſtida ampliùs inſtaret, quòd erat illud exemplum poſitum tantùm in 3â. Concluſione, dixit F. Thomas: Si attendis P. mea formalia verba in 2â. Concluſione, iſta fuerunt: Dico 2°.: omnia alia futura conditionata, quæ non ſunt certò futura appoſitis conditionibus, ſed confinguntur eſſe futura, non cognoſcuntur à Deo certò eſſe futura, & talia ſunt conditionata futura, quæ implicantur in objecto ſcientiæ mediæ. Ecce manifeſtè qualiter exemplificavi ſecundam Concluſionem in futuris conditionatis quæ ponuntur in objecto ſcientiæ mediæ. Nec oportet ad hoc recurrere pro exemplis ad S. Scripturam.

Ut autem hoc clariùs conſtet, etiam in Scripturâ eſt exemplum quo Deus revelat futurum, immò, quod majus eſt, futurum abſolutum, quod tamen non eſt certò futurum: ſed tantùm revelat id quod eſt in diſpoſitione cauſarum ſecundarum. Hoc enim apertè docet S. Thomas *1. p. q. 19. art. 7.* Et *2. 2. q. 171. art. 6.* dicens: quòd illud dictum per Prophetam Ezechiæ Regi: a *Diſpone domui tuæ quià morieris & non vives*, fuit dictum & revelatum ſecundùm tantùm quòd erat in diſpoſitione ſecundarum cauſarum, non autem ſecundùm quòd Deus decreverat illud non eſſe futurum. Ecce in Scripturâ revelatur futurum, & quod magìs eſt, futurum abſolutum, non ſecundùm quòd reverâ futurum eſt, ſed tantùm ſecundùm quòd eſt in diſpoſitione cauſarum ſecundarum. Undè illa univerſalis propoſitio, quam P. R. propoſuit: quòd omnia futura revelata in Scripturâ, revelantur ſecundùm quòd certò futura ſunt, & non ſecundùm quod habentur in diſpoſitione cauſarum ſecundarum; cùm hæc, inquam, propoſitio ſit univerſalis,

a *Iſ. 38. 1.*

verſalis, continet multa particularia, de quibus aliqua revelantur ut certò futura, aliqua verò non ut certò futura, ſed tantùm ſecundùm quòd præhabebantur in diſpoſitione cauſarum ſecundarum.

Tunc P. Regens Alvarez dixit: Etiam futurum ſub conditione habetur revelatum in Scripturâ, non ſecundùm quòd erat certò futurum conditione appoſitâ; ſed ſecundùm quòd erat tale ſecundùm diſpoſitiones ſecundarum cauſarum. V. G. *Exod. 4.* a dicit Dominus Moyſi: *Si non crediderint verbis ſigni prioris, credent verbis ſigni poſterioris.* Et tamen poſitâ etiam illâ conditione, non ità fuit; quià nec verbis ſigni prioris crediderunt, nec verbis ſigni poſterioris. Sed tantùm declaravit Deus, quòd illud ſecundum ſignum erat maximè inducturum ut crederent.

a *Exod. 4. 8.*

Tunc iterùm dixit F. Thomas: non ſolùm futurum conditionatum, ſed, quod majus eſt ut dixi, futurum abſolutum revelat Deus, non ſecundùm quòd futurum eſt, ſed ſecundùm quòd eſt tantùm in diſpoſitione ſecundarum cauſarum.

Cùm autem P. Vaſtida nec his convictus quieſceret, ſed clamaret, quòd Deus certò cognoſcebat futura conditionata libera & contingentia antè decretum divinæ voluntatis; quià cognoſcebat certò, quid homo eſſet operaturus, ſi eſſet in tali parte, vel tali; & multâ verboſitate aliqua exempla induceret, dixit F. Thomas: Nos ſecundùm omnem ſcientiam, tùm revelatam, tùm naturalem, ponimus objectum certum ut certò cognoſcatur à Deo; at verò PP. Societatis contrà omnem ſcientiam non fundant priùs objectum certum, ut certò cognoſcatur à Deo. De objecto autem incerto nulla ſcientia eſſe poteſt.

Tunc P. Vaſtida dicebat: ſe conſtituere objectum certum antè certitudinem divinæ præſcientiæ: ſed differentiam eſſe, quòd RR. PP. Dominicani ad certitudinem objecti horum conditionatorum dicunt requiri abſolutum decretum divinæ voluntatis, ſivè auxilium phyſicè determinans, quod idem eſt; quo poſito voluntas non poſſit aliud facere, ſed quòd certò & infallibiliter operetur; quod tollit omninò libertatem. Nos autem dicimus: tale decretum abſolutum, ſivè quamlibet aliam ſuppoſitionem antecedentem, ex quâ certò & infallibiliter ſequatur hominem operari, tollere ab homine libertatem; ſicut docet S. Thomas, & S. Anſelmus.

Ad hæc ſic reſpondebat F. Thomas: R. P. modò protulit propoſitionem Pelagianam, immò fundamentum totius erroris Pelagianorum, cùm dixit ſuppoſitionem antecedentem divinæ voluntatis, ex quâ infallibiliter & certò ſequitur voluntatem humanam operari, ab eâ tollere libertatem. In hoc enìm totam ſuam doctrinam fundabant Pelagiani, referente ſancto Proſpero, *epiſt. ad S. Auguſt.* b cùm aït: *Removeri itaque omnem induſtriam, tollique virtutes, ſi conſtitutio Dei humanas præveniat voluntates, & ſub hoc prædeſtinationis nomine fatalem quamdam induci neceſſitatem.*

b *Tom. 10. Op. S. Auguſt. n. 1. col. 779.*

Tunc dicebat P. Vaſtida: ipſi loquebantur de gratiâ præveniente; ego autem loquor de ſuppoſitione antecedente, quâ poſitâ infallibiliter ſequitur, quòd homo operetur.

Tunc F. Thomas dicebat: R. P. potiùs contrà ſeipſum, majorem vim tribuit argumento. Certum eſt enìm Pelagianos non dixiſſe, nec dicere potuiſſe prævenientem gratiam & conſtitutionem Dei, ex quâ non ſequitur hominem infallibiliter operari, tollere libertatem à voluntate creatâ: ſed hoc dicebant, & hoc erat ipſorùm fundamentum, quòd decretum, ſivè conſtitutio divinæ voluntatis, præveniens, ſivè antecedens voluntatem creatam, ex quâ conſtitutione antecedente ſequebatur hominem infallibiliter operari, tollere libertatem à voluntate creatâ. Et hoc ipſum in terminis affirmat modò R. P. dicens: quòd ſuppoſitio ſeu decretum antecedens, ex quo infallibiliter ſequitur

hominem

hominem operari, tollit ab ipſo homine libertatem.

S. Thomas autem in terminis reſpondet huic argumento *in 1. p. q. 19. art. 8. ad 3.* Ibi enim tertio loco tale conſtituit argumentum : *Id quod eſt neceſſarium ex priori, eſt neceſſarium abſolutè, ſed ſicut ad aliquid prius, à quo habeat neceſſitatem : ergò omne quod Deus vult, eſt neceſſarium abſolutè.* Hoc eſt argumentum & fundamentum quo R. P. nititur. Cui Reſpondens S. Thomas ſic dicit : *Ad 3m. dicendum : quòd poſteriora habent neceſſitatem ex prioribus ſecundùm modum priorum. Undè ea quæ ſunt à voluntate divinâ talem neceſſitatem habent, qualem Deus vult ea habere, ſcilicèt, abſolutam vel conditionatam. Et ſic non omnia ſunt neceſſaria abſolutè.* Ecce S. Thomas ex voluntate Dei priori ſeu antecedenti, ex quâ neceſſitatem habet voluntas humana ad operandum, dicit non ſequi, quòd ſit neceſſitas abſoluta, & quòd tollatur libertas.

Et quià P. Didacus Alvarez habebat, dùm hæc dicebantur, Primam partem S. Thomæ in manu, dixit F. Thomas ut legeret hanc S. Thomæ doctrinam. Tunc ipſe ſic dicebat : S. Thomas, *1. p. q. 19. artic. 8.* ità inquirit : *Videtur quòd voluntas Dei rebus volitis neceſſitatem imponat. Dicit enim S. Auguſtinus in Enchiridio : nullus eſt ſalvus niſi quem Deus voluerit ſalvari, & ideò rogandus eſt ut velit, quià neceſſe eſt fieri ſi voluerit.* Et dicebat : neceſſe eſt, inquit, ſi voluerit. Cui Reſpondet : *Ad primum dicendum : quòd per illud verbum Auguſtini intelligenda eſt neceſſitas in rebus volitis à Deo, non abſoluta, ſed conditionata ; neceſſe eſt enim hanc conditionalem veram eſſe : ſi Deus hoc vult, neceſſe eſt hoc eſſe.* Dicebatque F. Didacus Alvarez : Quomodò S. Thomas ex voluntate Dei antecedente, ex quâ erat neceſſe voluntatem operari, inferebat non neceſſitatem abſolutam, quæ libertatem tollit, ſed conditionatam, quæ illam conſervat.

Dicebat autem ei F. Thomas : legat ſolutionem ad 3m., & legat priùs argumentum, & poſteà ſolutionem. Quo legente 3m. illud argumentum, dicebat F. Thomas : Ecce in terminis argumentum & fundamentum RR. Patrum. Legat modò ſolutionem. Quâ lectâ dicebat : Ecce apertè ex voluntate Dei priori ſivè antecedenti, ex quâ neceſſe eſt voluntatem operari, dicit S. Thomas non ſequi ipſam ex neceſſitate abſolutâ, quæ tollit libertatem, operari ; ſed neceſſitate conditionatâ quæ libertatem conſervat.

Deindè dicebat idem F. Thomas eidem P. Alvarez, ut legeret argumentum 2m. & ejus ſolutionem. Qui ſic legebat : ſecundum argumentum D. Thomæ ità habet : *Præterea, omnis cauſa quæ non poteſt impediri, ex neceſſitate ſuum effectum producit ; quià & natura ſemper idem operatur, niſi aliquid impediat ; ut dicitur in 2. Phyſic. ; ſed voluntas Dei non poteſt impediri ; dicit enim Apoſtolus, Rom. 9. : voluntati ejus quis reſiſtit ? ergò voluntas Dei imponit rebus volitis neceſſitatem.* Et reſpondet S. Thomas : *Ad 2m. dicendum : quòd ex hoc ipſo quòd nihil divinæ voluntati reſiſtit, ſequitur, quòd non ſolùm fiant ea quæ Deus vult fieri, ſed quòd fiant contingenter, vel neceſſariò, quæ ſic fieri vult.*

Deindè dicebat idem P. Alvarez : quòd S. Anſelmus adductus hoc idem dicebat ; quià affirmabat : ſi Deus vult, voluntatem operari, & liberam eſſe ; quià vult & ſubſtantiam & modum.

Poſt hæc P. Salas dicebat : S. Thomam tantùm aſſerere, quòd Deus vult voluntatem eſſe liberam, quià non vult determinare omnes circumſtantias ; quià ſi homines determinaret, tolleret libertatem.

Cui F. Thomas dicebat : Immò neceſſe eſt quòd Deus omnes circumſtantias determinet ; aliàs nunquàm fient.

Tunc præoccupantes & interrumpentes ſermonem, tùm Vaſtida tùm Salas, dicebant : hoc eſſe alterius Diſputationis. Et P. Salas formabat tale argumentum, interrogando priùs :

An

An Deus antè determinationem ſuæ voluntatis ſciret in quam partem ſe eſſet inclinatura ſua voluntas?

Cui F. Thomas reſpondebat : non ſcit hoc certò Deus.

Tunc ipſe formabat argumentum: In illo priori ſigno rationis antequàm intelligamus divinam voluntatem ſe determinare, hæc propoſitio eſt vera : voluntas mea hoc volitura eſt ; ergò hoc certò cognoſcit Deus in illo priori antè determinationem ſuæ voluntatis.

Cui reſpondebat F. Thomas : in illo priori rationis illa propoſitio eſt vera ; ſed non eſt determinatè vera : ad iſtum ſenſum, quòd in illo priori eſt verum, voluntatem divinam hoc volituram, vel non volituram, ſecuncundùm quòd divinæ voluntati placuerit ; non tamen eſt determinatè vera, quòd, videlicèt, hoc determinatè volitura eſt.

Tunc P. Salas dicebat : Ego non loquor de iſtâ propoſitione conſtante ex terminis contradictoriis ; ſed de iſtâ ſimplici Cathegoricâ : hoc mea voluntas volitura eſt.

Cui F. Thomas : hæc propoſitio : hoc mea voluntas volitura eſt, in illo priori ſigno rationis, licèt expreſsè hoc ſignificet tantùm, virtualiter & implicitè continet iſtam aliam : hoc volitura eſt, vel non volitura eſt, ſecundùm quòd Deo placuerit. Et in hoc ſenſu eſt vera prædicta propoſitio. Cæterùm non eſt determinatè vera, ſignificans determinatè hanc veritatem : hoc determinatè volitura eſt. In tantùm autem eſt vera iſta ſolutio, ut ipſemet Molina, quem PP. ſequuntur, expreſsè affirmet: quòd ſi Deus ſcit in illo priori ſigno rationis quid determinatè ſua voluntas volitura eſt, tolleretur à divinâ voluntate libertas omnis. Non igitur cognoſcit Deus in illo priori quid ſua divina voluntas determinatè volitura eſt.

Tunc dicebat P. Salas : patet quòd ſit determinatè vera ; quià conformis eſt effectui poſteà ſubſecuto ; ſic enìm de facto fuit ; quòd videlicèt illud voluit divina voluntas.

Cui F. Thomas : Licèt conformetur effectui poſteà ſubſecuto, conformatur tamen effectui, qui ità fuit ſecutus, quòd eâdem facilitate poterat non ſubſequi. Undè non fuit determinatè ſubſecutus, nec illa propoſitio ex conſequenti fuit determinatæ veritatis.

Tunc P. Salas dicebat : voluntas divina manſit quidem in ſuſpenſo ad hoc vel illud, non autem divina ſcientia. Cùm autem iſta diceret, multi ex Congregatione hinc indè loquebantur ; & ſic F. Thomas ſiluit, & finita fuit Congregatio.

CONGREG.

Digitized by Google

Habita eſt coràm Sanctiſſimo, die S. Nicolai, videlicèt, 6. Decembris anni 1604. Præſentibus octo Cardinalibus, uno deficiente Card. Tabernâ; & ex Conſultoribus, duobus deficientib⁹, Epiſcopo, videlicèt, de Monte-Piloſo, & Epiſcopo Aquilano.

Vide Hiſt. Congr. de Auxil. Lib. 3. cap. 40. col. 545. & ſeqq.

CONGREGATIO TRIGESIMA QUINTA CORAM CLEMENTE VIII.

In quâ tertiò de Scientiâ-mediâ eſt diſputatum; quæſitumque, nùm Deus futura conditionata, antè, vel tantùm poſt ſuæ decretum voluntatis certò cognoſcat?

AGEBATUR in hâc Congregatione de eodem Dubio in præcedenti & aliâ antecedente Diſputatione tractato: *An*, videlicèt, *ſit ſententia ſancti Auguſtini, quòd antè decretum abſolutum divinæ voluntatis detur in Deo cognitio certa & infallibilis contingibilium dependentium à causâ liberâ, qualem Molina per Scientiam-mediam Deo tribuit?*

Quarè autem de hoc Dubio fuerit per tres Congregationes diſputatum, cauſa illa fuit, quòd PP. Societatis directè ad punctum hujus Dubij uſquè ad hanc tertiam dicere diſtulerint, agentes in primâ, ut viſum fuit: An Deus hæc futura conditionata cognoſcat? Et in ſecundâ: An certò cognoſcat? Et in hâc tertiâ tractarunt: An antè decretum divinæ voluntatis certò cognoſcat?

Undè incipiens P. Vaſtida ſic proponebat: Illuxit jàm, PATER BEATISSIME, optata dies, ut agam: an detur in Deo certa ſcientia horum contingibilium antè decretum abſolutum divinæ voluntatis? Et quidem PP. RR. (ſignans Dominicanos) pro futuris conditionatis certò cognoſcendis conſtituunt in Deo decretum quoddam de objecto conditionato, quod vocant abſolutum ex parte volentis, licèt ſit de objecto conditionato. Sed in primis hoc non poteſt dici decretum abſolutum; quià reverâ eſt conditionatum. Immò ſi aliquod eſt conditionatum, hoc eſt quod verſatur circà objectum conditionatum, ſicut & in Jure vocatur voluntas conditionata quâ aliquis legat Titio centum nummos, ſi navis ex Aſiâ venerit. Similiter propoſitum eſt conditionatum, ſi aliquis dicat: volo ingredi Religionem, ſi hoc vel illud factum fuerit. Undè dicebat, falsò diſtingui duplex decretum abſolutum; aliud omnibus modis abſolutum; aliud verò abſolutum ex parte volentis, non ex parte objecti; ſicut iſti PP. modò diſtinguunt contrà Doctores omnes.

Quo ſuppoſito duas conſtituebat Concluſiones. Prima erat: Deus cognoſcit hæc futura conditionata antè abſolutum decretum voluntatis ſuæ, quod eſt omnibus modis abſolutum. Probabat; quià de futuris conditionatis, quæ nunquàm futura ſunt, certum eſt quòd non habet Deus decretum abſolutum, quo vult illa eſſe; ſed iſta futura conditionata nunquàm fuerunt futura; ergò Deus de illis non habet abſolutum decretum omnibus modis abſolutum. Minorem probabat; quià illa decreta quæ ſunt in Scripturâ, V. G. *Matth. 11. Si in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes quæ factæ ſunt in te, olim pœnitentiam egiſſent.* Et illud *3. Reg. 11.* quod Dominus revelavit: quòd filij Iſraël adorarent Deos alienos, ſi ingrederentur ad alienigenas, & ſimilia talia in

Digitized by Google

Scripturâ revelata, nunquàm erant futura. Certum eſt ergò quòd de illis Deus non habuit decretum abſolutum, quod ſit verè abſolutum, volendo quòd illa fierent. Igitur cognovit Deus talia conditionata futura antè tale decretum. Et in hoc probando, de quo nulla erat controverſia, tempus conſumebat. Et tandem concluſit: quòd licèt aliud non diceret; per hoc, Dubio à Sanctiſſimo propoſito reſpondebat.

Etenìm, inquiebat, Dubium inquirit: An Deus hæc futura conditionata cognoſcat antè decretum abſolutum divinæ voluntatis? Sed nullum eſt abſolutum decretum divinæ voluntatis, niſi id quod eſt de objecto abſoluto; & antè illud decretum, ut probavit, Deus cognoſcit illa futura conditionata: ergò antè abſolutum decretum Deus cognoſcit illa futura conditionata. Et quòd Dubium procedat de hoc abſoluto decreto omnibus modis abſoluto, etiam ex parte objecti, patet per ſecundum Dubium explicativum prioris, in quo Sanctitas Sua ſic dicit: *An in præſenti Diſputatione in quâ tractatur: an Deus antè decretum prædeſtinationis, habeat ſcientiam futurorum contingibilium dependentium à causâ liberâ, ſtatuendum ſit, unicum eſſe decretum Dei, in quo decernat velle ſalvare Petrum? &c.* Quibus verbis manifeſtè dicitur, Dubium procedere de Decreto, quod eſt abſolutum omnibus modis, etiam ex parte objecti; quià tale eſt ſine dubio decretum prædeſtinationis.

Deindè ſecundam ſtatuebat Concluſionem in hunc modum: Deus certò cognoſcit omnia futura conditionata antè decretum illud quod ponitur abſolutum ex parte volentis & de objecto conditionato. Hanc probabat 1°. quià, ut communiter dicitur, decreta libera divinæ voluntatis ſupponunt mutationem in creaturâ; ſed per illud decretum nulla fit mutatio in creaturis; ergò non datur tale decretum in Deo reſpectu talium futurorum. Minorem probabat: quià cùm illa futura nunquàm futura ſint, non immutantur creaturæ per illa.

Deindè fortiùs probabat hoc modo: Ad fundandam certitudinem horum conditionatorum quam Scriptura prædicat, non eſt concedendum aliquod impoſſibile, gratìs dictum, minùs aptum, Sacræ Scripturæ contrarium, & repugnans dictis S. Auguſtini: ſed ſtatuere illud decretum abſolutum, eſt impoſſibile, gratìs dictum, minùs aptum, Scripturæ contrarium, & dictis S. Auguſtini repugnans: ergò illud non debet admitti, nec in decreto tali cognoſcuntur illa conditionata futura.

Minorem probabat. Et quidem quòd ſit impoſſibile, ſuadebat 1°. quià Deus habuit hoc decretũ: nolo quòd Chriſtus prædicet Tyriis & Sidoniis, & nolo eos convertere; ſtante autem hoc decreto abſoluto, non potuit habere illud aliud: volo Tyrios convertere, ſi eis Chriſtus prædicaret; quià jàm haberet decretum de re impoſſibili. Impoſſibile enìm erat, ſuppoſitâ divinâ determinatione, quòd Chriſtus illis prædicaret. Quomodò ergò poterat habere illud aliud decretum convertendi illos, ſi Chriſtus illis prædicaret? Et hoc argumentum multùm magnificabat; ſed in ſubſtantiâ nihil aliud dicebat. Pro hâc parte inducebat Zumel *1. p. q. 14. diſp. 1.* ubì dicebat ridiculum eſſe, conſtituere hoc decretum in Deo. Et expendebat dicens: quòd cùm Zumel eſſet acerrimus impugnator Molinæ, adhuc tamen dicebat ridiculum eſſe ponere tale decretum. Similiter inducebat Mendoza in ſuis Quodlibetis, qui idem dicebat.

Quòd autem ſit minùs aptum, probabat: quià illud decretum abſolutum de illo objecto conditionato, quo, videlicèt, Deus voluit convertere Tyrios & Sidonios, ſi eis prædicaret Chriſtus, ponitur prædeterminans; ità quòd illo poſito neceſſariò Tyrij converterentur, nec aliud poſſent operari: ergò illo decreto poſito, tolleretur planè libertas illarum Gentium in ſuâ converſione. Similiter hoc argumentum more ſolito exaggerabat, quòd,

quòd, videlicèt, cùm illud decretum eſſet antecedens humanam voluntatem, planè tolleret hominis libertatem; quià voluntas antecedens, ſecundùm Anſelmum, tollit libertatem, non autem conſequens. Teſtimonium autem Anſelmi non legebat; ſed legebat Thomam VValdenſem, quem dicebat per Sedem Apoſtolicam approbatum, qui planè affirmabat: quòd voluntas Dei antecedens tollit libertatem. Idem probabat ex S. Thomâ *Lib. 2. Phyſic. lect. 15.* ubì aït: neceſſitatem ex cauſis prioribus eſſe neceſſitatem ſimpliciter. Et ponit exemplum in causâ materiali, finali, & efficiente. Prætereà id probabat: quià ſi illud decretum eſt neceſſarium ad certam cognitionem illorum futurorum, ità ut ſine illo non certò cognoſcantur; ergò ſine illo decreto prædeterminante non dabitur, nec eſt dabile auxilium ſufficiens; & ſic omnes qui non haberent tale decretum prædeterminans, nec haberent auxilium ſufficiens ad ſalutem. Qui ſi haberent aliud ſufficiens, illo poſito non poſſet certò ſcire Deus illos non convertendos; quià poſito auxilio ſufficienti poſſunt converti, & ex conſequenti nec poterunt cognoſci non eſſe conſenſuri.

Prætereà id confirmabat: quià ſi illud decretum abſolutum prædeterminans eſt neceſſarium, ut Deus cognoſcat certò illa contingentia futura; ergò etiam ad cognoſcenda futura contingentia mala & peccata, videlicèt, ad cognoſcendum quòd filij Iſraël averterentur à Deo, ſi adhærerent alienigenis, erat neceſſarium decretum, quo Deus illos prædeterminaret ad Idololatriam, & ad illud malum, ſi adhærerent alienigenis: & ſic Deus prædeterminaret ad culpam & ad malum, contrà Catholicam veritatem definitam in Concilio Valentino III°., & Arauſicano II°. Et etiam hoc argumentum multùm dilatabat; & in confirmationem hujus adducebat M. Zumel, qui cùm ſit adverſarius doctrinæ Molinæ, tamen fatetur eſſe temerarium dicere, quòd Deus prædeterminet hominis voluntatem ad materiale peccati.

Deindè probabat: conſtituere tale decretum, eſſe contrarium Sacræ Scripturæ. Contrariatur enìm illi *Matth. 11. Si in Tyro & Sidone, &c.* Nàm ſi ità eſt, quòd Tyrij & Sidonij converterentur ex illo decreto abſoluto quod Deus illis daret, non poterat Chriſtus increpare Judæos, comparatione illarum Gentium, ſicut increpavit. Nàm poterant Judæi illi benè reſpondere: quarè nos increpas, quià non credimus, illi autem Gentiles crederent, ſi tu illis prædicares? Nonne ſi tu & nobis dediſſes illud auxilium prædeterminans, quod dares Gentibus illis, etiam nos crederemus? Cùm ergò juſta fuerit Chriſti Domini increpatio, ut ex illo teſtimonio colligitur, non poteſt dici, quòd intelligatur de decreto abſoluto exhibendo Gentilibus. Quòd ſi admittatur, aufert juſtam eſſe increpationem à Chriſto factam.

Idipſum etiam probabat ex illo *3. Reg. 11.* quo Deus dixerat filios Iſraël avertendos, ſi jungerentur alienigenis. Si enìm hoc cognovit Deus in abſoluto illo decreto prædeterminante; ergò Deus prædeterminavit illos homines movere ad illud peccatum, ſi homines illi jungerentur alienigenis. Quod dicere eſt expreſsè contrà Sacram Scripturam.

Poſtremò probabat illud eſſe contrà S. Auguſtinum: quià S. Auguſtinus dicit expreſsè, tunc voluiſſe apparere Chriſtum, quandò ſciebat, & ubì ſciebat eſſe, qui in eum erant crediturı. Si autem eſt ſenſus, quòd id ſciebat in decreto, quo voluit venire; ergò ſenſus eſt, quòd tunc Chriſtus voluit venire, quià voluit venire. Prætereà S. Auguſtinus docet, quòd præſciebat Deus, quòd peccaret Adam, ſi in Paradiſo poneretur; & tamen id non ſcivit in decreto quo voluit illum peccare; ergò ſecundùm S. Auguſtinum id ſcivit ante tale decretum. Tertiò quià S. Auguſtinus *L. 1. q. 2. ad Simplicianum*, a & alibì docet: quòd quandò Deus

a *Tom. 6. n. 13. col. 95.*

Digitized by Google

vult miſereri, ſic hominem vocat, quomodò ſcit illi congruere, & quomodò novit illi eſſe aptum, ut ſequatur; ergò ſentit, quòd id non cognoſcit in decreto abſoluto, ſed ante illud. Præterea S. Auguſtinus dicit: quòd quædam novit Deus, non autem in prædeſtinatione, nec quià prædeſtinata ſunt; ergò illa non cognoſcit Deus, ſecundùm Auguſtinum, in decreto abſoluto prædeterminante.

Dicebat etiam, quòd Defenſores hujus decreti abſoluti, ſicut reliquerunt S. Auguſtinum, ità & S. Thomam reliquerunt, qui non conſtituit certam futurorum contingentium in Deo cognitionem, niſi per coexiſtentiam ad æternitatem; & qui *1. p. q. 23. art. 7.* dixit: non omnia eſſe à Deo præfinita; & etiam dicebat S. Thomas *2. 2. q. 171.* quòd duplex eſt Prophetia; alia præſcientiæ, & alia prædeſtinationis. Quæ Prophetia præſcientiæ non eſt ex prædeſtinatione, nec actus prædeſtinationis, ut præſupponebat.

Tandem deveniebat ad inferendum duo magna inconvenientia, quæ dicebat militare contrà ſententiam, quæ conſtituebat iſta decreta abſoluta de iſtis futuris conditionatis. Unum erat: quòd in iſtâ ſententiâ manifeſtè ſequebatur eſſe in Deo conſtituenda infinita ſimilia decreta reſpectu infinitorum futurorum ſub conditione: quod tamen concedere, videtur abſurdum.

Secundum inconveniens, quod & maximè exaggerabat, illud erat, quià dicebat PP. Dominicanos, qui oppugnabant Molinam conſtituentem quãdam ſcientiam mediam inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ & viſionis, incidere in illud inconveniens; & etiam ipſos concedere eſſe mediam ſcientiam inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ & viſionis. Nàm V. G. hoc conditionatum futurum: *Si in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes... pœnitentiam egiſſent*, cognoſcitur certò à Deo; & tamen nec per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, nec per ſcientiam viſionis, ſecundùm iſtos PP.; ergò per aliam mediã ſcientiam inter utramque.

Probabat, quòd non per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ; quià non cognoſcebatur antè decretum liberum divinæ voluntatis, cùm tamen certum ſit, quòd ea quæ cognoſcuntur per ſcientiã ſimplicis intelligentiæ, ſint cognita antè decretum divinæ voluntatis. Quòd autem non cognoſcantur per ſcientiam viſionis, eſt manifeſtum; quià ſcientia viſionis non eſt niſi reſpectu eorum quæ ſunt exiſtentia in rerum naturâ, & in aliquâ temporis differentiâ: at verò illud futurum conditionatum, nunquàm fuit futurum; ergò non cognoſcebatur per ſcientiam viſionis. Hæc & alia ſimilia, quorum nec poteſt memoria haberi, P. Vaſtida proponebat per duas horas, & ampliùs. Quo finiente.

Incepit ſic F. Thomas: Beatissime Pater, ad cujus pedes quæcunque dixero ſuppono. Pervenerunt jàm RR. PP. ut diſputarent tandem in hâc tertiâ Congregatione circà Dubium à Sanctitate Veſtrâ propoſitum. De quo quià ipſe antè iſtam & præcedentem Congregationem ſatis egi; &, ut crediderim, ex apertâ S. Auguſtini ſententiâ oſtendi, nihil magìs S. Doctorem impugnaſſe & expugnaſſe contrà Pelagianos, quàm certam præſcientiam in Deo futurorum contingibilium dependentium à causâ liberâ antè actuale decretum divinæ voluntatis volentis vel ſaltèm permittentis illa futura, eſſe vel abſolutè futura, vel futura ſub conditione: ideò ad præſens, & brevitati ſtudens, & ab omni inutili repetitionis vitio abſtinens, unum ſolùm quod ſupereſt explicabo; quod eſt, in particulari reſpondere ad omnia quæ P. R. modò propoſuit. Omnia enim particulariter formavit contrà illud decretum quod ponitur in Deo, abſolutum ex parte volentis, licèt ſit de objecto conditionato: quale fuit illud, quo ſecundùm S. Auguſtinum decreverat Deus convertere Tyrios & Sidonios, ſi tamen ipſe Chriſtus eis prædicaret.

Contrà quod decretum opponit 1°. R. P., illud nullo modo dici poſſe abſolutum,

abſolutum, cùm ſit de objecto conditionato. Immò ſi aliquod eſt decretum conditionatum, hoc eſt, & non aliud; ſicut etiam in Jure voluntas vocatur conditionata, cùm aliquis ſic inſtituit legatum: Mando Titio centum nummos, ſi navis venerit ex Aſiâ. Et ſimiliter votum conditionatum eſt, ſi quis ſic voveat: Promitto ingredi Religionem, ſi hoc vel illud factum fuerit.

Ad quod reſpondetur; illud præfatum decretum debere dici abſolutum ex parte volentis, licèt ſit de objecto conditionato; quià volens habet per illud firmam voluntatem faciendi aliquid, ſi aliqua adhibeatur conditio. Dicere autem, quòd nullum aliud poteſt dici decretum conditionatum, niſi iſtud, hoc affirmari nequit. Nàm decretum conditionatum eſt illud, quandò conditio cadit ſuprà actum volentis; ut ſi quis dicat: ſi voluero facere hoc, erit tale. Quod decretum conditionatum, reverâ decretum non eſt. Nihil enìm homo decrevit, cùm dicit: ſi voluero; ſed tantùm illud eſt decretum poſſibile ſeu potentiale. At verò, quandò conditio non cadit ſuprà actum volentis, ſed ſuprà objectum volitum tantùm, tunc actus volentis, quantùm eſt ex parte volentis, firmus manet & abſolutus, licèt cum aliquâ dependentiâ à conditione objecti. V. G. ſi quis dicat: invitabo amicum, ſi adhuc modò venerit, certum eſt quòd ille talis firmat animum & aliquid decrevit, licèt cum dependentiâ ab objecto. Quâ ratione ſi aliquis habeat hunc actum: occidam inimicum, ſi mihi dixerit tale convitium, mortaliter peccat; quià aliquod decrevit malum; quià animum firmat, licèt cum dependentiâ ab objecto. Non autem peccaret, ſi dixerit: ſi peccavero, magis hoc quàm illud peccatum faciam.

Quòd autem Juriſperiti vocant illam prædictam voluntatem conditionatam; ideò hoc dicunt; quià eſt de objecto conditionato, & pendens à conditione tali; non autem negant ex parte volentis eſſe actum quo aliquid actualiter decernitur, quamvìs cum dependentiâ ab illâ conditione. Et idem dicendum de voto ingrediendi Religionem, quod ex parte volentis abſolutum eſt & actuale, licèt cum dependentiâ ab objecto. Igitur rectè vocatur illud decretum abſolutum ex parte volentis, licèt ſit de objecto conditionato.

Deindè conſtituit R. P. duas Concluſiones. Ia. fuit: quòd Deus certò cognoſcat futura conditionata, abſque actu abſoluto divinæ voluntatis, qui videlicèt, ſit ſimpliciter & omnibus modis abſolutus. Et per hoc dicebat, ſe ſufficienter reſpondere Dubio à Suâ Sanctitate propoſito, quod tantùm procedit de decreto abſoluto.

Ad quod reſpondetur: quòd in hâc Concluſione convenientia eſt, quòd, videlicèt, circà futura conditionata, quæ nunquàm futura ſunt, non habuit Deus decretum modis omnibus abſolutum, etiam ex parte objecti, quo voluerit illa eſſe. Dubium autem à Sanctitate ſuâ propoſitum, non loquitur tantùm de decreto modis omnibus abſoluto, ſed etiam de illo quod abſolutum eſt ex parte volentis, licèt ſit de objecto conditionato.

Quòd autem P. induxit ſecundum Dubium Suæ Sanctitatis, ad probandum decretũ prædeſtinationis debere eſſe modis omnibus abſolutum, etiam ex parte objecti: utinàm ipſi PP. id faterentur, & eſſet finitum. Oportet tamen recordari quòd dixit: decretum prædeſtinationis debere eſſe omnibus modis abſolutum, & non de objecto conditionato.

Poſteà conſtituit IIam. Concluſionem in hunc modum: Deus certò cognoſcit futura omnia conditionata, quæ nunquàm futura ſunt, ante decretum quod vocatur abſolutum ex parte volentis, & de objecto conditionato. a " Dixit enìm, illud decretum non poſſe eſſe in Deo; quià decretum liberum in Deo, infert mutationem ex parte creaturæ; & tamen per illa decreta nulla mutatio fit in creaturâ.

" Ad quod eſt dicendum: quòd decretum,

a Sequẽs objectio in Congregatione non fuit repetita; quià memoriâ excidit.

ratUndè Reſpõſio ſequens uſque probavit *ad marginem eſt adjectaà Lemoſio in authographo.*

» decretum, quod eſt omnibus modis » abſolutum, infert mutationem ex par- » te creaturæ. Quod verò eſt ſub con- » ditione ex parte objecti, non infert » actualem mutationem ex parte crea- » turæ; ſed illam actualiter inferret, ſi » illa conditio apponeretur.

Probavit autem ſecundam Concluſionem hâc ratione: Ad conſtituendam certam cognitionem in Deo reſpectu horum futurorum, non eſt conſtituendum aliquid impoſſibile, merè gratis dictum, minùs aptum, Scripturis contradicens, & S. Auguſtino repugnans; ſed conſtituere illud decretum abſolutum de objecto conditionato, eſt hujuſmodi, & omnia iſta claudit inconvenientia; ergò non eſt conſtituendum in Deo illud decretum.

Ad hoc reſpondetur, concedendo Majorem, & negando Minorem.

Hanc minorem probavit 1°., quòd illud decretum ſit impoſſibile; quià cùm Deus determinavit abſolutâ voluntate velle non convertere Tyrios, jàm erat impoſſibilis illorum converſio. Ut quid ergò habuit decretum de convertendo illos, ſi eis Chriſtus prædicaſſet?

Ad hoc dicendum: quòd hoc decretum abſolutum ex parte Dei volentis de objecto conditionato, manifeſtè colligitur ex Scripturis, & doctrinâ Sanctorum, & ex verâ Theologiâ. Immò ad hominem, illud conſtituunt & fateri tenentur RR. PP.

Colligitur quidem ex Scripturâ: quià 4. *Reg.* 13. a revelavit Dominus Prophetæ: quòd *ſi Rex Joas terram baculo percuteret quinquies, ſexies, vel ſepties, percuſſiſſet Syriam uſque ad conſummationem.* Quis autem dicat, ſciviſſe Deum, quòd, poſitâ terræ percuſſione, Syria erat devaſtanda, ex meritis propriis hujus conditionis, antè actum divinæ voluntatis id ordinantis & decernentis, quòd, videlicèt, ad materialem terræ percuſſionem, Syria deſtrueretur? Abſque dubio tale futurum conditionatum, nec erat certò futurum, nec à Deo ut tale cognoſcibile antè decretum Dei, quo ſtatuit, quòd poſito uno aliud ſequeretur. Habuit ergò Deus hoc decretum: Ego deſtruam Syriam, ſi Rex totiès baculo terram percutiat: & tamen abſolutè decreverat, quòd Rex totiès terram non percuteret.

a 4. *Reg.* 13. 19.

Similiter *Matth.* 26. b dixit Dominus Apoſtolo Petro: *An putas quià non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquàm duodecim legiones Angelorum? Quomodò ergò implebuntur Scripturæ?* Ubi Dominus duo ſimùl ad litteram manifeſtat. 1°. Habuiſſe Patrem Æternum hoc decretum, & hanc firmam voluntatem: dabo Chriſto Filio meo in hâc occaſione duodecim legiones Angelorum, ſi tamen illas ipſe Chriſtus poſtulaſſet, & cum hoc decreto de illo objecto conditionato, docet ipſe Dominus, quòd Pater Æternus habuit aliud omninò abſolutum quo decreverat, quòd Chriſtus pro omnium ſalute pateretur, & quòd non poſtularet illas Angelorum legiones. Ecce cum decreto omninò abſoluto, ut Chriſtus pateretur, habuit Pater Æternus aliud de objecto conditionato, quo decreverat ei dare legiones Angelorum, ut liberaretur à paſſione, ſi tamen Chriſtus illas poſtularet.

b *Matth.* 26. 53.

Prætereà S. Auguſtinus, ut præcedente Congregatione monſtravi ex illo: *Si in Tyro & Sidone &c.* docet apertè cognoviſſe Chriſtum Dominum illarum Gentium futuram converſionem, ſi ipſe eis prædicaſſet, in decreto quo ſtatuit eis fidem dare, ſi eis Evangelium prædicaretur.

Itèm ad hominem: Ipſi RR. PP. communiter defendunt cum Scoto, quòd ſi Adam non peccaſſet, Chriſtus veniret in carne immortali & impaſſibili. Et cùm interrogantur, undè hoc ſciant? dicunt: decreviſſe Deum mittere Filium ſuum in carne impaſſibili, ſi Adam non peccaſſet. Jàm ergò ipſi fatentur, cum hoc decreto abſoluto, quo Deus voluit mittere Filium ſuum in carne paſſibili, ſicut & factum eſt, habuiſſe aliud decretum abſolutum & firmum ex parte volentis

Digitized by Google

volentis de futuro conditionato, quod nunquàm futurum erat.

Inſuper, ipſi PP. conſtituunt in Deo hoc decretum : ego concurram cum voluntate creatâ, ſi tamen ipſa voluerit ; & tamen ſcit Deus, quòd aliquæ voluntates nunquàm volituræ ſunt ; & nihilominùs cum hoc decreto abſoluto, quo Deus non vult concurrere cum voluntate quæ volitura non eſt, habet illud aliud ſub conditione ex parte objecti, quo decrevit concurrere cum tali voluntate, ſi ipſa tamen voluerit. Mirum eſt planè, quòd ipſi conſtituant in Deo decretum de objecto conditionato pendente ab humanâ voluntate, quale eſt illud : concurram cum voluntate creatâ, ſi tamen ipſa voluerit ; & quòd negent in Deo decretum de objecto conditionato, quod eſt independens à voluntate creatâ.

Præterea ſecundùm veram Theologiam : quandò aliquis præſcitus reprobus, eſt in charitate, ſecundùm veritatē Catholicam Deus illum diligit amore ſupernaturali ſecundùm præſentem juſtitiam ; & in virtute hujus dilectionis & amoris ſupernaturalis, Deus habet hunc actum : ſi iſte perſeveret in gratiâ, dabo illi gloriam. Jàm ergò habet Deus cum decreto abſoluto, quo vult illum damnare propter peccata ſua, aliud de objecto conditionato, quo vult illi dare gloriam, ſi tamen ipſe in gratiâ perſeveraverit.

Igitur ex omnibus iſtis conſtat apertè, hoc decretum abſolutum ex parte volentis, de objecto tamen conditionato quod nunquàm erit, eſſe in Deo. Nec iſta decreta ſunt ad invicem contraria. Sicut & S. Thomas apertè docet, a quòd non fuit in Chriſto Domino contrarietas voluntatum, licèt, ſecundùm quod Pater præcipiebat, voluerit mori ; & etiam naturaliter noluerit mori ſecundùm quod mors erat læſiva corporis. Quas duas voluntates habuiſſe Chriſtum conſtat ex Scripturâ. Et tamen contrariæ non erant ; quià non erant de eodem ſecundùm eandem rationem. Sic dicendum : quòd velle Deum omninò abſolutè quòd Tyrij non converterentur, & velle quòd converterentur, ſi eis Chriſtus prædicaret, nullam inter ſe habent contrarietatem.

a 3. p. q. 18. art. 6.

Quod autem dicit R. P., quòd illud decretum eſſet de re impoſſibili : Ad hoc dicendum : quòd de objecto abſolutè & ſimpliciter impoſſibili non eſt tale decretum. At verò de objecto quod redditur impoſſibile ex ſuppoſitione tantùm, & eſt abſolutè poſſibile, poteſt optimè eſſe decretum, quo Deus vellet illud eſſe, ſi aliqua conditio apponatur.

Ad illud autem quod pro hâc parte inducit Zumelem dicentem, ridiculum eſſe conſtituere illud decretum de objecto conditionato : mirum eſt quòd Zumelem inducat, cùm ipſe author in eâdem primâ parte, & eâdem diſputatione, in quæſtione ſuperadditâ in ſecundâ impreſſione, ex propoſito contrà hanc mediam ſcientiam diſputans, hæc omnia apertis verbis contrà illam dicit. 1°. Quòd eſt recentiorum figmentum, ad conciliandam neſcio quam libertatem cum donis gratiæ. 2°. Quòd à multis Doctoribus fuit impugnata. 3°. Quòd per illam negatur perfecta Dei providentia. 4°. Dicit : periculum eſſe in fide, dicere quòd ſine illâ non concordatur arbitrij libertas cum gratiâ. Quod ideò iſte author fecit in 2ª. impreſſione, quià aliqui putabant, & ei attribuebant, quòd illi mediæ ſcientiæ faveret ; propterea quòd negabat cognoſci contingentia futura conditionata in decreto Dei circà illud objectum conditionatum. Quæ autem ſit vera ſententia hujus authoris circà hoc decretum, conſtat apertè ex propriis verbis. Ipſe quidem negat decretum formale circà iſta futura conditionata. At verò expreſsè conſtituit decretum quoddam virtuale divinæ voluntatis, antè quod dicit nullo modo cognoſcere Deum iſta conditionata futura, nec quid liberum arbitrium acturum ſit, ſi in tali rerum ordine conſtituatur. Itaque iſte author apertè

damnat

damnat iſtam mediam ſcientiam, & apertè condemnat, ſcire Deum, quid liberum arbitrium creatum ex ſuâ innatâ libertate acturum eſt, ſi in tali ordine rerum collocetur, antè decretum divinæ voluntatis, ſivè formale, ſivè virtuale, quo Deus velit illud futurum eſſe, ſi talis apponeretur conditio.

Deindè probabat R. P. illud decretum eſſe impoſſibile & minùs aptum: quià ſi Deus decreverat convertere Tyrios & Sidonios, ſi eis Evangelium prædicaretur, illud decretum eſſet prædeterminans Tyrios & Sidonios ad illum actum; & ſic periret omninò libertas illarum Gentium in ſuâ tali converſione. Igitur minùs aptum eſt decretum hoc, ad conſtituendam in Deo certam cognitionem futurorum contingentium.

Ad hoc, prætermiſſo, quod jàm in præcedenti Congregatione oſtendi, hoc fuiſſe fundamentum Pelagianorum ad negandum decretum prædeſtinationis abſolutum; & prætermiſſo, quòd ad ipſorum argumentum in terminis reſpondet S. Thomas, ut in præcedenti Congregatione monſtravi, quæ proindè repetenda non ſunt: Reſpondeo modò ad hæc capita argumentorum quaſi formidanda ſuorum, quibus tenentur infirmi, & minùs quàm expedit in Sacris Litteris eruditi.

Dicunt, quòd illud decretum prædeterminans tolleret libertatem, & quòd hoc eſt convenire cum hæreticis hujus temporis, qui negant libertatem. Ad quod reſpondetur, quòd negare illud decretum prædeterminans, non ſolùm fuit ſummus Pelagianorum error, ut oſtendi; ſed apertè convenit cum hæreticis hujus temporis aſſerere, quòd ex Dei voluntate efficaci, ſeu prædeterminante, tollatur libertas. In hoc enìm, ut ſæpè dixi, illi errabant, quòd ex efficaciâ divinæ voluntatis dicebant auferri libertatem. Dicebant enìm ſe fateri efficaciam divinæ voluntatis, quæ omnium bonorum noſtrorum origo eſt; & debebant fateri illam non lædere libertatem, ſed cauſare. Cum illis ergò convenit qui dicit, ex efficaci Dei voluntate, ſivè ex decreto prædeterminante tolli libertatem. Undè, ut ſæpè explicavi in conſpectu Sanctitatis Veſtræ, Concilium Tridentinum *Seſſ. 6. can. 4.* hoc damnat: quòd ex efficaci Dei voluntate ſivè auxilio tollatur libertas.

Inſuper eâdem ratione, quâ Patres Societatis negant decretum prædeterminans, nè, videlicèt, lædat libertatem, motus fuit antiquitùs Cicero ad negandam divinam providentiam circà humanas operationes, nè, videlicèt, læderet earum libertatem; ut refert S. Thomas *Lib. 3. contrà Gentes cap. 9.* Et S. Auguſtinus *Lib. 5. de civit. Dei cap. 9.* a ubì & illud de Cicerone dicit: quòd *ut faceret homines liberos, fecit ſacrilegos.* Inſuper, ut dixi in aliâ Congregatione, idem fuit fundamentum Simonis Magi; contrà quem diſputavit Apoſtolus Petrus in hâc almâ Urbe. Hoc enìm fuit in terminis argumentum Simonis: Quidquid Deus vult, neceſſe eſt quòd ſit: ergò omnia ex neceſſitate eveniunt; & ſic perit contingentia atque libertas. Cui reſpondit S. Petrus ſolutione, quam, ut potè à ſuo Capite traditam atque receptam, univerſa Eccleſia ſemper fuit venerata. Solutio fuit: Ignoras Simon, & valdè ignoras. Nàm voluntas Dei quædam vult neceſſariò fieri, & neceſſariò fiunt; & quædam vult quòd contingenter & liberè fiant & ſic neceſſe eſt quòd contingenter & liberè fiant. Hæc fuit S. Petri ſolutio, quâ docuit, quòd Dei voluntas, & vult ſubſtantiam actûs, & vult modum illius; quià nihil eſt in entibus, nec modus, nec conditio, quod à primo Ente & divinâ voluntate non fiat. Et ſic quædam Deus vult fieri neceſſariò & ſine libertate; & ſic fiunt neceſſariò & ſine libertate, ſicut ea fieri Deus vult. Et quædam vult divina voluntas ut fiant, & fiant cum modo contingenti & libero; & ſic fiunt contingenter & liberè.

Undè S. Anſelmus Libro de Concordiâ præſcientiæ prædeſtinationis advertit,

a *Tom. 7. num. 2. col. 122.*

Digitized by Google

advertit, quòd non debet dici: Deus hoc præſcivit; ergò hoc erit. Sed quòd modus actionis explicari debet, dicendo: Deus hoc præſcivit fieri ſine neceſſitate; ergò fiet ſine neceſſitate, ſicut Deus præſcivit. Et hoc Deus præſcivit liberè, ſic fiet liberè ſicut Deus præſcivit.

Et S. Thomas *Lib. 3. contrà Gentes cap. 94.* eamdem regulam tradit, dicens: quòd *cùm ſermo ſit de divinâ providentiâ, ità eſt dicendum. Deus hoc prævidit neceſſariò futurum; ergò neceſſariò erit, ſicut Deus prævidit. Et hoc aliud prævidit liberè futurum, ergò liberè erit, ſicut Deus prævidit.*

Et certè mirum eſt, quòd ex eodem principio, ex quo S. Thomas & Sancti Doctores colligunt hominem liberè operari, colligant alij lædi libertatem. Ex decreto enìm efficaci divinæ voluntatis, cui nullus reſiſtit, & ex eo quòd nullus ei reſiſtit, colligunt aliqui quòd tollatur hominum libertas; ſed S. Thomas ex eodem principio, & non ex alio docet, quòd firmatur libertas, & quòd neceſſe eſt quòd homo operetur, & liberè operetur, ſicut Deus vult ipſum operari, & liberè operari. Et cùm Deus velit utrumque, & quòd homo operetur, & quòd liberè operetur; ſi homo neceſſariò & ſine libertate operaretur, reſiſteret divinæ voluntati, quæ vult ipſum liberè operari.

Itaque hoc argumentum ſæpè ſolutum eſt per SS. Patres Eccleſiæ, qui opponentibus tale argumentum reſpondebant: potiùs ipſos deſtruere humanam libertatem. Undè S. Hieronymus *in epiſt. ad Cteſiph.* ità dicit: *quòd autem ſursùm deorsùmque jactitant liberum auferri à nobis arbitrium; audiant è contrà ipſos arbitrij deſtruere libertatem, qui eo malè utuntur adversùs beneficium largitoris. Quis deſtruit arbitrium? ille qui Deo ſemper agit gratias, & quodcunque in ſuo rivulo fluit ad fontem refert? An qui dicit: recede à me, quià mundus ſum, non habeo te neceſſarium? Dediſti enìm mihi ſemèl arbitrij libertatem, ut faciam quod voluero. Quid rursùm te ingeris, ut nihil poſſim facere, niſi tu in me tua dona compleveris?* Hoc certè fit temporibus iſtis. Nihil aliud fit, niſi ſursùm & deorsùm jactari, quòd tollatur arbitrium per decretum abſolutum & efficax divinæ voluntatis; cùm tamen reverâ ipſi ſint, qui deſtruunt arbitrij libertatem per illam mediam ſcientiam, per quam, ut probavi efficaciſſimè in primâ ex his tribus Congregationibus, impeditur omnis actualis humana libertas.

Sanctus Auguſtinus etiam reſpondens huic objectioni, dicit quædam verba notanda *Lib. de bono viduit. cap. 17.* a *Proindè*, inquit, *liberum arbitrium* non *deſtruimus, cùm gratiam, quâ ipſum adjuvatur arbitrium, non ſuperbiâ negamus ingratâ, ſed gratâ potiùs pietate prædicamus.* Et *epiſt. 107. ad Vitalem*, b alia etiam dicit conſideranda verba: Quòd autem putant liberum ſibi auferri arbitrium, ſi nec ipſam bonam voluntatem ſine adjutorio gratiæ homines habere conſenſerint, non intelligunt, ſe non firmare humanum arbitrium, ſed impellere, ut per inania feratur, non in Domino ſicut in petrâ ſtabili collocetur. Non intelligunt, inquit S. Auguſtinus, ſe non firmare liberum arbitrium, ſed impellere.

a *Tom. 6. n. 21. col. 380.*

b *Nunc 217 tom. 2. n. 8. col. 802.*

Et recordor modò cujuſdam Epiſtolæ miſſæ à Patribus Concilij Carthaginenſis ad Innocentium I., in quâ hæc verba habentur: *Id enìm agunt iſti damnabilibus ſuis diſputationibus, ut non defendendo, ſed potiùs in ſacrilegam ſuperbiam extollendo arbitrium, nullum relinquant locum gratiæ Dei, quâ Chriſtiani ſumus.* Et Cæleſtinus I. vocat eos, qui hæc apponunt, *nocentiſſimos arbitrij defenſores.* Concludendum eſt ergò: quòd per decretum prædeterminans voluntatem, non læditur, ſed fundatur & firmatur liberum arbitrium.

Quòd autem inducunt Thomam VValdenſem; his non contradicit; quià cum SS. Auguſtino & Anſelmo negat efficaciam divinæ voluntatis an-

tecedentem, cogentem videlicèt voluntatem, & ab eâ tollentem libertatem. Et nihil aliud negat, ut ſua verba declarant.

De S. Thomâ autem inducto ex illo *2. Phyſic.*, mirandum eſt magìs, quomodò inducatur. Ibì enìm dicit, quòd neceſſitas ex prioribus tollit libertatem; ſed explicat ex prioribus cauſis merè naturalibus, & determinatis ad unum; quià de iſtis cauſis ibì cum Philoſopho loquebatur: & conſtituit exempla in causâ materiali, finali, & efficiente merè naturalibus, & ex ſuâ naturâ determinatis ad unum, dicens: neceſſe eſſe hominem eſſe corruptibilem ex materiâ quam habet; quæ neceſſitas corruptionis provenit ex illâ causâ materiali priori. At verò quandò ipſe S. Thomas *1. p. q. 19. art. 8.* loquitur expreſsè de neceſſitate proveniente ex priori Dei voluntate in voluntate humanâ, apertè dicit illam non lædere libertatem, nec eſſe neceſſitatem abſolutam, ſed tantùm conditionatam, quæ ſervat libertatem; ut in præcedenti Congregatione fuit apertè demonſtratum.

Aliud argumentum propoſuit R. P., quòd per illud decretum prædeterminans, quod Deus daret Tyriis & Sidoniis, negaretur omninò in omnibus, qui illud non haberent, auxilium ſufficiens gratiæ.

Ad quod reſpondetur: quòd opponant PP. argumentum, non mihi, ſed S. Auguſtino, qui expreſsè *Lib. de correpț. & grat. cap. 12.* a dicit: diſtinguenda eſſe auxilia: quòd aliud ſit, *ſine quo* non poteſt, quod videlicèt eſt ſufficiens; & aliud *quo* fit ut homo operetur, quod eſt efficax. Nec efficax negat ſufficiens. Quam doctrinam S. Auguſtini Sanctitas Veſtra nos ipſos docuit; nec in hâc parte eſt ampliùs dicendum.

a *Tom. 10. n. 34. col. 769.*

Venio ad illud de materiali peccati, quod pro magno opponunt, dicentes: quòd ſi Deus non cognoſcit futura conditionata niſi in decreto prædeterminante divinæ voluntatis; quòd tunc Deus cognoſceret Idololatriam filiorum Iſraël in decreto divinæ voluntatis prædeterminante illos ad Idololatriam. Quod eſt hæreticum, & Calviniſticum.

Ad hoc reſpondetur: Deum certò cognoſcere futura conditionata mala, ſivè peccata, in permiſſione quâ illa fieri permittit, ut multa bona indè deducat; & etiam in voluntate quâ Deus prædeterminavit concurrere & præmovere hominem ad actionem illam quæ eſt in peccato, quatenùs entitas & actio eſt, non verò quatenùs culpa ſeu difformis eſt. Et non diſtinguere inter iſta duo, videlicèt, bonum naturæ & bonum actionis, & malum culpæ, tribuendo Deo bonum actionis, & homini culpam ipſam, eſt omnia velle confundere, & cum Pelagianis & Calviniſtis manifeſtè convenire. Omnes enìm illi errabant, quià dicebant, quòd ſi Deus movet ad entitatem & actionem, quæ eſt in peccato, etiam movet ad ipſum peccatum.

Quomodò autem qui hoc dicunt, conveniant cum Calviniſtis, non oportet modò aperire; ſed breviter aperitur, quòd conveniant cum Pelagianis. Ipſi enìm ſic argumentabantur: non poteſt Deus movere ad entitatem & actionem quæ eſt in peccato, niſi moveat ad peccatum ipſum; ſed ad peccatum Deus movere hominem non poteſt; ergò nec movet ad actionem quæ eſt in peccato. Et ſic negabant primam cauſalitatem reſpectu actionis, quæ eſt in peccato. Et quòd ipſi ità ſenſerint refert S. Auguſtinus *Lib. 5. contrà Julian. cap. 3.* b ubì contrà Julianum contendentem quòd Deus tantùm permittebat mala, non autem per potentiam cauſabat actiones eorum, nè, videlicèt, Deus diceretur cauſare mala, concludit S. Auguſtinus: quòd Deus non ſolùm permiſſivè, ſed etiam per potentiam cauſat actiones quæ ſunt in peccatis. Et *Lib. 3. contrà Julian. cap. 9.* c dicit eſſe diſtinguendum inter bonum naturæ, & malum culpæ: & quòd bonum naturæ tribuatur Deo, non verò malitia quæ ibì reperitur. Idem docet *Lib.*

b *Tom. 10. num. 11. & ſeqq. col. 633.*

Omnia iſta S. Auguſtini teſtimonia non ſunt expreſſa à me in Congregatione iſtâ; ſed ibì dixi tantùm: illam eſſe ſententiam S. Auguſt. ex multis locis quæ poſteà oſtendam.

c *Tom. 10. n. 18. col. 561.*

Digitized by Google

Lib. de gratiâ & libero arbitrio cap. 20. & ſeqq. a Et *Lib. 83. qq. q. 3.* b Et *Lib. 2. de lib. arbit. in fine.* c Et *Lib. 3. de Trinitate.* d Quibus locis docet Deum eſſe primam & ſummam cauſam omnium motionum.

a *Tom. 10. col. 739. & ſeqq.*
b *Tom. 6. col. 2.*
c *Tom. 1. cap. 20. n. 54. col. 608.*
d *Tom. 8.*

Ex quo ultimo loco S. Thomas *1. 2. q. 79. art. 2.* concludit, quòd voluntas Dei eſt cauſa actionis, quæ eſt in peccato. Undè & idem S. Thomas *in 2m. diſt. 37. art. 2.* docet expreſsè, *eſſe proximum duplici errori affirmare, quòd Deus non ſit prima cauſa actionis quæ eſt in peccato, quatenùs actio eſt.* Et *in 2o. Scripto ſuper Sententias diſt. 37. art. 12.* docet, *eſſe de fide, quòd omne ens, in quantùm ens, etiam ens quod eſt in peccato, ſit à Deo.* Et *1. 2. q. 79. art. 2.* idem docet. Et ibì reſpondet argumento, quo iſti PP. convincuntur: quomodò, videlicèt, poſſit eſſe, quòd ſit Deus cauſa actionis quæ eſt in peccato, & non deformitatis quæ inſeparabiliter conjungitur, dicens: quòd *illa deformitas non conſequitur ad actionem peccati, ſecundùm quòd illa actio provenit ex Deo, ſed tantùm ſecundùm quòd provenit à causâ deficiente, qualis eſt homo; quià Deus non eſt cauſa,* inquit S. Thomas, *ut actio illa ſit cum deformitate.* Et *q. 3. de malo, art. 2. ad 2m.* reddit ulteriùs rationem hujus, quarè, videlicèt, peccatum non ſequatur ex actione Dei cauſante omnem entitatem, quæ eſt in peccato, dicens: quòd *deformitas peccati non conſequitur ſpeciem actûs ſecundùm quòd eſt in genere naturæ; ſic autem à Deo cauſatur: ſed conſequitur ſpeciem actûs ſecundùm quòd eſt moralis, pròut cauſatur ex libero arbitrio.*

Pro cujus majori explicatione, Notandum: quatuor poſſe & debere conſiderari in peccato. 1°. Ipſam peccati permiſſionem. 2°. Peccatum ipſum, quod dicit actionem ſimùl cum deformitate: peccatum enìm hæc duo in ſuâ ratione includit. 3°. Materiale peccati dicens ordinem ad formale. 4°. Ipſam entitatem, vel actionem quæ eſt in peccato, quatenùs entitas & actio eſt. De quibus quatuor ità eſt ſentiendum: quòd permiſſio peccati bona eſt, & à Deo in bonum finem ordinatur: ipſum autem peccatum nullo modo eſt à Deo. Et hæc erat blaſphema hæreſis Calviniſtarum, & hæreticorum hujus temporis, quòd, nempè, Deus ſit cauſa peccati, id eſt, actionis cum deformitate. Illud autem tertium de materiali peccati, meâ ſententiâ non debet concedi quòd ſit à Deo; quià materiale peccati in ſuâ ratione formali videtur importare ordinem ad formale; & ſic videtur in obliquo ſaltèm importare formale peccati: quâ ratione rectius eſt negare, materiale peccati, ut ſic, eſſe à Deo. Et in hoc ſenſu ille M. Zumel citatus negat eſſe à Deo materiale peccati, id eſt, ut dicit ordinem ad deformitatem ipſam, vel ſecundùm quòd illam fundat. Cæterùm illud ultimum & quartum, videlicèt, entitas quæ eſt in peccato, ut entitas eſt, vel ut actio eſt, quià præſcindit ab omnibus iſtis, abſque dubio eſt à Deo; & contrarium, ut dixi ex S. Thomâ, contrà Catholicam veritatem procedit, & divinam tollit cauſalitatem.

Deindè R. P. dixit eſſe contrà Scripturam, conſtituere hujuſmodi abſolutum decretum de objecto tamen conditionato. Quià ſi ità eſt, quòd Deus decreverat convertere Tyrios, ſi eis Evangelium prædicaretur: quâ ratione exprobrat Judæis, comparatione illarum Gentium, de incredulitate? Quià poterant dicere Judæi: ſi tu dares nobis quod dediſſes Gentibus illis, etiam nos converteremur. Cur ergò nobis exprobras, ſi non convertimur, cùm nobis non dederis quod dares illis? Hoc argumentum pro magno opponunt.

Ad quod tamen reſpondetur 1°. ex S. Auguſtino, facile eſſe ut infidelitatem accuſemus Judæorum de liberâ eorum malâ voluntate venientem. Itaque ideò vituperantur Judæi increduli; quià incredulitas eorum de ſuâ malâ voluntate proveniebat; quià prima cauſa mali eſt ex nobis. Licèt alij ex Dei adjutorio ſpeciali coverterentur.

 Reſpondetur

Reſpondetur 2°. ex eodem ſancto Auguſtino: quòd non ſic erant excæcati & indurati Tyrij & Sidonij. Undè meritò reprobantur Judæi comparatione illarum Gentium; quià majorem habebant indurationem, & majus impedimentum præſtabant ex ſuâ malâ voluntate, quàm Tyrij & Sidonij. Et de hoc meritò reprehenduntur.

Dixit etiam P. R. eſſe contrà Scripturam, conſtituere tale decretum de objecto conditionato: quià aliàs Deus cognoſceret certò, quòd filij Iſraël, ſi accederent ad alienigenas, idololatrarent, in decreto quo decreverat eos prædeterminare ad idololatriam, ſi accederent ad mulieres illas.

Ad quod jàm dixi: cognoviſſe Deum illorum idololatriam in permiſſione, quâ id juſtè permiſerat, adjuncto decreto concurrendi cum illis ad entitatem & actionem illius culpæ, quatenùs entitas & actio eſt, ut dixi.

Poſtremò dicebat P., conſtituere hujuſmodì decretum de objecto conditionato, eſſe repugnans doctrinæ S. Auguſtini. Si enim S. Auguſtinus intellexiſſet, Deum cognoſcere conditionata futura in ſimili decreto, quarè dicit: quòd tunc voluit Chriſtus venire, quandò ſciebat qui in eum eſſent credituri? Aliàs dixiſſet: tunc voluiſſe Chriſtum venire, quandò voluit venire.

Ad hoc reſpondetur: ipſum S. Auguſtinum in illo loco expreſsè affirmare, quòd id cognovit Chriſtus in electione ſuæ voluntatis; ut ſæpè ex S. Auguſtino probavi. Undè ſenſus S. Auguſtini eſt: quòd omnium primò Deus decrevit mittere Filium ſuum in mundum tali tempore, & voluit in ipſo & per ipſum eligere qui crederent: & ſtatìm præſcivit, qui eſſent credituri ex vi hujus electionis, prædicato illis Evangelio. Et tandèm ultimò, quòad executionem, tunc voluit Chriſtus venire, quandò ſciebat qui electi fuerant ab ipſo ut crederent. Itaque illa præſcientia, quâ ſcivit illos credituros, ſequitur ad decretum de adventu Chriſti, quòad intentionem; antecedit verò decretum de adventu Chriſti, quòad executionem.

Ad aliud quod S. Auguſtinus dicit, cognoviſſe Deum quòd Adam peccaret, ſi in Paradiſo conſtitueretur; jàm dixi: intelligere S. Auguſtinum, quòd id certò Deus præſcivit, quià ità permiſerat ad majus bonum educendum.

Ad aliud quod dicitur de S. Auguſtino, quòd iſte diſtinguit: quòd quædam novit Deus in prædeſtinatione, vel quià prædeſtinavit; alia autem novit, non quià prædeſtinavit; ergò non novit illa in decreto prædeſtinante: Ad hoc, inquam, reſpondetur: facilem eſſe ſenſum S. Auguſtini. Diſtinguebat de bonis operibus, & de peccatis. Et docet quòd bona omnia ideò à Deo cognoſcuntur, quià ab ipſo ſunt prædeſtinata, & illa in prædeſtinatione cognoſcit: at verò peccata novit, non quià illa prædeſtinavit, nàm Deus non vult nec prædeſtinat peccata, formaliter loquendo, id eſt, actionem cum deformitate & defectu. Non autem negat S. Auguſtinus, quòd Deus illa cognoſcat, quià permiſit, & quià decrevit cauſare entitatem & actionem quæ eſt in peccatis, quatenùs entitas & actio eſt, ut jàm explicavi.

a " Hìc debebat reſponderi ad illud S. Auguſtini, quod dixit in quæ- " ſtionibus ad Simplicianum b: quòd " Deus miſeretur ut vocet, quomodò " aptum novit ut ſequatur. Sed quià " ſæpè ad id dictum fuit, omiſſa eſt " reſponſio. "

" Adducebat etiam R. P. quædam S. Thomæ loca, quibus, quià " memoriæ non occurrerunt, etiam reſ- " ponſum non fuit: ſed modò reſpon- " deo: quòd licèt S. Thomas dicat, " Deum cognoſcere futura ut coexiſ- " tentia ſibi in æternitate; ipſe præſup- " ponit illud, quod ſemper docuit, vi- " delicèt, ideò coexiſtere æternitati, " quià Deus decrevit, volendo vel per- " mittendo

a *Sequentia, uſque ad hæc verba:* Ultimo loco &c. *non fuerunt dicta in Cōgregatione; ſed leguntur tantùm in margine, in authographo Lemoſij.*

b *Tom. 6. L. 1. q. 2. num. 13, col. 95.*

» mittendo quòd futura eſſent.

" Illud autem aliud quod adduci-» tur *ex 1. p. q. 23. art. 7.*, quòd S. » Thomas dicat, multa minutiſſima » non eſſe à Deo prædeſtinata: quomo-» dò adducatur, planè non video; cùm » ibì S. Thomas totum contrarium di-» cat. Docet enìm apertè numerum » prædeſtinatorum eſſe præfinitum ex » principali intentione primò & per ſe; » alia autem corruptibilia, dicit non » eſſe primâ intentione præfinita, ſed » ſecundariò & in ordine ad aliud. Igi-» tur totum contrarium docet S. Tho-» mas in hoc articulo illius ad quod in-» ducitur.

» " Per illud aliud de prophetiâ » præſcientiæ, & de prophetiâ prædeſ-» tinationis; nihil aliud intendit ſanctus » Thomas, quàm bonum uſum arbitrij » eſſe præſcitum certò futurum per a-» liud, id eſt, per efficacem gratiam, » de quâ eſt propriè prophetia prædeſ-» tinationis. Sed de hoc in Congrega-» tione ſequenti. Ibì enìm id copioſè explicabo, & clarè.

Ultimo loco propoſuit P. R. duo inconvenientia contrà hujuſmodi decretum abſolutum de objecto conditionato. Primum, quòd ſequeretur eſſe in Deo conſtituenda infinita decreta reſpectu infinitorum futurorum ſub conditione cognoſcendorũ: quod eſſet abſurdum.

Ad hoc reſpondetur: In Deo eſſe certò conſtituenda talia decreta reſpectu omnium futurorum ſub conditione, quæ proponuntur in Scripturâ Sacrâ eſſe certò à Deo cognita. De aliis autem futuris conditionatis, quæ poſſunt in infinitum multiplicari, quià nec illa pertinent aliquo modo ad divinam providentiam, dicendum eſt: nobis non conſtare, an illa Deus certò determinaverit eſſe futura ſub conditione. In hoc enìm modo loquendi, ſequimur doctrinam ſancti Thomæ, qui hâc ſolâ ratione ductus aſſeruit, quòd ſi Adam non peccaret, Chriſtus non veniſſet; quià, videlicèt, Scriptura Sacra ſemper dicit, Chriſtum veniſſe in remedium peccati: nec nobis conſtat quid Deus determinaret, ſi Adam non peccaret. Undè dicendum eſt, Chriſtum non venturum, ſi non peccaret Adam. Eodem modo nobis non conſtat, an Deus determinavit eſſe futura conditionata, quæ poſſunt in infinitum multiplicari. Undè abſolutè non poſſumus dicere illa cognoviſſe Deum certò futura, ſed ſub hâc conditione, quòd ſi illa certò cognovit futura, certiſſimè illa determinavit, vel permiſit eſſe futura.

Secundum inconveniens fuit: quòd nos impugnantes ſcientiam mediam, etiam ſcientiam mediam admittimus inter ſcientiam viſionis & ſcientiam ſimplicis intelligentiæ; quià V. G. iſtud futurum conditionatum: *Si in Tyro & Sidone &c.* cognoſcitur à Deo nec per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, nec per ſcientiam viſionis. Quòd non per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, patet; quià hæc ſcientia cognoſcit poſſibilia: illud autem futurum, non ſolùm eſt poſſibile, ſed certò futurum ſub conditione. Nec per ſcientiam viſionis; quià iſta ſcientia tantùm cognoſcit illa quæ exiſtunt in aliquâ temporis differentiâ: ergò cognoſcitur per ſcientiam mediam inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ & ſcientiam viſionis.

Ad hoc reſpondeo: nullam eſſe ſcientiam mediam inter ſcientiam merè naturalem in Deo, & ſcientiam liberam.

Tunc P. Salas interrumpens dicebat: non dicimus niſi dari ſcientiam mediam inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ & viſionis.

Cui ſtatìm F. Thomas: Pater, tota quæſtio ſubſtantialis contrà Molinam eſt: An detur media ſcientia inter ſcientiam merè naturalem & ſcientiam liberam in Deo; quæ media ſcientia antecedat omnem actum in Deo, nempè actum liberum divinæ voluntatis. Hæc eſt ſubſtantialis quæſtio. Et hanc ſcientiam dicimus eſſe impoſſibilem.

Tunc P. Salas conceſſit ità Molinam

nam dicere, & hanc eſſe ſubſtantialem quæſtionem.

Tunc proſecutus F. Thomas dicebat: cognoſcit ergò Deus, quòd Tyrij & Sidonij converterentur, non per mediam ſcientiam antè actum liberum divinæ voluntatis, ſed id cognoſcit poſt actum liberum ſuæ voluntatis, quo decreverat illos convertere, ſi eis Evangelium prædicaret. Quòd autem iſta libera cognitio poſt actum liberum divinæ voluntatis vocetur propriè ſcientia viſionis, vel ſit impropriè ſcientia viſionis, quæſtio eſt de nomine. Immò de puro nomine. Itaque omnia illa futura conditionata, ut dixi in præcedentibus Congregationibus, quæ cum ſuis conditionibus habent infallibilem connexionem ex vi illationis & conſequentiæ & ex propriis meritis, cognoſcuntur per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ: illa autem conditionata, quæ ſolùm habent infallibilem connexionem cum ſuis conditionibus poſt actum liberum divinæ voluntatis, quale eſt hoc de Tyriis & Sidoniis, cognoſcuntur à Deo poſt actum liberum divinæ voluntatis per ſcientiam quæ impropriè eſt viſio. Nàm ſcientia, quæ ſupponit actum liberum divinæ voluntatis, multipliciter dividitur à Theologis; alia vocatur ſcientia approbationis reſpectu bonorum; alia ſcientia permiſſionis reſpectu malorum; alia ſcientia propriæ viſionis reſpectu exiſtentium in aliquâ temporis differentiâ; & alia impropriæ viſionis reſpectu eorum quæ non ſunt in aliquo tempore, eſſent tamen certò, ſi talis conditio apponeretur.

Clamabat autem Vaſtida: quòd S. Thomas *1. p. q. 14. art. 9.* dicebat: non cognoſci per ſcientiam viſionis illud quod non erat futurum in aliquâ temporis differentiâ.

Cui F. Thomas: S. Thomas ibì tantùm dicit, quòd non eſt propriè ſcientia viſionis, niſi reſpectu eorum quæ de facto futura ſunt.

Tunc ipſe Vaſtida pergebat, & inducebat, & legebat illum locum.

Cui F. Thomas: Jàm dixi, quid intendat S. Thomas. Et addidit: hæc argumenta, Patres, argumenta quædam ſunt pro Scholis, non autem ad fundandam doctrinam in re graviſſimâ in conſpectu Sanctitatis Suæ: ſunt enìm cavillationes quæ facilè diluuntur. Immò quomodò PP. Societatis negant cognoſci illud futurum conditionatum, *Si in Tyro & Sidone &c.* per ſcientiam viſionis? cùm ipſi apertè dicant, cognoſcere Deum illam veritatem determinatè ad illam partem ſcientiâ illâ objectivâ, quæ reducitur ad ſcientiam viſionis.

His ſic concluſis, P. Vaſtida voluit iterùm ad has omnes reſponſiones reſpondere. Cui Sanctiſſimus dixit: *Quid modò vis dicere, Pater?*

Cùm autem ille inſtaret ad dicendum, permiſit Sanctiſſimus ut breviter diceret. Et quædam proponebat ad impugnandum quæ dicta fuerant. At quià propoſui illi non reſpondere, nec multùm memoriæ mandavi. Si autem benè recordor, inter alia dixit: quòd F. Thomas in Capitulo Neapolitano, ſub præſidio cujuſdam Magiſtri, defendit Deum concurrere ad materiale peccati; quod tamen modò negabat. Itèm dicebat: quòd erat retrocedere, videlicèt, quòd Deus non cognoſcebat futura conditionata omnia, ſed tantùm ſub conditione, ſi illa ipſe eſſe futura determinaſſet.

Ad hæc & alia ſimilia F. Thomas dicebat: Remitto me ad dicta; ut ſic tandem Congregatio finiretur.

Tunc Sanctiſſimus præcepit Fratri Thomæ ut diceret. Undè ſic dicebat: Si P.R. voluiſſet advertere ad ea quæ ego in præcedenti Congregatione fundavi, hoc modò non proponeret. Dixi enìm tria ſubſtantialia & doctrinalia. Primum fuit, Deum certò cognoſcere omnia futura conditionata quæ certò futura eſſent, ſi conditiones apponantur. Dixi 2°. quòd alia futura conditionata quæ non eſſent certò futura, ſed confinguntur futura ſub illis conditionibus, Deus non cognoſcit

cit eſſe futura, niſi falſitas ponatur in intellectu divino cognoſcente certò futurum fore, quod certò futurum non eſt. Et explicando quænam ſunt illa futura quæ confinguntur, & non ſunt certò futura, dixi, eſſe omnia illa quæ involvuntur & implicantur in objecto ſcientiæ mediæ. De quibus futuris dixi ultimò: certò cognoſcere Deum quòd antè actum ſuæ voluntatis nunquàm erunt futura; & ſic certò cognoſcit Deus antè actum ſuæ voluntatis, quòd liberum arbitrium conſtitutum in tali rerum ordine &c., ſi nihil aliud addatur, utiquè certò cognoſcit Deus quòd nunquàm operabitur. Et ſic redditur impoſſibilis per hanc ſcientiam mediam prædeſtinatio, & omnis hominis converſio & juſtificatio.

Cùm autem clamaret Vaſtida: quòd ſub iſtâ majori; quòd Deus non cognoſcit certò futura quæ futura non ſunt, conſtitueret minorem, oſtendendo quænam ſint iſta futura: ipſe F. Thomas aït: Dixi ad iſtam minorem, & iterùm dico, iſta futura fictitia eſſe, & omnia quæ implicantur & involvuntur in objecto ſcientiæ mediæ. Undè non oportet contendere verbis. Et ſic fuit finita Congregatio famoſa, cùm duraſſet per tres horas & dimidiam. Finitæ fuerunt etiam Diſputationes tres de illâ mediâ ſcientiâ, ut tandèm ſine honore ſepeliretur ad Pedes SS. D. N. Clementis VIII[i].

" a Ad illud de Concluſionibus in Capitulo Neapolitano, non dixi; quià nec neceſſarium putavi. Nullo autem modo verum fuit, quod ille impoſuit, me ſub alterius præſidio defendiſſe illas. Non ità fuit; ſed ego ſolus, ſub auxilio tantùm divinæ gratiæ, illorum falſas ſententias efficaciter expugnavi. Cujus diſputationis uſque in præſentem diem Civitas illa recordatur. Ibì dixi, Deum præmovere ad materiale peccati, non verò ad peccatum: quià locutus ſum de materiali tantùm merè materialiter. Ut ſic autem, tantùm dicit entitatem & actionem, ut entitas & actio eſt. Nullo modo autem locutus ſum de materiali peccati ſumpto formaliter, ut videlicèt fundat deformitatem, vel ordinem dicit ad illam. Itaque materiale peccati adhuc conſideratur dupliciter, & merè materialiter tantùm, & formaliter ſumptum. Primo modo conceditur, ſecundo negatur. Sed clariùs: meliùs eſt negare materiale peccati eſſe à Deo cauſatum, ut dixi, ad præſcindendas has æquivocationes. "

a Hæc uſque ad finem in margine tantùm reperiũtur apud Lemoſiũ.

CONGREG.

Habita eſt coràm Sanctiſſimo 4. Januarij 1605. Aliqui ex Illuſtriſſimis Cardinalib⁹ defuerunt, videlicèt, Pinellus, Arrigonius, S. Cæciliæ, & de Givry. Introductus tamẽ de novo fuit Cardinalis Bufalus. Ex Cenſoribus defuit D. Epiſcopus de Monte-Piloſo, qui aſſumptus fuit de hâc vitâ in Cælum ut creditur; Et D. Epiſcopus de Nardo qui infirmabatur.

CONGREGATIO TRIGESIMA SEXTA CORAM CLEMENTE VIII.

In quâ inquiſitum fuit: nùm, admiſſo Scientiæ-mediæ uſu in Deo, abſolutum ſit nihilominùs Prædeſtinationis decretum, & non conditionale ſivè ex bono liberi arbitrij uſu dependens, & ſub hâc conditione, quòd homo ex innatâ ſuâ libertate gratiæ conſentiat?

Vide Hiſt. Congreg. de Auxil. Lib. 3. cap. 41. col. 548. & ſeqq.

Vide ſuprà col. 49.

ACTUM fuit in hâc Congregatione de illo Dubio à Sanctiſſimo tradito 4ª. die Novembris 1604. tenoris hujus: *An in præſenti diſputatione, in quâ tractatur; an Deus antè decretum prædeſtinationis habeat præſcientiam futurorum contingibilium dependentium à causâ liberâ, ſtatuendum ſit, unicum eſſe decretum Dei, in quo decernat, velle ſalvare Petrum? An verò ſubjiciendum ſit aliud, in quo ſua divina Majeſtas decernat conditionaliter, velle ſalvare Petrum, ponendo illum in tali & tali ordine rerum; dandoque illi talia & talia auxilia, quibus ſi Petrus, ex innatâ ſuâ libertate, conſentiat, & benè utatur prædictis auxiliis, ſalvabitur? Et an prædictus bonus uſus dictorum auxiliorum, proveniat ex ſolâ innatâ libertate? An verò à gratiâ Dei, quæ facit ut homo benè utatur dictis auxiliis? Et quæ ex iſtis ſit ſententia S. Auguſtini, & Ludovici Molinæ?*

Circà præſens Dubium, cùm illud omnium primò legiſſet P. Vaſtida, quædam præambula minùs pertinentia præmittebat; quæ ideò mihi omittenda videntur. Et in ſubſtantiâ ad Dubium reſpondens, hanc conſtituebat Concluſionem:

Statuendum eſſe decretum prædeſtinationis abſolutum, & quo Deus abſolutè Petrum volebat ſalvare. Et quòd iſta ſententia erat ſententia Molinæ, probabat: Nàm Deus abſolutè decernebat velle conſtituere Petrum in tali rerum ordine, in quo prævidebat ipſum ſalvandum; ſed hoc decretum eſt abſolutum decretum, quo Deus vult ſalvare Petrum; ergò decretum hoc eſt abſolutum, & non ſub conditione ſeu conditionatum. Hoc in ſubſtantiâ dicebat. Et ad probandum hoc, affirmabat, quòd licèt illud decretum præſupponeret, ut de facto præſupponebat, præſcientiam illam mediam, tamen non erat conditionatum, ſed abſolutum: ità quòd non decernebat Deus ſalvare Petrum, ſi ipſe Petrus vellet; ſed abſolutè volebat Petrum ſalvare.

Quod ut magìs comprobaret, tria dicebat ſe probaturum. 1°. Quòd licèt decretum illud præſupponat illam mediam ſcientiam, ſeu conditionem in illâ importatam, eſt tamen abſolutum. 2°. Quòd neceſſe eſt, quòd, etiamſi ſupponat illam mediam ſcientiam, ſit abſolutum. 3°. Quòd non poterat aliâ viâ eſſe abſolutum, niſi præſupponendo illam mediam ſcientiam.

Iᵐ. probabat ex aliquibus locis Scripturæ, potiſſimè ex illo: a *Niſi breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro; ſed propter electos breviabuntur.* Ubì

a Matth. 24. 22.

Ubì Deus abſolutè voluit breviare dies illos; & hoc fuit in Deo ſine dubio abſolutum decretum; & tamen, ut patet, ſupponebat in Deo præſcientiam hujus conditionati, quòd, videlicèt, non fieret ſalva omnis caro, ſi dies illi non breviarentur. Similiter adducebat & illud *Matth. 26.* ubì Chriſtus Dominus dixit Petro: *An putas, quià non poſſum rogare Patrem, & exhibebit mihi modò pluſquàm duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergò implebuntur Scripturæ; quià ſic oportet fieri?* Ubì Chriſtus docet, habuiſſe Patrem Æternum abſolutum decretum, quòd Chriſtus pateretur, licèt anteceſſerit in divinâ mente præſcientia illius ſub conditione, quòd, videlicèt, ſi Chriſtus poſtulaſſet, dediſſet ei Pater Æternus illas Angelorum legiones. Et ſimilia alia inducebat teſtimonia, ex quibus concludebat: quòd licèt decretum ſalvandi Petrum, præſupponeret in Deo præſcientiam illius ſub conditione: ſi Petrus conſtituatur in tali & tali ordine rerum & ſub talibus auxiliis, benè utetur, & ſalvabitur. Nihilominùs cùm Deus poſt illam præſcientiam volebat illum conſtituere in eodem illo ordine rerum, jàm abſolutè volebat illum ſalvare, & non ſub conditione, ſi ipſe vellet.

Deindè hoc ipſum multis exemplis confirmabat. Quià ſi aliquis ſciat, quòd ſi voluerit, V. G., erit aliud; cùm poſteà vult, jàm abſolutè & ſine conditione vult. V. G. ſi Dominus ſciat, quòd ſi præcipiat aliquid ſervo, illud fiet; cùm abſolutè vult præcipere, jàm abſolutè vult ut illud fiat. Et multis exemplis ſimilibus & ejuſdem prorsùs rationis hoc confirmabat.

Tandem pro hoc inducebat illud quod communiter dicitur: quòd Syllogiſmus conſtans ex majori conditionali, & minori abſolutâ, concludit Concluſione abſolutâ. Ut ſi V. G. dicatur: ſi Petrus currit, movetur, ſed Petrus currit; ergò movetur. Quæ Concluſio abſoluta eſt, etiamſi majorem præſupponat conditionatam. Undè tandèm & aliis omninò ſimilibus concludebat, optimè ſtare, quòd decretum prædeſtinationis ſit abſolutum, licèt præſupponat in Deo præſcientiam illorum conditionatorum.

IIm. probabat: quià prævìſio mediorum, quibus quis debet conſequi finem, licèt antecedat volitionem finis, & volitionem mediorum, certum eſt, quòd non tollit, quìn volitio finis, & volitio mediorum ſit abſoluta: ſed per illam mediam ſcientiam conditionalium, Deus ſcit media quibus poterit obtinere finem, quòd, videlicèt, Petrus ſalvetur: ergò voluntas dandi Petro illa media, eſt abſoluta volitio mediorum. Similiter, voluntas dandi illi finem, volitio eſt abſoluta finis, licèt præſupponat præſcientiam conditionalium mediorum. Majorem latè probabat: quòd, videlicèt, quandò aliquis præcognoſcit, ſi hoc medium apponatur, obtinebitur finis; & poſt cognitionem iſtam vult illa media apponere; non dubium, quìn abſolutâ voluntate velit & illa media. Et eadem eſt ratio de fine. Ex quibus concludebat: quòd neceſſe eſt decretum prædeſtinationis, præſupponens in Deo cognitionem mediorum ſub conditione per illam mediam ſcientiam, eſſe abſolutum; & quòd Deus abſolutâ ſuâ voluntate & volebat Petrum ſalvare, & per talia prævìſa media ſalvare.

IIIm. autem probabat: quià ſi decretum prædeſtinationis non præſupponeret illam mediam ſcientiam, non poterat eſſe propoſitum abſolutum ſalvandi; quià abſolutum propoſitum ſalvandi debet præſupponere prævìſionem mediorum, per quæ homo debet ſalvari; cùm autem ſine præſcientiâ illâ futurorum ſub conditione, non ſit certum Petrum ſalvandum; nec abſolutum propoſitum ſalvandi poteſt eſſe abſolutum ſine tali præſcientiâ. Et neſcio quæ ſimilia cumulabat pro hoc ſuo tertio fundamento probando. Satìs autem ſe declarabat: quòd abſque illâ præſcientiâ futuro-

 rum

rum ſub conditione, non poterat eſſe illud Dei abſolutum propoſitum; quià aliàs cum Calvino tolleret libertatem. Sed potiſſimè id probabat, inducendo cujuſdam innominati ſententiam, qui nec tenens cum PP. Prædicatoribus prædefinitiones, nec cum PP. Societatis ſcientiam mediam, in hâc ſententiâ dicebat: quòd ſi Deus abſolutè vellet dare omnibus ſufficientia auxilia, non præſcius de certitudine illorum, & de bonâ operatione arbitrij; tunc non poſſet eſſe certum, & firmum, & abſolutum decretum prædeſtinationis. Et neſcio quæ ſimilia dicebat, quoniam nec memoriam feci; quià omninò erant minùs pertinentia.

Deindè affirmabat: quòd etiam PP. Prædicatores in ſuâ ſententiâ tenebantur admittere hoc: quòd, videlicèt, decretum prædeſtinationis eſt abſolutum, quamvìs præſupponat præſcientiam futurorum ſub conditione. Nàm ipſi dicunt: quòd Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ cognoſcit hoc futurum conditionatum: ſi dedero alicui auxilium efficax, ſalvabitur; & tamen decretum, quo Deus poſteà liberè vult Petrum ſalvare, cùm præſupponat hanc præſcientiam conditionalium, eſt abſolutum; ergò datur, *ad hominem* ut dicitur, decretum prædeſtinationis abſolutum, licèt præſupponat præſcientiam illam conditionalium.

Itèm illud probabat *ad hominem*, ut dicebat: quià R. P. (F. Thomam nominans) in præcedenti Congregatione magno animi affectu defendit, quòd illud: *Si in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes &c.* fuit dictum & revelatum à Chriſto; quià id cognoverat in decreto abſoluto, quo decreverat Deus illas Gentes convertere, ſi eis Evangelium Chriſtus prædicaret; & tamen poſt hanc præſcientiam illius conditionati voluit Deus illas Gentes abſolutâ voluntate non convertere: ergò datur abſoluta voluntas, etiamſi præſupponat præſcientiam alicujus conditionati. Certè, dicebat, non video quomodò P. R. ad hæc reſpondere valet, niſi fortè retractando ſententiam.

Poſtremò id probabat ex S. Auguſtino, qui *Lib. de prædeſt. Sanctorum cap. 9.* a apertè docet: quòd præſcivit Chriſtus, qui in eum eſſent credituri, ſi eis prædicaret. Et hâc præſcientiâ conditionalium ſuppoſitâ, docet, quòd abſolutâ voluntate tunc voluit venire, & illis prædicare doctrinam ſuam: ergò decretum divinæ voluntatis abſolutum, verè abſolutum manet, etiamſi præſupponat præſcientiam futurorum ſub conditione.

a *Tom. 10. n. 17. col. 802.*

Idem probabat: quià S. Auguſtinus admittit præſcientiam antè decretum prædeſtinationis, cùm dicit: quòd prædeſtinatio, eſt præſcientia & præparatio beneficiorum; & tamen illa præſcientia non poteſt eſſe niſi hæc conditionalium: Nàm præſcientia abſoluta ſupponebat decretum prædeſtinationis; ergò jàm prædeſtinatio ſecundùm Auguſtinum eſt abſolutè volita à divinâ voluntate, licèt præſupponat illam præſcientiam conditionalium.

Tandem hæc probabat ex S. Thomâ *3. p. q. 1. art. 5. ad 2.*, cujus ſolutionem ibì legebat, & particulariter inſtabat in illis verbis S. Thomæ, quibus ſic dicit: *Proindè*, ut ipſe ſolvens dixit, *ſicut Apoſtolus ait:* b *non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei, qui his, quos prævidit, ſi apud eos facta eſſent, ſuis miraculis credituros, quibus voluit, ſubvenit; aliis autem non ſubvenit.* Ecce, aïebat, S. Thomas conſtituit voluntatem abſolutam prædeſtinandi, poſt illam præſcientiam futurorum ſub conditione, quâ Deus præviderat, qui in ſe eſſent credituri, ſi apud eos fierent miracula illa.

b *Rom. 9. 16.*

Et eodèm modo inducebat alia verba S. Thomæ *ex eâdem q. 1. art. 3. ad 4.* ubì docet, quòd prædeſtinatio præſupponit præſcientiam futurorum; & explicabat debere intelligi de præſcientiâ futurorum ſub conditione; hæc enìm antecedit decretum prædeſtinationis. Nàm præſcientia abſoluta

ſoluta futurorum ſupponit & ſequitur ad decretum prædeſtinationis : ergò ſecundùm S. Thomam, prædeſtinatio & ejus decretum abſolutum præſupponit præſcientiam futurorum ſub conditione ; & nihilominùs decretum illud prædeſtinationis, abſolutum permanet. Et ſic concludebat ſuam diſputationem dicens: quòd de aliâ parte Dubij : *An bonus uſus fiat ex ſolâ innatâ libertate , an verò ex gratiâ., quæ facit ut faciamus ?* dicturus erat in aliâ Congregatione. Et ſic finivit.

Tunc F. Thomas incipiens more ſolito,dixit: Beatissime Pater, ad cujus pedes, quæcumque dixero, ſuppono. Subſtantialiſſimum à Sanctitate Veſtrâ propoſitum & modò relatum Dubium, ſtrictè de æterno decreto prædeſtinationis procedit, & de effectu illius, qui eſt bonus uſus arbitrij, quo homo ipſe in tempore certiſſimè conſequitur prædeſtinationis finem. Et procedit Dubium de primo decreto prædeſtinationis, id eſt, de propoſito divinæ voluntatis quo vult ſalvare Petrum, & quemlibèt alium, qui de facto & cum effectu ſalvatur. Quod divinæ voluntatis propoſitum, nihil eſt aliud, quàm efficax electio, quâ divina voluntas, quos vult, eligit ad regnum & gloriam ; quià idem omninò eſt velle aliquem ſalvare, & decernere ipſum ad gloriam eligere. Et de hoc propoſito divinæ electionis, quo efficaciter alij præ aliis eliguntur ad gloriam, inquirit Dubium : An ſit unicum in Deo conſtituendum Decretum, quo velit ſalvare Petrum ? An potiùs conſtituendum ſit aliud, quo divina Majeſtas decernat Petrum conſtituere in tali rerum ordine , & ſub talibus auxiliis, quibus ſi ipſe Petrus pro ſuâ innatâ libertate benè utatur, ſalvetur ? Quod eſt, in ſubſtantiâ quærere : An propoſitum ſalvandi Petrum, ſit unicum abſolutum & efficax ex parte divinæ voluntatis, ac independens ab innatâ libertate Petri priùs prævisâ ? An potiùs includat illam conditionem in Dubio propoſitam, quâ propoſitum ſalvandi Petrum in ſuâ efficaciâ à voluntate Petri dependeat, ipſam exſpectet, & quaſi in ſuſpenſo maneat , donec prævideatur , quid innata Petri libertas operatura ſit ?

Meritò autem Dubium conjungit ſimùl effectum prædeſtinationis cum ipſo decreto prædeſtinationis ; quià ſi ſemèl admittatur propoſitum ſalvandi Petrum, eſſe abſolutum, & independens à voluntate ipſius Petri prævisâ, apertiſſimum erit, bonum uſum arbitrij provenire à gratiâ Dei, quæ facit ut homo benè utatur prædictis auxiliis. Si autem è converſo ſit conſtituendum illud aliud decretum ſub illâ conditione explicatum , & cum dependentiâ ab ipsâ innatâ Petri libertate, quomodolibèt prævisâ ; & illud ex conſequenti erit manifeſtum , bonum uſum prædictorum auxiliorum ex ſolâ innatâ Petri voluntate procedere.

His igitur ſic expoſitis, & breviter, pro verâ & perfectâ Dubij intelligentiâ , prænotatis ; ad Dubium ipſum duplici Concluſione Reſpondeo, dicendo I°. : Firmiter ſtatuendum eſt, eſſe in Deo unicum prædeſtinationis decretum, quo Deus abſolutâ ſuâ voluntate vult ſalvare Petrum, abſque aliquâ dependentiâ à voluntate creatâ Petri priùs prævisâ. Et eâdem firmitate negandum eſt illud aliud ſecundum decretum in Dubio expreſſum ſub illâ conditione ſignatâ.

Veritas iſta, niſi ob temporis injuriam, in dubium revocanda non erat, ſed ab omnibus ſummo conſenſu tenenda, atque prædicanda. Continet enìm Catholicam de prædeſtinatione doctrinam, contrà damnatam jàm olìm Pelagianorum ſententiam. Probatur, & explicatur. Nàm Pelagiani negabant eſſe in Deo propoſitum ſalvandi abſolutum ex parte divinæ voluntatis, & independens ab ipsâ voluntate ſalvandorum, contendentes illud debere conſtitui ſub conditione & dependentiâ à voluntate ipſorum. Quod & fuit totius ipſorum pravæ ſententiæ ſingulare fundamentum ; ergò contrà damnatam eorum ſenten-

Digitized by Google

tiam firmiter in Deo conſtituendum eſt decretum prædeſtinationis abſolutum, & firmiter eſt negandum illud aliud conditionatum.

Antecedens refertur in terminis, illiſque clariſſimis, *in epiſt. S. Proſperi ad S. Auguſt.* a quæ quia notiſſima eſt, & ſæpè in conſpectu Veſtræ Sanctitatis relata, ob brevitatem omittitur; præcipuè quia luce eſt clarius, duo in prædictâ epiſtolâ de Pelagianis referri. Primùm eſt Pelagianos negaſſe propoſitum, conſtitutionem, & definitionem, quâ Deus vult homines ſalvare, iſtos eligendo ad regnum & gloriam, eſſe abſolutum ex parte voluntatis divinæ, & independens à voluntate ſalvandorum; quià, ut malè putabant, per tale abſolutum propoſitum ſalvandi, tollebatur hominum libertas, & fatalis quædam inducebatur neceſſitas. Secundò dicebant: ſic debere in Deo conſtitui; quòd, videlicèt, Deus omnibus indifferenter proponeret dare auxilium gratiæ; & ſi homo ex ſuâ innatâ libertate benè utatur hoc auxilio, ſalvetur: cum certâ tamen præſcientiâ, quòd quidam benè ex ſeipſis utentur talibus auxiliis, & quòd ſalvabuntur. Undè in ſubſtantiâ decretum prædeſtinationis, quod Pelagiani conſtituebant, nihil aliud erat, niſi propoſitum dandi omnibus auxilia, cum certâ præſcientiâ quòd aliqui illorum benè uterentur illis, ut ſalvarentur. Et ſic conſtituebant propoſitum ſalvandi, & efficacem electionem ad gloriam pendentem à præviſione, quâ Deus præſciebat homines ex ſuâ innatâ libertate benè uſuros talibus auxiliis. Et illam voluntatem eligendi ad regnum & gloriam quaſi ſuſpenſam conſtituebant in Deo, quòuſque prævideret Deus, quid creata voluntas ex ſuâ innatâ libertate operatura ſit. Hoc igitur ſit primum pro Concluſione fundamentum: ſententia quæ negat propoſitum abſolutum ſalvandi, & conſtituit illud aliud conditionatum, eſt damnata Pelagianorum doctrina; ergò totum contrarium firmiter tenendum & ſtatuendum eſt.

a *Tom. 10. Op. S. Aug. n. 4. col. 781.*

Secundò, Concilium Arauſicanum II. *can. 4.* a apertè videtur definire contrà illud decretum ſub conditione illâ dependente in ſuâ efficaciâ à voluntate creatâ; ergò firmiter illud tale decretum ſub conditione negandum eſt. Antecedens patet. Sic enim definitur in Concilio: *Si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum exſpectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per Sancti Spiritûs infuſionem & operationem in nobis fieri confitetur; reſiſtit ipſi Spiritui Sancto, per Salomonem dicenti:* b *præparatur voluntas à Domino; & Apoſtolo ſalubriter prædicanti:* c *Deus eſt qui operatur in vobis & velle & perficere pro bonâ voluntate.* Quibus verbis expreſsè definit: Deum non exſpectare voluntatem noſtram, ut purgemur: ſed ſi Deus decernit conſtituere hominem in tali ordine rerum, & ſub talibus auxiliis, ut ſi ipſe ex innatâ ſuâ libertate benè illis utatur; abſque dubio decerneret Deus exſpectare hominis voluntatem ad ipſum purgandum & ſalvandum: quod expreſsè prohibetur in Canone fidei.

a *In App. tom. 10. Op. S. Auguſt. col. 157.*
b *Proverb. 8. ſecundùm* LXX.
c *Philip. 2. 13.*

Tertiò, decretum prædeſtinationis debet eſſe certum & firmum ſecundùm Dei propoſitum, & non ſecundùm propoſitum hominis; ut S. Auguſtinus expreſsè affirmat; *Lib. 2. ad Bonifac. cap. 9.* d Et *Lib. de corrept. & grat. cap. 7.* e Et *Lib. de prædeſt. Sanct. cap. 18.* f, qui ad propoſitum eſt locus inſignis, in quo ex Apoſtolo *Epheſ. 1.* g hanc veritatem S. Auguſtinus demonſtrat. Sed decretum illud ſub conditione, conſtituit decretum prædeſtinationis certum & firmum ſecundùm propoſitum hominis, non ſecundùm propoſitum Dei: ergò non ſolùm contrà Auguſtinum, ſed potiſſimè contrà Apoſtolum procedit, conſtituere illud decretum prædeſtinationis cum illa conditione: ſi homo, videlicèt, benè uti voluerit ex ſuâ innatâ libertate auxiliis gratiæ. Minor manifeſtè conſtat: Nàm decretum prædeſtinationis cum illâ conditione, in ſuâ firmitate & certitudine à propoſito hominis

d *Tom. 10. n. 22. col. 445.*
e *Tom. 10. n. 13. col. 757.*
f *Tom. 10. n. 47. col. 848.*
g *Epheſ. 1. 4.*

Digitized by Google

hominis dependet : ergò decretum illud per illam conditionem fit certum ſecundùm hominis propoſitum : ergò certitudo, quòd ille homo ſalvetur, in ſuſpenſo manet ab eo, quod ipſe homo præſcitur ex ſuâ innatâ libertate facturus : & ſic decretum prædeſtinationis dependet ex aliquo merè naturali; quià illa innata hominis libertas, aliquid merè naturale eſt.

Quartò prætereà, contrà authoritatem Scripturæ & dicta Sanctorum eſt, aſſerere quòd Deus ſic ordinat prædeſtinatum ad ſalutem, ſicut & quemlibet alium, ſciens tamen quòd prædeſtinatus non deficiet à ſalute ; ſed ex decreto illo ſub illâ conditione hoc apertiſſimè ſequitur ; ergò conſtituere tale decretum ſub illâ conditione, contrà authoritatem Scripturæ procedit, & dicta Sanctorum. Major cum qualificatione adjunctâ, eſt doctrina S. Thomæ in terminis *q. 6. de veritate art. 3.*, cujus verba non ſemel ſunt lecta in conſpectu Veſtræ Sanctitatis. Minor autem eſt manifeſta : nàm idem omninò eſt, ordinare prædeſtinatum ſicut & quemlibet alium ad ſalutem, cum præſcientiâ, quòd prædeſtinatus non deficiet à ſalute ; & decernere dare auxilia prædeſtinato ſicut & cuilibet alteri, cum præſcientiâ, quòd non deficiet à ſalute, ſed quòd ex ſuâ innatâ libertate benè utetur auxiliis ad ſalutem. Convincit èrgò S. Thomas loco citato contrà authoritatem eſſe Scripturæ & dicta Sanctorum, conſtituere decretum prædeſtinationis ſub illâ conditione & dependentiâ à voluntate creatâ.

Confirmatur & explicatur magìs hæc S. Thomæ doctrina : Quià contrà authoritatem Scripturæ & dicta Sanctorum eſt, aſſerere Deum decernere, quòd vis & efficacia ſalutis ex homine dependeat, & non ex Deo ipſo ; quià jàm decerneret Deus hominem habere aliquod bonum, illudque magnum & pertinens ad ſalutem, ſine ipſo Deo volente, cauſante, & tribuente tale bonum. Quod expreſſiſſimè contrà authoritatem Scripturæ procedit, & dicta Sanctorum. Sed ex decreto prædeſtinationis, ſub illâ explicatâ conditione, conſequenter loquendo, authores qui illud conſtituunt, inferunt hoc ipſum, videlicèt, quòd efficacia auxiliorum & ſalutis ex noſtrâ innatâ libertate dependet & ex nobis ipſis, ex nobis facientibus vel illa efficacia, vel inefficacia & caſſa ; ſuperaddentes, quòd non aliundè provenit, niſi ex ſolâ noſtrâ libertate, quòd iſti ſunt prædeſtinati atque ſalvati, alij verò minimè. Ergò contrà authoritatem Scripturæ & dicta Sanctorum eſt, tale decretum ſub conditione & dependentiâ à voluntate humanâ conſtituere.

Explicatur adhuc magìs prædicta S. Thomæ doctrina atque cenſura. Quid enìm in hâc materiâ poteſt eſſe magìs contrà authoritatem Scripturæ & dicta Sanctorum, quàm aſſerere Deum decernere, hominem ex ſeipſo inchoare operationem piam & ſanctam, & non ex Deo ipſo ; cùm iſte ſit Pelagianorum error, contrà authoritatem Scripturæ procedens & dicta Sanctorum : Sed authores qui defendunt decretum prædeſtinationis ſub illâ conditione, conſequenter loquendo, ex ipſo inferunt in terminis Deum decernere, quòd noſtram inchoemus operationem piam & ſanctam : ut Franciſcus Suarez, qui hoc in terminis dicit *Lib. 3. de auxiliis cap. 13.*. Ergò contrà authoritatem Scripturæ & dicta Sanctorum eſt, conſtituere in Deo tale decretum ſub illâ conditione & exſpectatione pendente ab humanâ libertate ; quià hoc, ut dixi, nihil eſt aliud, quàm aſſerere, propoſitum ſalvandi & efficacem electionem ad gloriam fieri ex prævisione alicujus merè naturalis, nempè innatæ libertatis benè utentis auxiliis gratiæ. Nàm illa innata libertas benè utens ex ſe auxiliis gratiæ eſt quid merè naturale, & ab hoc naturali dependet electio ad gloriam.

Prætereà, contrà authoritatem Scripturæ & dicta Sanctorum eſt, conſtituere prædeſtinationem & effectum

 ejus

ejus impoſſibilem; ſed ex illo decreto ſub conditione ſæpè explicato redditur omninò impoſſibilis prædeſtinatio & ejus effectus; ergò contrà authoritatem Scripturæ & dicta Sanctorum eſt, conſtituere illud decretum ſub conditione. Minor probatur: quià impoſſibile eſt hominem ex ſolâ ſuâ innatâ libertate uti benè auxiliis gratiæ; ergò impoſſibile eſt, quòd decernat Deus ipſum ſalvare, ſi ipſe benè utatur auxiliis gratiæ. Probatur antecedens: quià S. Thomas *1. 2. q. 109. art. 1.*, & *1. p. q. 115.*, & alibì ſæpè, demonſtrat impoſſibile eſſe, quòd aliqua potentia, quantùmvis perfectiſſima, exeat in actum, niſi in virtute divinæ motionis ipſam moventis & applicantis ad actum: igitur erit impoſſibile voluntatem humanam ex ſolâ ſuâ innatâ libertate exire in actum, benè utendo auxiliis gratiæ, niſi ab ipſâ gratiâ moveatur, & applicetur ad actum: ergò impoſſibile erit hoc Deum decernere: ergò erit impoſſibile tale prædeſtinationis decretum; ergò impoſſibilis redditur per hunc modum tota prædeſtinatio & omnis effectus illius.

Prætereà S. Thomas *1. p. q. 19. art. 3. ad 5.* docet apertè: quòd creata voluntas, quià de ſe eſt cauſa contingens, oportet quòd determinetur ab alio, videlicèt, à Deo, ut ſeipſam determinet ad actum: ergò neceſſe erit, quòd ſi non determinetur à Deo, quòd ſe non determinabit ad actum: ergò neceſſe eſt quòd ſi Deus decrevit non determinare ad actum, ſed illam conſtituere ut ex ſe ſolâ ſe determinet, neceſſe eſt, inquam, quòd hoc Deus decernat, quòd videlicèt, ipſa nunquàm ſe determinet ad actum, & quòd nunquàm benè utatur auxiliis: & ſic redditur impoſſibilis prædeſtinatio & effectus ejus; redditur impoſſibilis noſtra converſio & noſtra juſtificatio; & impoſſibilis redditur omnis bonus uſus arbitrij.

Et hoc ipſum confirmant Philoſophica principia. 1°. Illud quo dicitur: quòd cauſa ſecunda mota à primâ cauſâ ſe movet; ità quòd ſi non moveatur à primâ, nec ipſa ſe movebit. Et illud aliud: quod nihil quòd eſt in potentiâ habens potentialitatem annexam per ſeipſum ſe reducit de potentiâ in actum; ſed quòd indiget reduci in actum per aliquid quod ſit in actu: ergò ſi Deus, qui ſemper eſt in actu, & actus purus, decrevit non reducere voluntatem humanam in actum, ut benè utatur auxiliis, ſi decrevit non movere illam ad actum, ſed relinquere illam, ut ipſa ex ſe moveat ſe ad actum, & ſe ex ſe reducat de potentialitate in actum; neceſſe eſt quòd ſimùl decernat, quòd ipſa voluntas nunquàm ſe moveat, vel reducat in actum, benè utendo auxiliis gratiæ: ergò nunquàm voluntas talis benè utetur auxiliis gratiæ: & ſic redditur impoſſibilis prædeſtinatio, & omnis effectus illius. Quâ ratione ſæpè in præcedentibus Congregationibus dixi, quòd PP.RR. eâdem viâ quâ plùs juſto hominis extollunt arbitrium, illud de medio tollunt, & conſtituunt, quòd nunquàm in actuali exercitio libertatem & bonum uſum habeat. Concludo ergò cum hâc primâ parte Dubij, ſecundùm quòd in Concluſione fundavi, firmiter negandum eſſe illud decretum prædeſtinationis, ex quo tot intolerabilia ſequuntur incommoda & inconvenientia, & firmiter ſtatuendum eſſe decretum prædeſtinationis eſſe unicum abſolutum ex parte divinæ voluntatis, à voluntate ſalvandorum minimè dependens, vel ipſam exſpectans.

IIª. Concluſio. Bonus uſus auxiliorum gratiæ, non provenit ex ſolâ innatâ hominis libertate ſed ex divinâ gratiâ, quæ verè & activè propriè facit, ut homo benè utatur prædictis auxiliis. Dixi, quòd gratia verè & activè propriè facit, ut homo benè utatur auxiliis gratiæ, ad ſecludendam illam ſolam motionem moralem & metaphoricam, quâ ab aliquibus dicitur, quòd gratia facit nos benè uti auxiliis gratiæ. Quod verbis duntaxàt dicitur, non re & veritate.

Veritas

Digitized by Google

Veritas iſta, ut à principio propoſui, ex præcedenti Concluſione ſequitur manifeſtè, & ex abſoluto decreto prædeſtinationis. Abſolutè enim & efficaciter prædeſtinare, eſt præparare certa media, quæ ex Deo ipſo habeant virtutem & efficaciam ad perducendum hominem in vitam æternam, efficaciter faciendo, quòd homo benè utatur auxiliis gratiæ, ut tandem ſalvetur.

Prætereà veritas iſta in terminis invenitur definita à Cæleſtino I. in illâ ſuâ celebri & memorabili Decretali ad Epiſcopos Galliæ, in hæc verba: a *quòd nemo, niſi per Chriſtum, libero benè utatur arbitrio.* Quæ verba explicari nequeunt de illis moralibus excitationibus. Per illas enim non facit Chriſtus, quòd homo benè utatur arbitrio, ſed ſolùm excitat, ut ſi homo voluerit, ex ſeipſo benè utatur. Quod & clariùs expreſſit idem Pontifex Sanctus, cùm protinùs adjunxit: b *Agit quippè in nobis*, ſcilicet Deus, *ut quod vult, & velimus, & agamus.* Non aït Pontifex Summus: quòd Deus agit in nobis, ut, ſi nos volumus, agamus. Non aït: quòd Deus vult, ut, ſi nos volumus, operemur. Immò expreſsè contrà iſtas ſententias ex profeſſo determinat, quòd Deus agit in nobis, ut quod ipſe priùs vult, & nos ſubſequendo velimus & agamus; ut explicat Gelaſius in aliâ ſuâ Decretali adversùs Pelagianos, & iterùm definit idem Cæleſtinus loquens de Deo, c *cujus tanta eſt benignitas, ut noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt* propria *ipſius dona.*

a In App. tom. 10. Op. S. Aug. cap. 7. col. 133.

b Ibid. cap. 12. col. 134.

c Ibidem.

Conſonat Concilium Arauſicanum II. ſub Leone I. *can. 9.* ſic dicens: d *Quotiès bona agimus, Deus in nobis atque nobiſcum, ut operemur, operatur.* Itaque Deus propriè & verè operatur in nobis, ut operemur; vere operatur in nobis, ut benè utamur auxilio: ut ſic totum Deo detur, & in nullo homo, tanquàm habito ex ſe ſolo, glorietur. Quæ eſt aperta Apoſtoli ſententia, cùm aït: e *ipſius eſt velle & operari pro bonâ voluntate.* Quæ verba explicari non poſſunt de illis excitationibus & ſuaſionibus, ut olìm explicavit Pelagius; ſed convictus fuit à S. Auguſtino *Lib. de gratiâ Chriſti cap. 7. & ſeqq.*, ſed potiſſimè *cap. 10.* f, quòd per illas invitationes non recederet à lege atque doctrinâ. Hoc ipſum expreſsè docet Apoſtolus, cùm aït: g *Quid habes, quod non accepiſti?* Sed reſpondet Molina, & qui ejus defendunt ſententiam: Habeo ex ſolâ meâ innatâ libertate quòd bene utar arbitrio, & quòd benè utar auxiliis gratiæ; hoc habeo ex me; hoc non accepi à Deo, nec ab ejus gratiâ. & ità in hoc poſſum gloriari.

d Ibid. col. 158.

e Philipp. 2. 13.

f Tom. 10. col. 233. & ſeqq.

g 1. Cor. 4. 7.

Inſuper S. Auguſtinus in hâc ſententiâ eſt totus. Nihil enìm aliud perpetuò docet contrà Pelagianos, niſi quòd nihil boni homo habet quod à Deo non accipiat, & quòd bonus uſus gratiæ proveniat ex vi & efficaciâ ipſius gratiæ. Innumera ſunt S. Doctoris teſtimonia, quibus docet contrà Pelagianos bonum uſum arbitrij & auxiliorum gratiæ, non ſolùm eſſe à Deo præſcitum, ut malè dicebant Pelagiani, ſed eſſe à Deo datum, & à divinâ voluntate tributum atque cauſatum; ut ſæpè ex S. Doctore oſtendi. In nullo enìm alio tàm glorioſus in Eccleſiâ S. Auguſtinus exiſtit, quàm in defendendâ contrà inimicos gratiæ iſtâ veritate. Ex cujus tamen doctrinâ, pauca quædam teſtimonia, quæ formaliora videntur, inducam.

1°. *Ex epiſt. 107. ad Vital.* h in cujus principio damnat, ſicut doctrinam planè Pelagianam, ſententiam quæ aſſerit, *Deum ità operari in nobis per Scripturas ſuas, ut conſentire vel non conſentire, ità noſtrum ſit, ut ſi velimus, fiat; ſi autem nolimus, nihil in nobis ejus operationem valere faciamus.* Et nomine Scripturarum intelligit ibi omnes interiores revelationes & excitationes, quæ non faciunt velle, ſed ſuadent, & invitant ſolùm; quas à lege atque doctrinâ non recedere expreſsè contrà Pelagium probavit S. Auguſtinus *Lib. de grat. Chriſti cap. 7. 8. 9. & 10.* i Quod adhuc clariùs affirmat

h Nunc 217. tom. 2. num. 1. col. 799.

i Tom. 10. col. 231. & ſeqq.

Lib.

a Tom. 6. num. 13. col. 9. *Lib. ad Simplicianum quæſt. 2.* a, ubì expreſsè loquens de interiori Dei vocatione, docet contrà Apoſtolum eſſe, affirmare, quòd ità eſt in noſtrâ poteſtate vocationi obtemperare, ut illam efficacem ex nobis reddamus. Cujus verba ſunt: *Quod ſi verum eſt, & non conſequenter vocationi vocatus obtemperat, atque ut* b *obtemperet in ejus eſt poſitum voluntate, rectè etiam dici poteſt:* c *igitur non miſerentis eſt Dei, ſed volentis atque currentis eſt hominis; Cui miſericordia vocantis non ſufficit, niſi vocati obedientia conſequatur.* Quæ ſunt verba notanda. Loquitur enìm expreſsè de internâ vocatione, & docet, quòd ſi illa interna vocatio non facit, quòd vocatus illi obtemperet, ſed exſpectanda eſt vocati obedientia, ut, ſi voluerit, obtemperet, ſin minus, caſſam reddat Dei vocationem, poſſet contrà Apoſtolum dici: non eſt miſerentis Dei, ſed volentis & currentis hominis. Vocatio ergò Dei, in his qui benè utuntur auxiliis gratiæ, non exſpectat illorum obedientiam, ſed facit quòd benè utantur & obediant. Non ergò ex innatâ libertate tantùm benè utuntur auxiliis gratiæ, ſed ex Dei gratiâ; ex cujus vi atque virtute homo benè utitur arbitrio, & obtemperat vocationi.

b Obtemperet, nunc in novâ editione habetur non obtemperet.

c Rom. 9. 16.

Itèm *Lib. de Correptione & Gratiâ cap. 12.* d in hoc diſtinguit gratiam à principio primo Parenti collatam, à gratiâ Chriſti quæ datur electis, & prædeſtinatis: quòd primus Parens tale adjutorium habuit, in quo permaneret, ſi vellet, non quo fieret ut vellet. Hæc eſt prima gratia, quæ data eſt primo Adam, inquit S. Auguſtinus, ſed hâc potentior in ſecundo Adam. Prima enìm eſt, quâ fit ut habeat homo juſtitiam ſi velit. Secunda ergò plus poteſt, quâ etiam fit ut velit. Manifeſtum eſt ergò, quòd in his qui benè utuntur arbitrio, & auxiliis gratiæ, non eſt ex ſolâ ſuâ innatâ libertate, quià ſi volunt operantur, ſi nolunt non operantur: ſed quòd ex efficaciâ & vi ipſius gratiæ habent quòd operentur.

d Tom. 10. num. 33. & ſeqq. col. 768. & ſeqq.

Præctereà *Lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 10.* e id clariùs demonſtrat ex Apoſtolo id ità dicente *ad Rom. 4.* f Verba Apoſtoli ſunt: *ideò ex fide, ut ſecundùm gratiam firma ſit promiſſio; quoniàm qui promiſit, potens eſt & facere.* Nàm non aït Apoſtolus: quòd promiſſio, quâ Deus multos fideles promiſit filios Abrahæ fieri, habeat certitudinem & firmitatem ex libero arbitrio; ſed aït: quòd ex gratiâ Dei habet certitudinem & firmitatem. Super quæ verba ità dicit S. Auguſtinus: *Ideò ex fide, ut ſecundùm gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini; non de voluntatis noſtræ poteſtate, ſed de ſuâ prædeſtinatione promiſit. Promiſit enìm quod ipſe facturus erat, non quod homines: quià etſi homines faciunt bona, quæ pertinent ad colendum Deum; ipſe facit, ut illi faciant quæ præcepit: non illi faciunt ut ipſe faciat quod promiſit.* Si autem, quòd benè utamur auxiliis gratiæ, ex noſtrâ ſolâ pendet innatâ libertate, & non ex virtute gratiæ Dei; jàm certè promitteret Deus, non quod eſt de ſuâ prædeſtinatione, ſed quod eſt de noſtræ libertatis poteſtate, ſi ità eſt, quòd ex ſolâ noſtrâ libertate innatâ benè utimur auxiliis gratiæ: ergò non facit Deus, ut faciamus nos quod ipſe præcepit; ſed potiùs nos facimus, ut ipſe faciat quod promiſit.

e Tom. 10. n. 19. col. 803.

f Rom. 4. 16.

Poſtremò S. Auguſtinus *Lib. 1. Retract. cap. 9.* g, in terminis agens de bono uſu liberi arbitrij, à quo proveniat, hæc habet verba: *Et quià omnia bona, ſicut dictum eſt, & magna, & media, & minima ex Deo ſunt; ſequitur ut ex Deo ſit etiam bonus uſus liberæ voluntatis, quæ virtus eſt, & in magnis numeratur bonis.* Bonus uſus voluntatis, inquit Auguſtinus, in magnis numeratur bonis. Undè neceſſe eſt quòd ex Deo ſit, & non ex ſolâ noſtrâ innatâ libertate; aliàs hoc magnum bonum ex nobis eſt, & non ex Deo.

g Tom. 1. num. 6. col. 15.

Et tandem *Lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 18.* h ità concludit: *laborant homines invenire in noſtrâ voluntate, quid boni ſit noſtrum, quod nobis non ſit ex Deo. Et quomodò inveniri poſſit, ignoro.*

h Tom. 10. n. 28. col. 55.

Verè,

Verè, Beatissime Pater, temporibus iſtis laborat Molina, laborant & iſti PP. qui ejus defendunt doctrinam, invenire in noſtrâ voluntate quid boni ſit noſtrum, quod non habeamus ex Deo, videlicèt, bonum uſum arbitrij, & bonum uſum auxiliorum gratiæ. Quòd enìm in hoc laboret Molina, & quòd in totâ ſuâ Concordiâ nihil aliud intendat, immò id apertis verbis affirmet, oſtenſum fuit ſæpè: & modò P. R. explicando ejus doctrinam etiam affirmavit, licèt aliquid defuerit pro verâ intelligentiâ ejus. Dixit enìm, quòd Molina ſic conſtituit decretum prædeſtinationis, quòd, videlicèt, omnium primò Deus per illam mediam ſcientiam cognoſcat quid liberum arbitrium, ſi in tali rerum ordine & circumſtantiarum collocetur, acturum ſit. Deindè, quòd Deus voluit conſtituere hominem in tali rerum ordine ut ſalvetur, volendo quòd ille benè operetur, & ſalvetur: ità quòd hoc decretum prædeſtinationis ſit abſolutum, & non ſub conditione. Sed Molina ipſe expreſsè dicit: quòd Deus vult hominem operari ſub conditione, ſi, videlicèt, ipſe homo voluerit. Quod Pater debebat advertere. Et ſic conſtituit formaliter decretum prædeſtinationis ſub illâ conditione pendente ab humanâ voluntate. Cujus totum contrarium P. propoſuit.

Quòd autem hoc Molina dicat, patet: nàm ſic habet *q. 19. art. 6. diſp. 2. in principio.* a *Sciendum eſt Deum duobus modis velle aliquid voluntate abſolutâ. Uno, ſine ullâ dependentiâ ab arbitrio creato, quà liberum arbitrium eſt. Ejuſmodi voluntas abſoluta, Dei eſt, quæ propriiſſimè appellatur voluntas Dei efficax, cui nulla creatura reſiſtere valeat, idque ſivè Deus, quod ità vult, exequatur per ſeipſum ſolum, ut fuit creatio orbis; ſivè interventu cauſæ ſecundæ, etiamſi voluntas humana vel Angelica ea ſit, cui neceſſitatem poteſt inferre. Comparatione tamen ejus, quod ità exequeretur voluntas creata, non haberet rationem liberi arbitrij; eò quòd in facultate ejus non eſſet, facere oppoſitum.* Et ſtatìm *in §. altero modo*, ſic dicit b: *Altero modo dicitur Deus velle aliquid, dependenter quidem ab arbitrio creato, quà liberum eſt, atque adeò ſub conditione, ſi creatum arbitrium id etiam velit.* Eccè in terminis affirmat decretum voluntatis divinæ, quòd homo benè operetur, eſſe ſub illâ conditione, ſi homo velit. Et dicit apertè: quòd ſi Deus abſolutâ voluntate ſine illâ conditione velit quòd homo operetur; tolleret ab ipſo homine libertatem reſpectu illorum operum.

a Pag. 279. col. 1.

b Pag. 280. col. 1.

Tunc dixit ipſe Vaſtida ut legerem in Molinâ ſequentia.

Cui F. Thomas aït: Tantò meliùs. Legam quidem, & quid intendat apertiùs explicabo. Sic enìm ſequitur in Molinâ: c *At eâ ratione abſolutè, quòd cùm prævideat per arbitrium ipſum liberè futurum. ex hypotheſi, quòd eum ordinem rerum velit creare, quem reipſâ creare conſtituit, ei placet, abſolutâque jàm voluntate vult, ut ſit, quod ità liberè futurum eſt, poteſtque non eſſe.* Cujus ſenſus apertus eſt: quòd Deus abſolutè vult hominem conſtituere in tali rerum ordine; hoc enìm decretum conſtituendi & creandi hominē, abſolutum eſt, & ſine conditione & dependentiâ à voluntate creatâ. At verò quòd homo ſic conſtitutus, hoc vel illud operetur, non vult abſolutâ voluntate, ſed ſub conditione, ſi homo voluerit; ut apertis verbis dicit. Immò dicit: quòd Deus complacet in actu facto ab arbitrio. Et ſæpè repetit in Concordiâ, quòd ille actus divinæ voluntatis, eſt actus complacentiæ operis facti ab homine. Immò quod magis eſt, & quod eſt attentiùs conſiderandum, Molina nullam certam prædeſtinatorum electionem ad gloriam admittit in Deo, niſi poſt præviſionem abſolutam boni uſûs arbitrij, benè utentis ex ſuâ innatâ libertate auxiliis gratiæ. Hoc enìm dicit expreſsè *q. 23. art. 1. & 2. diſp. 2.* d Et *in ultimâ quæſtione Appendicis in fine totius Concordiæ.* e Cujus quià longiora ſunt verba, omitto.

c Ibidem.

d Pag. 305. col. 1.

e Poſt Indicem locorū ſacræ Scripturæ, §. tertius eſt, & ſequenti.

Digitized by Google

Tunc clamabat P. Vaſtida, quòd legerem in Molinâ, & quòd ſibi hoc inſinuari debebat.

Cui F. Thomas: Ego hoc propono Sanctiſſimo Domino noſtro. Cùm autem magis inſtaret P. Vaſtida, ut legeret F. Thomas. Ipſe F. Thomas dixit: Eccè jàm lego. Et legit primum locum, videlicèt, *ex q. 23. art. 1. & 2. diſp. 2.* Legendo §. *non deſunt* a ferè integrum; & principium §. *prætereà* b ſequentis. Et ſic concluſit: Dicit ergò apertè Molina, quòd decretum electionis ad gloriam eſt poſt prævisionem abſolutam usûs liberi arbitrij; quià tale decretum ponitur à Molinâ reſpectu gloriæ in ratione præcisâ præmij: quod abſolutam præſupponit prævisionem operum. Quod clariùs fundat in totâ illâ quæſtione Appendicis citatâ.

a *Pag. 305. col. 1.*
b *Ibid. col. 2.*

Quibus dictis, ſic proſequebatur F. Thomas: Ad objecta autem omnia, quæ R. P. propoſuit, ferè me reſpondere non oportet; quià in illis omnibus P. R. difficultatem non tetigit; ſed extrà Dubium diffuſus, ex quibuſdam generalibus & communibus procedit, nihil tractans in particulari & in ſpecie de Dubio propoſito. Undè ad omnia uno verbo dico ſub hâc diſtinctione: quòd quandò antè decretum voluntatis præcedit cognitio alicujus rei ſub conditione, à quâ conditione non dependet voluntas ſubſequens, tunc optimè ſtat, quòd decretum voluntatis ſit abſolutum; ut in exemplis multis quæ P. R. induxit. At verò quandò decretum voluntatis divinæ ſequitur ad præſcientiam alicujus ſub conditione, quæ dependet à voluntate alterius; tunc decretum voluntatis decernens illud etiam dependet à conditione & voluntate alterius.

R. P. Vaſtida in omnibus ſuis exemplis locutus fuit de decreto abſoluto, quod ſupponit præſcientiam alicujus conditionati, non tamen pendentis à voluntate alterius. At verò tota quæſtio eſt, non de iſtâ præſcientiâ generali, ſed de præſcientiâ ſcientiæ mediæ, quâ Deus videt futurum ſub conditione pendente à voluntate creatâ hominis. Undè decretum prædeſtinationis ſemper includit illam conditionem pendentem à voluntate hominis; & ſic non eſt abſolutum decretum prædeſtinationis, ſed conditionatum; ut etiam expreſſis verbis oſtendi in Molinâ. Undè quod Pater dixit, illud decretum eſſe abſolutum, id verbis quidem dixit, re autem ipsâ eſt conditionatum & pendens in conditione à creatâ hominis voluntate. Immò expreſsè loquitur contrà Molinam, qui dicit illud eſſe conditionatum; P. autem dicit eſſe abſolutum.

Statìm poſtquàm F. Thomas finivit, P. Vaſtida dicebat: quòd conveniebat in hoc quòd decretum prædeſtinationis erat abſolutum.

Cui F. Thomas: voce dicit abſolutum eſſe, non reipsâ.

Deindè referens P. Vaſtida primam Concluſionem à F. Thomâ propoſitam, dicebat, illum dixiſſe, decretum prædeſtinationis non eſſe conditionatum.

Cui F. Thomas: mea verba fuerunt, eſſe abſolutum, & abſque aliquâ conditione à voluntate humanâ in ſuâ efficaciâ pendente, vel illam exſpectante.

Tunc P. Vaſtida dicebat: Quomodò poteſt dici, quòd decretum prædeſtinationis non dependeat à voluntate creatâ?

Cui F. Thomas: Bonus uſus arbitrij à voluntate pendet humanâ, ſed efficacia decreti prædeſtinationis non dependet à voluntate creatâ, niſi convenientia ſit cum Pelagianis.

Tunc P. Vaſtida legebat quædam Scripta, ſeu Reſponſiones quaſdam traditas à Patribus Prædicatoribus antè quinque annos, & antequàm, ut dicebat, Frater Thomas veniret. Quibus lectis in ipſis inveniebatur, illud decretum quod à PP. Societatis vocabatur abſolutum, eſſe ſine dubio conditionatum. Quod cùm legiſſet:

Dixit F. Thomas: contrà ſeipſum hoc adducit. Hoc enìm eſt, quod ſemper diximus: decretum quod ab eis vocatur abſolutum, eſſe reverâ conditionatum, & à voluntate humanâ dependens.

Digitized by Google

dependens.

Tunc P. Vaſtida dicebat: Quomodò ego adduco contrà me?

Cui F. Thomas: Jàm dixi, quòd adducit contrà ſe.

Tunc cùm P. Vaſtida, ſimiliter & P. Salas inſtarent, quòd electio ad gloriam non antecederet præſcientiam operum: dicebat F. Thomas: Immò neceſſe eſt, quòd electio ad gloriam antecedat omnem operum præſcientiam; quià ſententia aperta S. Thomæ eſt, *1. p. q. 23. art. 4.* quòd hoc ordine procedunt, noſtro modo intelligendi, actus in Deo prædeſtinante, ut primus ſit dilectio, quâ divina voluntas diligit quos vult ad finem ſupernaturalem. Secundus eſt electio, quâ divina voluntas homines dilectos præ aliis eligit ad gloriam. Tertius eſt actus divini intellectûs practici, qui, in virtute illius efficacis electionis ad regnum & gloriam, præparat certa quædã media, per quæ homines ex efficaci ſuâ virtute tranſmittit in gloriam. Undè electio efficax ad gloriam antecedit omnem omninò mediorum præparationem & prævisionem. Quod & Scotus *in 1m. diſt. 40.* expreſsè affirmavit, dicens: quòd priùs eſt in divinâ mente voluntas finis, quàm voluntas dandi media. Quod eſt apertiſſimum; nam prior eſt efficax volitio finis, quàm efficax volitio mediorum; quià volitio efficax mediorum ex efficaci volitione finis promanat. Poſt præparationem autem mediorum, & eorum prævisionem, vult Deus dare gloriam in ratione præmij & mercedis: ſed omnium primò præcedit in divinâ mente electio efficax ad gloriam, in ratione gratuiti doni. Sententia enìm certa eſt, quam & tradit S. Auguſtinus *Tract. 68. in Joan.* a quòd duplex eſt electio ad gloriam, & per modum intentionis, id eſt, per modum gratuiti doni, quæ eſt omnium prima, antecedens omnia prævisa merita; & per modum executionis, id eſt, per modum præmij & mercedis: & hæc præſupponit meritorum præſcientiam.

a *Tom. 3. n. 1. col. 679.*

Tunc iterùm tàm P. Salas quàm Vaſtida dicebant: nullo modo eſſe ſententiam Pelagianorum dicere, quòd electio ad gloriam fiat ex prævisione bonorum operum. Quod probabant: quià multi Scholaſtici hoc dicebant. Inter quos legebant Gabriëlem Vaſquez ex Societate, & Bellarminum Cardinalem, qui dicebat hanc eſſe ſententiam Scholaſticorum probabilem. Inducebant etiam Stapletonium, qui hoc affirmaret. Simùlque affirmabat P. Salas, in hoc tantùm erraſſe Pelagianos circà prædeſtinationem ad gloriam, quià dicebant illam fieri ex prævisione operum merè naturalium abſque gratiâ.

Tunc F. Thomas dicebat: Pelagianos nunquàm dixiſſe, immò nec Pelagium ipſum, electionem ad gloriam fieri ex prævisione operum merè naturalium; quià ipſi dicebant eſſe neceſſariam gratiam ad gloriam; ſed illam ex merito dari dicebant, propter opera merè naturalia. Et de Semipelagianis eſt manifeſtum; quià ipſi dicebant Deum præſcire, qui ſub adjutorio gratiæ benè uſuri erant arbitrio, & eos prædeſtinabat ad Regnum. Admittebant ergò hominem benè uti adjutorio gratiæ, ut ſic prævisus eligeretur ad regnum; & in hoc errabant.

Quod autem dicunt PP. Societatis, aliquos Scholaſticos conſtituere prædeſtinationem ad gloriam ex prævisione operum, nec eſſe illorum ſententiam Pelagianam; iſta clariùs diſtinguenda ſunt, nè quis fallatur. Dupliciter enìm quis poteſt aſſerere, electionem ad gloriam fieri ex prævisis operibus. 1°. Ità quòd Deus primò decernat dare homini efficacem gratiam, ex cujus vi & efficaciâ benè operetur; & deindè quòd ex prævisione meritorum procedentium ex efficacitate gratiæ, Deus illum eligat ad gloriam. Et qui ſic diceret, licèt malè philoſopharetur, conſtituendo in Deo priùs efficacem volitionem dandi media, quàm efficacem intentionem finis: tamen ab errore Pelagianorum inveniretur alienus; quià jàm admitteret nihil habere hominem talem, quod

non

non procederet ex efficaciâ gratiæ Dei. Et hoc modo poſſunt aliqui Scholaſtici ſine errore Pelagianorum procedere.

Alio modo fit electio ad gloriam ex prævifione operum, ſeu innatæ libertatis, benè ex ſe ſolâ utentis auxiliis gratiæ, & illa efficacia reddentis, ut eligatur ad gloriam. Et hæc, à quocunque dicatur, aperta ſententia Pelagianorum eſt. Hoc enim ipſi dicebant, & in hoc errabant, quòd electio ad regnum & gloriam non fiebat antè prævifionem innatæ hominis libertatis benè utentis ex ſeipsâ auxiliis gratiæ. Quotquot autem RR. PP. adducunt Doctores, omnes ſunt ex Societate. Undè omnes reputantur pro uno authore. Et quidem Gabriël Vaſquez citatus, etiam in hoc à Franciſco Suarez reprehenditur, quòd loquatur contrà S. Auguſtinum. De Stapletonio autem nihil eſt aliud dicendum, niſi quòd ex inconſideratione, ſecutus fuit illam ſcientiam mediam Molinæ, ſicut à principio quibuſdam placuit, quæ modò re attentiùs conſideratâ ab eiſdem damnatur.

Procedebat autem P. Vaſtida ad impugnandum alia quæ à F. Thomâ dicta fuerant, & non reſpondens nec verbum ad illa quæ F. Thomas pro veritate defendendâ propoſuerat, faciebat inſtantiam in eo quod dixerat F. Thomas, quòd videlicèt, S. Auguſtinus, cùm loquitur de præſcientiâ quæ antecedit prædeſtinationem, loquatur de præſcientiâ perſonarum, quæ priùs debent prævideri, quàm prædeſtinentur. Contrà quod inſtabat, quòd S. Auguſtinus loquebatur de præſcientiâ beneficiorum.

Ad quod F. Thomas: loquitur de præſcientiâ beneficiorum & donorum ſuorum, non innatæ hominis libertatis.

Tunc iterùm inſtabat idem Vaſtida: quòd S. Auguſtinus dicebat de præſcientiâ donorum, & quòd non poterat intelligi, niſi de præſcientiâ boni uſûs ſub conditione futuri.

Tunc F. Thomas dicebat: jàm dixi, quòd Deus antè omnem præſcientiam boni uſûs ſub conditione, primò diligit quos vult; deinde illos præ aliis eligit ad gloriam; & tandem prædeſtinat media & dona ſua, quæ Deus præſciit eſſe dona ſua; ità quòd præſcientia donorum ſuorum eſt poſt prædeſtinationem; ſed præſcientia perſonarum quæ ſunt prædeſtinandæ, antecedit, ut dixi, iſtam prædeſtinationem & electionem ad gloriam. Non eſt autem inconveniens explicare S. Auguſtinum de præſcientiâ, quâ Deus ſub conditione præſciat dona ſua, non innatam hominis libertatem. Nàm per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, ut ſæpè dixi, antè omnem actum prædeſtinationis, cognoſcit Deus, quòd ſi alicui dederit auxilium efficax, convertetur. Quæ ſcientia ſimplicis intelligentiæ eſt ſcientia donorum Dei ſub conditione futurorum; & hæc antecedit prædeſtinationis actum. Cæterùm actus divinæ voluntatis, qui conſequitur ad hanc ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, ſolùm dependet à divinâ voluntate, non autem à voluntate humanâ; ut ſæpè dixi.

Deindè ipſe Vaſtida procedebat ulteriùs, & dicebat malè F. Thomam explicaſſe S. Thomam, quòd in loco inducto *ex 3. p. q. 1. art. 5.* loqueretur de præſcientiâ abſolutâ; cùm ſit manifeſtum, quòd loquatur de conditionatâ. Quem locum ibì iterùm legebat.

Cui F. Thomas: ego dixi, quòd ille alius locus, *ex ead. q. 1. 3ª. partis art. 3. ad 4.*, in quo S. Thomas dicit: quòd prædeſtinatio præſupponit præſcientiam futurorum, loquitur & procedit de præſcientiâ abſolutâ: quod & certiſſimum eſt. Ille autem alius modò citatus, procedit de præſcientiâ eâdem, de quâ S. Auguſtinus dixit: quòd ſupponit electionem & decretum divinæ voluntatis. Et in hoc eſt tota quæſtio, ſivè ſit præſcientia abſoluta, ſivè conditionata; quòd apertè tùm in S. Thomâ tùm in S. Auguſtino præſupponat electionem & decretum abſolutum divinæ prædeſtinationis & voluntatis Dei.

Ultimò autem inſtabat P. Vaſtida in

in eo quod dixerat F. Thomas: quòd, videlicèt, actus non dependeret à libero hominis arbitrio. Et dicebat: Eccè dicit, quòd actus arbitrij non dependet à libero arbitrio.

Cui F. Thomas: Pater, agimus de rebus graviſſimis coràm Suâ Sanctitate, & non licèt imponere quod dictum non eſt. Ego dixi, quòd actus divinæ voluntatis eligentis ad gloriam in ſuâ efficaciâ non dependet à libero hominis arbitrio: & tu Pater dicis me dixiſſe, quòd actus liberi arbitrij non dependeat à libero arbitrio. Hoc nunquàm ego dixi. Ego dico actum divinæ voluntatis. Tu dicis actum liberi arbitrij.

Tunc ipſe Vaſtida in hoc ſiluit; ſed proſecutus affirmabat, ſe demonſtraturum in ſequenti Congregatione, qualiter F. Thomas in ſuâ ſecundâ Concluſione, quâ dixerat bonum uſum arbitrij, non ex ſolâ innatâ hominis libertate, ſed ex Dei gratiâ procedere, quæ verè & activè propriè facit, quòd homo benè utatur arbitrio, qualiter, inquam, hæc ſententia ſit ſententia Calvini. Nàm qui ſic dicunt, ut aïebat, affirmant non poſſe hominem diſſentire.

Cui P. Regens Alvarez dixit: Nos nunquàm tale dicimus. Et ſtatìm Dominus Cardinalis Aſculanus dicebat PP. Societatis: *Vos multa imponitis, quæ iſti PP. Dominicani non dicunt; nec valetis reſpondere apertiſſimis teſtimoniis, quibus veſtram doctrinam oppugnant.* Hæc verba, vel quædam ſimilia æquivalentia dixit Cardinalis Aſculanus; quoniam expreſsè non recordor.

Tunc P. Vaſtida, quaſi moderatus ſententiam ſuam, dixit: quòd Prædicatores dicebant, non poſſe hominem diſſentire in ſenſu compoſito; & quædam alia multiplicabat, non alicujus conſiderationis, quæ proindè nec memoriæ multùm commendavi, ut ſcriberem. Et ſic finita fuit Congregatio, cùm circiter per quatuor horas perduraſſet.

Aliud etiam P. Vaſtida impugnabat dictum à F. Thomâ. Quià enim reprehenderat Molinam, quià conſtituit in Deo actum complacentiæ de bonâ hominis operatione, dicebat P. Vaſtida: de hoc Molinam reprehendi non debere; quià etiam Chriſtus Dominus dixit de ſuo Patre: a quòd ſibi complacuit hominibus dare regnum. a *Luc. 12. 3*

Ad quod F. Thomas ſic reſpondebat: Pater Æternus in ſuâ voluntate placuit ſibi, & in his quæ ipſe facturus eſt. At verò Molina dicit: quòd Deus complacet in opere facto ex hominis innatâ libertate, quod ipſe Deus non facit.

Et cùm inſtaret P. Vaſtida in illo loco, quòd Pater Æternus complacuit &c. ad excuſationem Molinæ, Sanctiſſimus dixit; *Deus Pater complacet in ſuâ voluntate, non in alienâ hominis;* quaſi confirmans ſolutionem & doctrinam priùs traditam à F. Thomâ.

Habita eſt coràm Sanctiſſimo, 21. Januarij anni 1605. præſentibus Cenſoribus deputatis; præter Illuſtriſſim. Cardinales relatos de novo introductus fuit Card. du Perron Francus.

CONGREGATIO TRIGESIMA SEPTIMA CORAM CLEMENTE VIII.

In quâ de bono gratiæ uſu fuit diſputatum; quæſitumque num hic uſus ab auxilio gratiæ procedat, vel ab ipſis arbitrij viribus, ſeu ab innatâ hominis libertate?

Vide Hiſt. Congreg. de Auxil. Lib. 3. cap. 42. col. 554. & ſeqq.

ACTUM fuit in hâc Congregatione de illo Dubio: *An bonus uſus dictorum auxiliorum proveniat à ſolâ innatâ libertate? an verò à gratiâ Dei, quæ facit ut homo benè utatur dictis auxiliis? Et quæ ex iſtis ſit ſententia Sancti Auguſtini, & Ludovici Molinæ?* Quod Dubium fuit ſecunda pars illius Scripti dati die 4ª. Novembris anni 1604., de cujus primâ parte actum fuit in Congregatione præcedenti; quæ & fuit de Decreto prædeſtinationis.

In hâc Congregatione à principio Sanctiſſimus brevitatem commendavit dicens: *ut non ità protenderent phylacteria ſua.* Pro quibus autem hoc fuerat dictum, ſatìs omnibus de Congregatione fuit manifeſtum, quòd pro Jeſuitis.

Tunc incipiens Vaſtida ſuo modo perorandi, dicebat: quòd ſicut antiquitùs Calviniſtæ opponebant Catholicis, quòd gratiam Dei negarent, quià negabant illam efficaciam gratiæ, quæ libertatem tollebat; ità & modò hoc ipſum opponebatur Molinæ, & cum eo ſentientibus. Et ſimilia quædam antè reſponſionem Dubij præmittebat. Cùm autem hæc diceret:

Sanctiſſimus magno fervore illi dicebat: *Chi fa far al huomo, chi fa far.* Et hoc ſæpè Sua Sanctitas repetebat contrà illos.

Illi autem dicebant: *Che la gratia fa far* moraliter *peró nó* phyſicè prædeterminando.

Tunc rurſùs Summus Pontifex: *Queſta gratia eccitante la poſto ancora Caſſiano.*

Illi autem, videlicèt, Jeſuitæ dicebant: ut Sua Sanctitas pro ſuâ benignitate dignaretur illos audire.

Summus autem Pontifex dicebat: *be, le coſe che ſi poſſono ſentire, & ſono ſentite: queſto nó ſi puòl ſentire.*

Cùm autem ille Vaſtida reſiſtens Pontifici, in ſuâ opinione vel protervià perſiſteret, & proſequeretur, contigit quòd de novo intraret Cardinalis du Perron Francus, qui primitùs ad hanc Congregationem fuerat admiſſus. Et ipſo in ſuo loco ſedente, præcepit Sua Sanctitas, ut iterùm Vaſtida de novo inciperet & proponeret.

Tunc ipſe hæc in ſubſtantiâ dixit: Primò controverſiam inter ſanctum Auguſtinum & Pelagianos nunquàm fuiſſe de bono uſu gratiæ, & gratiam ſupponente, ſed de actu merè naturali, cui tanquàm ex merito gratiam dari dicebant Pelagiani.

Et hoc ſuo poſito fundamento, proponebat controverſiam inter PP. Prædicatores & PP. Societatis in hoc ſitam eſſe: quòd PP. Prædicatores omnem bonum uſum arbitrij reducebant in auxilium gratiæ, ità de ſe efficax, ut illo poſito non ſtaret quòd homo aliter operetur. Et in hoc multis verbis inſtabat. At verò PP. Societatis, ut dicebat, affirmabant bonum uſum arbitrij non eſſe reducendum in illam gratiam

gratiam de ſe efficacem, ſeu phyſicè prædeterminantem ; ſed in gratiam moraliter ſuadentem, ſeu in arbitrium benè utens ex ſe prædictis auxiliis gratiæ. Et ad impugnandum PP. Prædicatorum ſententiam reducentem bonum uſum prædictorum auxiliorum in efficaciam gratiæ de ſe efficacis, illo potiſſimè utebatur fundamento: quòd, videlicèt, talis ſententia cum Calvino conveniret, & liberum hominis impediret arbitrium: affirmans inſuper illam procedere contrà determinationem Concilij Tridentini *Seſſ. 6. cap. 5. de juſtificatione*, ubì ſic dicitur de gratiâ præveniente: *Ità ut tangente Deo cor hominis per Spiritûs Sancti illuminationem, neque homo ipſe nihil agat omninò inſpirationem illam recipiens, quippè qui illam & abjicere poteſt.* Sic ergò inſtabat: ſi bonus uſus arbitrij & auxiliorum gratiæ reducatur in illam gratiam, quam homo abjicere non poteſt, tollitur arbitrij libertas ; ſed ſi bonus uſus arbitrij & auxiliorum gratiæ reducatur in gratiam de ſe efficacem, reducitur in gratiam quam arbitrium abjicere non poteſt; ergò ſi bonus uſus arbitrij & auxiliorum reducatur in illam gratiam de ſe efficacem tollitur arbitrij libertas. Major ex Concilio ſupponebatur; Minorem autem probabat; quià ſi gratia illa eſt de ſe efficax, arbitrium non poteſt illam abjicere ; ſi enìm illam poſſet abjicere, de ſe efficax non eſſet.

Similiter eamdem minorem probabat ex M. Bannez in quodam loco, in quo dicebat: quòd homo non poteſt reſiſtere gratiæ efficaci. Et ponderabat, quòd abſolutè & ſine aliquo addito dicebat hominem non poſſe illam abjicere, vel illi reſiſtere; affirmans expreſsè eſſe contrà Concilium Tridentinum. Nàm Concilium dicit: quòd poteſt illam abjicere; & tamen Bannez dicit: quòd homo non poteſt illi reſiſtere. Similiter legebat in M. Bannez, quòd bonus uſus arbitrij reducitur, ſicut in cauſam adæquatam, in efficaciam divinæ voluntatis, de quâ dixerat, quòd non poteſt homo illi reſiſtere. Et tandem in eodem M. Bannez legebat & ponderabat, quòd liberum arbitrium non poteſt evadere ordinem divinæ providentiæ: ſi autem non poteſt, inquiebat Vaſtida, ordinem evadere; ergò non habet libertatem ad illud faciendum. Et ſimilia quædam talia proponebat.

Deindè dicebat: quòd PP. Prædicatores ſolebant reſpondere, per illam diſtinctionem, de ſenſu diviſo, & de ſenſu compoſito, dicentes: quòd in ſenſu diviſo poteſt homo reſiſtere, non verò in ſenſu compoſito; ſed iſta diſtinctio non infringit vim argumenti facti, nec per illam ſalvatur hominis libertas; quià, ut aïebat, dicere: hominem poſſe reſiſtere in ſenſu diviſo, nihil eſt aliud quàm dicere, quòd ablatâ & ſeparatâ efficaci gratiâ, homo poſſit reſiſtere: dicere autem quòd in ſenſu compoſito non poteſt homo reſiſtere, nihil eſt aliud quàm quòd poſitâ efficaciâ gratiæ in voluntate, non poſſit reſiſtere; & ſic quòd efficacia exiſtens in voluntate tollat ab eâ libertatem ad reſiſtendum. Itèm quià Concilium dicit: quòd poteſt reſiſtere; ſed reſiſtentia non fit efficaciæ gratiæ, quæ non eſt in voluntate, ſed illi quæ in voluntate exiſtit; ergò debet ſalvari, quòd, adhuc poſitâ efficaciâ in voluntate, poſſit illi homo reſiſtere. Et ſimiliter Concilium aït: quòd poteſt homo abjicere gratiam; ſed nemo poteſt abjicere id quod non habet, ſed id tantùm quod habet; ergò ſentit Concilium, quòd gratiam, quam voluntas habet, poteſt abjicere, etiam in ſenſu compoſito. Et ſimilia quædam, non habentia difficultatem aliam, repetendo multiplicabat, aſſerendo: quòd aliqui etiam ex Thomiſtis, videntes difficultatem argumenti, concedebant, quòd etiam homo poteſt diſſentire & reſiſtere in ſenſu compoſito.

Prætereà inſtabat in illo communi argumento, quod reputant ipſi præcipuum, quòd, videlicèt, ſi gratia eſt efficax ex ſe, tota ratio adæquata, quarè iſte homo non convertatur & benè

benè utatur arbitrio, erit Deus negans auxilium illud efficax; & ſic in Deum refundetur, ſicut in cauſam adæquatam, quòd homo non benè utatur arbitrio. Undè non imputabitur homini, quòd non benè utatur arbitrio; quià non eſt in ſuâ poteſtate quòd habeat gratiam illam efficacem ad operandum, (& ad hoc legebat etiam in M. Bannez, quòd diceret Deum eſſe totalem cauſam, ſivè adæquatam, quarè homo non habeat auxilium efficax, & quarè non rectè utatur a bitrio) niſi dicatur, ſicutì quidam dicunt, quòd ſi homo benè utatur auxiliis ſufficientibus, dabitur ei auxilium efficax. Quòd ſi ſic dicatur, ille bonus uſus arbitrij jàm non erit ex efficaciâ gratiæ ſecundùm ſe. Et ſimiliter inducebat alium modernum Thomiſtam dicentem: quòd negatio boni uſûs per modum negationis, eſt ex ſolo Deo; non per modum privationis. Et inſtabat: quòd in genere moris, idem eſt quòd negatio boni uſûs ſit ex Deo, ac privatio. Et ſimilia quædam inculcabat, quæ hìc non referuntur, tùm quià nulla memoria poteſt retinere omnia minutiſſima quæ ſpatio duarum horarum dixit; tùm quià omnia in idem redeunt. Sat eſt ſi præcipua & ſubſtantialia referantur & retineantur.

Præthereà dicebat: quòd ſi bonus uſus gratiæ eſt ex efficaciâ gratiæ ſecundùm ſe, ſequeretur quòd voluntas in juſtificatione merè paſſivè ſe haberet. Quod expreſsè damnatur in Concilio Tridentino *Seſſ. 6. can. 4.* quià voluntas non eſt libera ad acquirendum auxilium gratiæ de ſe efficacis; ſed ſolùm habet potentiam paſſivam ad illud recipiendum. Rursùs poſtquàm illud habet, non habet activam potentiam ad illud abjiciendum; ergò nullo modo ſalvatur, voluntatem habere potentiam activam. Et hoc multùm replicabat.

Deindè inducebat Calvinum dicentem hæc verba: *movet Deus voluntatem, non qualiter antiquis temporibus traditum eſt & creditum, ut noſtræ electionis ſit, poſſe refragari; ſed illam movet, efficaciter afficiendo.* Eccè, dicebat, gratiam efficacem quam Calvinus conſtituit, ità de ſe efficacem, ut noſtræ libertatis non ſit, poſſe refragari & reſiſtere. Et ſic Calvinus negat illam gratiam moraliter attrahentem, cui homo poteſt refragari & reſiſtere; & de hoc condemnat authores, qui antiquitùs ità dicebant, & introducit ipſe quamdam gratiam de ſe efficacem, cui homo non poteſt refragari. Et legebat Stapletonium in aliquibus locis, in quibus de hoc Calvinum impugnat.

Poſtremò ſuam ſententiam de gratiâ moraliter attrahente, ut, ſi liberum hominis arbitrium vult, conſentiat, nitebatur probare ex S. Auguſtino. Sed antè dicebat: quòd in præcedenti Congregatione dictum fuerat à F. Thomâ, videlicèt, quòd S. Auguſtinus *epiſt. 107. ad Vitalem* [a] damnabat ſententiam Molinæ, cùm arguit Vitalem dicentem: quòd *Deus per legem & Scripturas ſuas operatur ut velimus; ſed eis conſentire vel non conſentire ità noſtrum eſt, ut ſi velimus, fiat; ſi autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus.* De quo teſtimonio 1°. dicebat: non procedere contrà Molinam; quià Molina admittit gratiam interiorem. At verò S. Auguſtinus ibì refutat eum qui admittit tantùm Scripturas & gratiam exteriorem. Deindè dicebat: hunc eumdem locum ad hoc propoſitum, fuiſſe objectum à Calvino Catholicis viris, qui defendebant gratiam interiorem moraliter attrahentem, quam defendit Molina. Et hoc legebat in Stapletonio ità referente.

[a] Nunc 217 tom. 2. n. 1. col. 799.

Prætereà affirmabat: ſe conſtituere illam gratiam, quam antiqua Concilia definierunt eſſe neceſſariam contrà Pelagianos, videlicèt, excitantem, quæ ſit præveniens, & adjuvantem ſeu cooperantem. Quam etiam gratiam excitantem & adjuvantem ſolùm requirit Concilium Tridentinum. Quod non ſemel repetebat; affirmans Concilium Tridentinum, nomine gratiæ adjuvantis, intelligere cooperantem.

Aliàs

Digitized by Google

Aliàs nullam mentionem feciſſet gratiæ cooperantis, quæ ſine dubio neceſſaria eſt.

Poſtremò quòd bonus uſus prædictorum auxiliorum ſit ex libero arbitrio & illâ gratiâ moraliter attrahente vel ſuadente, dicebat S. Auguſtini eſſe apertam ſententiam *Lib. de Spirit. & Litt. cap. 34.* a cùm aït : *quòd viſorum ſuaſionibus agit Deus, ut velimus, & ut credamus ; ſivè extrinſecùs per Evangelicas exhortationes, ubi & mandata legis aliquid agunt, ſi ad hoc admonent hominem infirmitatis ſuæ, ut ad gratiam juſtificantem credendo confugiat ; ſivè intrinſecùs, ubi nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mentem, ſed conſentire vel diſſentire propriæ voluntatis eſt.* In quibus verbis inſtabat 1°. quòd Deus ſuaſionibus agit ut velimus, & facit ut velimus. 2°. Quòd conſentire vel non conſentire propriæ voluntatis eſt, id eſt, non ex prædeterminante gratiâ. Deindè & ſequentia S. Auguſtini verba in prædicto loco inducebat : b *Sic his ergò modis quandò Deus agit cum animâ rationali, ut ei credat ; nec enìm credere poteſt quodlibet libero arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio, ſeu vocatio cui credat. Profectò & ipſum velle credere operatur Deus in homine, & in omnibus miſericordia ejus prævenit nos : conſentire autem vocationi Dei, vel ab eâ diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt.* Eccè, dicebat, aït S. Auguſtinus, quòd Deus ſuaſionibus operatur in homine ipſum velle credere ; & tamen conſentire vel non conſentire propriæ voluntatis eſt, id eſt, non ex illâ efficaci gratiâ prædeterminante. Et iterùm ſequentia verba S. Auguſtini inducebat, quæ ſic habent c : *Quid enìm habes, quod non accepiſti ?* d *Verùm etiam confirmat. Accipere quippè & habere anima non poteſt dona, de quibus hoc audit, niſi conſentiendo ; ac per hoc quid habeat, & quid accipiat, Dei eſt : accipere autem & habere, utique accipientis & habentis eſt.* Eccè, dicebat, S. Auguſtinus aït : quòd cum illâ ſuaſione morali gratiæ verificatur optimè, quòd nihil habeat homo quod non ſit acceptum à Deo.

a *Tom. 10. n. 60. col. 120.*

b *Ibidem.*

c *Ibidem.*

d *1. Cor. 4. 7.*

Similiter inducebat aliud Auguſtini teſtimonium, *ex Lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 18.* e ubì ità habet ; *Quocircà quoniàm quòd à Deo nos avertimus, noſtrum eſt, & hæc eſt voluntas mala ; quòd verò ad Deum nos convertimus, niſi ipſo excitante atque adjuvante non poſſumus.* Quæ verba ſic explicabat : quòd ſine gratiâ excitante, tenente ſe ex parte prævenientis, & ſine gratiâ adjuvante, id eſt, cooperante, ad Deum nos convertere non poſſumus. Et quòd adjuvans gratia ad cooperantem pertineat, & non ad prævenientem, ſibi videbatur probare ex illo S. Auguſtini, *in Enchiridio cap. 32.* f *Ut totum Deo detur ; qui hominis voluntatem bonam, & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam.* In quo loco, ut dicebat, gratiam adjuvantem S. Auguſtinus pro cooperante accipit, & illam diſtinguit ab illâ gratiâ præparante.

Tertiò id probabat ex eodem S. Auguſtino, vel quocunque alio qui fuerit author illius Libri *de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 21.* g in quo ſic habetur : *Manet itaque ad quærendam ſalutem arbitrij libertas, id eſt, rationalis voluntas ; ſed admonente priùs Deo, & invitante ad ſalutem, ut vel eligat, vel ſequatur, vel agat occaſione ſalutis, hoc eſt, ſpiratione Dei. Ut autem conſequatur quod eligit, vel quod ſequitur, vel quod occaſione agit, Dei eſſe, liberè confitemur. Ut acquieſcamus ſalutiferæ inſpirationi, noſtræ poteſtatis eſt ; ut adipiſcamur quod acquieſcendo admonitioni cupimus, divini eſt muneris ; ut non labamur in adepto ſalutis munere, ſollicitudinis noſtræ eſt, & cæleſtis pariter adjutorij ; ut labamur, poteſtatis noſtræ eſt & ignaviæ.* Ex quo loco id quod intendebat colligens, dicebat : gratiam prævenientem eſſe ſolùm excitantem & adjuvantem.

Ultimò id probabat : quià S. Thomas dicit : quòd Deus ideò eſt Dominus ſui actûs, quià ab alio non movetur nec determinatur. Ex quo inferebat : quòd etiam ideò homo eſt dominus ſuarum actionum & operationum,

e *Tom. 10. n. 31. col. 56.*

f *Tom. 6. col. 208.*

g *Hic liber non eſt S. Auguſtini fœtus, ſed potiùs Gennadij Semipelagiani. In Append. tom. 8. col. 77. & 78.*

tionum, quià ab alio non movetur, nec determinatur; & quòd ſi ab alio efficaciter movetur & determinatur, non ſit ſuarum operationum dominus.

Et tandem id probabat ex S. Thomâ *in 2m. diſt. 25. art. 1. ad 3.* Quem locum ibì legebat, quì & ità habet: *Ad tertium dicendum: quòd Deus operatur in omnibus, ità tamen, quòd in unoquoque ſecundùm ejus conditionem. Undè in rebus naturalibus operatur, ſicut miniſtrans virtutem agendi, & ſicut determinans naturam ad talem actionem. In libero autem arbitrio hoc modo agit, ut virtutem agendi ſibi miniſtret, & ipſo operante, liberum arbitrium agat: ſed tamen determinatio actionis & finis in poteſtate liberi arbitrij conſtituitur. Undè remanet ſibi dominium ſui actûs; licèt non ità ſicut primo agenti.* Ex hoc loco, quià S. Thomas docet, quòd determinatio ſui actûs eſt in poteſtate arbitrij, colligebat Vaſtida, quòd non ſit à Deo. Et ex differentiâ quam conſtituebat S. Thomas inter naturalia & libera; quòd naturalia determinantur à Deo, libera autem determinant ſe, idem concludebat Vaſtida. Hæc & ſimilia proponebat. Nec enìm recordor, quòd aliquid aliud dixerit ſubſtantiale quod ad rem pertinet.

Ultimò legebat P. Vaſtida unum vel alterum Molinæ teſtimonium, in quo dicebat ipſum non aſſerere: quòd ex ſolâ innatâ libertate homo convertatur, ſe explicans in aliis tribus locis, in quibus dixerat, quòd ex ſolâ innatâ libertate ſe homo convertit. Et explicatio eſt, quòd, *ex ſolâ*, excludit gratiam phyſicè prædeterminantem, non autem aliam gratiam excitantem & adjuvantem. Quæ omnia poſtquàm per duas integras horas propoſuiſſet;

Statìm incipiens F. Thomas, omnia ex more ad pedes Sanctiſſimi conſtituens, ſic dicebat: Beatissime Pater, ad cujus pedes omnia quæcunque dixero, humiliter ſuppono. Abundè ſatìs in præcedenti Congregatione, non ſolùm ex S. Auguſtini apertâ ſententiâ, millies à S. Doctore confirmatâ atque repetitâ; verùm & ex Summorum Pontificum & Sacrorum Conciliorum perpetuâ doctrinâ, manifeſtavi bonum uſum arbitrij & auxiliorum gratiæ, non ex ſolâ hominis innatâ libertate, ut Molina malè concedit, ſed ex Dei gratiâ procedere, quæ verè facit, ut homo benè utatur prædictis auxiliis gratiæ.

Quæ doctrina adeò certa & indubitata fuit ſemper in SS. Patribus, Sacris Conciliis, Pontificibus Summis, ac ipſius Apoſtoli expreſſis & formalibus verbis; ut & qui antiquitùs gratiam Dei vehementer oppugnabant, illam tamen apertè negare non auderent. Sic enìm refert in terminis Concilium Carthaginenſe I. *epiſt. ad Innocent. I. de Pelagianis:* Negant quidem gratiam, ſed nec illam apertè impugnare audent. Undè & S. Hieronymus *epiſt. ad Cteſiph.* illud protulit de ſententiâ Pelagianorum celebre documentum: *Hæc ſola hæreſis eſt, quæ publicè erubeſcit loqui, quod ſecretò docere non metuit.* Quâ ratione & S. Auguſtinus *Lib. 4. contrà Julian. cap. 3.* a *Sic*, inquit, *ſententiam temperaſti, ut & tuâ & noſtrâ poſſ.t voce defendi.* Et *Lib. de grat. Chriſti cap. 32.* b adversùs Pelagium ipſum dixit: *Quid prodeſt, quòd eiſdem verbis in parvulis, quibus & in majoribus, celebrari dicit Baptiſmi Sacramentum; cùm res à nobis, non ſola verba quærantur?*

a *Tom. 10. n. 29. col. 600.*

b *Tom. 10. n. 35. col. 245.*

Quod proindè dixerim, Pater Beatissime, quià non deberent viri Catholici temporibus iſtis, in hâc eâdem causâ, potiſſimè in conſpectu Sanctitatis Veſtræ, aliud quidem verbis duntaxàt dicere, & aliud ſenſu & ſententiâ tenere. Qui enìm audit RR. PP. hæc modò proferre, quæ in conſpectu Sanctitatis Veſtræ modò propoſita ſunt, quòd, videlicèt, Deus gratiâ ſuâ facit ut faciamus, & quòd bonus uſus eſt ex gratiâ, & quædam alia ſimilia, quæ modò dixerunt; qui, inquam, hæc audit, & ſenſum eorum ignorat, quem in ſuis Libris & Scriptis ſatis clarè oſtendunt, hoc eos putat dicere

Digitized by Google

dicere quod veritas habet. Quiſquis autem, quod in ſuis Libris apertiùs dicunt, diligenter advertit, non ſolùm debet habere iſta verba ſuſpecta; ſed manifeſtè deprehendit, hoc ſolùm verbis proferri; totum autem contrarium ſenſu & ſententiâ firmari. Hoc enìm ſic dicunt, ſic intelligunt, immò ſic expreſſis & formalibus verbis affirmant: quòd, videlicèt, Deus facit ut faciamus donis ſuæ gratiæ, non verè, ſed metaphoricè, non propriè efficiendo atque cauſando, ſed moraliter tantùm invitando, & ſuadendo ad modum legis atque doctrinæ. Dicunt, quòd gratia eſt efficax; ſed exponunt, quòd eſt efficax ab effectu, & ab arbitrij cooperatione. Affirmant bonum uſum eſſe ex gratiâ; non quòd intelligant talem bonum uſum fieri ex vi & efficaciâ ipſius gratiæ, hoc enìm & modò negant, ſemperq; negarunt; ſed intendunt bonum uſum auxiliorum gratiæ fieri ex gratiâ, quià non fit ſine gratiâ illâ excitante, & quià illam ſupponit, vel fit cum illâ. Hæc eſt illorum intelligentia.

Nè autem dicant, vel me non intelligere quæ ipſi loquuntur, vel in alium ſenſum, quæ non dicta ſunt, vertere; ipſa ipſorum verba propria legendo proponam. Franciſcus Suarez *Lib. 3. de Auxil. divin. grat. cap. 5.*, ex profeſſo agens de gratiâ prævenienté & operante, & quomodò facit nos facere, ità habet: *Conſtat igitur hoc totum cauſalitatis genus morale eſſe. Et declaratur à ſimili. Nàm homo inducens alterum ad malum, & Dæmon tentans ad peccandum eſt cauſa moralis peccati; quià ad illud excitat ac movet: ſic ergò Deus multòque magìs ac perfectiùs, eſt cauſa moralis boni actûs ſupernaturalis, ad quem eliciendum nos excitat, noſtramque præparat voluntatem. Denique tota iſta cauſalitas reducitur ad motionem finis, quæ metaphorica eſt &c.*

Quæ verba cùm legiſſet prædictus F. Thomas in libro, ſtatìm ſubjungebat: Jàm ergò, ipſis expreſsè dicentibus, cauſalitas gratiæ prævenientis, non vera cauſalitas, ſed tantùm metaphorica eſt. Jàm ergò gratia operans ſolùm moraliter, ſuadendo, videlicèt, & invitando facit nos facere. Et quod majus eſt: jàm ergò ſicut Dæmon excitat ad malum moraliter tantùm; ità Deus ſolùm excitat moraliter ad bonum. Et ſola differentia eſt, quòd Deus eſt perfectus magìs orator & ſuaſor. Qui iſta tàm apertè dicunt, quomodò reipsâ & in veritate dicunt, Deum facere ut faciamus? Certè Dæmon excitando ad malum, illâ excitatione non poteſt efficaciter inclinare hominis voluntatem ad malum; ergò nec Deus illâ ſuâ excitatione morali poterit efficaciter inclinare hominis voluntatem in bonum. Et ſicùt Dæmon illâ ſuâ ſuaſione morali, non habet, nec habere poteſt poteſtatem ſuprà hominum voluntates; ità nec Deus illâ ſuâ excitatione etiam morali habebit poteſtatem ſuprà voluntates hominum. Manifeſtum eſt ergò, quòd per iſtum modum apertè negatur dominium, poteſtas, & potentia Dei ſuprà hominum voluntates. Igitur manifeſtum eſt, ſolùm verbis dici: quòd Deus ſuâ gratiâ facit ut faciamus; re autem ipsâ totum oppoſitum affirmari.

Immò aliquandò magìs ſe declarantes prædicti Patres, expreſſis verbis fatentur, Deum non facere ut faciamus. Idem enìm Franciſcus Suarez *L. 1. de concurſu Dei cum volunt. cap. 15. num. 7. §. ex quibus*. Sic dicit: *Deindè quod attinet ad ordinem prioris & poſterioris; ſi prioritas naturæ ſumatur propriè ſecundùm cauſalitatem; hoc modo neutra harum cauſarum priuſquàm alia influit; quià neutra influit in aliam; ſed utraque in effectum, ſeu actionem; & neutra applicat aliam, aut facit eam facere ex vi hujus concursûs.* Quæ verba, cùm lecta eſſent in Libro, dicebat prædictus F. Thomas: Eccè apertè dicit, loquendo de concurſu primæ & ſecundæ cauſæ ad ejus operationem, quòd neutra applicat aliam ſecundùm propriam cauſalitatem, & quòd Deus ex vi ſui concursûs non facit quòd liberum arbitrium faciat. Et quamvìs hìc loquatur de concurſu Dei & liberi ar-

Digitized by Google

bitrij reſpectu naturalium operationum, & pertinentium ad naturæ ordinem; tamen iſte author ſæpè in iſto Libro dicit idem eſſe proportionaliter dicendum in concurſu Dei reſpectu operationum ſupernaturalium; quòd, videlicèt, Deus ex vi concurſûs ſuæ gratiæ non facit quòd faciamus, ſeu non applicat voluntatem. Si autem ex vi concurſûs hoc non facit; ergò verè non facit ut faciamus; quià id verè ſolùm facit per ſuæ gratiæ concurſum.

Quod magìs explicans ipſe Franciſcus Suarez in ſpecie de operationibus ſupernaturalibus, ità dicit, *Lib. 3. de auxil. divin. grat. cap. 13. num. 15.* §. *prætereà. Prætereà*, inquit, *ubicunque Sancti de libertate arbitrij loquuntur, dicunt ità ſe gerere Deum cum voluntate noſtrâ, ut nullam vim ei inferat, ſed in poteſtate ejus motum ejus conſtituat; ità ut eum inchoare poſſit, ſi velit, vel ſuſpendere, tàm in ſupernaturalibus actibus, quàm in naturalibus. Immò in illis ſpecialiter aïunt quamvìs Deus pulſet & tangat corda, tamen non inferre vim, ſed exſpectare, ut ipſa voluntas conſentiat cum Dei adjutorio, quod ſemper & neceſſarium eſſe, & paratum eſſe ſupponunt.* Qui locus cùm à me fuiſſet in præcedenti Congregatione relatus, non lectus, ad probandum RR. PP. affirmare liberum arbitrium ex ſe inchoare, & non ex efficaciâ gratiæ, ſuam piam operationem: iſti PP. negarunt ſe talia in ſuis Libris dicere. Sed eccè jàm apertè oſtendo id expreſſis verbis ab eis affirmari, ſicut anteà dixi: quòd, videlicèt, poſitâ gratiâ excitante, inchoatio ſanctæ operationis non ſit ex virtute gratiæ, ſed ex libero arbitrio.

Immò quod magìs eſt, ipſe Franciſcus Suarez alibì, videlicèt, *Lib. 3. de auxil. divin. grat. cap. 2. num. 6.* §. *non omittam*, agens, quomodò facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus, datur auxilium gratiæ; & quòd Doctores, qui hoc affirmant, non ſunt involvendi cum Pelagianis; quià habent in illo dicto Catholicum ſenſum: & explicans quis ſit ille ſenſus Catholicus, ità dicit: *Studuerunt ergò hi authores Catholici, ut ſufficientiam & neceſſitatem gratiæ declararent, invenire modum quo ſit in poteſtate hominis habere illam, etiam quòad primum auxilium; quià alioquìn non apparet, quomodò ſit in poteſtate illius ſalutem obtinere, ſi non eſt in poteſtate illius eam inchoare.* Quid clarius? Apertè dicit: quòd homo faciendo quod in ſe eſt ſolis naturæ viribus antè omne gratiæ auxilium inchoat ſuam ſalutem, & præbet ſuæ ſalutis initium: cui initio ſalutis ex ſolis naturæ viribus habito, gratia redditur ex debito. Nihil magìs apertè dixerunt Pelagiani, quàm quòd homo ex ſolis naturæ viribus inchoabat ſalutem, & quòd ſic habebat in ſuâ poteſtate habere ipſam gratiam.

Sed ad præſens hoc relinquo, & iterùm venio ad illum citatum locum, in quo aït quòd gratiâ excitante præſuppoſitâ, non ex ipsâ, ſed ex libero arbitrio inchoatur ſupernaturalis actus. In quo etiam dicit: quòd poſitâ excitante gratiâ, Deus exſpectat ut homo inchoet illum ſupernaturalem actum. Quæ propoſitio damnatur in terminis in Concilio Arauſicano II. *can. 4.* a in quo definitur: Deum non exſpectare voluntatem noſtrã, ut à peccatis purgemur; ſed per infuſionem & operationẽ facere ut purgari velimus. a *In App. tom. 10. Op. S. Auguſt. col. 157.*

Nec valet exponendo dicere, ut PP. RR. ſolent, tantùm in Concilio & Canone iſto damnari: Deum exſpectare hominum priorem voluntatem, ut det primum gratiæ excitantis auxilium; non verò damnari: Deum exſpectare, ſuppoſitâ jàm gratiâ excitante, quòd, voluntas inchoet ſuum conſenſum ex ſeipsâ. Immò ille Canon hoc in terminis potiſſimè damnat. Condemnat enìm Deum exſpectare voluntatem noſtram, ut purgemur; ſi autem poſitâ gratiâ excitante, exſpectaret Deus noſtrum conſenſum, exſpectaret noſtram voluntatem ut purgemur: ergò hoc in terminis damnatur in iſto Canone, quòd Deus, etiam poſitâ gratiâ excitante, exſpectat noſtram

noſtram voluntatem ut purgemur; ſed quòd per operationem ſuam facit quòd purgari velimus. Et iſtum eſſe ſenſum Canonis declarant inducta Scripturæ teſtimonia : a *præparatur voluntas à Domino*. Et, b *Deus eſt qui operatur in vobis & velle*. Quæ apertè declarant, Deum per gratiam prævenientem & præparantem, non exſpectare ut velimus, ſed operari in nobis ipſum velle. Additur, pro verâ hujus Canonis intelligentiâ : quòd Concilium in illo docet, iſta duo eſſe apertè contraria, videlicèt, Deum exſpectare noſtram voluntatem ut purgemur; & facere per operationem ut purgari velimus. Qui ergò dicunt, Deum exſpectare noſtram voluntatem ut purgemur, non per me, ſed per Concilium convincuntur negare Deum ſuâ operatione facere ut purgari velimus.

a *Proverb. 8. ſecundùm LXX.*
b *Philip. 2. 13.*

Similiter ex Molinâ plurima ſimilia induci poterant, quibus in toto libro Concordiæ affirmat bonum uſum auxiliorum gratiæ ex ſolâ fieri arbitrij libertate, non ex gratiâ; ſed quià ſæpè ſunt lecta & inducta, pauca quædam ob brevitatem, non tàm legendo quàm tangendo, referam. In primis illud eſt celebre quod dicit *q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 11.* §. *poſtremò* : c *quòd hi qui cum majoribus auxiliis prædeſtinati & ſalvi non fuerint, non aliundè fuit, niſi quià illi pro innatâ libertate noluerunt uti ità ſuo libero arbitrio, ut ſalutem conſequerentur; hi verò maximè*. Itaque quòd iſti prædeſtinati & ſalvati, & non illi, non aliundè fuit, niſi quià iſti voluerunt uti benè auxiliis gratiæ, & non illi. Non aliundè, inquit, fuit, id eſt, non ex aliâ efficaciâ gratiæ, non ex aliâ causâ verè efficiente & cauſante, quòd illi benè uterentur arbitrio; ſed ex ipſo ſolo libero arbitrio, quod pro ſolâ ſuâ innatâ libertate voluit uti prædictis auxiliis. Pro ſolâ, inquam : ut præter iſtum locum alibi dicit, videlicèt, *q. 14. art. 13. diſp. 12.* d, ubi hoc in terminis repetit, *quòd pro ſolâ innatâ libertate*. Et *q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 10.* §. *undè quandò*. e loquendo de bono uſu arbitrij, & de ejus influxu, ità dicit : *Si conſequens intelligatur de eo actu præcisè ſpectato, ut emanat ex peculiari illo & proprio influxu liberi arbitrij inſuper neceſſario; non enim eo modo ſpectatus effectus eſt gratiæ prævenientis, ſed ſolius arbitrij*. Quod iterùm confirmabat *ſequenti* §. *quòd enim actus*. f Et præmiſerat : quòd nec ille influxus effectus eſt prædeſtinationis.

c *Pag. 371. col. 2.*
d *Pag. 37. col. 1.*
e *Pag. 356. col. 2.*
f *Ibidem.*

Si ergò influxus, ut provenit ab arbitrio, non eſt effectus gratiæ prævenientis; ergò gratia præveniens illius non eſt cauſa; ergò influxus & bonus uſus arbitrij non habetur ex gratiâ. Iſta ſatis aperta ſunt & clara. Concedit etiàm Molina, quòd ille bonus uſus ſeu influxus non eſt effectus prædeſtinationis; ergò ille bonus uſus non fit ex prædeſtinatione, nec prædeſtinatio eſt illius cauſa; ergò ille bonus uſus non eſt prædeſtinatus, ſed ſolùm præſcitus. Qui eſt apertus error Pelagianorum, contrà quem S. Auguſtinus ſemper docuit, quòd bonus uſus arbitrij & auxiliorum gratiæ ſit verè prædeſtinatus; & quòd ideò ſit præſcitus, quià à Deo prædeſtinatus, cauſatus & datus. Certè Molina dicit : quòd tota certitudo prædeſtinationis & effectuum ipſius refunditur in illam præſcientiam mediam, & non in efficaciam divini decreti & gratiæ Dei : quo nihil magìs impugnat S. Auguſtinus contrà Pelagianos. Si ergò certitudo effectûs prædeſtinationis non reducitur in efficaciam auxiliorum, ſed in boni uſûs præſcientiam; ergò bonus uſus ex efficaciâ gratiæ non fit, nec ipſa facit hominem benè uti arbitrio : quidquid aliquandò ſolis verbis dicatur.

Prætereà, Molina ipſe *eâd. q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 7.* §. *ad confirmationem*, g tradit illam ſuam doctrinam, quâ & concordat teſtimonia ſua, quæ ſibi adverſa & contraria eſſe videntur. Dicit enim operationem arbitrij liberi poſſe & debere dupliciter conſiderari : uno modo, ut operatio & actio eſt; alio modo ut influxus arbitrij eſt. Dicit enim quòd iſta

g *Pag. 339. col. 2.*

Digitized by Google

duo diſtinguuntur ratione, licèt realiter & formaliter ſint idem: ſicut divina attributa realiter & formaliter idem ſunt, diſtinguuntur tamen ratione. Quæ diſtinctio rationis ſufficit, ut iſta propoſitio ſit falſa: attributum juſtitiæ eſt attributum miſericordiæ. Ità dicit, quòd ad actionem voluntatis, quatenùs actio eſt, Deus concurrit cooperando; cæterùm ad influxum, quatenùs influxus voluntatis eſt, Deus non concurrit, nec illum influxum cauſat. Et per hoc concordātur omnia dicta Molinæ. Cùm enìm dicit: quòd ex ſolâ innatâ libertate & non aliundè habetur, quòd liberum arbitrium influat, loquitur de influxu voluntatis, ut influxus eſt. At verò, quandò in locis inductis à P. Vaſtidâ dicit Molina, quòd non ex ſolâ innatâ libertate homo convertitur, loquitur de converſione ut actio & operatio eſt, quam Deus, etiam in ſuâ opinione, cauſat. Cùm autem idem omninò ſit, influere, & uti arbitrio, ſit, quòd ſicut influxus ſecundùm Molinam à Deo non ſit, ſed à ſolâ innatâ libertate; ità benè uti auxiliis à ſolâ innatâ libertate ſecundùm ipſum proveniat, & non ex gratiâ vel ex Deo.

Præterea, nota eſt ſatìs illa Molinæ doctrina, *in diſp. 39.* a quâ dicit Deum ex gratiâ non applicare nec movere liberum arbitrium ad actum; ità quòd liberum arbitrium, priùs naturâ motum & applicatum à Deo, agat. Et *diſp. 26.* b fatetur eſſe ſententiam S. Thomæ: quòd Deus movet & applicat liberum arbitrium ad actum, his verbis: *S. Thomas 1. p. q. 105. art. 5. docet, Deum duplici ratione dici operari cum cauſis ſecundis. In primis, quià virtutes illis tribuit ad operandum, illaſque actu conſervat; ut Durandus dicebat. Deindè, quià eas ità ad agendum movet, ut quodammodò formas & virtutes earum applicet ad operationem; non ſecùs atque artifex ſecurim applicat ad ſcindendum.* Et ſtatìm relatâ hâc S. Thomæ ſententiâ, ità dicit §. *ſequenti:* c *Duo ſunt, quæ mihi difficultatem pariunt circà doctrinam hanc D. Thomæ. Primum eſt, quòd non videam, quidnam ſit motus ille & applicatio in cauſis ſecundis, quâ Deus illas ad agendum moveat & applicet &c.* Reprobatâ autem S. Thomæ doctrinâ, ſtatìm *in diſp. 27. ſequenti additâ in ſecundâ impreſſione Antuerpienſi*, dicit hæc verba, *in* §. *Itèm quoniàm, in fine:* d *Ille verò alius concurſus, quo cauſæ applicentur & moveantur ad agendum, ſit commentitius & minimè neceſſarius.* Nec his contentus, ſtatìm *in* §. *Adde* e ſic dicit: *Adde præmotiones iſtas & applicationes cauſarum ſecundarum ad ſuas operationes multùm præjudicare libertati arbitrij noſtri: ut ſuo loco oſtendemus.*

a §. Verùm p. 160. col. 2.

b Pag. 110. col. 1.

c Ibidem.

d Pag. 115. col. 2.

e Pag. 116. col. 1.

Jàm ergò ſecundùm Molinam S. Thomas per illas præmotiones & applicationes tollit libertatem arbitrij. Non eſt mirum profectò, ſi Molinæ diſcipuli id dicant de diſcipulis S. Thomæ, quod Molina priùs dixit de S. Thomâ. Non mirum, quòd nobis opponatur modò, quòd cum Calvino convenientes, liberum tollamus arbitrium, ſi hoc primò Molina de S. Thomâ auſus fuit affirmare. Concludendum eſt ergò, quòd, qui omnia relata iſta in ſuis libris dicunt, efficaciam gratiæ non agnoſcunt, nec re verâ fatentur Deum donis ſuæ gratiæ facere ut faciamus, nec bonum uſum arbitrij eſſe ex gratiâ; licèt aliquandò id verbis affirment.

Manifeſtum eſt etiam, quòd qui iſta dicunt, noſtris orationibus contradicunt: ut alia plura omittam, & ſolùm in Eccleſiæ orationibus faciam inſtantiam, quæ deſumptæ ſunt ex Concilio Milevitano contrà Pelagianos; in quibus nihil aliud Eccleſia petit à Deo, niſi ut nos benè faciat uti arbitrio; ergò hoc Deus verè facit in nobis. Quid enìm orat Eccleſia, niſi ut increduli credant? Ergò ipſe eos facit verè credere. Quid orat, niſi ut credentes perſeverent? Ergò ipſe eos verè facit perſeverare. Nunquid petit Eccleſia, ut tantùm Deus nos metaphoricè faciat credere & perſeverare? Orat Eccleſia, ut nos Deus

ſibi

Digitized by Google

ſibi jungat efficaciter gratiæ ſuæ dono; ergò bonus uſus auxiliorum gratiæ, quo jungimur Deo, ex Deo nos jungente ſibi per ſuam gratiam efficaciter provenit. Orat, quod magìs eſt, aliquandò a in Secretâ Miſſæ, ut Deus *ad ſe noſtras etiam rebelles compellat propitius voluntates*. Quod verbum ſi ego dixiſſem, quanta iſti PP. contrà me oppoſuiſſent. *Compellit* dicit; ergò apertè tollit libertatem. Quibus Eccleſia ſancta dicit, Deum compellere noſtras voluntates, non tamen libertatem tollere; quià iſta divina compulſio non eſt ingerens neceſſitatem abſolutam, non infert vim aut coactionem, non aufert libertatem, ſed eſt vis divina, & divina virtus, & efficacia, quæ propterea explicatur nomine compulſionis, quæ libertatem conſervat, perficit, & cauſat.

a *Dominicâ 4. poſt Pentecoſten.*

Quam divinæ gratiæ efficaciam Concilium Tridentinum, celebratum potiſſimè contrà Calviniſtas & Lutheranos, rectè vocat Dei donum atque Spiritûs Sancti impulſum. Ad exprimendum enìm vim, virtutem, energiam, & efficaciam divinæ gratiæ, atque illius adjutorij, appellat Concilium, *impulſum*, quo ità movetur, & efficaciter applicatur liberum arbitrium ad agendum, quòd perfectiſſimè ejus ſalvatur libertas. Et Apoſtolus: b *Qui filij Dei ſunt, ſpiritu Dei aguntur. Aguntur enim*, (inquit S. Auguſtinus, *Lib. de corrept. & grat. cap.* 2. c) *ut agant; non ut ipſi nihil agant.* Aguntur, ut liberè agant; non ut ipſi non liberè agant. Aguntur ut liberè benè utantur arbitrio; non ut ipſi non liberè benè utantur arbitrio.

b *Rom.* 8. 14.

c *Tom.* 10. *n.* 4. *col.* 752.

Clamat ſæpè Auguſtinus: quòd Deus immutat, tranſmutat hominum voluntates. Clamat quòd Deus transfert corda Principum ab indignatione in lenitatem. Clamat quòd habet poteſtatem & dominium in voluntates. Immò dicit expreſsè: quòd Deus habet magìs in poteſtate ſuâ hominum voluntates, quàm ipſi ſuas. Clamat, quòd velle & nolle ſunt ità in poteſtate volentis & nolentis, ut divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem. Et adhuc dubitatur, quòd Deus verè, activè, propriè faciat nos facere, & non ſolùm metaphoricè, quod non eſt immutare nec transferre hominis voluntatem de uno in aliud? Talia plura quæ in Auguſtino ſunt ſine numero & propter brevitatem, & quià alibì in præcedentibus Congregationibus inducta ſunt ſæpè, conſultò omitto, nè in re clarâ videar immorari, & ut commodiùs ad ea, quæ contrà virtutem & efficaciam divinæ gratiæ modò propoſita ſunt, valeam reſpondere.

In primis R. P. fundamentum poſuit, quod ſtare nullo modo poteſt, videlicèt, S. Auguſtinum contrà Pelagianos ſolùm tractaſſe de actu merè naturali, quòd ei gratia non dabatur; non autem egiſſe de bono uſu ſupponente gratiam. Hoc enìm fundamentum ſtare nullo modo poteſt. Conſtat enìm S. Auguſtinum *in Lib. de prædeſt. Sanct.*, & *de dono perſev.* egiſſe contrà poſteriores illos Pelagianos Maſſilienſes, qui gratiam iſtam excitantem & cooperantem admittebant. Caſſianus enìm illam admittit, ut conſtat apertè *ex Collat.* 13. de quâ ſæpiùs in præcedentibus Congregationibus fuit diſputatum. Fauſtus etiam Rhegienſis Epiſcopus, cujus damnata eſt doctrina, illas excitationes prævenientes & cooperantem gratiam admittit; ut conſtat apertè *ex* 1°. *&* 2°. *ejus libr. de grat. & hum. ment. arbitr.* Immò Julianus admiſit cooperantem gratiam, ut patet *ex Lib.* 1. *S. Auguſt. ad Bonifac. cap.* 19. d ubì id apertè dicit S. Auguſtinus. Conſtat ergò, quòd non ſolùm S. Auguſtinus contrà illos damnavit bonum uſum arbitrij merè naturalem, cui gratia retribueretur; ſed etiam damnaſſe bonum uſum ſupponentem gratiam ex illâ non fieri, ſed tantùm ex arbitrij libertate præſcitâ.

d *Tom.* 10. *n.* 37. *col.* 427.

Deindè R. P. conſtituit differentiam inter noſtram & ſuam ſententiam, dicens: quòd noſtra ſententia eſt, quòd bonus uſus auxiliorum gratiæ proveniat

proveniat ex quâdam gratiâ ſecundùm ſe efficaci, ſeu prædeterminante: ſua autem ſententia eſt, quòd bonus uſus auxiliorum non proveniat ex illâ gratiâ ſecundùm ſe efficaci, ſed ex gratiâ illâ moraliter ſuadente.

Ad hoc fateor, noſtram ſententiam eſſe, quòd bonus uſus gratiæ proveniat ex gratiâ ſecundùm ſe efficaci, videlicèt, ſecundùm quòd à Deo provenit, independenter ab arbitrij libertate, quæ propriè dicitur gratia prædeterminans. Illorum autem ſententia eſt, quòd talis bonus uſus ſit ex ſolâ innatâ libertate, quâ dicunt arbitrium benè uti auxiliis gratiæ, & illa reddere efficacia. In quo illud advertendum, quòd jàm quæſtio de voce *Phyſica prædeterminatio* non eſt, ſed de re ipsâ, & de efficaciâ prævenientis gratiæ, pròut provenit à Deo. Quæ apertè & in terminis à RR. PP. negatur.

Præterea tertiò impugnavit hanc gratiæ efficaciam ſic argumentando: ſi bonus uſus arbitrij reducatur in illam gratiam, quam homo abjicere non poteſt, tollitur libertas arbitrij, ſed ſi bonus arbitrij uſus reducatur in illam gratiam de ſe efficacem, reducitur in gratiam quam homo abjicere non poteſt; ergò ſi bonus uſus arbitrij reducatur in gratiam de ſe efficacem, tollitur libertas arbitrij. Major, ut dixit, eſt expreſſa doctrina Concilij Tridentini *Seſſ. 6. de juſtificat. cap. 5.* Et minorem probabat; quià illam gratiam de ſe efficacem homo non poteſt abjicere.

Ad hoc argumentum, concedo majorem, & nego minorem. Itaque nego quòd gratiam de ſe efficacem non poſſit homo ſimpliciter & abſolutè abjicere, ut ſtatìm loqui Concilium manifeſtabo. Et ad probationem illius minoris, quâ dixit ſolere reſponderi, quòd *in ſenſu diviſo* poteſt homo abjicere illam efficacem gratiam, non verò *in ſenſu compoſito*: Dico ità eſſe, & firmam eſſe ſolutionem: quòd in ſenſu diviſo poteſt homo illam gratiam efficacem abjicere; non autem quòd in ſenſu compoſito abjicere illam poſſit. Hæc eſt enìm antiqua & neceſſaria diſtinctio in his materiis, quam ſemper SS. Patres, & Scholaſtici Doctores communiter tradiderunt, & habetur *cap. Vaſis &c.* ſub nomine neceſſitatis abſolutæ, & conditionatæ. Idem enìm eſt neceſſitas abſoluta & conditionata, ſive neceſſitas ſimpliciter & ex ſuppoſitione, ſivè neceſſitas conſequentis & conſequentiæ, ac neceſſitas in ſenſu compoſito atque diviſo. Dico ergò, quòd in ſenſu compoſito non poteſt homo abjicere efficacem gratiam; ſed quòd ex ſuppoſitione & neceſſitate conſequentiæ illi conſentit; licèt in ſenſu diviſo, & abſolutè, atque ſimpliciter illam abjicere poſſit.

Sed PP. RR. ſic explicant illam diſtinctionem, ut modò dixerunt, quòd, videlicèt, poſſe hominem abjicere gratiam efficacem in ſenſu diviſo, hoc ſit, quòd quandò illa gratia non adeſt, poſſit illam abjicere, poſſit illi reſiſtere, & diſſentire: at verò, non poſſe illam abjicere in ſenſu compoſito, ſolùm ſit, quòd ſuppoſito quòd illa gratia adſit, homo non poſſit illi diſſentire.

Sed iſta explicatio, non eſt intelligentia ſenſûs diviſi atque compoſiti. Immò ſi iſta eſſet intelligentia ſenſûs diviſi & compoſiti, quam PP. conſtituunt ut impugnent, fateor, quòd tolleretur libertas arbitrij, ſi ſemèl ſuppoſitâ gratiâ, non poſſet liberum arbitrium ſimpliciter aliud facere, nec ad id haberet potentiam liberam. At verò ſic explicare in iſto ſenſu diſtinctionem de ſenſu diviſo atque compoſito, eſt deficere manifeſtè etiam in ipſis rudimentis & principiis, non ſolùm Phyſicis, ſed etiam Dialecticis. Poſſe enìm hominem reſiſtere in ſenſu diviſo, nihil aliud eſt, quàm habere liberam potentiam ad reſiſtendum, ſivè non poſitâ gratiâ, ſivè illâ appoſitâ. Semper enìm, appoſitâ etiam gratiâ efficaciſſimâ, habet homo liberam potentiam ad illam abjiciendum, & ad illi reſiſtendum. Senſus autem compoſitus

compoſitus eſt, in quo componitur actus cum non actu; in quo componitur actus divinæ voluntatis volentis hominem conſentire gratiæ, cum actu diſſentiendi. Itaque cùm componitur efficacia gratiæ cum potentiâ liberâ, non eſt ſenſus compoſitus; ſed cùm ſimùl componitur atque conjungitur actus divinæ voluntatis efficaciter per gratiam moventis hominem ad conſenſum, & ſimul ejus hominis diſſenſus.

Undè cùm dicitur, quòd in ſenſu compoſito non poteſt homo abjicere gratiam efficacem, fit ſenſus: quòd non eſt compoſſibile, quòd ſimul habeat iſtam efficacem gratiam, & ſimul illam abjiciat: quòd non ſtat hominem efficaciter moveri à gratiâ, & non conſentire; quòd iſta duo non ſunt compoſſibilia: Deus iſtum per efficacem gratiam movet ad conſenſum, & iſte non conſentit, ſed diſſentit. Et quòd iſte ſit ſenſus compoſitus patet 1°. ex Ariſtotele. Ipſe enìm dicit hanc propoſitionem eſſe veram: Petrus albus, etiam ſuppoſito quòd eſt albus, poteſt eſſe niger, id eſt, potentiam habet ad nigredinem. Quis enìm dicat, quòd per hoc quòd Petrus habeat albedinem, amiſerit potentiam ad nigredinem? aliàs poſitâ albedine, amitteret potentiam ad nigredinem, & ablatâ albedine, iterùm acquireret potentiam ad nigredinem, quod dici non poteſt. Jàm ergò ſecundùm Ariſtotelem, Petrus, etiam cùm habet albedinem, potentiam habet abſolutè & ſimpliciter ad habendam nigredinem. Et iſte eſt ſenſus diviſus, in quo Ariſtoteles admittit illam propoſitionem: quòd Petrus albus poteſt eſſe niger. At verò ipſe Ariſtoteles negat hanc aliam: Poſſibile eſt Petrum album eſſe nigrum; quià facit ſenſum compoſitum, dicendo, quòd eſt poſſibile ut Petrus ſimul ſit albus & niger, quod poſſibile non eſt. Nàm in ſenſu compoſito non poteſt Petrus albus eſſe niger. Similiter ex Phyſicâ habetur: quòd ipſamet materia prima, etiam cùm eſt ſubjecta formæ, potentiam habet ad habendam aliam; quià non ſatiatur ſuâ formâ, ſicut ſatiatur materia cæli; & tamen in ſenſu compoſito incompoſſibile eſt hanc primam materiam ſimul utramque formam habere. Hoc enìm nihil eſt aliud, quàm id quod Ariſtoteles dixit *9. Metaph.*: quòd potentia activa eſt ad contraria; non tamen ad contraria ſimùl habenda; quià ad contraria ſimùl habenda nulla eſt aut eſſe poteſt potentia activa.

Et in Theologicis eſt exemplum, & doctrina quæ ab omnibus debet admitti. Certum eſt enìm, quòd antequàm Deus determinaverit producere Antichriſtum, potentiam liberam habebat ad producendum & non producendum. Similiter certum eſt, quòd etiam poſtquàm determinavit efficaciter Antichriſtum producere, liberè illum in tempore producet, & quòd poteſt illum abſolutè & ſimpliciter non producere, etiam poſtquàm determinavit illum producere. Undè hæc propoſitio: Deus, poſtquàm determinavit Antichriſtum producere, poteſt abſolutè & ſimpliciter illum non producere, ſivè in ſenſu diviſo, veriſſima eſt & indubitata. Et tamen dicunt omnes Theologi, quòd in ſenſu compoſito, poſtquàm Deus determinavit Antichriſtum producere, non poteſt illum non producere. Quid autem intendunt, niſi quòd non eſt poſſibile, quod Deus conjungat ſimùl iſta duo: & quòd determinaverit producere Antichriſtum, & quòd Antichriſtum non producat?

Iſtum autem, modò explicatum, eſſe ſenſum compoſitum, expreſsè affirmavit Magiſter Sententiarum *Lib. 1. diſt. 38. q. 1. in fine.* Sic enìm ait: *Ad quod dicimus, illam locutionem multiplicem facere intelligentiam, ſcilicet: Aliter poteſt fieri quàm Deus præſcivit. Et hujuſmodi: poteſt non eſſe quod Deus præſcivit. Et: impoſſibile eſt non eſſe præſcita omnia quæ fiunt. Et hujuſmodi.... Poſſunt enìm hæc conjunctìm intelligi, ut conditio ſit implicita; & disjunctìm. Si enìm ità intelligas: non poteſt aliter fieri quàm Deus præſcivit, id eſt, non poteſt* Verba Magiſtri & Scoti ob brevitatē in Congregatione non fuerunt lecta; ſed hìc ob claritatem exhibentur.

Digitized by Google

utrumque ſimùl eſſe, ſcilicet: quòd Deus ità præſciverit fieri, & aliter fiat; verum intelligis. Si autem per disjunctionem intelligas, ut dicas: hoc aliter non poſſe evenire quàm evenit, & quomodò futurum Deus præſcivit; falſum eſt. Eodem modo explicat ſenſum diviſum & compoſitum *in eod. Lib. diſt. 40. qq. 1. & 2.* agens de prædeſtinatione. Et Scotus *in 4m. diſt. 49. q. 6. §. Reſpondeo.* Aït enìm: *Reſpondeo quòd Beatus eſt impeccabilis in ſenſu compoſitionis, hoc eſt, non poteſt ſimùl eſſe beatus & peccare: ſed in ſenſu diviſionis, quòd manens beatus non habeat potentiam & poſſibilitatem ad peccandum &c.*

Et clariùs S. Thomas *q. 23. de veritate art. 5. ad 3.* Quæ verba legit in Libro, quæ ſic habent: *Ad tertium dicendum: quòd quamvìs non eſſe effectum divinæ voluntatis, non poſſit ſimùl ſtare cum divinâ voluntate; tamen potentia deficiendi effectum ſimùl ſtat cum divinâ voluntate. Non enìm ſunt iſta incompoſſibilia: Deus vult iſtum ſalvari, & : iſte poteſt damnari. Sed iſta ſunt incompoſſibilia: Deus vult iſtum ſalvari, & : iſte damnabitur.* Eccè quomodò S. Thomas docet apertè, non eſſe compoſſibile, nec fieri poſſe, ut iſta duo ſint ſimùl: Deus vult iſtum ſalvari, & iſte damnabitur; ubì componit ſimùl actum divinæ voluntatis efficacis cum actu liberi arbitrij oppoſito; quià ſicut non eſt poſſibile, nec poteſt fieri, quòd homo ſimùl conſentiat & diſſentiat, quià iſta duo opponuntur immediatè; ità non eſt compoſſibile nec fieri poteſt, quòd ſimùl ſit efficacia gratiæ ad conſenſum, & diſſenſus; quià iſta duo opponuntur immediatè, cauſa, videlicèt, efficax conſensûs, & diſſenſus: ut ſemper S. Thomas docet, & potiſſimè *2. 2. quæſt. 24. art. 11.* Et *1. p. q. 23. de prædeſtinatione*, docet apertè, quòd iſta propoſitio: prædeſtinatus poteſt damnari, in ſenſu diviſo, id eſt, prædeſtinatus potentiam habet ut damnetur, vera eſt. At verò in ſenſu compoſito, eſt falſa; quià non ſtat ſimùl, quòd prædeſtinatus ſit, & damnetur.

In iſto ſenſu loquitur M. Bannez loco adducto. Docet enìm quòd liberum arbitrium non poteſt reſiſtere in ſenſu compoſito, modò explicato, ut ipſe ſemper dixit. Et ſimiliter dicit: quòd non poteſt creatura ſubterfugere ordinem divinæ providentiæ; quià eſt incompoſſibile, quòd ſtante illo ordine creatura illum ſubterfugiat. Similiter verè dicit: quòd bonus uſus arbitrij reducitur in efficaciam divinæ gratiæ. Hæc enìm eſt expreſſa doctrina S. Thomæ *1. p. q. 19. art. 8.* ubì docet efficaciam divinæ voluntatis eſſe primam radicem & cauſam omnis contingentiæ. Quamvìs nec eſt meum defendere quidquid ab uno vel altero diſcipulo S. Thomæ dictum fuerit, vel ſcriptum. Ego enìm ſententiam S. Auguſtini & S. Thomæ defendo.

Ad illud aliud quod R. P. oppoſuit, ſequi ex efficaciâ gratiæ, quòd qui illam non habet, non ſibi imputetur, quòd non benè operatur; ſed quòd Deus ſit adæquata cauſa, quòd non benè operetur: jàm in præcedentibus Congregationibus ſatìs ad hoc reſpondi, & nunc breviter Dico: quòd homo non operetur benè, ſit ex homine; cùm omne malum ex homine ipſo proveniat, ſicut ex primâ origine: quòd autem Deus det efficaciam gratiæ, dico cum S. Auguſtino, quòd quibus dat, miſericorditer dat, quibus autem non dat, ex juſto judicio non dat. Quod quomodò ſit intelligendum, ſæpiùs explicavi: & PP. Societatis non debent ſemper eadem repetere, quià repetitionis eorum non eſt finis.

Deindè dicebat F. Thomas: quòd R. P. affirmat antiqua Concilia & ſimùl Tridentinum ſolùm admittere gratiam excitantem & adjuvantem ſivè cooperantem, ità quòd gratia adjuvans non pertineat ad prævenientem, ſed ſola gratia excitans; (quod etiam perpetuò docuit Franciſcus Suarez) eſt res graviſſima, & contrà Concilia. Licèt enìm Concilia tantùm admittant gratiam excitantem & adjuvantem, tamen utramque dicunt pertinere, & ſe

ſe tenere ex parte prævenientis. Itaque gratia adjuvans, non ſolùm eſt cooperans vel ſubſequens noſtram cooperationem, ſed eſt præveniens. Adjuvat enim ut velimus, adjuvat ut conſentiamus. Quod manifeſtè conſtat ex Concilio Tridentino *Seſſ. 6. cap. 5.* Quod autem dicit R. P. Concilia nomine gratiæ adjuvantis intelligere cooperantem, aliàs nunquàm feciſſent Concilia mentionem gratiæ cooperantis, quæ ſine dubio eſt neceſſaria; nullum argumentum eſt; quià per adjuvantem gratiam intelligunt utramque, & prævenientem & cooperantem. Cùm enim doceant adjuvantem, quæ facit ut faciamus, ibì ſimùl docent illam cum volentibus ſimùl cooperari.

Deindè pervenit P. ad loca S. Auguſtini, & omnium primò ad probandum ex S. Auguſtino nullam aliam eſſe prævenientem gratiam, niſi ſuadentem & invitantem, inducebat locum ipſius S. Doctoris *ex Lib. de Spirit. & Litt. cap. 34.* a Ad quem locum, quià ſemèl oppoſitus, & ſemèl à me in verâ intelligentiâ eſt explicatus, non eſt neceſſe reſpondere; cùm potiſſimè in fine illius capitis nomine perſuaſionis intelligat auxilium efficax ex Deo ipſo. Ut etiam nomine perſuaſionis tale auxilium efficax ex Deo intelligit *Lib. de grat. Chriſti. cap. 10.* b. Inſuper iſte locus S. Auguſtini *Lib. de Spiritu & Litterâ* procedit de efficacibus perſuaſionibus, quæ includunt auxilium efficax prævenientis gratiæ: ſicut & excitatio efficaciter inducens effectum, includit adjutorium verum gratiæ prævenientis & facientis facere. Quâ ratione S. Auguſtinus *Lib. de grat. Chriſti*, per perſuaſiones efficaciam gratiæ intelligit, diſtinctam à purâ excitatione.

a Tom. 10. n. 60. col. 120.

b Tom. 10. n. 11. col. 235.

Inducebat deindè ſecundum locum S. Auguſtini *Lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 18.* c in quo dicit: quòd ad Deum converti non poſſumus, niſi ipſo adjuvante & excitante. Ubì intelligit R. P., quòd S. Auguſtinus per excitantem gratiam intelligat tantùm prævenientem, & per adjuvantem tantùm cooperantem; cùm ſit totum contrarium. Quià S. Auguſtinus & excitantem & adjuvantem ponit ex parte prævenientis; quià ſecundùm S. Auguſtinum per adjuvantem gratiam adjuvat Deus efficaciter ut velimus.

c Tom. 10. n. 31. col. 56.

Inſuper tertium S. Auguſtini locum induxit *ex Lib. de Eccleſiaſt. Dogmat. cap. 21.* d in quo conſtituit tantùm ex parte gratiæ prævenientis, gratiam excitantem & adjuvantem. Ad quod reſpondeo, Librum iſtum de Eccleſiaſticis Dogmatibus, S. Auguſtini non eſſe, nec alicujus gravis authoris; ſed eſſe Gennadij Maſſilienſis Semipelagiani. Et ſub nomine Gennadij refertur à Magiſtro Sententiarum *Lib. 2. diſt. 8.* & à S. Thomâ *quodlib. 12. art. 10.* Et *in Catenâ ad 1. cap. Matth. in expoſitione illius: de quâ natus eſt Jeſus.* Quod etiam optimè advertunt Doctores Lovanienſes, tùm in Procemio S. Proſperi, tùm in Scholiis ad prædictum librum de Eccleſiaſticis Dogmatibus. Et reverâ, qui legerit attentè librum prædictum, inveniet quòd caput 21m. continet Semipelagianorum doctrinam. Quod tamen caput inducit R. P. A capite autem 22°. & ſequentibus à quodam Catholico conſtituitur vera doctrina contraria illi, quæ habetur *in cap. 21.* Quaſi fuerit contrà venenum oppoſitum antidotum: ità quòd Liber ille conſtat ex capitibus contrariis. Illa autem doctrina, quæ adhibita fuit *à cap. 22. & ſeqq.* deſumpta eſt ex Concilio Arauſicano II., & Cæleſtino I. Undè illud caput 21m. inductum nihil juvat; quià cujuſdam Semipelagiani doctrina eſt.

d In App. tom. 8. col. 77.

Inſuper inducebat R. P. ex S. Thomâ teſtimonia duo; in quorum primo dicebat: Deum ideò Dominum eſſe ſui actûs; quià nec ab alio movetur nec determinatur. Volens ex hoc inferri ſimili ratione, quòd ideò homo eſt ſuorum actuum dominus, quià ab alio non movetur nec determinatur. Ad quod dicendum eſt: quòd loquendo de dominio Dei quod habet ut

Digitized by Google

primum principium & primum movens reſpectu ſuæ operationis, eſt veriſſimum, quòd ideò Deus habet tale dominium ſuæ operationis, quià ab alio nec movetur nec determinatur; ſi enim ab alio moveretur, non haberet tale dominium ſupremum, immò Deus non eſſet, nec primum principium. Undè de ratione primi moventis eſt, quòd à nullo alio moveatur in ſuis liberis actionibus. Velle autem hoc, quod proprium eſt Dei & primi agentis, tribuere etiam cauſis ſecundis liberis, quòd, videlicèt, etiam in ſuis operationibus à Deo non moveantur ſeu determinentur; quid eſt aliud, quam facere creaturam æqualem Creatori, & ſecundam cauſam primæ cauſæ, & id quod eſt proprium primæ cauſæ tribuere ſecundæ? Undè S. Hieronymus *in epiſt. ad Cteſiph.* contrà Pelagianos, qui hanc æqualitatem volebant conſtituere inter Deum & creatum arbitrium, ità dixit: *Quæ autem major poteſt eſſe temeritas, quàm Dei ſibi, non dico ſimilitudinem, ſed æqualitatem vindicare, & brevi ſententiâ, omnium hæreticorum venena complecti?* Non ergò dicant RR. Patres, quòd ſicut Deus ideò eſt Dominus ſuarum actionum, quià ab alio non movetur; ſic etiam homo ideò eſt dominus ſuarum operationum, quià nec à Deo movetur; quià ut S. Thomas docet *1. p. q. 83. art. 1.* non eſt de ratione cauſæ liberæ, quòd ſit primum liberum ab alio non dependens.

Secundus locus S. Thomæ inducebatur *ex opere in 2m. diſt. 25.* Sed in illo S. Thomas tantùm dicit: quòd determinatio fit ab homine, non tamen ſicut à primo agente. In quo manifeſtè dicit: quòd non ſe omnium primò homo determinat, ſed quòd homo liberè ſe determinat, ſicut ſecundum agens, de cujus ratione eſt, quòd motum & determinatum à primo agente ſe determinet liberè. Additur, quòd ibì S. Thomas ponit differentiam inter irrationabilia & agentia libera, quòd illa determinantur à Deo, non autem ſe aliquâ ratione determinant: at verò libera agentia determinant ſe liberè; ſed tamen non ſicut primum agens ſine dependentiâ, motione, & determinatione primi motoris.

Venio jàm ultimò ad illud quod oppoſuit P. Vaſtida: quòd, videlicèt, ſententia quæ prædicat efficacem Dei gratiam ex ſe & ex Deo ipſo, conveniat cum Calvino. Ad quod dico: quòd potiùs qui iſta opponunt cum Calvino conveniunt, & Catholicis Doctoribus id injuſtè imponunt. Quià enìm ego dixi in præcedenti Congregatione prævenientem gratiam verè & activè propriè facere ut nos benè utamur arbitrio, quod ex S. Auguſtino, Concilio Arauſicano II, & Cæleſtino I., immò Apoſtolo Paulo expreſsè probavi; ſtatìm P. R. dixit, ſe probaturum doctrinam hanc cum Calvino convenire; quod & modò voluit ſuadere. Qui autem hoc intendit, quid aliud ſentit, quàm S. Auguſtinum, & SS. Patres cum Calvino convenire, quandò efficaciam divinæ gratiæ contrà Pelagianos prædicant? Nunquid Sancti Dei homines, qui hæc ſcripſerunt, immò ipſe Spiritus Dei, quo authore per eos hæc conſcripta ſunt, oppugnavit liberum hominis arbitrium? vel cum Calvino convenit? Certè ſi, qui prædicat efficaciam divinæ gratiæ, ex cujus efficaciâ Deus noſtrum velle & perficere operatur, faciens verè nos benè uti arbitrio, liberum arbitrium deſtruit & cum Calvino convenit; hinc etiam poſſet ſimiliter quiſpiam Apoſtolum dicere deſtruere arbitrium, & cum Calvino convenire. Quis non videat RR. PP. apertum in me jactare convitium? de SS. autem Eccleſiæ Doctoribus occultum quidem ſed tamen ſimile habere judicium? Sed quid ego dico occultum? cùm Molina jàm relatus apertè dicat S. Thomam per applicationes & præmotiones Dei libertatem hominum impedire.

Conſtat ſatìs manifeſtè has objectiones oppoſitas olìm fuiſſe S. Auguſtino, magno

magno poſt Apoſtolum gratiæ Defenſori. Quid autem reſponderit, multotiès ipſe retuli. Undè nec illa repetenda ſunt: ſed unum aut alterum ipſius teſtimonium non eſt omittendum. Si verè volumus, inquit, defendere liberum arbitrium, non oppugnemus undè fit liberum. Qui enim oppugnat Dei gratiam, quâ noſtrum liberatur arbitrium, ipſe arbitrium ſuū adhuc vult eſſe captivum. Et *Lib. 2. ad Boniſac. cap. 1.* a detegens S. Auguſtinus intentionem eorum qui iſta oppugnabant, aït: illos *nihil aliud niti, niſi ut horribili hæreſi abjectâ, cujus ſe contrarios eſſe confingunt, lateant inimici gratiæ in laude naturæ.* Confingunt ſe, inquit S. Auguſtinus, cùm iſta opponunt, inimicos Manichæorum, & Calviniſtarum erroris, negantis arbitrium; ſed reverâ inimici non ſunt, ſed valdè illorum adjuvant errorem. Quâ ratione tales ſæpè vocat *deſtructores non defenſores, præcipitatores, & dilapidatores liberi arbitrij.* In tantùm, ut contrà Julianum, qui hæc opponebat, ità dicat S. Auguſtinus *Lib. 1. adverſ. Julian. cap. 1.* b: *Nunc autem, quià video te à veritate deſertum, ad maledicta eſſe converſum, ità diſtribuam diſputationem, ut oſtendam priùs quantis & qualibus Eccleſiæ Catholicæ Doctoribus nomine Manichæorum intolerabilem facere non cuncteris injuriam..... Deindè monſtrabo, quòd tu ipſe ſic adjuvas Manichæorum damnabilem & nefandæ impietatis errorem, ut nullum talem patronum nec in ſuis dilectoribus valeant invenire.*

a Tom. 10. num. 1. col. 431.

b Tom. 10. num. 3. col. 498.

Sic ergò breviter modò oſtendam, quomodò Catholica veritas inter duos extremos errores ſecura procedit, Manichæorum ſeu Calviniſtarum, & Pelagianorum, non declinans ad dexteram neque ad ſiniſtram, ſed ab utrâque æqualiter diſtans, & utrumque æqualiter damnans; & qualiter P. R. magnâ inconſideratione faveat plurimùm Calvino, in eo in quo ipſe erravit, approbans peſſimam Calvini illationem & conſequentiam, in quâ conſiſtit error illius. Quid enim aliud ità deſiderat audire, quàm viros Catholicos dicere, bonam eſſe conſequentiam in quâ ipſe erravit, & quòd efficacia divinæ gratiæ tollit libertatem arbitrij? Manifeſtantur hæc.

Nàm totus error Calvini conſiſtit in hâc conſequentiâ: Datur voluntas Dei efficaciter movens voluntatem humanam ad actum; ergò non ſalvatur libertas hominis in tali actu. Iſte fuit totus error Calvini in hâc materiâ. Sed in iſtâ argumentatione Calvinus non erravit in antecedenti, ſed in conſequenti, & in peſſimâ illatione, quâ, ut ſolent, ex veris concludunt falſa. Itaque non erravit Calvinus in antecedenti, quo affirmavit efficaciam divinæ voluntatis; ſed in hoc erravit, quòd ex illâ intulit ablationem libertatis, cùm deberet fateri & efficaciam divinæ voluntatis, & conſervationem perfectiſſimæ libertatis.

Quòd autem in prædictâ argumentatione non erraverit Calvinus in antecedenti, ſed in illatione & conſequenti, fit apertiſſimum; quià error Calvini tenet ex oppoſito conſequentis ad oppoſitum antecedentis erroris Pelagianorum. Qui Pelagianorum error in aliâ etiàm conſequentiâ conſiſtit, videlicèt: eſt in hominibus liberum arbitrium; ergò non datur Dei voluntas efficaciter movens hominis voluntatem. Iſte fuit Pelagianorum error. Sed Pelagius in antecedenti non erravit, immò propoſuit antecedens de fide; quòd, videlicèt, eſt in homine liberum arbitrium. Erravit ergò in conſequenti, cùm intulit: non eſſe in Deo voluntatem efficaciter moventem hominum voluntates. Quod conſequens eſt contrà fidem; & de hoc conſequenti fuit damnatus Pelagius. Cùm ergò Calvinus ſumat pro antecedenti in ſuo argumento modò relato, oppoſitum & contradictorium conſequentis hæretici, eſt neceſſarium quòd aſſumat antecedens de fide. Conſequens hæreticum Pelagij eſt: non datur in Deo voluntas efficaciter movens hominum voluntates. Calvinus autem format hoc antecedens oppo-

ſitum : Datur in Deo voluntas efficax movens humanam voluntatem ; ergò evidens eſt, quòd in hoc ſuo antecedenti non erravit Calvinus. Immò propoſuit antecedens de fide contrà Pelagianos. Solùm ergò erravit Calvinus in conſequenti & in illatione, quâ ſtultè intulit, ex voluntate Dei efficaci liberum hominis tolli arbitrium. Cùm ergò RR. PP. hoc dicant & affirment : quòd ſi datur voluntas Dei efficaciter movens hominis voluntatem, perit libertas arbitrij ; quid aliud faciunt, quàm favere errori Calviniſtarum? Quid aliud dicunt, quàm eſſe evidentem peſſimam illationem Calvini, quâ ipſe dixit, ex efficaciâ gratiæ liberum auferri arbitrium?

Explicatur hoc magis atque confirmatur. Nàm Pelagius & Calvinus tenent extremos errores, ex eodem tamen pravo principio deſcendentes. Principium in quo errando uterque convenit, eſt hoc : non poteſt ſimùl ſtare libertas arbitrij humani cum Dei voluntate efficaciter movente illam ad actum. Hoc fuit pravum principium in quo erravit & Calvinus & Pelagius. Ex quo principio ſic argumentabatur Pelagius : non poteſt ſimùl ſtare libertas arbitrij humani & Dei voluntas efficax & antecedens; ſed in hominibus eſt verè libertas arbitrij; ergò non datur Dei voluntas efficaciter movens antecedenter. Concluſio eſt hæretica, ſed non ex minori, quæ minor eſt de fide : quòd, videlicèt, eſt in hominibus libertas arbitrij; ergò ex majori, quæ eſt contrà fidem. Similiter eamdem majorem Calvinus conſtituit ſic : Non ſtant ſimùl libertas arbitrij, & voluntas Dei antecedenter & efficaciter movens; ſed in Deo datur voluntas antecedenter & efficaciter movens; ergò non ſalvatur in hominibus libertas. In hàc ratiocinatione concluſio eſt contrà fidem : ſed minor, ſicut & illa alia Pelagij, eſt de fide : at major contrà fidem procedit. Itaque fundamentum utriuſque contrarij erroris eſt hoc pravum principium : quòd non poſſunt ſimùl ſtare, & libertas arbitrij, & Dei voluntas efficaciter & antecedenter movens. Cùm ergò PP. RR. hoc ipſum principium affirment, dicentes : non ſimùl ſtare libertatem cum Dei voluntate antecedenter & efficaciter movente, appróbant potiſſimùm id in quo uterque erravit, & Pelagius & Calvinus. Sic enìm modò argumentantur PP. Societatis : non poſſunt ſimùl ſtare libertas noſtri arbitrij, & Dei voluntas efficaciter & antecedenter movens; ſed in homine eſt verè libertas; ergò non datur talis voluntas Dei efficaciter & antecedenter movens. Videant ergò cum quibus conveniant.

Veritas autem Catholica inter hos duos errores mediâ viâ incedit, hoc modo : Dicit Pelagius : eſt in hominibus libertas, ergò non datur voluntas Dei efficax. Dicit Calvinus : datur voluntas Dei efficax ; ergò non ſalvatur in hominibus libertas. Eccleſia autem contrà Pelagium dicit : datur voluntas Dei efficax. Et contrà Calvinum docet : quòd eſt in hominibus libertas. Dicunt Pelagius & Calvinus : non poſſunt ſimùl ſtare libertas hominis, & Dei voluntas efficax antecedenter ; Sed contrà utrumque docet ac definit Eccleſia : optimè ſtant ſimùl voluntas Dei efficax antecedenter, & humana libertas ; & ſic utrumque errorem condemnat. Conſtituit enìm Eccleſia hoc firmum fundamentum, & principium, & Catholicam veritatem : optimè ſtant ſimùl divina voluntas efficax antecedenter, & humana libertas ; ſed in hominibus eſt libertas ; ergò optimè ſalvatur divina voluntas efficax antecedenter. Et ſic concludit contrà Pelagium. Contrà Calvinum autem ſic concludit : optimè ſtant ſimùl voluntas Dei efficax antecedenter, & humana libertas ; ſed datur voluntas Dei efficax antecedenter; ergò optimè ſalvatur in hominibus libertas. Itaque Calvinus erravit conſtituendo efficaciam divinæ voluntatis auferentem libertatem, & neceſſitantem illam. Et cùm hæc dixiſſet F. Thomas, finivit.

Statìm

Statìm autem iterùm Vaſtida plura dicebat, repetendo à ſe jàm dicta, & inſiſtendo, quòd error erat Calvini, quòd Dei voluntas erat efficax antecedenter ad humanas voluntates. Quod ex verbis Calvini relatis ſuprà, colligebat. Item dicebat: ſe non aliud verbis aliud re dicere; quià planè affirmabat, quòd gratia ſolùm erat moraliter attrahens. Et ad locum inductum de Suarez, in quo comparabat motionem gratiæ cum excitatione Diaboli ad malum, neſcio quam diſſimilitudinem merè accidentalem conſtituebat. Ad illud aliud de concurſu, fatebatur expreſsè, quòd Deus nec in naturalibus, nec in ſupernaturalibus faciebat nos facere ex vi ſui concurſûs. Ad illud aliud de inchoatione ſalutis naturæ viribus, dicebat ſe communicaſſe cum prædicto Franciſco Suarez, & quòd ille dicebat eſſe errorem Typographi, qui poſuit *inchoare* pro *inchoari*.

Cui illicò dixit F. Thomas: Nec ſic effugitur aliquo modo inconveniens. Quod erit manifeſtum legenti.

In particulari autem inſtabat Vaſtida contrà Fratrem Thomam, legendo in Stapletonio, quòd etiam Calvinus illud: *compelle noſtras voluntates*, inducebat pro ſuâ hæreſi confirmandâ. Et ſimiliter, quòd ex illo impulſu, in Concilio poſito, inferebant errorem. Itèm inſiſtebat: quòd Concilium Tridentinum, & Eccleſia non agnoſcit aliam gratiam prævenientem, niſi excitationem. Quod aliquibus teſtimoniis comprobare nitebatur. De neceſſitate autem in ſenſu diviſo atque compoſito, dicebat: ridiculum eſſe dicere, quòd ſenſus compoſitus eſt, quòd non eſt poſſibile ſimùl velle & non velle. Et quædam ſimilia dicebat. Cùm autem diffusè dixiſſet, & finiviſſet; etiamſi eſſet valdè ſerò

Frater Thomas ad unum ſolùm verbum dicendum petivit, & dixit: Illa verba Calvini: *movet ejus voluntatem non qualiter antiquis temporibus creditum & traditum eſt, ut poſteà noſtræ libertatis ſit refragari, ſed eam efficaciter afficiendo*; hunc ſenſum habent: quòd, videlicèt, non movet Deus efficaciter voluntatem, ſicut antiquis temporibus ſancti Auguſtini dicebatur: ità ut poſſit homo refragari: ſed illam ità efficaciter afficit ſine nobis liberè conſentientibus, vel liberè potentibus refragari. Quod cùm dixiſſet;

Tàm P. Salas, quàm P. Vaſtida dicebant: non eſſe iſtum ſenſum Calvini.

Tunc F. Thomas dixit: Itaque Calvinus ſolùm conſtituit gratiam cogentem ſeu neceſſitantem.

Tunc Archiepiſcopus Armachanus dixit: Calvinus erravit; quià conſtituit efficaciam gratiæ neceſſitantem voluntatem.

Tunc Patres Societatis tacuerunt. Et Frater Thomas proſecutus, dixit: Etiam Reverendus Pater qui dixit Concilium vocare impulſum Spiritûs Sancti, dixit hoc dixiſſe Calvinum. Ad quod dico: erraſſe Calvinum, quià poſuit & intelligit illum impulſum neceſſitare voluntatem. Ego autem cum Concilio Tridentino contrà Calviniſtas Dico: illum impulſum ſalvare & cauſare actualem libertatem.

Ad illud ultimum de excitationibus, ut omninò tollantur æquivocationes omnes, tales excitationes ſunt in duplici differentiâ. Quædam enìm divina excitatio eſt inducens efficaciter effectum; & iſta includit prævenientem gratiam efficacem, & dat efficaciſſimas vires voluntati. Et hanc petit Eccleſia à Deo, cùm dicit: *Excita Domine corda noſtra &c.* Alia excitatio eſt, quæ dat vires ſufficientes voluntati; & iſta eſt auxilium ſufficiens; & hanc non admiſit Pelagius. Tertia excitatio eſt purè extrinſeca nullas vires dans animæ; & iſtam conſtituerunt Pelagiani. Sed de iſtâ certè dicit

tè dicit ſanctus Auguſtinus, quòd non recedit à lege atque doctrinâ. Et hanc conſtituerunt Caſſianus, Fauſtus, & Molina. Undè de excitationibus diligenter diſtinguendum eſt.

Et ſic fuit Congregatio gloriosè finita pro divinâ Gratiâ, in quâ adverſarij confuſi manſerunt in omnibus. Deo gratias, Amen.

Duravit Congregatio pluſquàm per quatuor horas.

ACTA



ACTA OMNIA
CONGREGATIONUM ET DISPUTATIONUM
IN CONTROVERSIÂ
DE AUXILIIS DIVINÆ GRATIÆ.

PARS TERTIA

Complectens X. Congregationes ſeu Diſputationes habitas coràm SS. PP. Paulo V. inter Patres Prædicatores & Jeſuitas ſuper causâ de divinis Auxiliis controversâ.

Vide Hiſt. Congr. de Auxil. Lib. 4. à cap. 1 ad 6. col. 585 & ſeqq. uſque ad 610.

FINITA trigeſimâ ſeptimâ Congregatione ſeu Diſputatione, cœpit Clemens VIII. infirmari in menſe Februario, & in pace quievit 3. Martij anno 1605. Electus fuit autem in Pontificem Alexander de Medicis, Cardinalis de Florentiâ; ſic enìm vocabatur. Electus verò fuit ultimâ Martij nocte, die Veneris, videlicèt, antè Dominicam Palmarum ejuſdem anni. Nuncupatus fuit Leo XI., & coronatus 10. Aprilis, in ſolemni, videlicèt, Paſchatis die. Mortuus autem fuit 26. menſis Aprilis, cùm tantùm per 26. dies regnaſſet. Poſt quem electus fuit in Pontificem Cardinalis Burgheſius. Fuit appellatus Paulus V. Electus eſt autem 16. Maij ejuſdem anni 1605.. Et ſic per totum hoc tempus materia de Auxiliis divinæ gratiæ ſub ſilentio fuit. Coronatus verò fuit prædictus Pontifex 30. Maij, in ſolemni, videlicèt, die Pentecoſtes ejuſdem anni. Per totum autem menſem Junij & Julij, ob caloris maximi impreſſionem, nihil publicè de causâ actum fuit. Publicè, inquam; quià ſecretè magnæ adhibitæ fuerunt diligentiæ ex parte Societatis, ut res ſic indefinita maneret: Summo Pontifici multis exhibitis Scriptis, quæ ferè omnia ad manus noſtras pervenerunt; & Deo adjuvante, pro divinâ gratiâ reſponſa dedimus; ut in libro alio Acta hujuſmodi continentur.

Tandèm in die S. P. N. Dominici, Prædicatoris gratiæ, cauſa hæc pro

eâdem gratiâ divinâ cœpit magìs in Pontificis mente firmari. Me enìm illâ die ad ſe vocato Pontifex Summus inſinuavit, ſe velle cauſam determinando finire citò, idque præcepit, ut propoſitiones quas hæreticas reputarem, in hâc parte ordinarem, & alias quæ per oppoſitum Catholicæ viderentur; eaſque ad ſe adferrem. Cùm autem neceſſitatem Eccleſiæ eidem Pontifici Summo apertè declaraſſem, & qualiter Apoſtolica definitio ad pacem illius erat omnibus modis neceſſaria; illicò adjunxi quòd omnes Catholici ſummo ardore exſpectabant, ut Sanctitas Sua veritatem definiret, & Eccleſiæ proponeret; quià licèt adversùs noſtram, quam putamus Catholicam, ſententiam definiret, ſivè in ſubſtantiâ, ſivè in modo, hoc certò ſciret, Prædicatorum familiam illicò illam ſententiam prædicaturam, & proprij ſanguinis effuſione Deo auxiliante defenſuram.

Statìm die S. Laurentij ejuſdem anni, prædictas propoſitiones & damnandas & approbandas detuli, & Pontifici Summo in propriis manibus dedi: humiliter ſupplicans, ut Scriptum aliud, quod de Phyſicâ prædeterminatione exhibui, examinari præciperet; in quo circà vocem *Phyſica prædeterminatio*, quià jàm de re non dubitabatur, ſed ſolùm de voce; oſtendi antiquitatem illarum vocum in Eccleſiâ, & neceſſitatem earum. Semèl, iterùm, atque tertiò à Pontifice vocatus ut ipſum informarem, & Dominus, cujus eſt totum, ſermonem confirmavit; ità ut efficaciter perſuaderem neceſſitatem harum vocum, tùm apud Pontificem Summum, tùm in Curiâ apud Cardinales & Epiſcopos. Elaboratum enìm fuit per menſes tres in hoc ità perſuadendo ut perſuaderem. Quod & factum fuiſſe Deo favente cognovi.

Poſteà videntes Patres Societatis cauſam contrà illos totaliter verti, & definitioni appropinquare, ad dilatandum infinita propoſuerunt; & medio Cardinali Bellarmino, & alio ex Galliis *du Perron* nomine, invocantibus in ſuum auxilium Francorum Regem, illum à Clemente VIII. ab hæreſi abſolutum, rem iterùm turbare conati ſunt. Et quidem Bellarminus ſe defendebat, & ſe eſſe formalem partem, qui deberet audiri, proclamabat. Sed Deo omnes difficultates vincente, tandem die Exaltationis S. Crucis, pro divinæ Chriſti gratiæ exaltatione, defenſione, ac definitione, Summus Pontifex univerſam Congregationem ſuper hâc materiâ diſputaturam convocat; & de modo finiendi rem hanc fit conquiſitio magna. Et tandem convenerunt, ut res Apoſtolicâ definitione terminetur; & quòd præter Diſputationes præcedentes, de duobus punctis ad ſuperabundantiam fierent præcisè Diſputationes duæ; & poſteà Summus Pontifex definiret. Undè me iterùm vocato Pontifex Summus dixit, ut ad diſputandum me præpararem. Cui me eſſe præparatum reſpondi. Et ſic in Vigiliâ ſancti Matthæi ejuſdem anni 1605., fuit facta ex illis duabus Diſputatio prima cum Vaſtidâ & Bartholomæo Perez.

CONGREG.

Habita eſt coràm Sanctiſſimo, 20 Septembris anno 1605. Cardinales octo præsẽtes fuêre. Inter illos Bellarminus, & du Perron. Adſtiterunt ex Prælatis & Cenſoribus omnes, uno excepto Carmelitano.

CONGREGATIO
TRIGESIMA OCTAVA, SEU PRIMA CORAM PAULO V.

In quâ, prolixius Clementis VIII. Scriptum numero ſextum, examini & Diſputationi ſubjectum fuit; quæſitumque, núm in materiis de gratiâ veram ſancti Auguſtini attingeret mentem?

Vide Hiſt. Congreg. de Auxil. Lib. 4. cap. 6. col. 611. & ſeqq. Vide etiam ſuprà prolixius Scriptum Clementis VIII à col. 9. uſque ad 45.

IN hâc Congregatione actum fuit atque diſputatum de illo longiſſimo Scripto à Clemente VIII. jàm antè duos annos Congregationi tranſmiſſo; cujus titulus eſt: *Adſit Spiritûs Sancti gratia. Secundùm ſanctum Auguſtinum datur duplex adjutorium gratiæ divinæ &c.* Quod Scriptum publicatum fuerat à felicis recordationis Clemente VIII. nonâ Julij anno 1603.. Præceperat enìm Sanctiſſimus Paulus V. ut ſummâ brevitate, ſecundùm quod Clemens VIII. præceperat, in unâ Congregatione præcisè diceretur: An illa eſſet S. Auguſtini ſententia in materiâ gratiæ? Convocatis igitur omnibus in vigiliâ S. Matthæi coràm Pontifice Summo, & dictâ ab eodem Pontifice Spiritûs Sancti oratione ex more; cùm reſediſſet; ſub excommunicationis pœnâ & privationis Beneficiorum præcepit, ſecretum ſervandum circà ea quæ ibì tractarentur.

Statìm autem P. Vaſtida cœpit, ut ſolebat, proponere; & exaggerans quomodò hæretici nitebantur tollere libertatem arbitrij & omne bonum, poſt multa ſimilia ad caſum veniens, dicebat: Dubium eſt de illo Scripto tradito à Clemente VIII., quod per XV. Capita diſtribuitur. Et legendo in eodem Scripto Capita, ſic ad Dubium in ſubſtantiâ reſpondebat: ſe prædictum Scriptum communicaſſe cum omnibus Patribus ex Societate, per diverſas Provincias diſperſis, cum Hiſpanis, Italis, Gallis &c.; & ex omnium ſententiâ, hæc quæ ſequuntur, dicere ac proponere, quæ & his duabus Concluſionibus continentur.

I^a^. eſt: ſe admittere, omnia quæ in prædicto Scripto continentur, eſſe de mente S. Auguſtini, id eſt, eſſe doctrinam conformem doctrinæ Sancti Auguſtini, ſivè formalibus, ſivè æquivalentibus verbis; excepto uno tantùm Capite V°.; & exceptis quæ in illo dicuntur. Quod ut probaret, dicebat: quòd in Capite I°. dicitur eſſe duplex adjutorium ſecundùm S. Auguſtinum; aliud ſine quo aliud non fit; & aliud quo aliquid fit. Quòd formalibus verbis aſſerebat eſſe ſancti Auguſtini. Similiter quòd duplex ſit gratia; operans, & cooperans: quod in II°. Capite ex S. Auguſtino refertur; dicebat eſſe S. Auguſtini æquivalentibus verbis; & æquivalenter ex doctrinâ S. Auguſtini ſatìs colligi. In Capite autem III°. in quo dicitur: eſſe divinæ gratiæ, quòd quis habeat ſuaſores ad bonum: affirmabat, id quidem ex inductis teſtimoniis non probari, nec æquivalenter quidem. In Capite autem IV°.; in quo traditur: quòd ſecundùm S. Auguſtinum datur gratia efficax, immò efficaciſſima; nec tamen per illam læditur libertas arbitrij humani: aſſerebat, quòd in uno ſolo loco ex inductis id habetur; ex

Digitized by Google

illo, videlicèt, deducto ex Libro de gratiâ & libero arbitrio; ubì de Paulo dicit: *Quòd autem de cælo vocaretur, & tàm efficaciſſimâ vocatione converteretur &c.*

Ad Caput V^m. cùm perveniſſet, dicebat: Caput hoc eſſe illud quod exceperat non eſſe ſententiam S. Auguſtini; quià Caput ità habet: [a] *Hæc gratia habet ſuam efficaciam ab omnipotentiâ Dei, & à Dominio quod ſua divina Majeſtas habet in voluntates hominum, ſicut & in cætera omnia quæ ſub cælo ſunt, ſecundùm ſanctum Auguſtinum.* Circà quod caput aſſerebat: hanc non eſſe ſententiam S. Auguſtini, nec id ex inductis teſtimoniis probari. Primò, quià inducta teſtimonia non dicunt gratiam eſſe efficacem ex Dei omnipotentiâ, vel ex dominio quod habet in liberum arbitrium. Secundò, quià illud verbum, *ſicut & in cætera quæ ſub cælo ſunt*, admitti non poterat. Denotat enìm, ità Deum habere dominium in voluntates hominum, ſicut & in cætera quæ ſub cælo ſunt; & ex conſequenti, ſicut reſpectu aliorum, ità habet dominium, ut omnia illa vertat quocunque voluerit, ſine libertate eorum; ità habet dominium in hominum voluntates, ut illas vertat quocunque ipſe voluerit, abſque libertate earum: quod dici non poteſt. Dicebatque hoc intendere ſeu affirmare aliquos ex PP. Prædicatoribus. Bannez enìm, qui fuit primus inventor illius Phyſicæ Prædeterminationis, expreſsè dicebat: quòd Deus ità ſuâ omnipotentiâ liberum hominis movebat arbitrium ut liberum arbitrium reſiſtere non poſſit. Et P. Franciſcus de Avilâ in ſuo libro, etiam hoc ipſum dicebat: quòd, videlicèt, ità liberum arbitrium ex Dei omnipotentiâ & dominio movebatur, ut reſiſtere non poſſit. Et eodem modo dicebat, quòd P. Didacus Alvarez, qui præſens erat, comparabat liberum hominis arbitrium baculo & rei inanimatæ; contrà illud expreſsè Concilij Tridentini *Seſſ. 6. can. 4.*; Ubì definitur non ſe habere liberum hominis arbitrium ut inanime quoddam. Immò ſuperaddebat, Calvinum, quem ibì legebat, idem omninò & ferè formalibus verbis dixiſſe; quòd, videlicèt, Deus movet liberum hominis arbitrium ex ſuâ omnipotentiâ, ità quòd ipſum reſiſtere non valebat. Et ſimiliter liberum hominis arbitrium comparabat ligno vel lapidi & rebus inanimatis.

[a] *Vide ſuprà col. 15.*

Præthereà dicebat: quòd ex dictis in iſto Capite colligebatur, & in illis fundabatur illa phyſica Dei prædeterminatio, quæ libertatem auferebat. Quià gratia quæ eſt efficax ex Dei omnipotentiâ, & dominio quod Deus habet ſuprà voluntates hominum, ſicut & ſuprà cætera omnia quæ ſub cælo ſunt, eſt phyſicè prædeterminans. Undè non dubium, quìn ex iſtâ efficaciâ gratiæ, proveniente ex hâc omnipotentiâ Dei & dominio, contradicatur Concilio Tridentino *Seſſ. 6. can. 4. citato*: quià talis omnipotentia & dominium moveret hominem, ſicùt & cætera omnia inanimata; & ſic liberum arbitrium eſſet inanime quoddam. Et in hoc inſiſtebat, legendo Calvinum, & dicendo hanc illius fuiſſe doctrinam. Nec crediderim quòd in ſubſtantiâ aliquid aliud dixerit circà prædictum Caput V^m. Dixit etiam non poſſe eſſe ſententiam S. Auguſtini iſtam; quià S. Auguſtinus expreſsè *Lib. 1. q. 2. ad Simplicianum* [b], conſtituit efficaciam gratiæ in ſuaſionibus, & in vocatione, quâ Deus ità vocat, ut novit congruere, ut homo ſequatur. Non ergò, dicebat, ex illo dominio venit gratiæ efficacia.

[b] *Tom. 6. num. 13. col. 95.*

Deindè veniens ad Caput VI^m., in quo dicitur: [c] quòd *per hanc gratiam, ſecundùm S. Auguſtinum, agit Deus omnipotens in cordibus hominum motum voluntatis eorum, faciendo ex nolentibus volentes, ex repugnantibus conſentientes, ex oppugnantibus amantes.* Circà quod dicebat: id docere formalibus verbis S. Auguſtinum. Et idem fatebatur de Capite VII°., ubì dicitur: [d] *hanc gratiam efficacem ſecundùm S. Auguſtinum infundere Deum*

[c] *Vide ſuprà col. 18.*

[d] *Vide ſuprà col. 21.*

in

in cordibus noſtris per operationem Spiritûs Sancti innumerabilibus & occultiſſimis modis. Fatebatur enim illud S. Auguſtinum in terminis affirmare. Et idem etiam dicebat de Capite VIII°. quòd, videlicèt, a *ſecundùm ſanctum Auguſtinum gratia efficax ſecreta erat.*

a *Vide ſuprà col. 25.*

Ad Caput autem IXm. accedens, in quo dicitur : b *Hæc gratia efficax ſecundùm S. Auguſtinum eſt prævia, non pediſſequa : datur enim non quià volumus ; ſed ut velimus : atque adeò per ipſam efficit Deus nedùm ut operemur, ſed etiam ut velimus.* Circà quod dicebat : hoc quidem æquivalentibus verbis, ex inductis S. Auguſtini teſtimoniis deduci & colligi ; quamvìs, ut aïebat, non teneat conſequentia : quòd ſi gratia non eſt pediſſequa, ſit prævia ; quià poteſt eſſe comes, concomitans, & cooperans, quæ non erit nec prævia, nec pediſſequa ; quià datur illud medium.

b *Vide ſuprà col. 26.*

Circà Caput verò Xm. dicebat : c *ſecundùm ſanctum Auguſtinum eſſe effectum gratiæ efficacis certum & infallibilem* ; quià certò ſciebat Deus hominem ſic operaturum. Quæ certitudo ex illâ præſcientiâ pendebat : ſicut alibì S. Auguſtinus dicebat : quòd prædeſtinatio eſt d *præſcientia & præparatio beneficiorum, quibus certiſſimè liberantur quicunque liberantur.* In quo loco nitebatur fundare certitudinem & infallibilitatem gratiæ efficacis, non ex Dei omnipotentiâ, ſed ex illâ præſcientiâ oriri ; quià certitudo & infallibilitas ad intellectum & ad ſcientiam pertinet. Hæc in ſubſtantiâ circà hoc Caput Xm. dicebat.

c *Vide ſuprà col. 28.*
d *Tom. 10. L. de dono perſev. cap. 14. num. 35 col. 839.*

Circà Caput autem XIm. aſſerebat, ità eſſe : e quòd S. Auguſtinus affirmabat *gratiam efficacem non inducere fatum ; nec efficere Deum acceptorem perſonarum ; nec tollere prædicationem & correptionem : ſed cum libertate voluntatis humanæ optimè conſiſtere :* ut illud undecimum caput præmittebat : quamvìs inducta teſtimonia non probent, non tollere prædicationem, nec illud ex illis teſtimoniis colligatur.

e *Vide ſuprà col. 31.*

Circà Caput XIIm. aſſerebat ſententiam S. Auguſtini eſſe illam contentam in capite illo ; quòd, videlicèt, f *occultioris judicij Dei eſt, cur uni detur, & non alteri, illa efficax gratia.*

f *Vide ſuprà col. 34.*

De Capite XIII°. autem, in quo habetur : g quòd *ſecundùm S. Auguſtinum, hæc Dei gratia neceſſaria eſt ad ſingulos actus* ; id quidem non colligebatur ex inductis teſtimoniis ſancti Auguſtini. Solùm enim inducta teſtimonia dicunt, gratiam Dei & ejus adjutorium ad ſingulos actus dari. At verò nec ſermo in illis eſt de efficaci gratiâ ; nec dicitur illam eſſe neceſſariam ad ſingulos actus.

g *Vide ſuprà col. 35.*

Circà Caput XIVm. fatebatur eſſe expreſſam ſancti Auguſtini doctrinam : quòd h *hæc gratia nullis meritis noſtris redditur ; ſed quòd gratuitâ bonitate donatur ; & quòd nullum noſtrum bonum meritum illam antecedit.*

h *Vide ſuprà col. 36.*

Similiter in Capite XV°. aïebat : i *donum perſeverantiæ eſſe ſpeciale quoddam Dei donum, non omnibus commune, per quod fit, ut perſeveret in bono quis uſque in finem* ; quià ut dicebat : illud Deus dat non omnibus, ſed aliquibus, conſtituendo illos ſub talibus auxiliis ; ſub quibus prævidetur quòd ſi homo conſtituatur, perſeverabit uſque in finem. Undè ex omnibus tandem colligebat : unum ſolum Caput, ex illis quindecim, non haberi ex doctrinâ S. Auguſtini ; novem verò capita in terminis in doctrinâ S. Auguſtini inveniri ; reliqua verò æquivalentibus terminis ex doctrinâ S. Auguſtini deduci.

i *Vide ſuprà col. 38.*

Poſtremò IIam. Concluſionem ſic conſtituebat : per iſta omnia capita non tradi omnem doctrinam S. Auguſtini in materiâ gratiæ ; quià ſunt multa alia quæ S. Auguſtinus in hâc materiâ proponit & docet. Et his dictis, & repetitis, tandem finivit. Nec enim crediderim, quòd in ſubſtantiâ aliquid aliud dixit. Vel ſi dixit, minùs recordor.

Tunc ſtatìm F. Thomas de Lemos ſic ex more incepit : BEATISSIME PATER, ad cujus pedes, quæcunque dixero, humiliter ſuppono. Scrip-

tum à Felicis recordationis Clemente VIII. jàm antè annos duos Congregationi propoſitum, per quindecim Capita ordinatiſſimè diſtribuitur, quibus totam S. Auguſtini ſententiam in materiâ prædeſtinationis & gratiæ perfectiſſimè comprehendit.

In I°. nàmque Capite ità proponit: *Diſtinguenda ſunt adjutoria ſecundùm S. Auguſtinum; aliud eſt enim adjutorium ſine quo aliquid non fit; & aliud quo aliquid fit.* In II°. verò: *datur duplex gratia ſecundùm S. Auguſtinum; operans, & cooperans.* In III°. autem: *gratiæ Dei eſt, quòd quis habeat ſuaſores ad bonum.* Præterea in IV°. capite ità diſponit: *ſecundùm ſanctum Auguſtinum datur gratia efficax, immò efficaciſſima; nec tamen per eam læditur libertas arbitrij humani.* In V°. autem: *hæc gratia habet ſuam efficaciam ab omnipotentiâ Dei, & à dominio quod ſua divina Majeſtas habet in voluntates hominum, ſicut & in cætera quæ ſub cælo ſunt ſecundùm S. Auguſtinum.* In VI°. verò: *per hanc gratiam ſecundùm S. Auguſtinum agit Deus Omnipotens in cordibus hominum motum voluntatis eorum, faciendo ex nolentibus volentes, ex repugnantibus conſentientes, ex oppugnantibus amantes.* Inſuper in capite VII°. ità proſequitur: *hanc gratiam efficacem infundit Deus in cordibus noſtris per operationem Spiritûs Sancti innumerabilibus & occultiſſimis modis.* In VIII°. verò: *hæc gratia Dei efficax ſecreta eſt, ſecundùm S. Auguſtinum.* In IX°. autem: *hæc gratia efficax ſecundùm S. Auguſtinum eſt prævia, non pediſſequa; datur enìm, non quià volumus, ſed etiam ut velimus; atque adeò per ipſam efficit Deus nedùm ut operemur, ſed etiam ut velimus.* Deindè in X°. capite ità continuat: *effectus hujus gratiæ efficacis ſecundùm S. Auguſtinum eſt certus & infallibilis.* In XI°. verò: *hæc gratia efficax ſecundùm S. Auguſtinum non inducit fatum; nec efficit propterea Deum acceptorem perſonarum; nec tollit prædicationem & correptionem: ſed cum libertate voluntatis humanæ optimè conſiſtit.* In XII°. autem: *hæc gratia efficax, cur uni detur, alteri non detur, occultioris judicij Dei eſt.* In capite XIII°. ità aït: *hæc Dei gratia neceſſaria eſt ad ſingulos actus.* In XIV°. verò: *hæc gratia nullis meritis noſtris redditur, ſed gratuitâ bonitate donatur; nullum enìm bonum noſtrum meritum illam antecedit.* Ac tandem in XV°. & omnium ultimo capite, ità concludit: *Donum perſeverantiæ ſingulare quoddam Dei donum eſt, non omnibus commune, per quod fit, ut perſeveret quis in bono uſque in finem.*

Poſtquàm autem hæc omnia & ſingula apertiſſimis S. Auguſtini teſtimoniis comprobârat Felicis recordationis Clemens VIII., ità manu propriâ Dubium diſputandum formavit atque propoſuit: a *An iſta ſit doctrina ſancti Auguſtini in materiâ gratiæ?* Et quià Sanctitas Veſtra præcepit huic Dubio ſtrictè reſponderi, ideò directè & ſtrictè

a Vide ſuprà col. 44

Reſpondeo dicendum: omnia & ſingula quæ in prædicto Dubio continentur, tàm in Capitulorum titulis, quàm in inductis ex S. Auguſtino teſtimoniis, ſunt ipſiſſima S. Auguſtini doctrina in materiâ gratiæ. Veritatem hanc ad præſens probare minùs convenit, cùm ipſa littera ipſam apertè demonſtret: multòque minùs ad omnia quæ P. R. modò propoſuit, oportet reſpondere; quià plurima ex eis extrà Dubium totaliter procedunt. Ad ea autem quæ Dubium tangere videntur, breviter ſatisfaciam.

Dixit ergò omnium primò ſe Scriptum hoc cum omnibus Patribus ex Societate per diverſas Provincias diſperſis communicaſſe, & quòd ex omnium conſultatione omnia illa propoſuit. Ego quidem non communicavi cum totâ Religione Dominicanâ, nec cum aliquibus Patribus; ſed illud quod Dominus dederit, proponam. Et quidem poſt tantam conſultationem dixit P. R., in II°. capite verbis æquivalentibus non formalibus probari titulum capitis: quòd, videlicèt, *duplex ſit gratia, operans & cooperans:* b Quod ità non eſſe, aperta verba oſtendunt. Sic enìm habet inductum teſtimonium

b Vide ſuprà col. 11.

teſtimonium ex S. Auguſtino : a *Et quis iſtam, etſi parvam, dare cœperat charitatem, niſi ille qui præparat voluntatem, & COOPERANDO perficit, quod OPERANDO incipit?* Igitur non ſolùm æquivalentibus verbis, ut dixit, ſed formaliſſimis, titulus capitis de gratiâ operante & cooperante probatur.

a *Tom. 10. L. de grat. & lib. arb. cap. 17. n. 33. col. 735.*

Deindè circà IIIm. caput dixit : quòd capituli titulus nec verbis quidem æquivalentibus, ex inductis teſtimoniis, comprobatur. Quod tamen non diceret R. P., ſi videret inducta ex S. Auguſtino teſtimonia. b Nàm illud ex Pſal. 134. id ad minùs æquivalentibus verbis manifeſtat. Explicans enìm ibì ſanctus Auguſtinus illud Pſalmi : c *Suſcitans nubes ab extremo terræ*, dicit : d has nubes eſſe *Prædicatores veritatis*. Et quandò illud non dixiſſet, ibì affirmat, quòd Deus ſuâ gratiâ tales nubes ſuſcitat. Sed clariùs ad oſtendendum eſſe divinæ gratiæ has nubes mittere, induxit illud Prophetæ : e *Mandabo nubibus meis ne pluant ſuper illam*. In quo oſtendit eſſe gratiæ, quòd aliquibus prædicetur, ſuppoſito quòd alicui Provinciæ juſtè denegatur, & alicui datur. In quo S. Auguſtinus ſemper probat eſſe gratiam ; quià ſine injuſtitiâ alicui denegatur, & ſine meritis alicui datur.

b *Vide ſuprà col. 12.*
c *Pſ. 134. 7.*
d *Tom. 4. in Pſal. 134 in expoſit. myſticâ n. 17. col. 1502*
e *Iſ. 5. 6.*

Sed nec in hoc eſt nimìs inſiſtendum, ut veniam ad illud quod principaliter R. P. propoſuit, negando Caput Vm. continere doctrinam S. Auguſtini, cùm aìt : f *gratiam habere efficaciam ex omnipotentiâ Dei, & ex dominio quod Omnipotens habet in voluntates hominum, ſicut & in cætera quæ ſub cælo ſunt.* Quòd autem iſta ſit doctrina S. Auguſtini conſtat ex formalibus verbis. Sic enìm primum inductum teſtimonium habet : g *Bonas hominum voluntates...... ità eſſe in Dei poteſtate, ut eas quò voluerit faciat inclinari.* Eccè ad omnipotentiam Dei reducit in terminis efficaciam gratiæ convertentis hominum voluntates. Et in ſecundo teſtimonio ità dicitur : h *Deum occultiſſimâ & POTENTISSIMA medicinæ ſuæ POTESTATE perducere hominis voluntatem quò vult.* Ergò apertis verbis dicit ad omnipotentiam pertinere illam efficacem gratiam. Et in teſtimonio, tertio loco inducto ità dicitur : i *Sic enìm velle & nolle in volentis aut nolentis eſt poteſtate, ut divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet POTESTATEM.* Et tandem in alio teſtimonio ità habet : k *Niſi rectiſſimè crederemus, & perverſas & fidei contrarias voluntates OMNIPOTENTEM Deum ad credendum poſſe convertere &c.* Igitur manifeſtum eſt eſſe formalem & expreſſam S. Auguſtini ſententiam, quòd gratia habet ſuam efficaciam ad convertendum hominum corda, ex Dei omnipotentiâ ; cùm ad Dei omnipotentiam recurrat Auguſtinus, cùm de efficaci Dei gratiâ loquitur.

f *Vide ſuprà col. 15.*
g *Tom. 10. L. de grat. & lib. arb. cap. 20. n. 41. col. 739*
h *Tom. 10. L. de correp. & grat. c. 5. num. 8. col. 753.*
i *Ibid. cap. 14. n. 43. col. 774.*
k *Tom. 10. L. de grat. & lib. arb. cap. 14. n. 29. col. 732.*

Sed PP. RR. ideò negant Deum ſuâ omnipotentiâ efficaciter movere liberum arbitrium, & habere dominium ſuper illud ; quià conſtituunt liberum hominis arbitrium exemptum à dominio Dei ; ità ut Deus poſſit illud rogare & ſuadere ; non autem poſſit illud immutare, inflectere, & transferre (iſtis enìm terminis utitur S. Auguſtinus) quocunque ipſe voluerit. Prætereà S. Auguſtinus agit de illâ efficaciſſimâ gratiâ de quâ in præcedenti capite dictum fuerat : quòd l *Paulus tàm efficaciſſimâ vocatione convertetur, gratia Dei erat ſola.* Eccè efficaciam habet vocatio ex ſolâ gratiâ, ex Deo ipſo ; & non illam emendicat à libero arbitrio, nec eſt efficax dependenter ab illo ; ut RR. PP. volunt. Ideò enìm negant efficaciam ſumere ex Dei omnipotentiâ, & ejus dominio quod habet ſuper liberum hominis arbitrium. Non igitur poteſt negari : quòd, ſecundùm S. Auguſtinum, gratia habeat efficaciam ex Dei omnipotentiâ & dominio quod habet ſuprà liberum hominis arbitrium.

l *Tom. 10. Ibid. cap. 5. num. 12. col. 724.*

Dixit prætereà P. R., non poſſe dici, quòd gratia habeat ſuam efficaciam ex Dei omnipotentiâ, & ex dominio quod habet in voluntates hominum, *ſicut & in cætera quæ ſub cælo ſunt.*

Digitized by Google

ſunt. Cùm autem iſta ſit S. Auguſtini doctrina, & Summus Pontifex dicat illam eſſe S. Auguſtini, mirandum eſt valdè, quòd audeat P. illam damnare. Certè quomodò iſta ab illo dicantur, planè non video. Sed oſtendit P. in illo verbo *ſicut*, dicens: quòd denotatur in tali propoſitione: quòd ſicut Deus habet dominium in cætera alia etiam inanimata, illa movens ſine libertate; ità habeat dominium in voluntates hominum, illas movens ſine libertate: non attendens Regulam eſſe Sanctorum & Theologorum, quòd verbum *ſicut* non dicit omnimòdam ſimilitudinem, ſed in ſuâ proportione. Non ergò eſt ſenſus: quòd ſicut Deus habet dominium in cætera naturalia, ad movendum illa ſine libertate, ità habeat dominium ſuper voluntatem hominis, illam ex dominio tali movendo ſine libertate. Sed ſenſus eſt: quòd ſicut Deus ex ſuâ omnipotentiâ & dominio quod habet ſuper cætera omnia, poteſt efficaciter movere cauſas naturales ad operationes naturales, nec ex tali dominio tollit ab illis operationibus, quòd naturales ſint: ità Deus habet dominium ſuprà hominum voluntates, ad movendum ipſas ad ſuos actus liberos, non tollendo ab illis actibus libertatem; ſed illam in illis cauſando, ut docet S. Thomas *1. p. q. 83. art. 1.*

Itaque hæc propoſitio certa ſecundùm fidem videtur: ſicut Deus habet dominium ſuprà omnia quæ ſub cælo ſunt, ut faciat ea facere quæcunque ipſe vult: ità habet dominium ſuprà voluntates hominum, ut faciat eas liberè facere quæcunque voluerit ipſe. Ità quòd verbum *ſicut* dicat efficaciam & dominium Dei ſuprà omnia alia, & ſuprà hominum voluntates, proportione ſervatâ, & ſervatâ propriâ cujuſque naturâ. Quod ità eſt verum, ut etiam apud mediocres Theologos ſit id manifeſtum. Immò ſuperaddo, quòd ità Deus habet dominium ſuprà hominum voluntates, ſicut in cætera quæ ſub cælo ſunt, ut poſſit Deus, ſi voluerit, ità efficaciter movere liberum arbitrium, ut ex neceſſitate, & abſque omni libertate moveretur, ad modum quo homo movetur in motibus primo primis. Licèt enìm non ſit poſſibile, quòd Deus cogat propriè voluntatem, ei propriè violentiam inferendo; quià aliàs vellet & non vellet, ut docet S. Thomas *1. 2. q. 6. art. 4.*; certum tamen eſt, quòd Deus illam movere poteſt, non ſolùm liberè & ad actus liberos, ſed etiam neceſſariò, & ad actus neceſſarios: ut appareat quomodò Deus habeat poteſtatem & dominium ſuprà voluntates hominum, ſicut & in cætera quæ ſub cælo ſunt.

Quod prætereà dixit: quòd in iſto Capite V°., & in doctrinâ de efficaciâ gratiæ ex Dei omnipotentiâ & ex dominio quod habet ſuprà hominum voluntates, ſicut & in cætera quæ ſub cælo ſunt, continetur illa Phyſica prædeterminatio, quæ tollit libertatem; affirmans doctrinam hujus Capitis eſſe contrà Concilium Tridentinum *Seſſ. 6. can. 4.*; & quòd conſtituit hominum voluntates moveri ut inanime quoddam; gravius eſt multò. Abſit enìm, ut ex doctrinâ, non dico S. Auguſtini, ſed ex doctrinâ Pontificis Summi traditâ in iſto capite & ordinatâ, contradicatur Concilio Tridentino. Abſit, quòd ex illâ ſequatur, hominem moveri ut inanime quoddam. Sed unum, quod P. R. jàm fatetur, mihi ſufficit: quòd, videlicèt, phyſica prædeterminatio apertè contineatur in doctrinâ hujus capitis, traditâ tanquàm S. Auguſtini per Pontificem Summum.

Dixit prætereà, quòd aliqui PP. ex Prædicatoriâ familiâ, quià aſſerebant efficaciam gratiæ provenire ex Dei omnipotentiâ & dominio prædicto, conſtituebant liberum arbitrium moveri ſicut inanime quoddam, aut ſicut baculus. Quaſi non loquantur expreſsè ſicùt Scriptura ipſa, & in eodem ſenſu Scripturæ? Reprehendat ergò, ſi placet, quod dicit Scriptura: a *Aſſur baculus furoris mei.* Et alibi: *virga indignationis.* Nunquid cùm

a *Iſ. 10. 5*

cùm hoc dicit Scriptura, conſtituit Aſſur inanime quoddam? Et apud Tyrones in Theologiâ iſta non dicuntur & opponuntur; quià ſenſus eſt: quòd ſicut baculus ſe habet reſpectu manûs moventis, ità quòd ſi non moveretur à manu nihil faceret; ità homines reſpectu Dei ſe habent, ut, niſi priùs moveantur ab ipſo, non operentur ſuas liberas operationes. Reprehendat etiam Prophetam Jeremiam a, & Apoſtolum b; quià dicunt homines eſſe *lutum* in manu Domini. Dicat ex his conſtituere Scripturam homines ut inanime quoddam. Et tandem, quià Chriſtus Dominus dixit: c *ego ſum vitis vera*; dicat Chriſtum dixiſſe ſe eſſe inanime quoddam ſine libertate. Non igitur intelligenda ſunt iſta ità groſsâ Minervâ.

a *Jerem. 18. 6.*
b *Rom. 9. 21.*
c *Joan. 15. 1.*

Ad illud autem quod adduxit ex S. Auguſtino *ex q. 2. ad Simplicianum*, d de vocatione quâ Deus vocat ut novit congruere; remitto me ad dicta & explicata in 37ª. Congregatione, in quâ mens S. Auguſtini, & in iſto, & in aliis paucis ſimilibus locis expoſita fuit. Nec enìm oportet omnia repetere, ſicut iſti PP. faciunt, repetentes ſemper idem; ità quòd repetitionis eorum non ſit finis.

d *Tom. 6. num. 13. col. 95.*

Unum autem prænotaverim pro intelligentiâ S. Auguſtini: valdè diverſum eſſe in illo: ſuadere, & perſuadere. Negat enìm Pelagianas illas ſuaſiones ſufficere, & dixit: quòd Deus ità ſuadet, ut perſuadeat. Oppoſuerat enìm ei Pelagius relatus *Lib. de grat. Chriſti cap. 10.* e quòd admitteret alibì, videlicèt, *Lib. de Spiritu & Litt. cap. 34.* f Deum operari in nobis velle, *ſuadendo*. Ad quod S. Auguſtinus reſpondet: quòd *Deus ità ſuadet, ut perſuadeat*. Et per illud *perſuadere* intellexit S. Auguſtinus efficacem illam gratiam, quam conſtituit *toto illo capite de gratiâ Chriſti*. Et nomine *ſuaſionis*, intellexit gratiam excitantem & propriè adjuvantem.

e *Tom. 10. num. 11. col. 235.*
f *Tom. 10. n. 60. col. 120.*

Præterea R. P. in Capite IX°. dicebat: non eſſe conſequens, ut, ſi gratia non eſt pediſſequa, ſit prævia; quià poteſt dari medium, ut, videlicèt, ſit ſimùl comitans. Ad quod tamen eſt dicendum: Pontificem Summum comprehendiſſe mentem S. Auguſtini, & S. Proſperi; qui Sancti reputant evidens id quod evidentiſſimum eſt, videlicèt, quòd ſi gratia non eſt prævia eſt pediſſequa, & comes ſubſequendo ad hominis voluntatem. Undè S. Proſper *in epiſt. ad S. Auguſt.* g poſtquàm retulit Semipelagianos conſtituere gratiam Dei non præviam, ſed comitem; ſtatìm *in eâd. epiſt.* explicando qualiter eſſet comes, dixit illam pediſſequam, ità quòd comitaretur ut pediſſequa. Undè optimè Summus Pontifex docet ex ſancto Auguſtino; quòd ſi gratia Dei non eſt prævia, erit pediſſequa. Nec enìm poterit eſſe ſimùl naturâ operans; quià neceſſe erit aliquem incipere: vel Deum per gratiam ad quam homo ſequatur; vel hominem per libertatem arbitrij, ad quam gratia ut pediſſequa concomitetur.

g *Tom. 10. Op. S. Auguſt. num. 5. col. 781.*

Poſteà circà Caput Xm. dixit P. R. effectum gratiæ efficacis eſſe certum & infallibilem, cæterùm hanc certitudinem, non in efficaciam & cauſalitatem gratiæ prout ex Deo venit, reducebat, ſed in certitudinem illius præſcientiæ ſeu mediæ ſcientiæ. Volens intelligere S. Auguſtinum per illam mediam præſcientiam, quam tàm efficaciter expugnavit S. Auguſtinus, & contrà quam dicendum modò non eſt; quià adversùs hanc mediam ſcientiam ſeu præſcientiam ex profeſſo tres fuêre celebratæ Diſputationes coràm iſtâ Sanctâ Sede, ad quas, & ad allegata & inducta contrà hanc mediam ſcientiam, me remitto. Ut enìm crediderim, ſatìs oſtendi, illam damnatam fuiſſe à S. Auguſtino, ſicut Semipelagianorum fundamentum, quod ipſi invenerunt, ut per illam mediam præſcientiam ſubtraherent divinæ cauſalitati & gratiæ, quod malè libero hominis adſcribebant arbitrio. Et nunc breviter dico, damnatam illam à S. Thomâ *q. 6. de veritate art. 3.*, ubì apertè dicit: quòd ſi tota certitudo in effectibus

Digitized by Google

effectibus gratiæ & prædeſtinationis conſtituatur ex parte præſcientiæ, tunc talis præſcientia erit cauſa prædeſtinationis; & ſic prædeſtinatio non erit per liberam electionem prædeſtinantis: quod eſt contrà authoritatem Scripturæ & dicta Sanctorum. Et ratio eſt convincens; quià per illam præſcientiam videret Deus id quod homo facturus eſt, non autem id quod Deus facturus eſſet, ut faceret homo.

Tandèm R. P. in Capite XIII°. dixit: ſolùm inducta teſtimonia probare, gratiam dari ad ſingulos actus; nec ibi ſermonem fieri in inductis teſtimoniis de gratiâ efficaci. Per quod nihil aliud videtur dicere, quàm inducta teſtimonia à Pontifice intentum non probare; cùm tamen id manifeſtè probent.[a] Etenìm Summus Pontifex ſupponit id quod in doctrinâ S. Auguſtini contrà Pelagium eſt manifeſtum *Lib. de grat. Chriſti*, quòd, videlicèt, S. Auguſtinus docet gratiam Dei eſſe neceſſariam ad ſingulos actus, & non ſolùm requiri ad faciliùs. Et erat ſermo de gratiâ illâ efficaci quæ facit facere; ut eſt apertiſſimum. Et de hâc efficaci procedit & titulus Capitis, & omnia inducta teſtimonia. Igitur eſt manifeſtum, eſſe ſententiam S. Auguſtini: efficacem gratiam eſſe neceſſariam ad ſingulos actus; ſicut ex S. Auguſtino Pontifex Summus proponit. Igitur ex dictis alias duas ſtatuo Concluſiones contrarias illis quæ fuêre à R. P. propoſitæ.

a Vide ſuprà col. 35.

I^a. Concluſio eſt: omnia & ſingula quæ in prædictis quindecim Capitulis habentur, nullo prorsùs excepto, eſſe ſancti Auguſtini apertiſſimam doctrinam in materiâ gratiæ. Hæc patet ex dictis.

II^a. Concluſio: Per hanc doctrinam ex S. Auguſtino per Summum Pontificem recapitulatam, ſufficientiſſimè, immò efficaciter traditur tota doctrina de gratiâ contrà Pelagianos. Hæc etiam patet, non ſolùm ex omnibus Capitulis ſimul, ſed ferè ex quolibet eorum. Ex I°. enìm Capite, etiamſi aliud non adderetur, id apertè convincitur; in quo dicitur: duplex eſſe adjutorium; aliud ſine quo aliquid non fit; quod eſt ſufficiens: & aliud quo aliquid fit, id eſt, efficax; quod adjutorium facit facere. Hoc enìm ſignificat illud verbum, *quo aliquid fit.* Immò in illis verbis Capitis IXi.: *Non datur gratia, quià volumus, ſed ut velimus*, tota deſtruitur Pelagianorum hæreſis, ut ipſe S. Auguſtinus teſtatur *epiſt. 107. ad Vitalem*,[b] ibi citatâ. Quià tota Pelagianorum hæreſis in uno puncto conſiſtit: quòd, videlicèt, incipiat homo, & Deus ſequatur. Sub iſtis enìm verbis refert S. Auguſtinus hæreſim Pelagianorum *L. 4. contrà Julian. cap. 3.*[c], & S. Thomas ſæpè. Itaque Pelagiani dicebant: quòd homo incipit, faciendo quod in ſe eſt ex naturæ viribus; & ſtatìm gratia redditur illuminans, ſuadens, & invitans; & illâ invitante & excitante, homo incipit habere ſuum motum; & ſtatìm ſequitur gratia adjuvans. Quos errores ſufficientiſſimè doctrina horum quindecim Capitum ac penitùs evertit.

b Nunc 217 tom. 2. n. 17. col. 808.

c Tom. 10. num. 15. & 16. col. 591. & 592.

Statìm autem P. Vaſtida, qui omnia ſcribebat ut ſolet, cœpit dicere: hìc eſſe quæſtionem de facto & de jure. De facto quidem: quià P. R. putat Scriptum de quo agitùr eſſe definitionem Pontificis, & vocavit Canonem V^m.

Cui ſtatìm F. Lemos.: dixi Canonem, vel Caput.

Et proſecutus Vaſtida dicebat: Summum Pontificem ſolùm propoſuiſſe: *An illa ſit doctrina ſancti Auguſtini?* Et ſic licere ſibi, ſervatâ Pontificis reverentiâ, affirmare quæ non videbantur ex S. Auguſtino. Deindè veniens ad jus, dicebat: ſe non negare Deum habere dominium in voluntates hominum; ſed quòd non habebat ſicut in cætera omnia quæ ſub cælo ſunt; quià per hoc tollebatur hominis arbitrium. Quod ut fundaret, dicebat: quòd Patres Prædicatores, qui hoc affirmabant, dicebant hominem non poſſe reſiſtere. Et legebat Bannez ſic aſſerentem. Similiter dicebat: quòd

quòd Calvinus eiſdem omninò teſtimoniis utebatur ad ſuadendum hominem libertatem non habere. Quod ibì legebat ex Calvino: quòd, videlicèt, hoc teſtimonio utebatur ad negandum arbitrium; quòd nempè omnipotentia Dei habet dominium ſuper voluntates hominum, ad illas inflectendas & transmutandas quocunque vellet. His enim, ut aiebat, terminis utitur Calvinus. Deindè dicebat: quòd ſuppoſito, quòd ſecundùm Auguſtinum *perſuadere* diſtinguitur à *ſuadere*; & S. Auguſtinus efficaciam gratiæ explicavit per *perſuadere*, ſit in hoc convenientia, & utamur iſtis vocibus, aliis relictis. Et poſteà dicebat: quòd *perſuadere* addit ſuprà *ſuadere*, quòd ità ſuadeat quis, ut alter faciat; & ità *perſuadere* eſt intrà genus motionis moralis; nec aliud intellexit S. Auguſtinus. Dicebat etiam quòd ad locum *ex q. 2. ad Simplicianum*, reſponſum non erat; ſed quòd generaliter dictum fuerat, quòd jàm in aliis Congregationibus illi reſponſum eſſet: quià enim non ſe offerebat ſolutio, ideò facilè illâ generali ſolutione ſolvebatur. Affirmabatque prædictum teſtimoniũ nunquàm in aliis Congregationibus adductum fuiſſe. Similiter dicebat: quòd mirabatur virum doctum dixiſſe non poſſe eſſe medium inter gratiam pediſſequam & præviam, cùm gratia cooperans apertè dicitur ſimultanea; quòd ibì aliquantulùm ſuadebat. Et pari modo alia quædam minutiora proponebat dicendo, ſe tantùm dixiſſe, non tradi totam doctrinam S. Auguſtini in materiâ gratiæ; at verò reſponſum fuit, tradi totam doctrinam contrà Semipelagianos. Sed, ut ipſe addebat, quòd etiam non tradebatur tota doctrina contrà Calviniſtas. Et in ſimilibus multùm temporis conſumebat. Quo tandem finiente;

F. Thomas licentiam petens, ſic Summo Pontifici proponebat: ſi liceret dicere verbum unum, magnâ brevitate proponam; aliàs libentiſſimè, ne Veſtra Sanctitas tamdiù gravetur, omittam. Cui cùm Summus Pontifex dixiſſet, ut proponeret, ſic breviſſimè reſpondit: quòd R. P. dicit, quoſdam Thomiſtas aſſerere, efficaciæ gratiæ quæ provenit ex Dei omnipotentiâ non poſſe liberum arbitrium reſiſtere, intelligunt quòd in ſenſu compoſito non poteſt reſiſtere; non autem dicunt, quòd abſolutè & in ſenſu diviſo reſiſtere non poſſit; ut alibì ſæpè dictum fuit & explicatum, & ipſi diſcipuli S. Thomæ in locis inductis id manifeſtè & expreſsè dicunt.

Illud autem in quo nimìs inſiſtit, quòd, videlicèt, Calvinus hoc eodem teſtimonio, quòd Deus habet poteſtatem & dominium ſuprà hominum voluntates, utatur, ad ſuadendum hominem non habere libertatem; de eo diſtinguendum eſt id in quo Calvinus peſſimè erravit contrà fidem, ab eo in quo non erravit. Nec enim hæretici in omnibus quæ aſſerunt, errant; quià, ut communis eſt SS. Patrum ſententia, quædam aſſumunt vera, ut permiſceant multa falſa. Sit exemplum Pelagius ipſe, qui ſic argumentabatur: eſt in hominibus liberum arbitrium; ergò non eſt gratia præveniens efficax. Et illud antecedens: quòd eſt in hominibus liberum arbitrium, probat iiſdem teſtimoniis, quibus S. Auguſtinus ex Scripturâ probat eſſe in hominibus liberum arbitrium. Nunquid, quià Pelagius multis Scripturæ teſtimoniis probat homines habere liberum arbitrium, non debebat S. Auguſtinus iiſdem teſtimoniis uti, ad idem probandum? Vel utendo S. Auguſtinus iiſdem teſtimoniis dicendus vel putandus eſt convenire cum Pelagio? Nihil minùs. Quià Pelagius non erravit, dicendo eſſe in hominibus liberum arbitrium. Undè cum illo non errante in iſto puncto, ſed catholicè procedente, convenit S. Auguſtinus & omnes Catholici. Quià Catholica veritas à quocunque hæretico, immò etiamſi à Diabolo dicatur, veritas Catholica eſt. Sic etiam Calvinus non erravit, dicendo efficaciam divinæ gratiæ provenire ex Dei omnipotentiâ, & ex dominio quod habet ſuprà

Digitized by Google

liberum arbitrium, ſicut & in cætera omnia quæ ſub cælo ſunt. Nec erravit adducendo ad hoc probandum eadem teſtimonia Scripturæ, quibus S. Auguſtinus utitur. Nec in hoc erravit, vel S. Auguſtinus, vel nos ſequentes S. Auguſtini doctrinam, cum Calvino convenimus: ſed ipſe potiùs in hoc cum Catholicâ convenit veritate. Sed in hoc erravit Calvinus, quòd aſſeruit ex tali efficaciâ gratiæ tolli aut lædi hominis libertatem; & uti illis teſtimoniis ad hanc hæreſim firmandam, fuit potiſſimus ejus error. Cum quo conveniunt in hoc ſuo errore RR. PP., qui dicunt, ex tali efficaci gratiâ proveniente ex Dei omnipotentiâ & dominio lædi libertatem; ut in præcedentibus Congregationibus oſtendi, & in Diſputatione de Phyſicâ prædeterminatione monſtrabo.

Ad illud quod dixit me non reſpondiſſe loco S. Auguſtini, modò reſpondeo, ſicut & anteà reſpondi. Immò reſpondeo ex eodem ſancto Auguſtino.

Tunc Vaſtida dixit: cui loco reſpondet?

Cui F. Thomas: ad illum locum *ex q. 2. ad Simplic.*

Cui Vaſtida: & ad illum de perſuaſionibus, quid dicit?

Cui F. Thomas: dicam ordine ſuo. Priùs ad illum ex quæſtionibus ad Simplicianum, deindè ad illum alium. Ad primum ergo locum Reſpondeo, ſicut ipſe S. Auguſtinus. Et aperto codice legit, qualiter S. Auguſtinus illam vocationem vocabat effectricem bonæ voluntatis. Immò ipſe Summus Pontifex Clemens VIII. ex iſtis verbis S. Auguſtini, quibus vocationem effectricem bonæ voluntatis appellat, rectè colligit illum locum procedere de efficaci Dei gratiâ proveniente ex Dei omnipotentiâ atque dominio. Prætereà ipſe S. Auguſtinus dicit ſic in eodem loco: a *quod ſi verum eſt, & non conſequenter vocationi vocatus obtemperat, atque ut non obtemperet in ejus eſt poteſtate, rectè etiam dici poteſt: igitur non miſerentis Dei, ſed volentis atque currentis eſt hominis; quià miſericordia vocantis non ſufficit, niſi vocati obedientia ſubſequatur.* Quibus verbis apertè dicit: quòd ſi vocatio ità vocat, ut ſi liberum arbitrium vult obedire, obediat, ſin autem, non obediat; tunc contrà Apoſtolum b dici poſſet: non miſerentis eſt Dei, ſed vocantis & currentis eſt hominis; quià vocatio non ſufficit, niſi vocati obedientia conſequatur. Ut igitur ſalvetur quod Apoſtolus dicit: non eſt hominis primò velle & currere, ſed eſt Dei miſerentis, qui primò movet ſuâ miſericordiâ hominem ad currendum & volendum, (iſte enim eſt Apoſtoli ſenſus) dicit Auguſtinus: quòd ipſa miſericordia facit velle & currere.

a *Tom. 6. num. 13. col. 95.*

b *Rom. 9. 16.*

Illud autem quod ſubdit: quòd *Deus ſic vocat, quomodò aptum erat eis ut ſequantur*; nihil aliud intendit, niſi Deum cognoviſſe vim & efficaciam vocationis ſuæ, quæ aptiſſima eſt homini, ut ſequatur, & facit hominem ſequi & obedire. Secundò, gratis omninò admiſſo, quòd iſte locus habeat aliquam difficultatem in cortice litteræ; nunquid in illo inſiſtendum eſt? An potiùs utendum illâ regulâ ſancti Auguſtini *Lib. de prædeſt. Sanctorum, cap. 14.* c quòd, videlicèt, teſtimonia quæ adducuntur ex Scriptis antè exortam hæreſim Pelagianorum, licèt nihil dicant contrà divinæ efficaciam gratiæ, non tamen ità expreſsè illam tradunt, ſicut alia quæ ex profeſſo adducta ſunt poſt exortam Pelagianorum hæreſim. * Undè licèt nihil contrarium contineat divinæ gratiæ, non tamen ità expreſsè & ex profeſſo de divinâ gratiâ in illo tractatur, ſicut in mille aliis locis & Libris integris, quibus Pelagianorum hæreſim debellavit S. Auguſtinus. Unde unus iſte locus explicandus eſt & intelligendus per ſexcenta alia clariſſima & apertiſſima contrà Pelagianos propoſita. Non autem omnia iſta ſunt limitanda & intelligenda per unum, in quo non ità ex profeſſo de iſtâ materiâ tractatur.

c *Tom. 10. n. 27. col. 808.*

* *S. Auguſtinus hunc Librum ad Simplicianum conſcripſit initio Epiſcopatûs ſui (id eſt verſùs annum 397.) ut ipſe teſtatur L. de præd. Sanct. cap. 4. & L. de dono perſever. capp. 20. & 21.*

Ad

Ad illud autem quod R. P. dixit, ut utamur iſtis verbis *perſuadere* ad efficaciam gratiæ, ſuppoſito quòd illis utitur S. Auguſtinus. Reſpondeo in hoc dicto magnum aliquid latere. Volunt enim RR. PP. uti hâc voce, ut ſub illâ non efficaciam gratiæ, ſed morales illas ſuaſiones defendant. Ad quod præſcindendum, oportet uti vocibus tollentibus omnem æquivocationem. Nec ego dixi, utendum eſſe hâc voce; ſed tantùm aſſerui, ne aliquis falleretur legendo S. Auguſtinum, quòd apud ipſum *perſuadere* non dicit illas morales ſuaſiones, ſed includit efficaciam gratiæ excitantis, & verè adjuvantis. Nàm illas ſuaſiones & excitationes ſuſcitantes ſtupentem voluntatem, ipſe S. Auguſtinus *Lib. de grat. Chriſti cap. 10. & ſeqq.* [a] contrà Pelagium dixit, non recedere à lege atque doctrinâ. Ubì etiam notandum non appellaſſe S. Auguſtinum illas interiores excitationes & ſuaſiones interiùs à Deo immiſſas, eſſe puram legem atque doctrinam exteriorem; ſed dixit non recedere à lege atque doctrinâ exteriori; quià, videlicèt, nihil aliud agunt, quàm lex & doctrina exterior facere poſſunt, ſuadendo, videlicèt, & excitando Quod optimè declarat S. Proſper *Lib. de Ingratis*, dicens illas excitationes & ſuaſiones habere normam legis. Quod clariùs dicit in principio Epiſtolæ ad Ruffinum. Immò etiam illæ ſuaſiones & excitationes, quæ dicuntur interiores, in uno ſenſu ſunt exteriores; quià ut S. Proſper affirmat *in eod. Lib.* pulſant, non intrant animam. Oportet autem conſtituere gratiam intrantem animam, ipſam immutantem, & facientem ex nolente volentem.

[a] *Tom. 10. col. 235.*

Dixit prætereà R. P. ſe mirari, quomodò ego dixerim hanc conſequentiam eſſe bonam: ſi gratia non eſt pediſſequa, debere eſſe præviam; cùm gratia cooperans nec pediſſequa ſit nec prævia, ſed ſimultaneè concurrens. Ad quod Reſpondeo, me hoc dixiſſe quod iterùm dico: quòd ſi gratia non eſt prævia erit pediſſequa. Itaque ſi auferamus prævenientem & præviam gratiam, non poterit illa eſſe ſimùl naturâ concurrens cum libero arbitrio, ſed erit pediſſequa, poſtquàm incepit liberum arbitrium, ut dixi. Et ſic ponitur à RR. PP. pediſſequa, licèt illam voce appellent comitem & cooperantem. Similiter quod R. P. dicit: gratiam cooperantem eſſe ſimùl naturâ concurrentem, oportet quòd advertat, cooperantem gratiam eſſe præviam & prævenientem, & non tantùm ſimultaneè concurrentem. Quæ eſt expreſſa ſententia S. Auguſtini *Lib. de gratiâ & lib. arbitr. cap. 17.* [b] dicentis: quòd Deus præparat voluntatem cooperando & perficiendo, & operando incipiendo; ergò præparat etiam Deus voluntatem cooperando, ſivè per gratiam cooperantem; & ſic ad præparantem gratiam pertinet cooperatio. Quod apertiſſimè docet S. Thomas *1. 2. q. 111. art. 2.* dicens: quòd *divinum auxilium quo Deus nos movet ad benè volendum & agendum, dividitur per gratiam operantem & cooperantem.* Divinum autem auxilium quo Deus nos movet ad volendum & agendum, eſt gratia prævia atque præveniens; ergò ſi hoc auxilium prævium, ſecundùm S. Thomam, dividitur per operantem & cooperantem gratiam, neceſſe eſt quòd gratia cooperans ſit prævia atque præveniens. Igitur gratia operans & cooperans non diſtinguuntur in hoc, quòd una ſit præveniens, & non alia; ſed in hoc, quòd gratia operans, ut S. Thomas *in illo articulo* docet, moveat nos ad bonam intentionem finis; quâ bonâ finis intentione præhabitâ, gratia cooperans movet nos ad bonam electionem mediorum; ut ſic perficiamus finem. Quod ipſe S. Auguſtinus ſatìs aperuit, cùm dixit: quòd Deus ſuâ gratiâ operante facit ut velimus, videlicèt, finem; quià ſimplex volitio eſt reſpectu finis, ſicut etiam intentio eſt reſpectu finis: per gratiam autem cooperantem facit ut perficiamus per electionem mediorum præhabitam finis volitionem. Immò Concilium

[b] *Tom. 10. n. 33. col. 735.*

Tridentinum docet apertè *Seſſ. 6. can. 5.* quòd homines cooperantur Deo priùs vocanti atque moventi, cùm aït: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari, aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti &c.* Eccè cooperatur homo Deo priùs vocanti; non ergò eſt de ratione cooperantis, quòd ſit tantùm ſimùl naturâ operans. Et Gelaſius Papa in Decretali contrà Pelagianos aït: quòd homines cooperantur Deo ſubſequendo; ſicùt ergò homo Deo cooperatur priùs moventi ſubſequendo; ità Deus cooperatur homini præveniendo priùs, & poſteà ſimùl cum illo actum producendo.

Ad illud quod dixit, effectum gratiæ efficacis eſſe certum & infallibilem ex illa præſcientiâ mediâ, & non ex divino propoſito, affirmans S. Thomam *q. 6. de veritate art. 3.* (qui fuit locus à me inductus) procedere de abſolutâ præſcientiâ, non conditionatâ; ità quòd ſolùm intendat: quòd ſi tota certitudo effectûs prædeſtinationis ſumatur ex præſcientiâ abſolutâ, quâ Deus videt iſtum benè uſurum arbitrio, tunc talis præſcientia ſit cauſa prædeſtinationis: Ad illud, inquam, dicendum eſt: S. Thomam apertè de omni imaginabili præſcientiâ, ſivè abſolutâ, ſivè conditionatâ procedere, quæ det prædeſtinationi totam certitudinem, ſuprà communem rationem providentiæ. De omni enìm tali præſcientiâ docet, quòd eſt cauſa prædeſtinationis, & quòd, illa ſuppoſitâ, prædeſtinatio non eſt per liberam electionē prædeſtinantis; quod eſt contrà authoritatem Scripturæ & dicta Sanctorum. Sed dato omninò gratìs, & nullo modo conceſſo, quòd S. Thomas tantùm expreſsè loquatur de præſcientiâ abſolutâ, ubì reipsâ & quoad ſenſum damnat illam mediam præſcientiam conditionatam, ex quâ illa abſoluta eſſentialiter dimanat: manifeſtum eſt tamen, quòd ſi Deus præſcit hominem non ex Deo faciente ut faciat, benè operaturum, ſed ex ſeipſo, ſi in tali rerum ordine conſtituatur; quòd ſemèl homo poſitus in tali rerum ordine, ex ſeipſo, & non ex Deo faciente ut faciat, operabitur; & abſolutâ præſcientiâ videbitur operari; quià res conditionata, adimpletâ conditione tranſit in abſolutam, & abſoluta jàm redditur. Cùm ergò S. Thomas, etiam ſecundùm PP. RR., damnet præſcientiam abſolutam, quâ Deus videat hominem ex ſe, & non ex Deo faciente ut faciat, benè operaturum; ità ibì damnat præſcientiam, quâ Deus videat illum fore operaturum, non ex Deo donante ut faciat, ſed ex ſeipſo, ſi in tali rerum ordine collocetur. Quod & in ſeipſo, & in doctrinâ S. Thomæ apertiſſimum eſt.

Alia minutiora, quæ Reverendus Pater propoſuit, nè Sanctitas Veſtra gravetur, omitto.

Tunc iterùm Vaſtida in duobus potiſſimè inſiſtebat. Primò quòd cum Calvino conveniebat F. Thomas, qui dicit dari neceſſitatem divinæ voluntatis antecedentem efficacem; quià neceſſe eſt quòd illâ poſitâ tollatur arbitrij libertas. Et ad hoc quædam loca Calvini legebat; quorum tamen memoriam habere non oportet. Ex quo deducebat, quòd qui hanc neceſſitatem antecedentem conſtituebant, conſequenter dicebant Deum prædeterminare ad materiale peccati, quæ erat etiam Calvini damnata ſententia. Immò in tantum hanc doctrinam extendebant, ut etiam aſſererent formale peccati eſſe quid poſitivum, & quòd ad illud poſitivum Deus moveret; adducens M. Zumel, qui cùm ſit doctrinæ S. Thomæ acerrimus defenſor, tamen dicit eſſe temerarium ſeu erroneum dicere: quòd Deus prædeterminet ad materiale peccati. Similiter dicebat: quòd cùm S. Thomas aït, entitatem quæ eſt in peccato, fieri à Deo, intelligit fieri à Deo ſimùl concurrente, non autem prædeterminante. Similiter dicebat: illum locum S. Auguſtini *ex q. 2. ad Simplicianum*, non rectè fuiſſe explicatum, ſed contrà mentem ipſius, de gratiâ efficaci

antecedente

Digitized by Google

antecedente omninò hominum voluntates; quià S. Auguſtinus in illo expreſsè affirmabat: quòd quamvìs multi uno modo vocati ſunt, tamen quià non omnes uno modo affecti ſunt, illi ſoli ſequuntur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei. Ecce dicit: quòd ex iſtis, ſic uno modo vocatis, aliqui convertuntur, alij verò non; ergò non loquitur de vocatione efficaci; quià aliàs omnes converterentur, vel nullus. Loquitur ergò de illâ congruâ, quâ licèt omnes uno modo vocati ſint, tamen uni eſt congrua & non alteri. Et alia ſimilia minùs pertinentia dicebat, quorum, quià nullius momenti erant, nec memoriam habemus. Similiter dicebat: quòd ipſi per ſcientiam mediam non dicebant Deum videre quid homo facturus eſt, ſine ipſo Deo concurrente, ut illis opponebatur.

Statìm autem F. Thomas ſummâ brevitate: duo, inquit, modò in ſubſtantiâ dicit R. P. Primum, cum Calvino convenire, qui illam neceſſitatem conſequentiæ, provenientem ex antecedente Dei voluntate, conſtituunt; quià illa tollit libertatem. Ad quod dicendum, ut dixi, Calvinum non erraſſe, quià gratiam Dei efficacem conſtituit, & neceſſitatem illam conſequentiæ; ſed quià malè illam conſtituit, aſſerendo tollere libertatem. Erravit prætereà, quià gratiam ſufficientem negavit. Erravit etiam, quià dixit, nullam dari gratiam excitantem, ſeu moraliter attrahentem, ſed ſolùm efficaciter moventem, ſicut bruta moventur, & ſicut equus movetur à ſeſſore: hoc enìm exemplo Calvinus utitur. Cum quo Calvino pariter conveniunt, qui dicunt efficacem gratiam antecedentem libertatem tollere. Negavit autem Calvinus illam diſtinctionem de neceſſitate conſequentis tollente libertatem, & de neceſſitate conſequentiæ ſalvante libertatem. Quià, ut Driedo aït, ſemper Hæreticus hic negavit hanc diſtinctionem per quam omnia hæreticorum ſophiſmata diluuntur. Quòd enìm neceſſitas conſequentiæ ſeu conditionata non lædit libertatem, doctrina Sanctorum eſt; ut ſæpè dixi, & oſtendi; quæ in Decretis ſæpè refertur, & ab omnibus etiam Juriſperitis admittitur. Similiter erravit Calvinus, quià dixit Deum, ità movere ad malum ſicut ad bonum. Cùm enim ipſe neſciret diſtinguere inter actionem & entitatem, quatenùs entitas & actio eſt, & inter peccatum, dixit: quòd ſicut Deus movet ad entitatem, ità movet ad malum. Si autem Calvinus admitteret, illam neceſſitatem conſequentiæ, ortam ex Dei voluntate efficaci antecedente, optimè conſiſtere cum humanâ libertate, non erraret; ſed verè Catholicam doctrinam teneret. Similiter ſi diceret, Deum movere ad omnem entitatem & actionem quæ eſt in peccato, quatenùs entitas & actio eſt; ſimulque aſſereret, nullo modò Deum concurrere vel movere ad peccatum; veram etiam traderet doctrinam: quià expreſſa ſententia eſt S. Thomæ *in 2m. diſt. 37. art. 2.* & *in 2°. Scripto ſuper Sententias Lib. 2.*, de fide eſſe, quòd entitas quæ eſt in peccato, quatenùs entitas & actio eſt, ſit à Deo, ſicut à movente primo.

Tunc ſermonem F. Thomæ interrumpens Cardinalis du Perron Gallus, dicebat: Calvinum non negaſſe in Adam ante peccatum libertatem; nec dixiſſe præſcientiam tollere libertatem.

Cui F. Thomas dixit: Illuſtriſſime Domine, ego dicam omnia quæ Calvinus dixit in hâc materiâ. Ipſe aliter locutus eſt de Adam antè peccatum, & aliter de homine poſt peccatum. De Adam enìm antè peccatum dixit: habuiſſe libertatem, nec Deum determinaſſe quid eſſet acturus. Dixit etiam, illam præſcientiam, quâ Deus vidit illius peccatum, non abſtuliſſe ab eo libertatem; quià conſtituebat Calvinus illam præſcientiam poſt peccatum ipſum factum ex humanâ libertate. Si autem poſuiſſet Calvinus illam præſcientiam antè tale peccatum, utique diceret illam lædere

lædere Adæ libertatem. Hæc fuit ſententia Calvini de Adam antè peccatum. At verò de Adam poſt peccatum dixit 1°., liberum hominis arbitrium penitùs extinctum fuiſſe. Fides autem Catholica docet, non eſſe extinctum, ſed vulneratum, læſum & extenuatum. Deindè dixit Deum decreto ſuæ voluntatis determinaſſe quid homo facturus eſſet; ex quo decreto dixit, quòd fuit ablata hominis libertas. Dixit præterea, quòd illo decreto Deus determinavit hominem ad malum & ad peccatum ſicut ad bonum. De quo damnatur in Concilio Tridentino. Quæ omnia Calvinus deduxit ex illo pravo principio : quòd neceſſitas orta ex divino decreto tollit hominis libertatem. In quo principio Calvinus & Pelagius conveniunt. Utrique enìm errantes in hoc conveniunt : quòd neceſſitas conſequentiæ, orta ex divino decreto, tollat hominis libertatem. Contrà quos Eccleſia docet : quòd talis neceſſitas ſalvat & perficit libertatem hominis. Deindè ex illo pravo principio, tàm Calvinus quàm Pelagius per diverſam conſequentiam intulerunt extremos errores. Pelagius dixit : eſſe hominis arbitrium, ſed non efficacem Dei gratiam, nè læderetur arbitrium. Calvinus verò dixit : eſſe efficacem Dei gratiam, ſed lædere arbitrium, illudque deſtruere. Eccleſia autem Catholica utrumque extremum errorem æqualiter damnat, dicens : eſſe liberum arbitrium contrà Calvinum ; & eſſe efficaciam gratiæ contrà Pelagium. Rursùs Pelagius dixit : prævenientem gratiam eſſe tantùm excitantem moraliter. Calvinus autem dixit : non eſſe excitantem moraliter, ſed tantùm moventem ſine excitatione. Catholica autem veritas docet : efficacem gratiam utrumque includere, & excitantem contrà Calvinum, & efficaciter moventem contrà Pelagium. Quibus dictis Cardinalis du Perron tacuit, & annuere videbatur.

Deindè proſecutus F. Thomas dixit : Et ex hoc patet vera intelligentia S. Auguſtini in illo loco ad Simplicianum. Cùm enìm efficax Dei gratia utrumque includat, & excitantem & adjuvantem ſivè moventem ; dicit S. Auguſtinus, quòd multi eodem modo ſunt vocati gratiâ excitante ; & quià non ſunt eodem modo affecti per adjuvantem & moventem, non omnes obtemperant ; ſed tantùm illi, quibus præter excitantem gratiam Deus dat adjuvantem & prævenientem ; quibus illos ità facit affectos, ut obtemperent & ſequantur. Et de gratiâ excitante intelligitur S. Auguſtinus ubicunque dicit : quòd Deus innumerabilibus modis vocat per excitantem, videlicèt, gratiam, quibus homines moraliter attrahit : poſt quam excitationem, & moralem attractionem, quæ infinitis modis contingit, Deus quorum miſeretur dat fortius auxilium gratiæ moventis & adjuvantis, quo efficaciter illos convertit. Tunc finivit F. Thomas.

Et Pater Vaſtida quædam pauca & nullius difficultatis dixit. Et quià Summus Pontifex illi præceperat ut jàm finiret, ideò F. Thomas nihil aliud dixit. Et ſic finita fuit Congregatio, cùm duraſſet per tres horas & dimidiam & eò ampliùs.

Finitâ præcedenti Congregatione, Sanctiſſimus infrà ſignatum Dubium per Secretarios Congregationis diſputandum tranſmiſit.

DUBIUM

Digitized by Google

DUBIUM

A Sanctiſſimo Paulo V. ad diſputandum tranſmiſſum.

Datum mihi fuit Dubium 23. Septembris 1605.

AN Deus ſuâ efficaci gratiâ moveat hominis voluntatem ad actus liberos bonos, non ſolùm interiùs ſuadendo, invitando, excitando, aut aliter moraliter attrahendo; ſed etiam verè & activè, propriè, ſalvâ tamen humanâ libertate? Et, an talis efficax gratia, convenienter ab aliquibus Scholaſticis, phyſicè prædeterminare dicatur?

Subſcriptum.

PAULUS PAPA V.

Pro proximâ Congregatione.

CONGREGATIO

TRIGESIMA NONA, SIVE SECUNDA CORAM PAULO V.

In quâ de gratiâ efficaciâ, ſeu de Phyſicâ prædeterminatione primò & generatim eſt diſputatum.

Habita fuit in Monte Quirinali coràm Sanctiſſimo, 12. Octobris 1605. corã Illuſtriſſimis Cardinalibus & Cenſoribus deputatis.

Vide Hiſt. Congreg. de Auxil. Lib. 4. cap. 7. col. 618. & ſeqq.

ACTUM fuit in iſtâ Congregatione de illo Dubio à Sanctiſſimo ad Congregationem tranſmiſſo 23°. Septembris anni 1605., in quo ſic habetur: *An Deus ſuâ efficaci gratiâ moveat hominis voluntatem ad actus liberos bonos, non ſolùm interiùs ſuadendo, invitando, excitando, aut aliter moraliter attrahendo; ſed etiam verè & activè, propriè, ſalvâ tamen humanâ libertate? Et an talis efficacia convenienter ab aliquibus Scholaſticis phyſicè prædeterminare dicatur?*

P. Vaſtida venit ad hanc Congregationem cum Bartholomæo Perez, & lecto priùs Dubio, ut jacet, cœpit orare & ſuadere multis verbis Dubij gravitatem, & qualiter non putabat de mente Pontificis, ut res adeò ardua unicâ Diſputatione finiretur. Similiter in Cenſores graviter infremebat, dicens inter alia multa: ſe ſcire, accedente ſe ad diſputandum coràm Cenſoribus jàm determinatis ad unam partem, quòad damnandam eorum ſententiam; quià jàm decreverant, & juramento firmârant. Immò dicebat ſe diſputare de re quæ jàm determinata dicebatur, aut publicabatur. Et cùm multo tempore in his & ſimilibus immoraretur, quibus valdè ardenter, non attendens ad loci gravitatem, procedebat; Summus Pontifex graviſſimè illum reprehendit. Oſtendens enìm quàm ægrè tuliſſet ea quæ tàm irreverenter proponebantur, dixit hæc verba: *Reſpondete al Dubio, é laſſate queſte coſe, laſſate queſte invettive; a che propoſito ſi fanno queſte invettive? volete ſaper lo che noi nò penſiamo: nelle Congregationi vedremo ſe vi ſerviranno.* Quæ verba cum imperio & animi amaritudine, & voce & nutibus ſemèl iterùm, atque tertiò repetebat.

Tunc P. Vaſtida cœpit ad Dubium

 reſpondere,

Digitized by Google

reſpondere, dicens: tres voces eſſe in Dubio, quæ explicandæ veniebant. 1ª. *gratia efficax*, 2ª. vox *moraliter attrahere*, & 3ª. *Phyſica prædeterminatio*. Circà vocem *auxilium efficax*, dicebat, tripliciter ſumi efficax auxilium. I°. vocatur efficax; quià virtutem cauſativam & effectivam habet, etiamſi non agat: ſicut medicina ſolet in hâc acceptione vocari efficax; quià virtutem habet ad ſanandum in ſeipsâ, licèt de facto non ſanet. II°. modo dicitur auxilium efficax, quod non ſolùm habet virtutem ſic cauſativam; ſed quià actu efficit & conjungitur operationi. III°. modo dicitur auxilium efficax, quod infallibiliter ſemper conjungitur operationi.

Circà vocem *moraliter attrahere* dicebat: quòd attractio moralis non excludit, quòd per illam operans, phyſicè operetur: ità ut optimè cohæreant, quòd aliquis ſit agens morale & phyſicum ſimùl. Qui enìm ſuadet alicui aliquid, agens morale eſt & ſimùl phyſicum; ut ſtatìm ſe declaraturum magìs aſſerebat.

Circà vocem verò *Phyſica prædeterminatio*, dicebat importari quoddam auxilium antecedens uſum liberi arbitrij, quod in ſuâ & ex ſuâ entitate & ex ſeipſo ità determinat voluntatem ad unam partem, ut ipſa ei non poſſit reſiſtere, nec diſſentire: ſed quòd neceſſitata ex ſuppoſitione debeat conſentire. Inſuper dicebat ſe non agere de voce *Phyſica prædeterminatio*, ſed de re: An detur tale auxilium antecedens liberum conſenſum, quod ex ſuâ entitate ità ſit efficax, ut infallibiliter faciat voluntatem operari; ità ut eidem voluntas reſiſtere non poſſit nec diſſentire ſi velit. Si enìm tale auxilium datur, commodè vocatur phyſica prædeterminatio; quamvìs iſta vox primò à M. Bannez fuerit introducta. Nec iſta vox *prædeterminatio phyſica* confundenda eſt cum prædeterminatione divinæ voluntatis; ut quidam faciunt. Nàm prædeterminatio divinæ voluntatis datur quidem; quià Deus ſuâ voluntate omnia prædefinit atque prædeterminat: non tamen datur illa phyſica prædeterminatio voluntati impreſſa. Similiter nec prædeterminatio confundi debet cum prædeſtinatione, ut aliqui faciunt. Similiter quaſi obiter dicebat hanc phyſicam prædeterminationem ſtare non poſſe. Nàm S. Thomas *1. p. q. 19. art. 3. ad 5.* dicit de divinâ voluntate, quòd in ſe neceſſitatem habet, & quòd ſe determinat ad volitum ad quod habet habitudinem non neceſſariam. Ex quo inferebat, dicere S. Thomam: quòd ſi divina voluntas ab alio determinetur, non haberet libertatem. Inducebat etiam S. Thomam *in 2m. Sent. diſt. 25. art. 1. ad 3.*, ubì dicit: quòd Deus ità movet liberum arbitrium ad agendum, ut in poteſtate arbitrij ſit determinatio ſuæ actionis & finis. Ex quo deducebat S. Thomam negare Deum prædeterminare: quià aliàs liberum arbitrium non ſe liberè poſſet determinare. Pari modo inducebat S. Thomam *1. 2. q. 9. art. 6. ad 3.* dicentem: quòd Deus movet quidem voluntatem, ſicut univerſalis motor; ſed homo per rationem ſe determinat ad volendum hoc vel illud. Ex quo deducebat, Deum liberum arbitrium non prædeterminare phyſicè.

Quibus ſuppoſitis, ad Dubium duplici Concluſione reſpondebat. Iª.: Deus ſuâ efficaci gratiâ movet hominis voluntatem ad actus bonos, non ſolùm ſuadendo, invitando, & moraliter attrahendo, ſed etiam verè & activè, propriè. Dicebatque, quòd nullus ex ipſis hoc unquàm negavit.

Probabat: quià Deus interiùs imprimit in animâ illas ſuaſiones & affectiones, quas nulla creatura imprimere poteſt, & illas verè & activè propriè cauſat: ergò movet hominis voluntatem verè & activè propriè, & etiam moraliter. Antecedens probabat: quià quadrupliciter poteſt intelligi, quòd aliquis verè & activè propriè aliquid operetur. Uno modo, quià verâ & activâ actione producit aliquid in alio; ſicut calor verè & activè propriè producit in aquâ calefactionem

ctionem. Et hoc modo Deus eſt movens voluntatem verè & activè propriè; quià verâ activitate & propriâ cauſalitate imprimit interiùs in animâ illas ſuaſiones & excitationes.

Secundo modo dicitur aliquis verè & activè propriè aliquid movere; quià producit aliquid reale in alio, ità quòd illud aliud verè immutatur, & recipit aliquid verum & reale; ſicut aqua immutatur verè realiter & activè ab igne; quià recipit ab eo veram & realem calefactionem, & paries recipit verum & realem colorem. Et hoc ſecundo etiam modo Deus verè & activè propriè movet hominis voluntatem; quià à Deo recipit voluntas illas veras & reales ſuaſiones & excitationes. Quòd ſi aliquis aſſerat, dicebat, quòd ultrà hoc, ut Deus dicatur movere verè & activè propriè voluntatem, requiritur, quòd illam moveat verè & activè ad actum; adhuc iſto modo dicitur Deus cauſare & operari per ſuam gratiam efficacem verè & activè propriè; quià verè & propriâ activitate producit conſenſum voluntatis. Quòd ſi interìm dicatur, aïebat, requiri ut dicatur Deus verè & activè propriè movere voluntatem ad actum, quòd imprimat in voluntate aliquid, per quod illam moveat ad agendum verâ & activâ cauſalitate; hoc, dicebat, in uno ſenſu Deus facit verè & activè propriè; in alio autem hoc eſt impoſſibile. Si enìm fiat ſenſus: quòd Deus imprimat aliquid in voluntate, quo ipſam moveat verè & activè propriè, ità tamen ut ipſa poſſit reſiſtere & diſſentire ſi velit; ſic eſt verum quòd Deus illam movet verè & activè propriè. Quià dando auxilium in entitate ſuâ ſufficiens ſub illâ occaſione quâ ſcit liberum arbitrium conſenſurum, verè & activè propriè movet hominis voluntatem ad agendum. Et dans in illâ occaſione auxilium, verè vult movere verè & activè propriè voluntatem ad agendum. In alio autem ſenſu non poteſt dici, quòd Deus moveat verè & activè propriè voluntatem ad agendum: ità, ſcilicèt, ut imprimat auxilium ex ſe & ex ſuâ entitate efficax, cum quo non poſſit ſtare ſimùl contrarius diſſenſus. Nàm hoc auxilium, ſicut phyſicè prædeterminans, non compatitur voluntatis libertatem, quâ diſſentire ei poſſit ſi velit. Et in hoc aliquantulùm inſiſtebat P. Vaſtida; potiſſimè illo communi argumento: quòd, videlicèt, auxilium erat tale, ſine quo voluntas non poteſt operari, & quo poſito non poteſt non operari; ergò tollitur libertas. Antecedens, ut dicebat, admittitur ab authoribus defendentibus hanc phyſicam prædeterminationem, ſivè hoc auxilium de ſe efficax. Secundum argumentum erat: quià aliàs nullum eſſet auxilium ſufficiens præter illud; ſiquidem per illud non poterit voluntas operari, quòuſque adveniat hoc de ſe efficax. Tertiò quià ad materiale peccatum Deus ſic prædeterminaret phyſicè; quod tamen dici non poteſt; quià eſſet Deo imputare peccatum.

Deindè aſſerebat: quòd vox *phyſica* nec ſignificabat aliquid verè & propriè inhærere; quià auxilium ſufficiens verè inhæret. Similiter vox *phyſica prædeterminatio* non ſignificat quod eſt verè & realiter tale; quià etiam auxilium ſufficiens eſt aliquid verè & reale. Tertiò nec vox *phyſica prædeterminatio* ſignificat id quod movet voluntatem ad agendum; quià etiàm auxilium ſufficiens illam ad agendum movet. Nec etiam ſignificat, Deum verè & activè propriè cauſare; quià, ut dictum eſt, Deus verè & activè propriè cauſat, & movet voluntatem moraliter & verè ſine illâ phyſicâ prædeterminatione, quæ libertatem aufert.

Deindè ſecundam conſtituebat Concluſionem: quòd, videlicèt, non datur auxilium in ſuâ entitate & ex ſe efficax, ſeu phyſicè prædeterminans, cum quo non poſſit ſimùl componi contrarius diſſenſus. Et in hoc ſenſu, tàm res, quàm vox *phyſica prædeterminatio* neganda erit; quià libertatem auferebat. Et poſteà valdè diffundebatur, ſemper eadem repetens, ità

quòd videbatur ſeipſum perdidiſſe. Exaggerans enìm quæſtionis hujus gravitatem & difficultatem, dicebat, ex hâc quæſtione alias plurimas oriri, videlicèt illam : An cum æquali auxilio gratiæ prævenientis ſtet quòd unus convertatur, & alius non convertatur? PP. Prædicatores, dicebat, id negant; ſed nos affirmamus. Hinc etiam oriri illam : An prædeſtinatio & media prædeſtinationis ſint certa ex decreto omninò abſoluto, & ex ipſis mediis efficacibus ſecundùm ſe, & in ſuâ entitate, aut aliundè? PP. Prædicatores dicunt eſſe illa certa ex ſeipſis, & ex ſuâ entitate; nos autem affirmamus non eſſe certa ex ſeipſis & ex ſuâ entitate, ſed in ratione gratiæ & doni; quià dantur congruè, tali tempore quo Deus ſcit hominem conſenſurum. Et ſimilia multa dicebat, quæ minùs pertinebant ad Dubium & quæſtionem propoſitam. Undè nec memoriæ mandavi, nec ea ſcribere oportet.

Et tandem concludebat, quaſi Summum Pontificem orans, ut Sua Sanctitas pro re determinandâ faceret, quòd ipſi cum PP. Prædicatoribus convenirent circà propoſitiones, & dicta, & modum quo res videbatur terminanda. Et ſic multùm à ſeipſo diſtractus finivit.

Statìm autem F. Thomas de Lemos, omnia ex more ad pedes Sanctiſſimi conſtituens, dixit : Ad Dubium à Sanctitate Veſtrâ propoſitum, & modò relatum, quod brevi compendio univerſam hanc materiam, & primam ac fundamentalem radicem, & quòad rem, & quòad vocem clariſſimè proponit, & clariùs manifeſtat, duplici Concluſione Reſpondeo; Unum tamen priùs & antè omnia præſupponendo, pro dicendorum claritate majori, videlicèt, idem omninò eſſe in hâc materiâ efficaciæ divinæ gratiæ, efficaciam moralem, efficaciam vocationis congruæ, efficaciam pendentem à libero hominis arbitrio; & efficaciam ab effectu ſivè ab eventu : quià, videlicèt, liberum hominis arbitrium vult ex ſuâ innatâ libertate divinam gratiam efficacem conſtituere : ità ut ſi liberum arbitrium vult, efficacem reddat divinam vocationem; ſi autem non vult, quandò ſibi placet illam reddat inanem & vacuam. Iſta enìm quatuor nunc enumerata eſſe idem omninò, idemque prorsùs ſignificare expreſſis verbis fatentur ferè omnes defenſores hujus vocationis moralis & congruæ. Hâc igitur ſic breviter patefactâ & denudatâ veritate ex propriis ipſorum verbis, jàm ad Dubium Reſpondeo.

Prima Concluſio : Deus ſuâ efficaci gratiâ movet hominis voluntatem ad actus liberos bonos, non ſolùm interiùs ſuadendo, invitando, excitando, aut aliter moraliter attrahendo. Probatur manifeſtè. Nàm Pelagius in terminis admiſit has omnes interiores excitationes & ſuaſiones moraliter attrahentes; & tamen non ſemèl fuit damnatus per Eccleſiam, ſicut veram Chriſti gratiam negans, & efficaciam illius : ergò efficacia divinæ gratiæ non conſiſtit tantùm in illis interioribus ſuaſionibus & excitationibus. Minor eſt evidens; & Major habetur expreſsè in S. Auguſtino *Lib. de gratiâ Chriſti cap. 7.* a hæc verba de Pelagio referente : *Adjuvat enìm nos, inquit, Deus per doctrinam & revelationem ſuam, dùm cordis noſtri oculos aperit; dùm nobis, ne præſentibus occupemur, futura demonſtrat; dùm Diaboli pandit inſidias; dùm nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cæleſtis illuminat.* Et præmiſerat Pelagius, eodem referente S. Auguſtino *in dicto cap. 7.*: b *quam* ſcilicèt gratiam, *nos non, ut tu putas,* (dicebat Pelagius contrà S. Auguſtinum) *in lege tantummodò, ſed in Dei eſſe adjutorio confitemur.* Confitebatur ergò Pelagius expreſsè ſe non tantùm admittere exteriorem legem atque doctrinam, ſed inſuper, præter illam, aliam interiorem Dei gratiam admittere, ſuadentem, videlicèt, illuminantem & excitantem.

Et *in cap. 10. ejuſdem Lib.* c iterùm S. Au-

a *Tom. 10. num. 8. col. 233.*

b *Ibidem.*

c *Ibid. num. 11. col. 235.*

Digitized by Google

S. Auguſtinus introducit Pelagium explicantem illud Apoſtolicum teſtimonium *: ipſius eſt velle & perficere pro bonâ voluntate* a, quod dogmati ſuo videbat valdè eſſe contrarium: introducit, inquam, Pelagium illud teſtimonium ſub his verbis explicantem: *Operatur in nobis velle, quod bonum eſt, velle quod ſanctum eſt; dùm nos terrenis cupiditatibus deditos, & mutorum more animalium tantummodò præſentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione ſuccendit; dùm revelatione ſapientiæ in deſiderium Dei ſtupentem ſuſcitat voluntatem; dùm nobis, (quod tu alibì negare non metuis) ſuadet omne quod bonum eſt.*

a Philipp. 2. 13.

Manifeſtum eſt ergò admiſiſſe Pelagium, præter exteriorem legem atque doctrinam, interiorem quamdam gratiam, de quâ, quod magìs eſt, omnia iſta expreſsè affirmabat: illam, videlicèt, eſſe interiùs revelantem, cordis oculos aperientem, futura monſtrantem, Diaboli inſidias pandentem, multiformiter illuminantem, bonum omne ſuadentem, & revelatione ſapientiæ in deſiderium Dei ſtupentem ſuſcitantem voluntatem.

Quibus omnibus tàm repetitis & multiplicatis verbis, voce duntaxàt videbatur veram gratiam fateri; & tamen contrà ejus tàm multiplicata verba, ità dicit S. Auguſtinus *Lib. de gratiâ Chriſti cap. 9. in fine.* b *Quid enìm juvat Pelagium*, aït Auguſtinus, *quià diverſis verbis eamdem rem dicit, ut non intelligatur in lege atque doctrinâ gratiam conſtituere, quâ poſſibilitatem naturæ aſſerit adjuvari? Quantùm autem exiſtimo, ideò veretur intelligi, quià damnavit eos, qui dicunt gratiam Dei & adjutorium non ad ſingulos actus dari, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege atque doctrinâ; & tamen latere ſe putat, cùm aliis atque aliis locutionibus verſat ſignificationem legis atque doctrinæ.* Nihil ergò juvat temporibus iſtis, quòd multiplicatis verbis dicatur gratia ſuadens interiùs, invitans, alliciens, excitans, & moraliter attrahens; quià per omnia iſtà verba non receditur à lege atque doctrinâ. Certè nec modò vel plura vel ſignificantiora verba ſuperadduntur ad fundandam illam interiorem gratiam, moraliter tantùm attrahentem, quàm Pelagius ipſe protulerit.

b Tom. 10. n. 10. col. 234.

Nec ſufficit reſpondere: Pelagium non admiſiſſe gratiam cooperantem, quæ modò adhibetur. Nàm cooperans iſta gratia, ſecundùm quòd modò conſtituitur, eſt, quâ Deus cooperatur arbitrio, conſentiente jàm arbitrio ipſo ex ſuâ innatâ libertate illis moralibus excitationibus. Undè datur, quià homo conſentit; & ſic datur ex priori hominis merito. Quarè hanc cooperantem gratiam ſic explicatam admiſerunt Julianus, Caſſianus, & Fauſtus, damnati nihilominùs per Eccleſiam, ſicut cum Pelagio convenientes, & veram Chriſti gratiam negantes. Secundò nec per talem cooperantem, ſeu potiùs pediſſequam & ſubſequentem gratiam receditur à Pelagio, ſed potiùs ejus ſententia fundatur: quâ dixerat: gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari. Igitur nec per illas prævenientes morales excitationes, nec per illam ſubſequentem & pediſſequam gratiam, quam vocant cooperantem, receditur à Pelagij damnatâ ſententiâ.

Secundò admiſsâ quacunque iſtâ interiori gratiâ moraliter attrahente, ità ſe habet liberum hominis arbitrium, ut ſi velit conſentiat, & efficacem illam reddat, ſi autem nolit non conſentiat, & illam reddat ineſficacem: ſed conſtituere ſic interiorem gratiam, eſt non recedere à damnatâ Pelagianorum ſententiâ: ergò conſtituere tantùm illam interiòrem gratiam moraliter attrahentem, non receditâ damnatâ ſententiâ Pelagianorum. Major habetur in terminis in Libris & Scriptis horum authorum qui defendunt illam moralem attractionem. Planè enìm ſæpè fatentur, talem debere eſſe interiorem gratiam, ut ſi homo velit conſentiat, & illam reddat efficacem, ſi autem nolit, non conſentiat,

conſentiat, & illam inefficacem conſtituat.

Minor autem expreſsè habetur in S. Auguſtino *Epiſt. 107. ad Vitalem.* a quæ eſt celebris in hâc materiâ, in cujus principio, ità contrà Vitalem dicit: *Et ad hoc, cùm audieris, quia eſt ergò quod ait Apoſtolus* b: *Deus operatur in nobis & velle & perficere? Reſpondes: per legem ſuam, per Scripturas ſuas Deum operari ut velimus, quas legimus, vel audimus; ſed eis conſentire vel non conſentire, ità noſtrum eſt, ut ſi velimus fiat; ſi autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus....... Quæ ſi dicis, profectò noſtris orationibus contradicis.* Et poſt pauca: c *Hæc eſt illa Pelagianorum mala, malè diffamata, meritòque reprobata, & ab ipſo etiam Pelagio, timente damnari in Orientalium Epiſcoporum judicio damnata ſententia.*

a *Nunc epiſt. 217. n. 1. col. 799.*

b *Philipp. 2. 13.*

c *Ibid. num. 4. col. 800.*

Nec ſufficit reſpondere, damnaſſe S. Auguſtinum Vitalem, quià tantùm admittebat legem & doctrinam purè exteriorem, qui dicebat, quòd ſi volumus, conſentimus, ſi nolumus, non conſentimus; non autem admiſiſſe Vitalem interiorem gratiam. Non, inquam, ſufficit hoc reſpondere. 1°. Quià, ut modò dixi, Pelagius ipſe illas interiores morales excitationes, quià dogmati ſuo non contradicebant, admiſit; undè ratione eâdem non eſt credibile illas negaſſe Vitalem Pelagij diſcipulum. Et prætereà, quià hæc reſponſio contrà litteram & contextum illius epiſtolæ procedit; quià ſtatìm ſic dicit S. Auguſtinus: d *Si ergò ita præpararet, atque ità operaretur Deus hominis voluntatem, & tantummodò legem ſuam atque doctrinam libero ejus adhiberet arbitrio, nec vocatione illâ altâ atque ſecretâ, ſic ejus ageret ſenſum, ut eidem legi atque doctrinæ accommodaret aſſenſum: proculdubio eam legere, vel intelligere legendo, vel etiam exponere, ac prædicare ſufficeret.*

d *Ibid. num. 5. col. 801.*

Quibus verbis ſic in formâ arguit S. Auguſtinus contrà Vitalem. Si dicis ità Deum præparare hominis voluntatem, ut tantummodò legem ſuam atque doctrinam ejus adhibeat arbitrio, non autem ſic agat ſenſum, ut accommodet aſſenſum; proculdubio ſufficeret vel hanc doctrinam in libro legere, vel à prædicatore audire. Quæ ratio S. Auguſtini deducens ad inconveniens, vel omninò frivola eſt & ridicula, vel ſupponit Vitalem admiſiſſe illas interiores revelationes & excitationes. Aliàs ratio S. Auguſtini illa eſſet: ſi dicis Deum ità præparare hominis voluntatem per exteriorem legem atque doctrinam, & hoc ſufficeret; ergò ſufficeret lex atque doctrina. Quod eſſet idem per idem dicere, & nihil concludere. Igitur non iſta eſt S. Auguſtini ratio, ſed iſta eſt efficaciter concludens: ſi dicis Deum præparare hominis voluntatem, interiùs adhibendo ejus arbitrio legem ſuam atque doctrinam, oſtendentem, ſuadentem, & excitantem; proculdubio ſufficeret hanc doctrinam vel in libro legere, vel à prædicatore audire; quià idem officium faceret ſuadendo hæc exterior, ſicut illa interior: ſed damnata eſt Pelagianorum ſententia, quòd ſufficeret lex atque doctrina purè exterior, cui ſi volumus conſentimus, ſi nolumus non conſentimus; ergò etiam damnata eſt Pelagianorum ſententia, aſſerere, illas ſufficere interiores ſuaſiones & excitationes; quibus ſi volumus conſentimus, & illas reddimus efficaces; ſi autem nolumus, non conſentimus, & illas caſſas reddimus. Hæc eſt vera & contextualis ſancti Auguſtini intelligentia.

Tertiò manifeſtum eſt Pelagianos ſemper oppoſuiſſe S. Auguſtino, quòd gratia quam prædicabat, fatum conſtituebat, & liberum hominum auferebat arbitrium. Sed ſi S. Auguſtinus non conſtituebat aliam gratiam niſi illam moraliter excitantem, nullâ apparenti ratione poterant illi opponere, quòd per talem gratiam liberum auferret arbitrium; quià evidentiſſimum eſt naturali lumine rationis, per illam gratiam nullo modo arbitrium impediri. Nec adeò ſtupidi & ſtolidi

erant,

Digitized by Google

erant, ut hoc opponerent. Immò ſi hoc oppoſuerunt, ignorantiſſimus conſtituitur S. Auguſtinus, ſi non ſtatìm illis evidenter oſtendit liberum arbitrium per interiores excitationes & ſuaſiones non tolli. Igitur evidentiſſimum eſt, aliam interiorem gratiam conſtituiſſe S. Auguſtinum adversùs Pelagianos, præter illas interiores ſuaſiones & excitationes. Quod vel ſic demonſtro: ſi enìm ego affirmarem gratiam interiorem prævenientem ſolùm eſſe interiùs ſuadentem & moraliter excitantem, nunquid opponerent RR. PP. mihi, quòd per talem gratiam liberum hominis auferrem arbitrium? Nullo modo. Igitur vel in hoc videant, nec S. Auguſtino potuiſſe opponi, quòd liberum hominis auferret arbitrium, ſi tantùm illas interiores excitationes moraliter attrahentes conſtituebat. Sicut ergò antiquitùs S. Auguſtino, ità & modò nobis objicitur, quòd liberum auferamus arbitrium; quià ſicut S. Auguſtinus, ità & nos ipſum ſequentes, præter illas excitationes morales moraliter attrahentes, aliam efficaciorem gratiam prædicamus.

Alia multa omitto. Sciunt enìm Doctores in hâc causâ, ex divinis Literis, Sacris Conciliis, ac SS. Patribus formari poſſe uſque ad rationes quadraginta, ad manifeſtandum, efficaciam divinæ gratiæ non poſſe conſiſtere in illis internis ſuaſionibus tantùm moraliter attrahentibus. Inter quas non ſunt omittendæ iſtæ: quòd Defenſores harum talium excitationum apertè fatētur, efficaciam illarum non ſubdere ſibi liberum arbitrium, ſed potiùs ſubdi ipſi. Admittunt expreſsè quòd illis ſuaſionibus & excitationibus in voluntate poſitis, Deus exſpectat hominis conſenſum. Manifeſtè affirmant, quòd illis adhibitis homo inchoat ſuum motum; ità quòd non illum inchoat ex efficaciâ & virtute illarum excitationum. Sed omnia iſta omitto; quià adducta modò teſtimonia ex S. Auguſtino ſatis evidenter demonſtrant intentam Concluſionem: quòd, videlicèt, Deus ſuâ efficaci gratiâ movet hominis voluntatem, non ſolùm interiùs ſuadendo, invitando, excitando, aut aliter moraliter attrahendo.

Sit jàm ſecunda Concluſio: Deus ſuâ efficaci gratiâ movet hominis voluntatem ad actus liberos bonos, & interiùs ſuadendo, invitando, excitando moraliter, & etiam verè & activè propriè efficiendo, ut liberum arbitrium infallibiliter conſentiat, ſalvâ in omnibus ejus libertate: & hæc efficacia gratiæ convenienter phyſicè prædeterminare dicitur. Et quià RR. PP. jàm non inſiſtunt in voce *phyſica prædeterminatio*, ſed in re ipsâ; ideò de re agam juxtà propoſitam Concluſionem.

Concluſio iſta ſicut verè Catholica, inter duos extremos errores verſatur media, inter Pelagianorum ex unâ parte, & Lutheranorum ac Calviniſtarum ex aliâ. Pelagiani enìm, ut dictum eſt modò, tantùm ex parte gratiæ prævenientis conſtituebant illas excitationes moraliter attrahentes. Calviniſtæ verò admittunt Deum movere efficaciter tantùm ſine excitationibus moralibus. Concluſio autem contrà Pelagianos admittit ſuprà excitationes morales, veram efficaciam prævenientis gratiæ. Et contrà Calviniſtas, dicit eſſe neceſſarias cum efficaciâ illas etiam morales excitationes. Prætereà Pelagiani per illas morales tantùm excitationes veram efficaciam gratiæ negabant, & liberum hominis præcipitabant arbitrium. Calviniſtæ verò per illam efficaciam gratiæ ſine moralibus excitationibus, dicunt Deum ità movere arbitrium hominis, ſicut ſeſſor equum movet. Cæterùm Concluſio utroſque errores ſimùl damnans, & contrà Pelagianos veram efficaciam gratiæ defendit, & contrà Calviniſtas liberum hominis defendit arbitrium, dicens: Deum ità movere, ut homo liberrimè, liberrimè, liberrimè, inquam, conſentiat.

Prædictam Concluſionem poteram probare ex antiquioribus Conciliis & Summis

Digitized by Google

Summis Pontificibus ; ſed quià ſæpè inducta ſunt, unum tantùm Cæleſtinum I. proponam, qui his antiquis temporibus tàm glorioſus in Eccleſiâ nominatur, propter Decretalem illam, quam adversùs Semipelagianos publicavit. In eâ enìm poſtquàm S. Auguſtini doctrinam, ſui ſicut Prædeceſſores fecerant approbavit, & poſtquàm efficaciam prævenientis gratiæ definivit, tùm aliis, tùm illis verbis : *quòd nemo, niſi per Chriſtum, libero benè utatur arbitrio* a ; ſtatìm reſpondens pro S. Auguſtino illi objectioni, quam illi Pelagiani opponebant, quòd, videlicèt, liberum hominis auferret arbitrium, huic, inquam, objectioni reſpondens, & S. Auguſtinum ab illâ calumniâ defendens, ſic aït : a *Quo utiquè auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, ſed liberatur ; ut de tenebroſo lucidum, de pravo rectum de languido ſanum, de imprudente ſit providum.*

a *In App. tom. 10. Op. S. Auguſt. capp. 7. & 12. coll. 133. & 134.*

Poteram inducere univerſam S. Auguſtini doctrinam ; ſed unum tantùm dicam. S. Auguſtinus ſæpè in ſuâ doctrinâ contrà Pelagianos dicit : quòd Deus *inflectit liberum arbitrium ad conſentiendum*; quòd *illud immutat*; quòd *illud transfert ab indignatione in lenitatē*; quòd *facit ut invictiſſimè quod bonum eſt velit*; quòd *facit ut inſuperabiliter & indeclinabiliter operetur*: ſed iſta, etiamſi homo velit, non poſſunt intelligi, immò nec percipi, ſine verâ & propriâ motione phyſicâ, quâ Deus moveat infallibiliter liberum arbitrium ad conſentiendum : ergò Deus ità liberum arbitrium movet. Inſuper S. Thomas *q. 6. de malo art. unico*, aliis ſimilibus verbis utitur dicens : *Deus immutabiliter movet arbitrium propter efficaciam moventis.* Iſtæ ergò quatuor voces, deſumptæ ex SS. Eccleſiæ Doctoribus notandæ ſunt valdè : *Deus movet & inflectit ac tranſmutat liberum hominis arbitrium immobiliter, inſuperabiliter, indeclinabiliter, faciens quòd arbitrium invictiſſimè quod bonum eſt velit.* Quæ certè voces efficaciores ſunt & ſtrictiores, quàm *movere activè propriè, ſeu motione phyſicâ.*

Præterea S. Thomas *q. 3. de malo art. 3.* inquirit : *An Diabolus ſit cauſa peccati ?* & conſtituit hanc Concluſionem: *Non eſt per ſe & directè cauſa peccati.* Et probat ; *quià tantùm eſt cauſa peccati ſuadens interiùs, excitans, atque invitans.* In quo loco hanc tradit doctrinam : Cauſa movens aliam ad agendum eſt multiplex : alia enìm eſt conſilians, ſuadens, præcipiens ; alia eſt perficiens. Et iſta perficiens eſt vera & propria cauſa ; quià vera & propria cauſa eſt, ad quam ſequitur effectus ; ad cauſam autem moraliter attrahentem, non ſequitur effectus, ſed ad perficientem ; ergò cauſa moraliter attrahens non eſt verè & propriè cauſa ; ſed illa eſt verè & propriè cauſa, quæ ità efficit, ut illam ſequatur effectus.

Sed omnibus iſtis omiſſis, Concluſio propoſita probatur ex Sacro Concilio Tridentino, in quo habetur expreſsè ; ſic enìm legitur *Seſſ. 6. cap. 5. de juſtific. Declarat præterea ipſius juſtificationis exordium in adultis à Deo per Jeſum Chriſtum præveniente gratiâ ſumendum eſſe, hoc eſt, ab ejus vocatione, quâ nullis exiſtentibus eorum meritis vocantur, ut, qui per peccata à Deo averſi erant, per ejus excitantem & adjuvantem gratiam, ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando, diſponantur.* Quibus verbis Sacrum Concilium apertè loquitur de gratiâ efficaci præveniente ; quià loquitur de gratiâ præveniente, quæ eſt exordium juſtificationis ; iſta autem potiſſima eſt gratia efficax. Item quià *in fine Capitis* ità concludit : *Undè in Sacris Litteris, cùm dicitur :* b *convertimini ad me, & ego convertar ad vos ; libertatis noſtræ admonemur. Cùm autem reſpondemus :* c *converte nos Domine ad te & convertemur ; Dei nos gratiâ præveniri confitemur.* Sed gratia præveniens ità nos convertens, quòd de factò nos convertimur, eſt gratia præveniens efficax. Ergò potiſſimè, ſi jàm non ſolùm, loquitur de gratiâ præveniente efficaci.

b *Zach. 1. 3.*

c *Thren. 5. 21.*

Digitized by Google

efficaci. Quod in Concilio eſt apertiſſimum.

Hanc autem prævenientem gratiam efficacem docet eſſe Dei vocationem; & hanc efficacem & prævenientem Dei vocationem apertè docet eſſe excitantem & adjuvantem ſimùl: ergò gratia adjuvans pertinet ad prævenientem, ſecundùm expreſſa verba Concilij: ergò præveniens, quatenùs præveniens, non eſt ſolùm excitans, ſuadens, alliciens, & invitans moraliter, ut Molina, & qui ejus defendunt ſententiam affirmant. Certè ideò hoc eſt evidens in Concilio, quòd gratia adjuvans teneat ſe ex parte gratiæ prævenientis, ut mirandum ſit, quomodò viri docti poſſunt de hoc dubitare. Admittendo autem cum Concilio gratiam prævenientem efficacem eſſe adjuvãtem, totaliter ſententia Molinæ, & eorum qui ſequuntur ejus ſententiam, excluditur.

Sed clariùs idem Concilium in Regulis fidei hoc docet. Poſtquàm enim *in can. 1.* definivit adversùs Pelagianos, non ſufficere ad juſtificationem opera naturæ, nec doctrinam legis; & poſtquàm *in 2. can.* contrà eoſdem definivit, gratiam non ad faciliùs, ſed ſimpliciter eſſe ad juſtificationem neceſſariam: ſtatìm *in 3. can.* alium damnat Pelagianorum errorem, ità definiens: *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritûs Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Quibus verbis contrà Pelagianos definit, eſſe neceſſarium, ſuprà inſpirationem moraliter attrahentem, verum adjutoriũ faciens facere. Quod adjutorium verum negabant Pelagiani. Et hoc adjutorium docet pertinere ad gratiam prævenientem. Igitur præveniens gratia, non ſolùm eſt excitans vel inſpirans moraliter, ſed etiam verè & activè propriè adjuvans.

Poſtquàm autem Concilium omnes exſtirpavit Pelagianorum errores, utpotè quod in his tribus regulis fidei omnia antiqua Concilia atque decreta contrà ipſos confirmavit, poſtquàm, inquam, contrà Pelagianos hanc Catholicam veritatem fundavit, videlicèt, prævenientem, & antecedentem gratiam eſſe non ſolùm moraliter excitantem, ſed verè & propriè adjuvantem: videns noſtri temporis hæreticos Lutheranos & Calviniſtas admittere quidem Deum efficaciter movere hominis voluntatem; ſed tamen hanc prævenientem & efficacem motionem lædere ipſius libertatem; ſtatìm adverſùs eos ità definit *in can. 4. Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, nihil cooperari, aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, quoad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat ac præparet, neque poſſe diſſentire, ſi velit; ſed veluti inanime quoddam nihil omninò agere, merèque paſſivè ſe habere: anathema ſit.* Quod *in cap. 5.* & *can. 3.* præmiſerat, prævenientem gratiam eſſe non ſolùm excitantem, ſed etiam adjuvantem, nunc dicit eſſe excitantem atque moventem. *Excitatum*, inquit, *& motum.* Ubì antequàm ipſos Lutheranos & Calviniſtas damnet, veritatem quam contrà Pelagianos definierat, iterùm confirmat, docens liberum arbitrium non ſolùm excitari à Deo, ſed verè ab ipſo moveri. Propterea dixit *excitatum & motum.*

Itaque ſecundùm Concilium, non ſolùm liberum hominis arbitrium eſt à Deo excitatum moraliter, ſed etiam verè & propriè motum. Quòd enìm per verbum *motum* additum ſuprà *excitatum* intelligat Concilium veram & propriam ac phyſicam motionem, omnia iſta clariùs manifeſtant. Primò quià *motum* in ſuâ ſignificatione hoc ſignificat, videlicèt, motionem veram & propriam. Secundò quià *motum* additum ſuper *excitatum* apertè monſtrat procedere de verâ & activâ propriâ motione. Si enìm per verbum *motum* intelligit motionem moraliter attrahentem; cùm iſta moralis motio ſufficientiſſimè ſignificetur per verbum *excitatum*, ex ſuperfluo ſuperadderetur hoc verbum *motum.* Quod dici nullo modo poteſt. Præterea ſi

Digitized by Google

per verbum *motum* intelligit tantùm moralem motionem, proculdubio frivola videretur Concilij definitio. Nam tunc ſenſus eſſet : ſi quis dixerit liberum arbitrium à Deo excitatum & ſuaſum, non poſſe diſſentire ſi velit, aut eſſe inanime quoddam, vel merè paſſivè ſe habere : anathema ſit. Quod certè contrà neminem finiret. Nullus enìm Lutheranorum & Calviniſtarum immò nec ullus ratione utens, dixit liberum hominis arbitrium excitatum & ſuaſum non poſſe diſſentire, ſi velit, aut eſſe inanime, vel merè paſſivè ſe habere. Non ergò eſt iſta Concilij definitio, nec eſſe poteſt. Ergò per verbum *motum* non intelligit ſuaſiones illas morales, ſed veram & activam propriam motionem, facientem liberum arbitrium infallibiliter operari : ex quâ cum aliquâ apparenti ratione deducebant Lutherani & Calviniſtæ, quòd liberum hominis impediebatur arbitrium.

Itèm quià PP. RR., cum quibus diſputatur, ſi ſuis dictis ſtare velint, hoc eodem modo debent & ipſi Concilium intelligere & interpretari. Nàm explicantes Concilium Florentinum & alia Concilia, quæ docent Sacramenta novæ legis eſſe cauſas gratiæ, ità dicunt : Concilia affirmant Sacramenta novæ legis eſſe cauſam gratiæ ; ſed cauſare moraliter, non eſt verè cauſare ; ergò non intelliguntur de cauſalitate morali, ſed de verâ phyſicâ & activâ propriâ cauſalitate. Eodem modo ergò eorum ſic formatur ratio. Concilium Tridentinum apertè docet, liberum hominis arbitrium eſſe à Deo excitatum & motum ; ſed eſſe motum tantùm moraliter, non eſt verè eſſe motum ; ergò non intelligit Concilium de motione morali, ſed de verâ & activâ propriâ ac phyſicâ motione.

Igitur Concilium ex duobus quæ Calviniſtæ dicebant ; alterum verum, quòd, videlicèt, liberum arbitrium ſit verè à Deo motum ; alterum falſiſſimum, quòd taliter motum libertatem non haberet : illud verum firmat, & docet contrà Pelagianos, dicens : liberum arbitrium eſſe à Deo non ſolùm excitatum moraliter, ſed verè & activè propriè motum : alterum verò falſum condemnat, cùm dicit : ſi quis dixerit liberum arbitrium ità à Deo excitatum & motum nihil cooperari Deo excitanti atque vocanti ; anathema ſit. Hoc enìm eſt primum quod definit ; ergò definit, quòd liberum arbitrium motum à Deo & excitatum ſemper cooperatur. Quod dicit contrà Lutherum, qui dicebat arbitrium nihil cooperari, ſed habere ſe merè paſſivè, vel ut inanime quoddam. Rursùs contrà Calvinum, qui dicebat, liberum arbitrium à Deo motum cooperari quidem, ſed ſpontaneè & ſine libertate quâ poſſit diſſentire, ſi velit, ſic definit : ſi quis dixerit liberum arbitrium à Deo excitatum & motum nihil cooperari, nec poſſe diſſentire, ſi velit : anathema ſit. Ergò apertè definit, quòd liberum hominis arbitrium à Deo excitatum & motum, ità ſemper cooperatur conſentiendo, quòd tamen poteſt diſſentire, ſi velit. In quo conſervat perfectè hominis libertatem contrà Calvinum.

In iſto Canone apertiùs definit Concilium in quo conſiſtat hominis libertas, quòd, videlicèt, in hoc conſiſtit, quòd licèt ſit excitatum, & ità efficaciter motum, ut ſemper Deo conſentiat, potentiam tamen liberam habet ad diſſentiendum, ſi velit. Ideò ſemper in ipſo libero arbitrio manet potentia libera, & ſemper ejus conſervatur libertas. Explicatur hoc magìs. Nàm quandò ipſa voluntas vult, dùm actualiter vult, certum eſt quòd habeat potentiam liberam ad non volendum, nec enìm per hoc quòd vult, potentiam liberam, quam ante habebat ad non volendum, à ſe abſtulit : igitur adhuc dùm vult, abſolutè & ſimpliciter habet potentiam liberam ad non volendum ; & in hoc plena ipſius ſalvatur libertas. Cum quo tamen ſtat, quòd voluntas, dùm vult, non habet potentiam liberam ad ſimùl volendum & non volendum ; nec habet potentiam liberam ad conjungendum

dum

Digitized by Google

dum hæc duo ſimùl: vult & non vult; quià iſta eſſet potentia ad contradictoria ſimùl facienda, ad quod tamen nulla potentia eſt; nec hominis libertas conſiſtere poteſt in hoc, quòd habeat potentiam ad illa contradictoria & repugnantia ſimùl conjungenda. Sic ergò licèt liberum arbitrium à Deo motum efficaciter & excitatum, non habeat potentiam liberam ad iſta duo ſimùl componenda atque conjungenda: liberum arbitrium eſt à Deo motum ad conſenſum, & non conſentit; nec in hoc conſiſtere poſſit hominum libertas; quià eſſet duo contraria ſimùl conjungere, videlicèt, efficax auxilium ad conſenſum, & diſſenſum ipſum: habet tamen liberum arbitrium à Deo motum efficaciter & excitatum, potentiam liberam ad diſſentiendum, ſi velit: & ità, abſolutè & ſimpliciter eſt dicendum, quòd poteſt diſſentire ſi velit, etiam ſic motum & excitatum, ut Concilium planè affirmat.

Nec valet reſpondere, ut PP. Societatis dicunt, quòd liberum arbitrium, quandò ſe applicat ad liberè volendum, quià ſe liberè applicavit, ideò in eo perſeverat libertas; at verò quandò efficaciter applicatur à Deo ad volendum ante omnem uſum ſuæ libertatis, non habet libertatem. Ad hoc enìm reſpondet S. Auguſtinus, ſic dicens: a *Magìs habet Omnipotens in poteſtate ſuâ liberas hominum voluntates, quàm ipſi ſuas.* Si ergò liberæ hominum voluntates magìs ſunt in poteſtate Dei, quàm ipſorum hominum, & ipſi homines per ſuam poteſtatem ità ſe determinant ad conſenſum quòd in ipſis perſeverat potentia libera ad diſſentiendum, multò magìs hoc ipſum poterit facere Deus, ut, videlicèt, ità voluntas hominis infallibiliter conſentiat, ut tamen liberâ ſuâ voluntate conſentiat, & ità ut poſſit diſſentire, ſi velit, ſervando omnem illius libertatē.

a *Tom. 10. Lib. de corrept. & gratiâ cap. 14. n. 45. col. 775.*

Confirmatur ampliùs & explicatur ex doctrinâ S. Thomæ *ex q. 23. de veritate art. 5.* ubì hanc regulam tradit: quòd licèt, cùm Deus vult aliquid ab homine fieri, non ſtet ſimùl quòd illud non fiat; benè tamen ſtat potentia ad illud non faciendum: in quâ potentiâ formaliter conſiſtit libertas. Quod magìs explicans S. Thomas *1. 2. q. 10. art. 4. ad 3.* ità dicit: *Ad tertium dicendum, quòd ſi Deus movet voluntatem ad aliquid, impoſſibile eſt huic poſitioni, quòd voluntas ad illud non moveatur: non tamen eſt impoſſibile ſimpliciter. Undè non ſequitur, quòd voluntas à Deo ex neceſſitate moveatur.* Ecce S. Thomas apertè docet cum libertate voluntatis optimè ſtare, quòd ſi Deus illam movet, impoſſibile ſit poni quod non moveatur. Itaque quamvìs ſit impoſſibile conjungere iſta duo: Deus voluntatem movet, & ipſa non movetur; cum hoc tamen optimè ſtat libertas voluntatis, quâ poteſt non moveri. Ex quo loco videtur deſumpta Concilij Tridentini doctrina citato Canone, cum definit: liberum arbitrium à Deo motum & excitatum ità cooperari, ut poſſit diſſentire ſi velit. Concilium enìm Sacrum valdè doctrinam S. Thomæ honoravit.

Similiter S. Thomas *eâd. 1. 2. q. 112. art. 3.* hæc verba dicit: *Alio modo poteſt conſiderari ſecundùm quòd eſt à Deo movente; & tunc habet neceſſitatem ad id ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, ſed infallibilitatis: quià intentio Dei deficere non poteſt.* Ubì cum libertate humanâ, quam habet homo cùm ex auxilio ſe præparat ad gratiam, dicit eſſe neceſſarium neceſſitate infallibilitatis, quòd homo ſe præparet, ſi ad id movetur à Deo: quià intentio Dei deficere non poteſt. Et *2. 2. q. 24. art. 11.* expreſsè dicit: non ſtare quòd Spiritus Sanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & quòd ipſe charitatem amittat peccando: cum quo tamen optimè ſtat, quòd poſſit charitatem amittere, ſi velit. Igitur ſecundùm S. Thomam, libertas voluntatis non conſiſtit in hoc, quòd ità moveatur à Deo, quòd de facto non moveatur, vel quòd de facto non conſentiat; ſed in hoc, quòd poſſit diſſentire, ſi velit, licèt dùm à Deo movetur ad conſenſum, non ſtet ſimùl

Digitized by Google

quòd diſſentiat.

Explicatur magìs in quo libertas conſiſtat. Immò id explicavit optimè S. Auguſtinus *Lib. de corrept. & grat. cap. 8.* Explicando enìm illud dictum à Chriſto Domino Apoſtolo Petro: a *Petre, ego rogavi pro te, nè deficiat fides tua*, ſic dicit: b *An audebis dicere etiam rogante Chriſto nè deficeret fides Petri, defecturam fuiſſe, ſi Petrus eam deficere voluiſſet, hoc eſt, ſi eam uſque in finem perſeverare noluiſſet?* nullo modo, inquit S. Auguſtinus, propter efficaciam orationis Chriſti erat aliquandò defectura Petri fides. Proſequitur S. Auguſtinus: Quamvis hæc Petri fides nunquàm eſſet defectura, nunquid ſi Petrus vellet à fide deficere, non deficeret? Undè, inquit S. Doctor, hæc conditionalis eſt vera: quòd ſi Petrus vellet à fide deficere, deficeret. Quid ergò rogavit Chriſtus pro Petro, ſuppoſito, quòd ſi Petrus vellet deficere à fide deficeret? *Quid rogavit*, inquit S. Doctor, *niſi ut haberet Petrus liberrimam in fide, fortiſſimam, inviciſſimam, perſeverantiſſimam voluntatem?* Ecce S. Auguſtinus in liberrimâ voluntate Petri, quâ liberè credebat, jungit iſta duo: quòd, videlicet, poſt Chriſti orationem nunquàm erat defectura fides Petri, ſed quòd fortiſſimè & invictiſſimè erat perſeveratura; & tamen Petrus habebat liberrimam voluntatem, quâ, ſi vellet, poterat à fide deficere. Sed efficacia gratiæ ob meritum orationis Chriſti fecit, ut nunquàm vellet deſerere fidem, ſed illam vellet ſemper liberrimè conſervare.

a Luc. 22. 32.

b Tom. 10. n. 17. col. 759.

Explicatur hoc magìs. Nàm ſententia eſt Sanctorum, quòd ideò cum efficaciâ motionis Dei conſervatur noſtra libertas, quià Deus movet noſtram voluntatem juxtà ſuum proprium modum: movere autem illam ſecundùm ſuum proprium modum, utiidem Sancti dicunt, eſt quòd Deus moveat & cauſet non ſolùm actum voluntatis quòad ſubſtantiam, ſed etiam quòad proprium modum libertatis ipſius; ità quòd Deus eſt cauſa actûs voluntatis, & omnis modi & conditionis & libertatis illius. Cùm ergò Deus moveat voluntatem, non ſolùm ut agat, ſed ut liberè agat; quomodò eſt poſſibile, quòd ejus tollat aut impediat libertatem, cùm potiùs illam cauſet? Hæc ſolutio eſt fundamentalis in hâc materiâ, & à SS. Doctoribus datur, qui illam didicerunt ex Apoſtolo Petro diſputante contrà Simonem Magum in hâc almâ Urbe. Cùm enìm Magus ille opponeret S. Petro: quòd ſi omnia, quæ Deus vult, fiunt, omnia eveniunt ex neceſſitate, & perit libertas arbitrij; Sanctus Petrus illi reſpondens aït: quædamDeus vult quòd fiant neceſſariò,& neceſſariò fiunt, ſicùt Deus vult; & quædam vult quòd fiant contingenter & liberè, & contingenter & liberè fiunt, ſicùt Deus vult. Itaque Deus eſt cauſa quòd volũtas velit,& liberè velit.

Nec ſufficit dicere: quòd voluntati Dei nullus reſiſtit, & ſic quòd neceſſariò operetur. Ad hoc enìm argumentum S. Thomas *1. p. q. 19. art. 8. ad 2.* dicit: quòd potiùs probat totum contrarium. Itaque ex hoc eodem principio, quòd auxilium gratiæ eſt efficax, & quòd ſemper homo motus ab ipſo operatur, ità quòd nunquàm ei reſiſtit, ex quo aliqui colligunt tolli hominis libertatem; ex eodem, inquam, principio docet S. Thomas, quòd ſequitur ſtabiliri & fundari libertatem. Quod ſic demonſtrat: voluntati Dei vel ejus efficaci auxilio nullus reſiſtit; ſed Deus vult quòd homo operetur, & liberè operetur; ergò homo operatur, & liberè operatur; & ſi ſine libertate operaretur, potiùs divinæ voluntati reſiſteret: quod eſt impoſſibile. In hoc ergò conſiſtit libertas, quòd licèt ſemper arbitrium à Deo motum operetur, operatur tamen liberè, habens verè potentiam liberam, quâ poteſt non operari, ſi velit.

Explicatur magìs quomodò Deus moveat voluntatem juxtà ſuum proprium modum, & quomodò ſit cauſa ſubſtantiæ & modi ipſius. Deus cùm vult voluntatem ad aliquid efficaciter movere, priùs agit in intellectum, & illum

Digitized by Google

illum illuminat de indifferentiâ obje-ᴄti; & intellectus apprehendens in bono quod debet proponere voluntati, indifferentiam & nullam abſolutam neceſſitatem, voluntati practicè per judicium rationis proponit, objectum illud non eſſe ex neceſſitate amandum, nec habere neceſſitatem, ut neceſſariò ametur; ſed habere indifferentiam, ità ut poſſit amari & non amari: licèt moveat ipſam ut illud amet: ſtante autem hâc indifferentiâ ex parte objecti propoſiti per intellectum, impoſſibile eſt voluntatem velle neceſſariò objectum tale; ſed illud liberè vult, ſicùt ſibi per intellectum proponitur. Quià licèt formalis libertas in actu voluntatis conſiſtat, radix tamen omnis libertatis eſt in intellectu; & poſitâ illâ indifferentiâ ex parte intellectûs in objecto voluntatis, impoſſibile eſt quòd voluntas abſque indifferentiâ & libertate in illud feratur. Prætereà poſtquàm intellectus proponit voluntati tale objectum ſub indifferentiâ, Deus ſuâ gratiâ excitat voluntatem, allicit, invitat moraliter; in quo oſtendit voluntatem liberè moveri; quià hujuſmodi invitationes & excitationes brutis non fiunt, ſed ſolùm hominibus libertatem habentibus. Ità quòd Deus facit delectare objectum, & cùm voluntas tùm ex parte intellectûs tùm illis excitationibus & ſuaſionibus invitata eſt, & benè allecta, inſuper Deus dat vires efficaciſſimas animæ, & illam movet, ut feratur in id quod illam tantùm delectabat: & ſic fertur voluntas cum omni plenâ ſuâ libertate ac ſi ſolâ ferretur.

In tantùm autem eſt verum, quòd optimè ſtet libertas cum efficaci Dei motione, ut etiam id Ariſtoteles, ſolo rationis lumine ductus cognoverit. Nàm *in Lib. de bonâ fortunâ*, & *Lib. Ethic. ad Eudemum*, inquirit, à quo moveatur homo ad habendum prima judicia, & primas deliberationes, ac primas liberas electiones; quià homo non ſe movet ad aliquid, niſi per deliberationem; ſed antè primam nulla eſt alia; ergò ſe movere non poteſt ad primas deliberationes & electiones. Ex aliâ autem parte dicit Ariſtoteles: omne quod fit de novo, debet habere cauſam; cùm ergò homo ſe moveat ad primas deliberationes & electiones, aliqua cauſa debet eſſe ipſum movens. Undè concludit: Igitur primum ens, quod eſt altius intellectu & voluntate, movet homines ad primas deliberationes & electiones. Ecce Ariſtoteles cognoſcit in homine electiones liberas, & liberè ab homine factas, licèt Deus efficaciter ad eas moveat; ità quòd Deus ſit cauſa, quòd homo liberè eligat. Certè docet ſtare hæc duo: & Deum hominem verè & activè propriè movere ad eligendum; & ipſum hominem eligere. Quod ſine libertate eſſe non poteſt.

Et quidem Ariſtoteles, quià primum ens cognovit infinitum in eſſentiâ & in virtute, optimè deduxit cum ejus motione ſtare hominis libertatem; quià reverâ ità eſt. Quòd ſi homines attenderent ad Dei infinitatem & omnipotentiam, de hoc non dubitarent. Undè S. Auguſtinus ad tollendum in hâc re impoſſibilitatem, quam aliqui ſibi fingebant, inter hoc quod eſt Deum movere efficaciter, & hominem liberè operari, ad omnipotentiam Dei recurrit, dicens *epiſt. 107*: [a] *Omnipotentiſſimâ facilitate convertit Deus, & volentes ex nolentibus facit.* Quaſi clariùs dicat: quod tuo ingenio, ô homo, difficile, vel impoſſibile videtur, in ordine ad Dei omnipotentiam facillimum eſt; omnipotentiſſimâ enìm voluntate convertit. Et S. Thomas *in 2m. diſt. 25.* dicit: quòd licèt Deus immutet voluntatem ex uno in aliud, tamen hoc ſuâ omnipotentiâ facit, ut id in quod mutatur liberè velit.

Quâ ratione felicis recordationis Clemens VIII. in Reſcripto ſuo, quo per XV. Capita, 122. loca S. Auguſtini ordinatiſſimè compilavit, *in Cap. 5.* comprehendens SS. Patrum doctrinam, ſic proponit: [b] Secundùm S. Auguſtinum gratia eſt efficax ex Deo ipſo, ex ejus omnipotentiâ, & dominio quod habet ſuper hominis liberum arbitrium,

[a] *Nunc 217 tom. 2. n. 24. col. 807.*

[b] *Vide ſuprà col. 11.*

arbitrium. Igitùr omnia concludendo: qui dicunt ſe non videre, quomodò cum efficaciâ auxilij prævenientis gratiæ ſtet humana libertas; & quià id non vident, ideò divinæ gratiæ efficaciam negant: advertant multa eſſe etiam lumine naturali cognita & demonſtrata, quorum tamen penetrare modum quo ſe habeant, nullus eſt qui videat; nec tamen illa negantur, aut negari poſſunt. Certum eſt enìm V. G. Deum eſſe ubique, idque lumine rationis monſtratur: at verò modum velle penetrare, ſeu videre quomodò Deus totus eſt in hâc aulâ, & totus extrà, nullus eſt qui apertè videat. Similiter, quod magìs eſt, quòd anima ſit tota in toto, & tota in quâlibet parte, ratione naturali monſtratur: & tamen modum videre, quomodò tota ſit in manu & in pede, difficillimum eſt; nec tamen propter hujuſmodi difficultatem, illud quod veriſſimum eſt, negatur.

Ad Objecta, fateor neceſſe non eſſe me reſpondere. Illud enìm primum quod dixit R. P.: à nullis ex ſuis negari, auxilium efficax prævenientis gratiæ verè & activè propriè movere voluntatem ad volendum; dici nullo modo poteſt. Omnes enìm hanc veram & propriè activam motionem negant in auxilio prævenientis gratiæ; & illas excitationes, moraliter tantùm attrahentes, conſtituunt; ut ſæpè monſtratum eſt ex ipſorum propriis Libris: & nunc ex uno loco Franciſci Suarez oſtendo. Is enìm author *Lib. 3. de auxil. cap. 5. num. 10.* expreſsè hæc verba habet, loquens de gratiæ auxilio, quatenùs præveniens eſt: *Denique tota hæc cauſalitas reducitur ad motionem finis, quæ metaphorica eſt.* Si ergò eſt motio metaphorica, quomodò eſt verè & activè propriè movens? Hoc PP. Societatis nullo modo negare poſſunt.

Quod autem dicunt illam eſſe motionem verè & activè propriè; hoc quatuor modis dixit P. R. evenire. 1°. Quià verè & activè propriè procedit à Deo. 2°. Quià eſt vera entitas, & activè propriè recepta in voluntate. 3°. Quià cum illâ Deus verè & activè propriè producit actum. 4°. Quià itèm verè & activè propriè movet voluntatem, ità tamen ut ejus ſalvetur libertas, & ità ut poſſit voluntas, vel conſentire, vel diſſentire, ſeu illam abjicere. Unde in omni illo ſenſu fatebatur movere Deum per illam verè & activè propriè: in uno ſenſu negabat illam motionem verè & activè propriè movere voluntatem; ità, videlicet, ut poſitâ entitate illius auxilij, non ſtet ſimùl ponere contrarium diſſenſum; quià hoc eſt contrà Concilium Tridentinum. Ad hoc reſpondetur; illum negare, illam motionem eſſe verè & activè propriè moventem, & ſolùm verbis id affirmare. Illa enìm eſt motio verè & activè propriè movens, ad quam infallibiliter ſequitur effectus. Si ergò ſtat diſſentire cum illâ motione, illa motio non movet voluntatem verè & activè propriè. Dico ergò, ut ex Concilio Tridentino probavi; poſitâ illâ motione divinâ per auxilium movens verè & activè propriè non ſtare ſimùl ponere contrarium diſſenſum.

Similiter quod P. R. dixit, ſe de voce *phyſica prædeterminatio* non dubitare, ſed de re ipſâ; an, videlicet, detur tale auxilium præveniens, quod ex præciſâ ratione entitatis ſuæ ità moveat voluntatem, ut repugnet cum illâ conjungere contrarium diſſenſum. Quià ipſe de voce *phyſica prædeterminatio* non dubitat, non ergò erit major difficultas de illâ, quàm de re ipſâ. Unde ad rem dico: quòd poſito auxilio gratiæ prævenientis, quatenùs præveniens eſt, repugnat ſimùl conjungere cum illo contrarium diſſenſum, quià ſic conjungere, dicit expreſsè compoſitionem duorum oppoſitorum.

Tunc P. Bartholomæus Perez, Vaſtidæ ſocius, dixit: Debet Pater dicere, an detur entitas quædam antecedens hujus quod eſt *volo*, quæ efficaciter ità movet voluntatem ad volendum, ut cum illâ non ſtet ſimùl

ponere

Digitized by Google

ponere contrarium diſſenſum? Et an entitas, ex præciſâ ſuâ ratione entitatis, ità prædeterminet ex naturâ ſuâ ad unum? Jam enim non eſſet libertas; quià voluntas jàm ſic determinata non eſſet indifferens; quià prædeterminatio illa opponitur indeterminationi & indifferentiæ voluntatis: & ſic illius tolleret indifferentiam & indeterminationem.

Ad quod F. Thomas dixit: Si P. R. attendere voluiſſet, vidiſſet me nihil aliud fundaſſe ex Concilio Tridentino, quàm debere eſſe prævenientem & antecedentem gratiam, non ſolùm moraliter excitantem, ſed etiam verè & activè propriè adjuvantem & moventem. Unde & modò dico: quòd antequàm voluntas dicat, *volo*, antecedit prioritate naturæ auxilium præveniens divinæ gratiæ, faciens quòd ipſa velit; & ità faciens, ut non ſtet ſimùl diſſentire. Nec hoc eſt contrà Concilium Tridentinum, immò eſt de illius expreſsâ mente; ut oſtendi.

Ad illud autem quod aït: ſi illa entitas auxilij ex præciſâ ratione entitatis habet determinare voluntatem? Reſpondeo: quòd non ex præciſâ ratione entitatis id habet; ſed ex reali virtute quam habet, pròut venit à Deo & à divinâ voluntate actualiter movente voluntatem ad bonum. Itaque illud auxilium non eſt permanens qualitas, ut alius Pater dixit; nec ex præciſâ ratione entitatis ſic voluntatem determinat; ſed eſt quædam actualis divina motio, quâ divina voluntas intendit efficaciter hominem ad bonum convertere: & efficaciam habet in ſuâ reali virtute & entitate; ſed non ex ſe, ſed à divinâ voluntate actualiter movente, illam habet.

Similiter quod dicit: quòd ex naturâ ſuâ determinet, æquivocationem committit, & diſtinguendum eſt. Si dicat: ex ſuâ naturâ determinat, id eſt, ſicut alia merè naturalia determinantur, negandum eſt omninò; ſi autem intelligat ex naturâ ſuæ propriæ motionis determinat, pròut eſt virtus divina, quæ à divinâ voluntate efficaciter volente per illam hominem movere, ut liberè conſentiat juxtà ſuum proprium & connaturalem modum, ſic ex ſuâ naturâ hominis voluntatem determinat, ut ipſe homo liberè ſe determinet in actu ſecundo.

Et ad argumentum factum: quià illa prædeterminatio tollit indeterminationem & indifferentiam, & ex conſequenti tollit libertatem, quæ in indifferentiâ conſiſtit; Reſpondeo: tollit indeterminationem & indifferentiam quamdam, quantùm ad actum, ſeu privativam, & potentialitatem; Concedo: tollit indeterminationem ſeu indifferentiam ſubſtantialem & eſſentialem voluntatis; Nego. Itaque duplex in voluntate noſtrâ eſt indifferentia, ſeu indeterminatio. Altera eſt ſubſtantialis & eſſentialis; & in iſtâ libertas conſiſtit; & iſta eſt potentia quæ ità unum operatur ex indifferentiâ rationis, ut poſſit aliud operari, nec ex naturâ ſuâ eſt ad unum determinata. Altera indifferentia ſeu indeterminatio eſt privativa, ſive quantùm ad actum; & iſta eſt quædam potentialitas & imperfectio voluntatis, quâ creata voluntas, antequam moveatur à Deo, æqualiter privatur omni actu, & æqualiter ſe habet ad unum vel alterum, & æqualem dicit potentiam ad utrumque; & iſta potentialitas, ſeu indifferentia privativa omnis actûs, imperfectio magna eſt in noſtrâ voluntate. Unde prima divina libertas, quæ perfectiſſima eſt, ſemper eſt in actu, & iſtam potentialem, ſeu privativam indifferentiam non habet. Igitur divina prædeterminatio in voluntate noſtrâ recepta, ſicut potentiam noſtram liberam reducit de potentialitate in actum primum, ità aufert ab illâ iſtam imperfectionem & potentialitatem, iſtamque indifferentiam privativam. Perficit autem indifferentiam eſſentialem & ſubſtantialem voluntatis; quià reducit illam de potentiâ in actum primum, ut juxtà ſuum proprium modum

Digitized by Google

modum ipſa voluntas ſe determinet in actum ſecundum, ſalvâ ejus libertate, quâ poſſit diſſentire, ſi velit; ut modò explicui.

Tunc P. Didacus Alvarez interrogavit PP. Societatis: An ipſi admitterent auxilium prævenientis gratiæ eſſe efficax, & efficaciter movere ad actum? Ad quod ipſi ſub æquivocatione reſponderunt dicentes: eſſe efficax, id eſt habere virtutem cauſativam actûs. Rursùs dicebat P. Didacus Alvarez: Suarez dicit, quòd movet tantùm moraliter. Ad quod Bartholom. Perez dicebat: ſe non defendere Suarem. Et ſic interrogationes & reſponſiones cum æquivocationibus. Etiam D. Archiepiſcopus Armachanus, & D. Archiepiſcopus Rada petebant: An efficacia gratiæ eſſet efficaciter movens? Et ad hoc ſuis æquivocationibus PP. Societatis reſpondebant: quòd erat infallibiliter movens; intelligebant enìm per ſuam mediam ſcientiam præſuppoſitam.

Tunc F. Thomas licentiam à Sanctiſſimo petens, dixit: interrogabo & ego aliquid, & auferam omnes æquivocationes. Unde ſic interrogavit: Auxilium prævenientis gratiæ, nullâ præſuppoſitâ ſcientiâ mediâ ſeu conditionatâ, facit nos invictiſſimè & indeclinabiliter facere vel non?

Tunc PP. Societatis: non datur auxilium tale.

Tunc F. Thomas: diſcooperui æquivocationes; auxilium autem præſupponens illam mediam ſcientiam ex homine ipſo habet efficaciam, & non ex Deo ipſo.

P. autem Vaſtida dicebat: quòd auxilium ſortiatur effectum, habet ex hominis voluntate, quià dicit ordinem ad actum liberum voluntatis; nec poteſt intelligi ſine iſto ordine.

Ad quod F. Thomas: Auxilium dicit ordinem ad actum liberum, ſicut ad effectum, non tamen ſicut ad id à quo in ſuâ efficaciâ & virtute dependet. Effectus enìm ipſe eſt qui dependet à voluntate. At verò quòd auxilium efficax ſit, à voluntate non dependet. Legebat etiam F. Thomas Molinam aſſerentem auxilium eſſe efficax ab effectu, quià voluntas vult; & non eſſe efficax ex Deo ipſo, ſed ex homine.

Ad quod PP. Societatis dicebant: ideò Molinam hoc dicere, quià negat auxilium phyſicè prædeterminans, quod conſtituit M. Bannez, quòd illi homo non poteſt reſiſtere; contrà expreſſam ſententiam Concilij Tridentini.

Ad quod F. Thomas dicebat: Dominicus Bannez dicit, quòd homo non poteſt reſiſtere *in ſenſu compoſito* auxilio efficaci; ità quòd iſta duo ſunt incompoſſibilia, Deus efficaciter movet, & voluntas non movetur. Iſte eſt compoſitus ſenſus, quem Dominicus Bannez ſæpè expreſsè tradit.

Tunc Vaſtida: Eſt verum, quòd in aliquibus locis ità loquitur de ſenſu compoſito; ſed in hâc parte abſolutè dicit: quòd non poteſt homo reſiſtere auxilio Dei efficaci, contrà expreſſam definitionem Concilij Tridentini.

Ad quod F. Thomas: Quòd efficaci auxilio voluntas reſiſtere non poſſit in ſenſu compoſito explicato, ità quòd ſit incompoſſibile efficaciam gratiæ, & ſimùl diſſenſum conjungere, ut Dominicus Bannez dicit, eſt expreſſa ſententia S. Thomæ *1. 2. q. 10. art. 4. ad 3.* ubì hæc verba habet: *Si Deus movet voluntatem ad aliquid, impoſſibile eſt huic poſitioni quòd voluntas ad illud non moveatur. Non tamen eſt impoſſibile ſimpliciter. Undè non ſequitur, quòd voluntas à Deo ex neceſſitate moveatur.* Et item *1. 2. q. 112. art. 3. in corp.* aït: *quòd præparatio hominis ad gratiam ſecundùm quòd eſt à Deo movente, habet neceſſitatem ad id ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, ſed infallibilitatis.* Quid clariùs? Et *2. 2. q. 24. de charitate art. 11.* dicit: quòd Spiritus Sanctus movens hominem ad diligendum Deum infallibiliter operatur quodcunque vult. Unde, aït S. Doctor, impoſſibile eſt, hæc duo eſſe ſimùl vera; quòd Spiritus Sanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & quòd

Digitized by Google

& quòd ipſe charitatem amittat peccando. Et *q. 23. de verit. art. 5. ad 3.* ità aït : *Ad tertium dicendum : quòd quamvìs non eſſe effectus divinæ voluntatis non poſſit ſimùl ſtare cum divinâ voluntate ; tamen potentia deficiendi effectum ſimùl ſtat cum divinâ voluntate ; non enìm iſta ſunt incompoſſibilia : Deus vult iſtum ſalvari, & iſte poteſt damnari. Sed iſta ſunt incompoſſibilia : Deus vult iſtum ſalvari, & iſte damnatur.* Igitur manifeſtùm eſt in ſenſu compoſito non eſſe poſſibile, quòd Deus moveat, & iſte non moveatur, quòd Deus velit, & illi homo reſiſtat. Et hoc dicit Dominicus Bannez.

Ad id autem quod PP. Societatis opponunt : quòd Dominicus Bannez in loco citato abſolutè protulit, hominem non poſſe reſiſtere, dico : quòd in aliis locis ſe expreſsè explicavit. Quod ſufficit. Secundò dico : quòd ſi PP. RR. hanc propoſitionem abſolutè prolatam, homo non poteſt reſiſtere divinæ voluntati, reprehendunt; reprehendant etiam illam in divinâ Scripturâ, in quâ expreſsè habetur : a *Nec eſt, qui tuæ poſſit reſiſtere voluntati.* Quod & in aliis Scripturæ locis invenitur expreſsè. Nec iſta propoſitio, etiam abſolutè prolata, eſt aliquo modo contraria definitioni Concilij Tridentini. Concilium enìm Tridentinum ſolùm definit, quòd homo poteſt diſſentire ſi velit ; non quòd homo poteſt reſiſtere. Aliud eſt enìm poſſe diſſentire, quod Concilium definit ; & aliud poſſe Deo reſiſtere, quod Scriptura negat. Quià reſiſtere, ſi fiat ſermo de propriâ reſiſtentiâ, nulla creatura poteſt Deo ; nec eſt, aut eſſe poteſt in creaturâ potentia ad reſiſtendum Deo volenti aliquid efficaciter ; nec in hoc libertas conſiſtit, aut conſiſtere poteſt. Immò univerſi Theologi affirmant in creaturâ non ſolùm non eſſe potentiam ad reſiſtendum propriè Deo ; ſed in omni creaturâ eſſe potentiam obedientialem ad obediendum Deo volenti facere quidquid voluerit in eâ. Et loquendo de hâc propriâ reſiſtentiâ, docet Scriptura, quòd nullus poteſt divinæ reſiſtere voluntati. Qui enìm poteſt alteri reſiſtere, oportet quòd habeat æquales vires cum illo. Quod quomodò poteſt creaturæ convenire reſpectu Dei ? Cæterùm poſſe diſſentire abſolutè ſecundùm fidem concedendum eſt ; quià in hoc conſiſtit humana libertas. At poſſe diſſentire non eſt poſſe reſiſtere ; quià Deus vult, quòd creata voluntas à ſe efficaciter mota poſſit diſſentire, ſi velit. Unde per hoc quòd homo habeat hanc potentiam ad diſſentiendum, non poteſt Deo reſiſtere ; quià ipſe Deus vult, quòd habeat talem potentiam ad diſſentiendum. Cæterùm non vult Deus, quòd creatura habeat potentiam ad ſibi reſiſtendum. Unde illam creatura non habet, nec habere poteſt. Oportet ergò diſtinguere de poſſe diſſentire, & poſſe reſiſtere. Verum eſt eſſe contrà hoc quamdam objectionem....

a Eſther. 13. 9.

Tunc interrumpens Vaſtida, aït : hanc objectionem ego proponam. Et legens Concilium Senonenſe, aït : Concilium dicit, quòd auxilio Dei poteſt reſiſti ; ergò contrà Concilium Senonenſe eſt dicere, quòd homo non poteſt reſiſtere. Illud autem quod aït Scriptura, procedit de voluntate Dei, quòd voluntati Dei nemo poteſt reſiſtere ; at verò auxilio ejus poteſt reſiſti. Immò dicebat : quòd Concilium adducit teſtimonia Scripturæ, ad probandum quòd auxilio cuicunque de facto reſiſtatur ; quià adducit illud : b *quoties volui congregare filios tuos, quemadmodùm gallina congregat pullos ſuos ſub alas ; & noluiſti ?* Et illud ; c *Vos Spiritui Sancto ſemper reſiſtitis.* Similiter inducebat S. Thomam *quodlib. 1. art. 7. ad 2.* in quo legebat, quòd ſi Deus movet voluntatem ad bonum, quòd tamen poteſt huic motioni homo reſiſtere.

b Matth. 23. 37.
c Act. 7. 51.

Ad quod F. Thomas dicebat : Ad Concilium Dico 1°. quòd intelligit, quòd auxilio poteſt reſiſti in ſenſu diviſo, non compoſito ; ità quòd ſit potentia in homine ad reſiſtendum, non autem quòd ſit compoſſibile eſſe au-

 xilium

xilium efficax & reſiſtentiam. Dico 2°. quòd Concilium ſumit verbum *reſiſtere* in latâ ſignificatione, pro eo quod eſt *diſſentire*. Non enim agnoſcit eſſe in homine potentiam ad verè & propriè reſiſtendum efficaci Dei voluntati. Unde Concilium Senonenſe explicatur & declaratur per Concilium Tridentinum, quod expreſſiùs & formaliùs loquitur, dicens: quòd homo poeſt diſſentire.

Tunc P. Vaſtida: Verum eſt quòd voluntati Dei efficaci nemo poteſt reſiſtere; cæterùm auxilio poteſt reſiſtere.

Ad quod F. Thomas: Idem omninò eſt, quòd homo poſſit reſiſtere divino auxilio pròut venit à voluntate efficaci Dei, efficaciter per illud movente; & quòd poſſit reſiſtere ipſi voluntati efficaci Dei: ut eſt apertiſſimum; ergò ſi homo non poteſt reſiſtere Dei voluntati efficaci, ut admittunt, quod & Scriptura iſta docet apertè, ut monſtravi; nec poterit homo reſiſtere auxilio includenti illam voluntatem Dei efficacem. Unde de iſtâ propriâ reſiſtentiâ non poteſt intelligi Concilium Senonenſe, ut dixi.

Illud autem aliud quod aït R. P., quòd Concilium doceat, quòd etiam de facto auxilio reſiſtatur: loquitur de auxilio planè ſufficienti, non de efficaci. Quià ad hoc probandum inducit Scripturæ teſtimonia, quæ ſecundùm omnium Doctorum & Theologorum ſententiam procedunt tantùm de gratiâ ſufficiente; ergò intendit Concilium loqui de gratiâ ſufficiente pro illâ parte. Itaque Concilium in toto contextu loquitur de gratiâ ſive efficace ſive ſufficiente; & quædam applicat gratiæ ſufficienti, quædam efficaci. Gratiæ ſufficienti applicat, quòd homo eidem reſiſtere poſſit, & de facto reſiſtat; gratiæ autem efficaci quòd ei poſſit reſiſtere, in ſenſu ſcilicèt diviſo, non autem quòd de facto reſiſtat; quià hoc eſſet contrarium illi loco Apoſtoli a: *voluntati ejus quis reſiſtit?* a Rom. 9. 19.
Unde legat P. R. Concilium in fine illius inducti Capitis, & inveniet, quòd Deus movet fortiter, & ſuaviter. Ubì ponit efficaciam auxilij prævenientis, cùm aït *ſuaviter*.

Ad S. Thomam dicendum: quòd, ut conſtat ex argumento cui reſpondet, loquitur de gratiâ externâ, cui homo poteſt reſiſtere; aut de gratiâ ſufficiente, ſi ſermo ſit de propriâ reſiſtentiâ. Vel Dico 2°. quòd S. Thomas ſumit verbum *reſiſtere* in latâ ſignificatione, pròut ſonat *diſſentire*; & ſic potentiam habet homo ad reſiſtendum, id eſt, ad diſſentiendum voluntati efficaci Dei, vel auxilio efficaci illius.

Pater autem Vaſtida contendebat, quòd S. Thomas loquatur de omni motione, etiam efficaci; quià loquitur de motione, quâ homo ad gratiam de facto præparatur, quæ efficax eſt.

Ad quod F. Thomas dicebat: loquitur S. Thomas, ut patet ex argumento cui reſpondebat, de præparatione remotâ ad gratiam, quæ fit per auxilium ſufficiens. Auxilium enim quod eſt ſufficiens reſpectu juſtificationis, eſt efficax ſecundùm quid reſpectu alicujus imperfecti actûs, quem cauſat & quo homo ad gratiam præparatur. Et ſic finita fuit Congregatio, cùm per quatuor horas & dimidiam duraſſet.

CONGREG.

Habita in Monte Quirinali coràm Sanctiſſimo 26. Octobris 1605. aſſiſtentibus Illuſtriſſim. DD. Cardinalibus, & Cenſoribus deputatis. Venit Pater Vaſtida cum P. Bartholomæo Perez, ſicut in præcedentibus.

Vide Hiſt. Congreg. de Auxil. Lib. 4. cap. 8. col. 625. & ſeqq.

CONGREGATIO
QUADRAGESIMA SEU TERTIA CORAM PAULO V.

In quâ iterùm de prædeterminatione Phyſicâ eſt diſputatum; quæſitumque: nùm in Scripturâ Sacrâ fundari poſſit?

ACTUM fuit in iſtâ Congregatione de eodem Dubio, de quo in præcedenti, ad inſtantiam PP. Societatis. PP. enìm Societatis inſtanter poſtularunt à Sanctiſſimo, ſe velle diſputare in unâ Congregatione tantùm de locis Sacræ Scripturæ; in aliâ de Conciliis; in aliâ de SS. Patribus; in aliâ de Scholaſticis Doctoribus; & in aliâ de Rationibus. Ad quod Dubium P. Vaſtida, quià poſtulaverat in iſtâ tantùm agere de locis Sacræ Scripturæ, quibus intendebat probare, non dari auxilium phyſicè prædeterminans, nec quantùm ad rem ſignificatam, nec quantùm ad vocem, ideò ſic incepit.

Jàm in præcedenti Congregatione convenimus, quòd auxilium phyſicè prædeterminans, nihil eſt aliud, quàm auxilium antecedens, ità determinans voluntatem ad agendum, ut illâ entitate auxilij poſitâ antecedenter in ipsâ voluntate non ſit poſſibile conjungere contrarium diſſenſum. Hoc ergò poſito, dicebat ſe habere pluſquam quingenta Scripturæ teſtimonia; ſed omnia illa ad quatuor Capita reducebat. Primum teſtimonium adducebat ex illo Pauli: [a] *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* De quo & dicebat, quòd ad id propoſitum inducebatur à Concilio Senonenſi. Circa hoc teſtimonium, illud in primis fundabat, quòd procederet de gratiâ efficaci; quià S. Auguſtinus *Lib. de grat. & lib. arb. cap. 5.* [b] agens de vocatione efficaciſſimâ, quâ Deus Paulum convertit, hoc etiam inducit teſtimonium. Suppoſito autem, quòd de gratiâ efficaci loquatur, hortatur nè illam homines reddant vacuam; ergò illa poteſt reddi vacua per liberum hominis arbitrium; ità quòd homo illam poteſt vacuam & caſſam reddere. Et cùm in hoc probando, ſeu explicando, idem ſemper dicendo, nimiùm temporis conſumpſiſſet, Sanctiſſimus id ægrè ferens, cum animi amaritudine illum reprehendit & graviter, dicens: quòd eadem ſemper repetebat, & faſtidium generabat; præcipiens ut breviter diceret, & putaret quòd cum hominibus ſapientibus & intelligentibus loquebatur.

a 2. Cor. 6. 1.

b Tom. 10. n. 12. col. 724.

Tunc tandem prædictus Vaſtida ſic in terminis formavit argumentum: Paulus loquitur in illo teſtimonio de gratiâ, quâ poſitâ non repugnat illam inefficacem & vacuam reddi; ſed loquitur de gratiâ efficaci; ergò gratia efficax non repugnat, quòd effectu careat, & vacua reddatur. Et poſtulabat ut ad hoc argumentum in formâ ſibi reſponderetur.

Cui F. Thomas: Dicat quidquid habet dicendum, & poſteà ad omnia & ſingula de more reſpondebo.

At verò ipſe inſtabat, ut ſibi reſponderetur in formâ; quià ſic juſtum erat proponere & diſputare.

Tunc F. de Lemos, ex more omnia ad pedes Sanctiſſimi ſupponens, ſic dicebat: Dixi ſatis in præcedenti

Digitized by Google

Congregatione, qualiter Deus per auxilium efficax gratiæ hominis voluntatem movet ad actus liberos bonos, non ſolùm interiùs ſuadendo, invitando, excitando, aut aliter moraliter attrahendo; ſed etiam verè & activè propriè. Quæ fuit prima pars Dubij à Sanctitate Veſtrâ propoſiti. Unde ad præſens principaliter de re ipsâ, ſecundariò autem de voce *phyſica prædeterminatio*, de quâ expreſsè ſecunda pars Dubij procedit, hanc unicam Concluſionem conſtituo:

Deus ſuâ efficaci gratiâ præveniente, nullâ præſuppoſitâ ſcientiâ mediâ ſeu conditionatâ boni usûs noſtræ voluntatis, illam ad actus liberos bonos prædeterminat, non ſolùm interiùs ſuadendo, invitando, excitando, aut aliter moraliter attrahendo, ſed etiam verè & activè propriè movendo, & in hoc ſenſu phyſicè efficiendo, ut hominis voluntas ad eoſdem actus ſe infallibiliter determinet, non ex neceſſitate, ſed juxtà ſuum proprium modum, ſalvâ ſuâ omni libertate, quâ poteſt homo ſe non determinare ſi velit.

Itaque duplex diſtinguenda eſt omninò Phyſica prædeterminatio. Altera, quâ Deus ex neceſſitate & per modum naturæ ea prædeterminat quæ rationem & voluntatem non habent. Et iſta omninò neganda eſt in libero hominis arbitrio ſecundùm Catholicam veritatem contrà Calviniſtas; ut expreſsè illam noſtra Concluſio negat. Altera verè eſt phyſica prædeterminatio, quâ Deus, non ex neceſſitate, ſed juxtà proprium modum humanæ libertatis, hominis voluntatem prædeterminat in actu primo, ut ipſa voluntas cum omni ſuâ libertate ſe infallibiliter & liberè determinet in actu ſecundo. Et iſta quidem prædeterminatio quòad rem quidem de fide videtur, ſæpè per Concilia & Pontifices definita, ut latè in Congregatione probavi.

Quòad voces verò *phyſica prædeterminatio*, dicendum videtur: voces iſtas apertè quidem ſignificare rem antiquitùs definitam, & convenienter ab aliquibus Scholaſticis apponi in iſtâ materiâ iſtis temporibus, propter urgentem immò cogentem neceſſitatem. Quamvìs enìm quæſtio præcipua de nomine non ſit, nec unquàm principalis inſtantia de voce *phyſica prædeterminatio* facta fuerit, ſed de re ipsâ; credimus tamen, ſub correctione Sanctitatis Veſtræ, nullum falſum ſenſum continere, nullam obtinere duritiem, ſecundùm modum quo in Concluſione ſunt appoſitæ & explicatæ: nec ſolùm convenienter Scholaſticos plures illis uti, ſed valdè neceſſarias videri pro his temporibus, ad præſcindendum plurimas æquivocationes, quæ iſtis temporibus ſub aliis vocibus involvuntur & multiplicantur, quibus occultiſſimè efficacia divinæ gratiæ impugnatur. Voce enìm ſolâ dicitur, auxilium prævenientis gratiæ efficax eſſe, cùm reipsâ inefficax totaliter conſtituatur. Verbis duntaxàt profertur tale auxilium verè & activè propriè hominis voluntatem movere ad actus bonos, cùm re & ſenſu contrarium totum aſſeratur.

Admittitur quidem nomen *prædeterminatio*, ſed dicitur *moralis*, per quod vera prædeterminatio negatur. Prædeterminatio enìm moralis, vera prædeterminatio non eſt; ſicùt nec efficacia moralis, eſt vera efficacia. Immò quod majus eſt, ſolâ voce admittitur determinatio Dei phyſica, ſimùl naturâ cum voluntate, per quod jam illa vox *phyſica* admittitur, immò determinatio ſimùl naturâ; negatur autem illud *præ*, cùm dicimus *prædeterminatio*. Ideò autem illud *præ*, negatur, quià prima divina cauſalitas negatur. Negatur autem illud *præ*, quià gratia efficax præveniens negatur; & gratiam dari ſecundùm merita noſtra malè affirmatur.

Quod ut clariùs conſtet, ſummâ brevitate voces iſtæ ſunt explicandæ. Tres enìm ſunt voces iſtæ. Prima, *determinatio*. Secunda eſt illa particula ſeu præpoſitio *præ*, quæ anteponitur, cùm dicitur *prædeterminatio*. Tertia eſt illa vox *phyſica*. Et quidem

Deum

Deum determinare voluntatem, nihil aliud eſt, quàm illam movere, applicare, & inclinare ad actum. Undè S. Thomas his omnibus vocibus utitur: Deus voluntatem movet, illam applicat, inclinat, & determinat ad agendum. Illa autem præpoſitio *præ*, nihil aliud denotat aut denotare poteſt, quàm Deum eſſe priorem & primam cauſam, priùs naturâ & cauſalitate moventem, applicantem, inclinantem, & determinantem voluntatem, quàm ipſa voluntas ſe determinet; faciens proindè in illo priori rationis ut voluntas ſe liberè determinet; ità ut iſta cauſalis ſit vera: ideò voluntas ſe liberè determinat in actu ſecundo, quià priùs naturâ à Deo determinatur in actu primo. In iſtâ enim cauſali conſiſtit tota hujus materiæ difficultas, & tota quæſtionis ſubſtantia; ſicut S. Auguſtinus in iſtâ ſolâ cauſali defendendâ contrà Pelagianos per tot annos laboravit: ideò homo benè operatur & vult, quià Deus vult ipſum velle; contrà illam aliam cauſalem, quam Pelagiani dicebant: ideò Deus mecum cooperatur, quià ego cooperari volo. Tandem illa dictio *phyſica* nihil aliud ſignificat in hâc parte, niſi illam priorem & primam divinam cauſalitatem applicantem & determinantem voluntatem, eſſe verè & propriè efficientem, quòd voluntas ſe determinet; & non tantùm eſſe cauſam impropriam metaphoricè & moraliter ſuadentem. In quâ acceptione rectè ſumi verbum *phyſica* ex Concilio magno Epheſino, conſtat ſatis. Quod alibi oſtendetur.

Igitur hanc Concluſionem ſic expoſitam & explicatam, Deo juvante probabo. 1°. Juxtà præſcriptum diſputandi modum. 2°. Ex Conciliis. 3°. Ex SS. Patribus. Poſtremò ex Scholaſticis Doctoribus, & rationibus id convincentibus.

Nunc ergò ex Scripturis Sacris oſtendo hanc Concluſionem & quòad rem & quòad vocem ex Sacrâ Scripturâ evidenter deduci. Et licèt multa haberem præparata Scripturæ teſtimonia, ob brevitatem tamen, unum ſolum inducam, hoc proponendo argumentum, ut PP. Societatis reſpondeant; ſicut ego ad argumentum ab ipſis factum ſtatim reſpondebo. Scriptura Sacra expreſsè & in terminis tradit æternas divinæ voluntatis prædefinitiones & prædeterminationes, ſine illâ priori ſcientiâ mediâ ſeu conditionatâ: ſed ex talibus prædeterminationibus divinæ voluntatis per evidentem conſequentiam deducitur auxilium phyſicè prædeterminans: ergò auxilium phyſicè prædeterminans evidenter ex Scripturâ Sacrâ deducitur; undè negari non poteſt. Minor eſt evidens, & à RR. PP. expreſsè admittitur. Concedunt enìm & ipſi apertè, quod ſi ſemel admittantur æternæ divinæ voluntatis prædeterminationes ſine ſcientiâ mediâ, evidenter ſequi auxilium phyſicè prædeterminans. Major autem probatur ex illo *ad Epheſ. 3.* a *Mihi omnium Sanctorum minimo data eſt gratia hæc, in Gentibus evangelizare inveſtigabiles divitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi à ſæculis in Deo, qui omnia creavit: ut innoteſcat Principatibus & Poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam, multiformis Sapientia Dei, ſecundùm præfinitionem ſæculorum.* Ubì Apoſtolus expreſsè loquebatur de converſione Gentium futurâ in Eccleſiâ uſque ad finem ſæculi. Quam liberam Gentium converſionem in ſæculis futuram, docet apertè Paulus fuiſſe ab æterno prædeterminatam à Deo, ſecundùm ejus æternam & incommutabilem præfinitionem. Ad hoc argumentum reſpondebit R. P., poſtquàm ego reſpondero ad illud ab ipſo factum.

a Epheſ. 3. 8. &c.

Tunc Vaſtida dixit: non oportet me reſpondere; quià per multas Congregationes reſpondi: ſed ad mea argumenta neceſſe eſt reſpondere, & Pater Lemos faciat officium Reſpondentis.

Tunc F. Thomas: Si quidem ad meas rationes reſpondere recuſat, ego reſpondeo ad argumentum illius. Et in primis ex regulâ generali ex S.

Auguſtino deductâ *Lib. 2. ad Bonifac.* a Tom. 10. n. 23. col. 446. *cap. 10.* a cujus verba ſunt : *Quæ cùm ità ſint, nihil in Scripturis Sanctis homini à Domino video juberi, propter probandum liberum arbitrium, quod non inveniatur vel dari ab ejus bonitate, vel poſci, propter adjutorium gratiæ demonſtrandum.* Nihil, inquit S. Auguſtinus, præcipitur in Sacrâ Scripturâ quod non detur à Deo, vel poſtuletur ab ipſo. Undè cùm in Scripturâ præcipiat Apoſtolus, vel exhortetur nè homines recipiant in vacuum gratiam Dei; hoc ipſum à Deo poſtulatur, ut det ſuâ efficaci gratiâ, nè in vacuum gratiam Dei recipiamus.

Secunda regula eſt pro verâ intelligentiâ hujus loci jàm oppoſiti, & omnium aliorum, quæ in Scripturâ ſunt frequentiſſimè : quòd omnia illa ad hoc ponuntur in Scripturâ, ut homines oſtendantur eſſe liberi arbitrij; non autem ut efficacia divinæ voluntatis & motionis negetur; ſed cum efficaciâ auxilij optimè libertas arbitrij componatur. Hanc regulam, pro intelligendis teſtimoniis Scripturæ in hâc materiâ, tradit expreſsè S. Thomas *Lib. 3. contrà Gent. cap. 90.* Ubi poſtquàm rationibus plurimis probavit, liberas hominum voluntates ſubdi divinæ providentiæ, & per conſequens divinæ efficaci voluntati, quæ in providentiâ includitur, ità dicit : *Si igitur electiones humanæ & voluntatis motus non cadunt ſub divinâ providentiâ, ſed ſolùm exteriores proventus; verius erit, quòd res humanæ ſunt extrà providentiam, quàm quòd providentiæ ſubſint. Quod quidem ex perſonâ blaſphemantium inducitur Job 22.: Circà cardines cæli perambulat, nec noſtra conſiderat. Et Ezechielis 9.: Dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt. Et Thren. 3.: Quis eſt iſte qui dixit ut fieret Domino non jubente? Videntur autem quædam in doctrinâ ſacrâ ſecundùm prædictam ſententiam ſonare. Dicitur enim Eccleſiaſtici 15.: Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui. Et infrà : Appoſui tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei dabitur illi. Et Deuteron. 30. Conſidera quòd hodiè propoſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum, & è converſo bonum & malum. Hæc autem verba ad hoc inducuntur, ut homines eſſe liberi arbitrij oſtendantur; non ut eorum electiones à divinâ providentiâ ſubtrahantur. Et ſimiliter quod Gregorius Nyſſenus dicit in Libro quem de homine fecit: Providentia eſt eorum, quæ non ſunt in nobis; non autem eorum quæ ſunt in nobis. Et Damaſcenus eum ſequens dicit in ſecundo Libro : quòd ea quæ ſunt in nobis, Deus prænoſcit; ſed non prædeterminat: exponenda ſunt, ut intelligantur ea quæ ſunt in nobis divinæ determinationi non eſſe ſubjecta, quaſi ab eâ neceſſitatem accipientia.* Igitur quod Paulus exhortatur, nè in vacuum gratiam Dei recipiamus, ad hoc inducitur ab Apoſtolo, ut oſtendatur nos libertatem arbitrij habere, non ut intendatur, noſtras liberas electiones bonas non ſubdi efficaciæ divinæ gratiæ.

Tertiò Dico : quòd potiùs oppoſitum teſtimonium confirmat hanc veritatem de efficaciâ divinæ gratiæ, quam defendimus. Nàm poſitâ efficaci Dei motione, actualis hominis libertas ponitur; & illâ efficaci motione præviâ ſublatâ, ſicut illam Patres Societatis de medio auferunt, totaliter actualis hominum libertas de medio aufertur; ut apertiſſimè poſteà convincam. Undè etiamſi in Scripturâ Sacrâ expreſſa teſtimonia non eſſent, quæ efficaciam divinæ motionis teſtarentur; ſicut eſt illud : a *Non volentis, nec currentis, ſed Dei eſt miſerentis.* Et a Rom. 9. 16 illud : b *Omnia opera noſtra nobis operatus eſt Dominus.* Et illud : c *Ipſius eſt* b Iſ. 26. 12. *velle & perficere pro bonâ voluntate.* Et c Philipp. 2. 13. illud : d *Quid habes quod non accepiſti?* d 1. Cor. 4. 7. Inductum Pauli teſtimonium, & alia ſimilia, quæ prædicant actualem noſtram libertatem, implicitè & quoàd ſenſum tradunt efficaciam divinæ motionis, ſine quâ non exercemus noſtram propriam libertatem.

Quartò ad hominem ſic convincitur :

a 2. Cor. 6. 1. tur: Ex illo Apoſtoli teſtimonio: a *Exhortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, colligit R. P. gratiam efficacem debere eſſe talem, ut de facto ſtet illam reiicere, & in vacuum recipere; ergò ſuam propriam ſententiam oppugnant. Ipſi enìm dicunt: quòd cùm Deus ſuppoſitâ illâ mediâ ſcientiâ hominem vocat congruè, infallibile eſt hominem conſentire, nec ſtare quòd homo ſic vocatus non conſentiat. Si ergò hoc ità eſt, quòd de facto illa vocatio congrua nunquàm deficiet, nunquàm in vacuum recipietur, & Paulus ſecundùm iſtos Patres loquitur de vocatione efficaci: ipſi ergò dicant, quòd exhortatur Paulus, ne homines in vacuum recipiant illam efficacem gratiam, quæ nunquàm in vacuum recipitur, & quæ infallibiliter ſemper operatur. Ad hoc reſpondeant in ſuâ ſententiâ argumento à ſe ipſis conſtructo, quod in hunc modum conſtituerunt: Paulus loquitur de gratiâ, quâ conſtitutâ non repugnat quòd in vacuum recipiatur; ſed loquitur de gratiâ efficaci; ergò non repugnat quòd efficax gratia in vacuum recipiatur. Nàm efficax illa ſua gratia congrua repugnat quidem ex hypotheſi ex ſuppoſitione, quòd in vacuum recipiatur; ut expreſsè in ſuis libris dicunt. Igitur componant hunc locum Pauli cum hâc ſuâ ſententiâ.

His igitur omiſſis, ad argumentum in formâ reſpondeo: illud teſtimonium non loqui de gratiâ efficaci, ſed de ſufficienti. Exhortatur enìm Paulus, nè tot ſufficientia auxilia & externa & interna, ſicut ſunt Evangelij prædicationes, interiores inſpirationes &c. in vacuum homines ſuâ culpâ recipiant. Secundus ſenſus illius teſtimonij eſt, Paulum ibì loqui de gratiâ juſtificante, non de gratiâ actuali: & exhortatur ne homines ſuâ culpâ in vacuum recipiant habitualem gratiam quâ juſtificati ſunt, ab illâ per ſua peccata recedentes, & ſuſceptam gratiam in vacuum redigentes. In utroque iſto ſenſu procedit locus Apoſtoli, in quo argumentum totaliter ruit. Nego enìm minorem: quòd Paulus loquatur de gratiâ efficaciter præveniente. Tertiò & ultimò reſpondeo: quòd gratìs omninò admiſſo, & non conceſſo, quòd Apoſtolus loquatur de gratiâ efficaci; tunc ad argumentum Diſtinguo majorem: Paulus loquitur de gratiâ, quâ poſitâ non repugnat quòd deficiat, & quòd vacua reddatur; Diſtinguo: quâ poſitâ non repugnat quòd deficiat abſolutè & ſimpliciter, ſive in ſenſu diviſo; Concedo. Quâ poſitâ non repugnat quòd deficiat & vacua reddatur in ſenſu compoſito; Nego. Ad minorem: ſed loquitur de gratiâ efficaci; tranſeat, vel admitto. Ergò gratia efficax eſt talis, quòd illâ poſitâ non repugnat, quòd reddatur vacua; Diſtinguo ſicut & in majori: abſolutè & diviſè; Nego. Compoſitè; Concedo. Itaque repugnat in ſenſu compoſito quòd illa ſit efficax & quòd in vacuum recipiatur: iſte enìm eſt ſenſus compoſitus. Similiter impoſſibile eſt voluntatem moveri à tali efficaciâ gratiæ, & quòd voluntas illam reddat vacuam; ut S. Thomas verbis expreſſis docet *1. 2. q. 10. art. 4. ad 3.* Non tamen, ut ibì S. Doctor affirmat, id eſt impoſſibile ſimpliciter, ſed ſecundùm quid. Et ſic non læditur hominis libertas.

Cùm autem inſtaret Pater Vaſtida, nihil alicujus conſiderationis ſuperaddens: dixit Archiepiſcopus Armachanus: dicant Patres an ſit ſenſus illius loci Apoſtoli, quòd exhortetur homines ut non conjungant contrarium diſſenſum cum efficaciâ gratiæ.

Ad quod F. Thomas: Ad hoc nullo modo exhortatur Apoſtolus; quià conjungere contrarium diſſenſum cum efficaciâ gratiæ, non eſt factibile. Undè ad id non exhortatur Apoſtolus.

Cùm autem P. Vaſtida inſtaret in illâ ſuâ antiquâ æquivocatione de entitate auxilij, quòd ex præcisâ ratione entitatis non repugnat, quòd homo cum illâ entitate conjungat contrarium diſſenſum:

Dixit F. Thomas de Lemos: Jàm dixi in præcedenti Congregatione, & modò

modò iterùm dico;nullam quæſtionem eſſe, aut unquàm fuiſſe de auxilio in ratione præciſæ entitatis.Indubitatum eſt enìm,quòd auxilium in præcisâ entitate ſuâ, præſcindendo à divinâ volūtate quæ actualiter per illud vult hominem movere, non habet efficaciam ad movendum. Itaque ſi talis entitas auxilij ponatur in voluntate per unum diem vel horam, & divina voluntas non velit efficaciter per illud movere hominis voluntatem, tunc talis entitas auxilij nec efficaciter voluntatem moveret, nec illam determinaret magìs, quàm habitus vel alia quælibet qualitas voluntatem determinat. Et ſi illa entitas, ſeclusâ divinâ voluntate efficaciter intendente hominem movere, voluntatem phyſicè determinaret, hominis læderet libertatem; ſicut alibì Scotus affirmat. Non ergò quæſtio eſt de entitate auxilij in ratione præciſæ entitatis modò explicatæ; nec ad hanc æquivocationem debent recurrere Patres. Sed quæſtio eſt de auxilio in ratione auxilij, ſecundùm illam virtutem quam habet, pròut actualiter venit à divinâ voluntate, intendente efficaciter hominem movere. De hoc dico, quod ſemper diximus, talem actualem motionem, quâ Deus vult hominem movere, eſſe efficacem ex Deo ipſo, & pròut venit à divinâ voluntate, ſeclusâ priori ſcientiâ mediâ. Et cum tali motione divinâ, pròut actualiter provenit à divinâ voluntate, intendente hominem movere ad bonum, non ſtare ſimùl conjungere contrarium diſſenſum. Et ſub iſtis terminis fuit ſemper quæſtio tractata. Et in hoc ſenſu negat Molina & ſui Defenſores auxilium prævenientis gratiæ eſſe efficax, pròut videlicèt venit à Deo, & ex vi motionis divinæ. Et ratio eſt manifeſta: quià cùm iſtud auxilium ſit virtus divinæ voluntatis, & ſic quædam actualis divina motio, & ſic inſtrumentum divinæ voluntatis intendentis per illud hominem movere ad bonum, non ſecludit, nec ſecludere poteſt, immò ſemper eſſentialiter includit divinam voluntatem, quæ eſt agens principale, in cujus virtute operatur. Manifeſtum eſt enìm ſecundùm omnem ſcientiam, quòd cùm ſermo fit de inſtrumento in ratione actualis inſtrumenti, quòd ſemper includitur principale agens. Igitur de divinâ iſtâ motione, involvente divinam voluntatem & divinam intentionem, quæ deficere non poteſt, dicimus non ſtare, quòd homo ſimul cum illâ componat contrarium diſſenſum.

Cùm autem iterùm vellet P. Vaſtida hoc oppugnare, dixit Sanctiſſimus: *Quid inſtas ſemper in uno, quod eſt ſatis intellectum? Dicas alia. Nos enim non præcipimus iſtum modum diſputandi; ut ſic, videlicèt, ſemper inſtetur in uno: ſed tantùm quòd ſtrictè res proponantur. Undè deincepsſient Diſputationes illo modo ſicut anteà ſiebant: proponendo tamen ſemper ſtrictè & ſine digreſſione & repetitione.* Undè ſimiliter præcepit P. Vaſtidæ, ut proponeret omnia alia quæ habebat, dicens: *quòd jàm illos intelligebat, quòd vellent prolongare negotium; cùm tamen*, inquit, *nos velimus reſolvere & finire.* Hæc omnia Sanctiſſimus dixit ſuâ Italicâ linguâ.

Tunc P. Vaſtida iterùm dicebat ſe habere quingenta loca, quæ poterat inducere, ſed quòd omnia ad quatuor reducebat. Undè proponebat ſecundum Scripturæ locum ex illâ parabolâ de vineâ, in quâ Dominus vineæ conquerebatur de vineâ, quòd cùm ipſe dediſſet ei omnia ſufficientia auxilia ad hoc ut produceret uvas; & nihil ſibi deeſſet ut uvas produceret, ſi vellet, ipſa tamen fecit labruſcas. In quo teſtimonio expendebat illa verba: a *Quid ultrà debui facere vineæ meæ, & non feci?* Per quod manifeſtè declarat, quòd nihil defuit ex parte Dei ex neceſſariis, ut benè vinea illa operaretur; & tamen ſi defuiſſet illi illud auxilium phyſicè prædeterminans, jàm aliquid deeſſet de neceſſariis; nec poſſet dicere Dominus cum veritate: *Quid ultrà debui facere, & non feci?* Hæc in ſubſtantiâ circà iſtum locum proponebat,

a Iſ. 5. 4.

Digitized by Google

nebat, ſimulque dicebat: ex iſto loco colligi, quòd Deus illam vineam non prædeterminavit ad malum. Quod & exemplo deſumpto ex naturalibus declarabat. Si enim ut aliquis ſit electus in aliquam dignitatem, requiruntur vel ſunt neceſſariæ triginta voces, & ipſe tantùm habeat viginti, verùm erit dicere illum non habere id quod neceſſarium eſt ad talem electionem. Ità hoc ad præſens latè applicabat: quòd, videlicèt, cùm vineæ defuerit auxilium illud phyſicè prædeterminans & illud ſit neceſſarium ad operandum, ſine illo non habuit vinea illa quæ neceſſaria erant ad ſalutem.

Tertium locum inducebat, ex illo Eccleſiaſtici: a *Deus ab initio conſtituit hominem, & illum reliquit in manu conſilij ſui &c.* Ex quo deducebat non moveri hominem auxilio phyſicè ſeu efficaciter prædeterminante; quià aliàs non eſſet in manu conſilij hominis, ſic vel ſic operari. Sicut ſi aliquis, ut dicebat, apprehendat manum meam ità fortiter, ut illam ducat quò velit, non erit in manu vel poteſtate meâ aliò illam divertere, vel movere. Et in hoc exemplo plùs juſto inſiſtebat.

a *Eccli. 15. 14.*

Et tandem quartò illum locum Matthæi b de Tyriis & Sidoniis, ſæpè adductum in hâc materiâ iterùm inducebat hoc modo: Chriſtus Dominus certiſſimè pronuntiat illarum gentium futurã converſionem, ſi eis ipſe prædicaret, & coràm eis miracula illa faceret quæ fecit coràm Judæis: ergò ſi factæ fuiſſent coràm illis gentibus illa ſigna virtutum illæ converterentur; ergò converterentur ſine illo auxilio phyſicè prædeterminante; aliàs ſi converterentur per auxilium phyſicè prædeterminans, etiam Judæi, ſi illud habuiſſent, converterentur. Scriptura autem Sacra in illo loco manifeſtè docet, quòd cum illis auxiliis, cum quibus Judæi converſi non fuerunt, illæ gentes converterentur. Et augebat difficultatem; quià aliàs injuſta videtur Chriſti Domini objurgatio reprehendentis Judæos, ſi illæ gentes eſſent convertendæ ex auxilio phyſicè prædeterminante. Quâ enim ratione poterat Chriſtus tunc juſtè exprobrare Judæis, quòd converſi non ſint, comparatione aliorum qui converterentur, ſi audiſſent & vidiſſent quod illi audierunt & viderunt? Poterant enim ſe excuſantes Judæi dicere: ſi Deus dediſſet nobis, quod daret Tyriis & Sydoniis, videlicèt, illud auxilium phyſicè prædeterminans, etiam nos, ſicut & illi, converteremur. Cùm ergò nobis non ſit datum illud auxilium, quod aliis datum fuiſſet; quid nobis exprobras, quòd non ſimus converſi, comparatione illorum, qui converſi eſſent cum illo majori auxilio phyſicè prædeterminante? In hoc in ſummâ inſiſtebat Pater Vaſtida, & quædam alia ſimilia, quæ ad rem non faciunt, dilatabat.

b *Matth. 11. 21.*

Ad quæ F. Thomas reſpondebat: Ille locus de vineâ, ſic in verâ intelligentiâ procedit; quòd Dominus juſtiſſimè increpat vineam illam; quià tot præſidia & auxilia ſufficientia, tàm externa, quàm interna dediſſet, quæ verè ſufficientia, & per quæ poterat benè operari; illi autem homines, non ex defectu auxiliorum ſufficientium, ſed ex ſuâ pravâ voluntate, malè operati ſunt, & loco uvarum labruſcas protulerunt. Itaque ut homo juſtè reprehendatur de opere bono quod non facit, ſatis eſt, quòd Deus, licèt non det auxilium efficax, det tamen auxilium verè ſufficiens, cum quo poteſt homo operari; & per ipſum hominem ſtet, quòd non benè operetur. Vel ſufficit, ut homo reprehendatur, & ei imputetur peccatum, quòd licèt ei Deus adhuc non daret auxilium ſufficiens, illud tamen ei fuerit denegatum propter aliqua actualia peccata præcedentia, vel ſaltem propter originale peccatum; ut expreſſa eſt doctrina S. Auguſtini *Lib. de corrept. & grat. cap. 6.* a & S. Thomæ *2. 2. q. 2. art. 5. ad 1.*

a *Tom. 10. num. 9. col. 754.*

Poſt hæc autem P. Perez, Vaſtidæ Socius argumentabatur: Ergò jàm defuit illi vineæ aliquid neceſſarium ut benè operaretur; quià defuit illud auxilium phyſicè prædeterminans, ſine

 quo

quo homo non poteſt operari.

Ad quod F. Thomas : non defuit vineæ illi aliquod auxilium ſufficiens, quo poterat benè operari ; ſed habuit omne ſufficiens auxilium neceſſarium, ut poſſet benè operari, & ſuâ pravâ voluntate malè operata eſt. Defuit autem illi auxilium efficax, quod ſi haberet, ſemper benè operaretur. Undè juſtè reprehenditur vinea, quòd cùm haberet omne auxilium, quo poſſet benè operari, ex ſuâ pravitate & malitiâ non fuerit benè operata. Illud autem auxilium efficax non eſt neceſſarium, ut homo poſſit operari ; ſed eſt neceſſarium ut de facto homo benè operetur. Et hoc non omnibus datur ; aliàs omnes benè operarentur. Et ſi P. R. vult, quòd hoc fuerit datum vineæ, profectò illa fuiſſet benè operata. Igitur hoc auxilium efficax potiſſimum eſt Dei donum, quod quibus datur, ut dicit S. Auguſtinus, ſemper miſericorditer datur ; quibus autem non datur, ex juſto judicio non datur.

Iterùm autem inſtabat P. Perez : quòd defuiſſet illi auxilium ſufficiens ; quià ſine illo auxilio phyſicè prædeterminante, voluntas non poterit operari, nec haberet ſufficientia ad operandum.

Ad quod F. Thomas : Jàm dixi, & iterùm modò dico, quòd per auxilium ſufficiens, etiamſi non habeat homo auxilium efficax, poteſt operari, & ex ſuâ malitiâ non operatur. Auxilium autem efficax, non ſolùm dat poſſe operari, ſed tribuit ipſum velle & operari. Quod ſic oſtendo. Voluntas enim hominis, ante omne auxilium gratiæ, eſt in potentiâ remotâ ad actus pios & ſanctos eliciendos ; cùm autem ei datur auxilium ſufficiens vel habitus, quæ dant poſſe operari, tunc voluntas jàm eſt in potentiâ propinquiori & proximâ ad actus ſupernaturales ; cùm autem tertiò advenit auxilium phyſicè prædeterminans, ſeu auxilium efficax, reducit potentiam, jàm proximè conſtitutam per auxilium ſufficiens, in actum primum, ut infallibiliter producat actum ſecundum. Undè ſine auxilio efficaci, eſt voluntas per auxilium ſufficiens in potentiâ proximâ ſufficienter conſtituta ad operandum ; non autem eſt conſtituta in complemento actûs primi, ut operetur. Hoc enìm complementum dat auxilium efficax.

Tunc iterùm Perez : Jàm ergò concedit P. Lemos, quòd ante auxilium efficax non habet voluntas auxilium ſufficiens ad operandum.

Cui F. Thomas : Immò totum contrarium omninò dixi, ſi P. R. attendere vult. Dixi enim per auxilium ſufficiens ante auxilium efficax conſtitui voluntatem ſufficienter in ratione potentiæ proximæ ad operandum.

Tunc iterùm P. Perez : Ego non loquor de habitu, ſicut P. aït, quòd per habitum conſtituatur voluntas in potentiâ proximâ ad operandum, & quòd per habitum habet ſufficiens principium ad operandum ; ſed loquor, antequàm homo habeat habitum de auxilio ſufficienti, ſi homo habeat illud ante auxilium efficax ?

Cui F. Thomas : Etiam P. R^de. hoc dixi expreſſis verbis, ſi vis attendere. Mea enìm verba fuerunt poſita ſub iſtâ disjunctivâ : quòd per auxilium ſufficiens antè auxilium efficax, vel per habitum, voluntas poteſt operari, & ſufficientiam habet ad operandum. Qui hæc dicit expreſsè, non de habitu tantùm, ſed etiam de auxilio ſufficienti loquitur antè habitum.

Tunc iterùm P. Perez : Jàm ergò defuit illi potentiæ proximæ illud complementum auxilij efficacis, ſine quo non potuit operari.

Ad quod F. Thomas : ſine illo complemento potuit quidem operari ; quià potentiam proximam habet ad operandum : nunquàm tamen operabitur, niſi fuerit illa potentia reducta in actum efficaciter ad operandum ; nec illud complementum eſt complementum potentiæ proximæ ; ſed potentiæ actualiter operantis. Per auxilium enìm ſufficiens potentia eſt completa

in

Digitized by Google

in ratione potentiæ proximæ ſufficientis ; non enim eſt completa in ratione potentiæ actualiter operantis, vel actualiter conjunctæ cum operatione. Hoc enim complementum dat auxilium efficax. Quod cùm Frater Thomas vellet ampliùs declarare, dixit Sanctiſſimus, quòd ſufficeret.

Tunc P. Vaſtida dicebat : quòd ſibi reſponderetur ad illum tertium locum Scripturæ *Ecclici. 15.*

Ad quod F. Thomas : Jàm dixi & oſtendi ex S. Thomâ *L. 3. contrà Gent. jàm citato*, qualiter iſte locus qui ibi adducitur, à S. Thomâ eſt intelligendus, quòd per hoc non negatur divinum auxilium efficax ; ſed tantùm oſtenditur, quòd Deus conſtituit hominem in manu conſilij ſui & cum ſuâ libertate : ſed tamen conſilium hominis & libertas hominis conſtituitur ſub priori conſilio, poteſtate, & dominio Dei, à quo hominis libertas movetur efficaciter ad bonum ; ut S. Thomas iſtum locum in terminis explicat *1. 2. q. 109. art. 8. ad 3.* Et hoc eſt quod S. Auguſtinus expreſsè docuit *Lib. de prædeſt. Sanct. cap. 11.* a cùm ait : *Ideò enim hæc, & nobis præcipiuntur, & dona Dei eſſe monſtrantur ; ut intelligatur, quòd & nos ea facimus, & Deus facit ut illa faciamus.* Præcipiuntur quidem, quià nos liberè facimus ; nàm brutis hæc non præcipiuntur : ſunt autem Dei dona, quià Deus facit ut illa faciamus. Nec ex iſtis locis Scripturæ, in quibus dicitur, b quòd *Deus poſuit hominem in manu conſilij ſui*, ut ſi voluerit benè operetur, nec ex omnibus aliis, in quibus tales conditiones exprimuntur, ut cùm dicitur : c *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, aliquid colligitur contrà efficaciam divinæ gratiæ ; quià illæ conditiones adimplentur quidem à nobis, ſed quòd illa impleamus, non eſt ex nobis, ſed ex Deo faciente per auxilium gratiæ ſuæ, quòd impleamus id quod nobis præcepit.

Undè S. Auguſtinus *Lib. 2. de peccator. merit. & remiſſ. cap. 3.* d *& 5.* ſic dicit : Pro magno opponunt, *quòd ſi nolumus, non peccamus* : benè, inquit S. Auguſtinus, ſed Deus facit ut non peccare velimus. Et *Lib. 1. ad Bonifac. cap. 18.* e introducit Julianum opponentem : Nemo eſt bonus ſi nolit. Ita eſt, inquit S. Auguſtinus, ſed ipſa Dei gratia facit ut velit. Et *Lib. de perfect. juſtit. contrà Celeſt. cap. 19.* f cùm Celeſtius ex iſtis locis Scripturæ, in quibus dicitur : g *Si audieritis me, bona terræ comedetis*, & ex aliis ſimiles conditiones exprimentibus, colligeret negari efficax auxilium divinæ gratiæ, ſic dicit Auguſtinus : *Magnum aliquid pro ſuâ causâ ſe inveniſſe arbitratus eſt apud Iſaiam Prophetam ; quià Deus dixit : ſi volueritis, & audieritis me, quæ bona ſunt terræ manducabitis ; ſi autem nolueritis, & non audieritis me, gladius vos comedet. Os enim Domini locutum eſt hæc. Quaſi non lex tota hujuſmodi conditionibus plena ſit ; aut ob aliud præcepta iſta ſuperbis data ſint, niſi quià lex prævaricationis gratiâ poſita eſt,* h *donec veniret ſemen cui promiſſum eſt. Undè lex ſubintravit ut abundaret delictum* ; i *& ubi abundavit delictum, ſuperabundavit gratia*, quæ, videlicèt, dat & facit, ut homines præcepta impleant.

Quòd ſi ex Scripturâ Sanctâ legunt PP. RR. iſta teſtimonia : quòd ſi homo vult, operatur : Et quòd in manu conſilij ſui ſunt poſita vita & mors ; quarè non legunt in Scripturâ Sacrâ alias multas propoſitiones abſolutas, & ſine illâ conditione poſitas, ut eſt iſtud : k *Secundùm hoc tempus veniam, & erit Saræ filius.* Non dicit : erit Saræ filius, ſi ipſa voluerit ; ſed abſolutè, Deus promittit quòd erit Saræ filius ; quià quod Deus promiſit, facit ipſe impleri. Undè Apoſtolus : l *Ideò ex fide, ut ſecundùm gratiam firma ſit promiſſio.* Non ait, Dei promiſſionem firmitatem habere ex libero arbitrio, ſed ex gratiâ Dei. Undè & S. Proſper *Lib. 1. de vocat. gent. cap. 9.* inquit : *Quotidiè impletur quod Dominus Abrahæ ſine conditione promiſit, ſine lege donavit.* Itaque ità homo relinquitur in manu conſilij ſui, ut eligat bonum &

a Tom. 10. n. 22. col. 805.
b Eccli. 15. 14.
c Matth. 19. 17.
d Tom. 10. num. 3. & 5. coll. 41. & 42.
e Tom. 10. n. 36. col. 427.
f Tom. 10. n. 42. col. 187.
g Iſ. 1. 19.
h Gal. 3. 19.
i Rom. 5. 20.
k Rom. 9. 9.
l Rom. 4. 16.

malum; quòd ut eligat bonum, conſtituitur ſub manu conſilij Dei, à quo movetur, applicatur, & determinatur ut de facto eligat bonum.

Quod moraliter S. Auguſtinus declarat ex illo Apoſtoli *ad Epheſ. 2.* a *Ipſius enim ſumus figmentum : Creati*, inquit Paulus, *in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in ipſis ambulemus.* Utitur Apoſtolus hoc verbo *creati* (*creati in operibus bonis*) ad ſignificandum apertiſſimè efficaciam divinæ gratiæ, quæ in ſuâ efficaciâ ab homine non dependet ſed à ſolo Deo; ſicut virtus & efficacia creantis à re quæ creatur non dependet. Undè S. Auguſtinus *in Enchirid. cap. 31.* b faciens vim in illo verbo, *creati in operibus bonis*, ſic dicit: *Tunc enim efficimur verè liberi, cùm Deus nos fingit, id eſt, format, & creat, non ut homines, quod jàm fecit; ſed ut boni homines ſimus, quod nunc gratiâ ſuâ facit.* Quæ verba ſine auxilio efficaci & efficaciter prædeterminante voluntatem ad bonum nec intelligi poſſunt. Certè hoc verbum *creati in operibus bonis*, ſtrictius quid ſignificat, quàm prædeterminare in operibus bonis. Undè inquit ibì S. Auguſtinus: c *creati in operibus bonis, ut totum Deo demus.* Quæ verba non ſic intelliguntur à S. Auguſtino, quòd totum Deo demus, quaſi homo non liberè ſe determinet ad operandum; ſed ideò totum Deo damus, quià ex Deo efficaciter habemus, quòd ad bonum nos determinemus; ità quòd ipſe priùs donis ſuæ gratiæ nos facit ad bonum determinare.

a Epheſ. 2. 10.

b Tom. 6. num. 9. col. 208.

c Ibidem.

Propter hanc rationem, totum Deo damus. Quod ibì demonſtrat S. Doctor ex illo Apoſtoli: d *Non eſt volentis nec currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Cujus litteralis ſenſus eſt: quòd non eſt volentis primò velle, nec currentis primò currere; ſed eſt Dei miſerentis qui movet primò hominem ut velit & currat. Ità enim explicat S. Auguſtinus *in Enchirid. ad Laurent. cap. 32.* e ſic dicens: *Quomodò ergò non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, niſi quià & ipſa voluntas, ſicut ſcriptum eſt, à Deo præparatur? Alioquìn, ſi propterea dictum eſt, non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, quià ex utroque fit, id eſt, ex voluntate hominis, & miſericordiâ Dei; ut ſic dictum accipiamus: non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei: tanquàm diceretur, non ſufficit ſola voluntas hominis, ſi non ſit etiam miſericordia Dei. Non ergò ſufficit ſola miſericordia Dei, ſi non ſit etiàm voluntas hominis: ac per hoc, ſi rectè dictum eſt, non volentis hominis, ſed miſerentis eſt Dei, quià id voluntas hominis ſola non implet; cur non & è contrario rectè dicitur: non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, quià id miſericordia Dei ſola non implet? Porrò ſi nullus Chriſtianus dicere audebit: non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, nè Apoſtolo apertiſſimè contradicat, reſtat ut propterea rectè dictum intelligatur, non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam, & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam.*

d Rom. 9. 16.

e Ibidem.

Quibus verbis apertè illas cauſas partiales ſimùl concurrentes, in quibus Molina & ſui Defenſores totam ſuam doctrinam fundant, apertè rejicit, & Deum ſufficere docet. Ideò enìm dicit: quòd ſola voluntas Dei ſufficit, quià ipſa ſufficit ad efficaciter movendum humanam voluntatem, ut agat. Et hâc ratione dicit, quòd totum dandum eſt Deo, qui præparat adjuvandam, & præparatam adjuvat. Quæ verba PP. RR. contrà apertam S. Auguſtini explicant ſententiam, dicentes: in hoc loco aſſerere gratiam adjuvantem eſſe ſubſequentem; ità ut ſit ſenſus, qui voluntatem præparat per gratiam moraliter excitantem, & adjuvat ſubſequendo voluntatem, præparatam tantùm per gratiam excitantem. Sed iſte ſenſus planè eſt contrà Auguſtinum; quià per gratiam præparantem, intelligit manifeſtè illam efficacem gratiam antecedentem, quæ de facto hominis præparat voluntatem. Aliàs voluntas Dei

ſola

Digitized by Google

ſola non ſufficeret ad præparandum; & aliàs non totum tribueretur Deo. Quod apertè S. Auguſtino, immò Apoſtolo repugnat. Senſus ergò eſt: quòd Deus per gratiam efficacem prævenientem præparat de facto voluntatem adjuvandam per gratiam ſubſequentem, & adjuvat per gratiam ſubſequentem voluntatem à ſe præparatam per antecedentem gratiam efficacem. Hoc igitur in doctrinâ S. Auguſtini eſt apertiſſimum.

Tunc dicebat P. Vaſtida: Reſpondeat argumento.

Cui F. Thomas: ſæpè eſt ſolutum tuum argumentum.

Statim P. Vaſtida propoſuit quartum locum Scripturæ de Tyriis & Sidoniis; & faciebat inſtantiam in tribus. 1°. Quòd Tyrij converterentur ex ſolis illis auxiliis quæ data ſunt Judæis, ſi eis ſimiliter data fuiſſent. 2°. Quòd niſi hoc dicatur, & dicatur illos convertendos ex auxilio alio efficaci quod haberent; non poteſt eſſe juſta Chriſti Domini exprobratio, quâ illis reſpectu Tyriorum & Sidoniorum exprobrabat. 3°. Quòd ex hoc loco conſtat, Deum non prædeterminare ad malum. Probabat autem iſta pròut ſuprà.

Ad quæ F. Thomas ſic reſpondit: Ad iſtum locum, ſæpè in his Congregationibus adductum, & in verâ intelligentiâ explicatum, breviter Dico: Chriſtum Dominum præſciviſſe illarum Gentium futuram converſionem, ſi illa conditio, quæ non eſt appoſita, apponeretur, videlicèt, ſi eis prædicaret, & miracula, quæ apud Judæos fecit, apud illos faceret. Et hoc primum certiſſimum eſt & indubitatum. Secundò æquè certum eſt, id non cognoviſſe Chriſtum Dominum certò futurum ex vi liberi arbitrij eorum, & prædicationis exterioris, & viſionis miraculorum; quià dicere hoc ſufficere ad converſionem, ſine aliâ gratiâ interiori, apertè Pelagianum eſt; ut etiam PP. RR. fatentur. Igitur in omni Catholicâ ſententia aliquid aliud latet in illo loco, & præter prædicationem & miraculorum viſionem, aliud ſupponitur ex quo Gentes illæ converterentur.

Tunc Vaſtida interrumpens, dicebat: Dicit Chriſtus, quòd ſi apud eos fierent miracula illa, & prædicatio, quæ facta fuerunt apud Judæos, converterentur; ergò per illa auxilia, quæ habuerunt Judæi, converterentur.

Ad quod F. Thomas: Chriſtus Dominus dicit, quòd ſi eis fuiſſet Evangelium prædicatum, crederent; non tamen dicit, quòd per ſola illa motiva externa crederent. Igitur cognovit Chriſtus Dominus, quòd ſi illis Gentibus factæ fuiſſent illæ virtutes, crederent. Et hoc certò præſcivit Chriſtus; quià ſcivit divinam voluntatem Patris & ſuam eſſe determinatam, ad dandum illis Gentibus auxilium efficax quod faceret illos credere, ſi tamen eis Evangelium fuiſſet prædicatum. Quæ eſt ſententia aperta S. Auguſtini *Lib. de prædeſt. Sanct. cap. 9.* a ſed expreſſiùs *Lib. de don. perſev. capp. 12. & 14.* b Quæ loca, quià ſunt apertiſſima, & ſæpè à me in hâc materiâ adducta, ideò omittuntur Itaque in illo decreto divinæ voluntatis, dandi illis Gentibus auxilium efficax, ſi eis Chriſtus prædicaret, cognovit ipſe Chriſtus quòd illæ Gentes converterentur; & ſine hoc decreto non cognovit quòd converterentur de facto, vel per externa illa auxilia, vel per interna tantùm ſufficientia; ſicut fuerunt illa quæ Judæi habuerunt.

a *Tom. 10. n. 17. & 18. coll. 801. 802. & 803.*

b *Tom. 10. n. 35. col. 839. & 840.*

Ad aliud de reprehenſione juſtâ, quâ Chriſtus Dominus Judæos reprehendit, Reſpondeo: ſatis eſſe quòd Judæi haberent auxilium ſufficiens, quo poterant convertere ſe, & quòd ex ſuâ malitiâ ſe non converterent. Juſtè autem reprehenduntur comparatione Tyriorum & Sidoniorum, quià ut S. Auguſtinus docet loco citato *Lib. de dono perſever. cap. 12.* c non erant ſic excæcati Tyrij, ſicùt Judæi. Undè quià Judæi per anteriora peccata, & propter majorem ingratitudinem magìs rebelles fuerunt lumini, quàm eſſent Tyrij, ideò comparatione

c *Ibidem.*

ne illorum juſtè reprehenduntur.

Tunc inſtabat P. Vaſtida: quòd Judæi reprehenderentur à Chriſto, ſatis intelligitur; quià cùm haberent ſufficiens auxilium, ex ſuâ pravâ voluntate noluerunt operari ut converterentur. At verò quòd exprobrentur comparatione aliorum, ſi alij, ut converterentur, haberent majus auxilium quàm illi habuerunt, hoc intelligi non poteſt, nec videtur juſta exprobratio; quià illi ſemper haberent illam excuſationem: cur nobis exprobras comparatione aliorum, cùm nobis non dediſti quod aliis dares?

Ad quod F. Thomas: Jàm P. R. fatetur, quòd illi juſtè reprehenduntur à Chriſto. Quòd autem comparatione aliorum juſtiſſimè exprobrentur, etiam conſtat. Nàm ut unus comparatione alterius juſtiſſimè exprobretur, nihil aliud requiritur, niſi quòd ille non faciat bonum quod poteſt facere, & quòd alius facit, quomodocunque adjuvetur ut faciat; ut patet manifeſtè. Si enìm in Aſiâ vel Africâ prædicaret quis Evangelium, & unus converteretur, & alius non: quis dubitat quòd juſtè exprobraretur iſti reſpectu alterius? Et tamen certum eſt, quòd de facto majori auxilio gratiæ eſſet præventus ille qui convertitur, quàm ille qui non convertitur. Utrumque enìm eſt certiſſimum & veriſſimum: & quòd ille qui convertitur, majus habet auxilium à Domino, quàm qui non convertitur; & quòd juſtè qui non convertitur, comparatione alterius reprehenditur. V.G. cùm Paulus Athenis prædicaret, ait Scriptura Sacra, quòd a *aperuit Dominus cor mulieris, ut intenderet his quæ à Paulo dicebantur.* Nunquid non juſtè tunc quis exprobraret Athenienſibus illis, qui non crediderunt, comparatione illius mulieris quæ credidit? Sine dubio juſtiſſimè illis exprobraret, quià ex ſuâ malitiâ non crediderunt. Per hoc autem negandum-ne eſt habuiſſe illam mulierem majus auxilium à Domino? Abſit. Quià Scriptura Sacra docet, quòd illi Dominus cor aperuit. Non ergò inſtent PP. RR. in hoc argumento; quià qui convertitur, ex Dei dono efficaci convertitur, & qui non convertitur, ex ſuâ propriâ malitiâ non convertitur: ob quod juſtiſſimè comparatione alterius qui convertitur, reprehendi & exprobrari poteſt.

a *Act.* 16. 14.

Ad illud aliud quod dicit P., quòd ex illo loco colligitur, Deum non prædeterminare ad malum, Reſpondeo: iſta omnia eſſe extrà Dubium. Nos enìm agimus de auxilio gratiæ prædeterminante hominis voluntatem ad opera ſalutis. Quis ergò hìc intromittit peccatum, quod opponitur gratiæ? Semper iſti PP. recurrunt ad peccatum; ad quod tamen eis reſpondetur: non ſolùm ex iſto loco, quià ex iſto loco nihil tale colligitur, ſed ex multis aliis docet fides, Deum nec movere, nec applicare, nec prædeterminare ad malum. Quid ergò volunt Patres?

Tunc P. Vaſtida: Prædeterminat ad materiale peccati.

Cui F. Thomas: Jàm dixi hoc eſſe extrà Dubium. De quo alibì ſæpè dictum eſt abundè in his Congregationibus. Ad iſta me remitto.

Ad illud aliud quod dixit P. Vaſtida: quòd ſi quis fortiter apprehenderet manum alterius, non relinquit in eo libertatem; Reſpondeo: quòd non deberet R. P. hæc argumenta proponere. Nàm qui ſic manum apprehenderet, cauſaret violentiam; quià non eſt Dominus voluntatis illius, nec liberam alterius voluntatem habet in poteſtate ſuâ. Si enìm ſic haberet, illam movere poſſet cum omni ſuâ libertate. Undè quià Deus eſt Dominus liberæ voluntatis humanæ, & dedit illi inclinationem, ità fortiter & ſuaviter movet hominis voluntatem, quòd etiam ſuaviter, & ſalvâ omni humanâ libertate moveat. Quam efficaciam divini auxilij optimè explicavit Cyrillus *Lib. de adorat. in ſpirit. & veritat.*, explicans illud *Gen.* 19. de duobus Angelis, qui ſuadebant Loth, ut egrederetur à civitate deſtruendâ; inquit enìm Scriptura: *Diſſimulante*

autem

Digitized by Google

autem illo, apprehenderunt manum ejus, & manum uxoris, ac duarum filiarum ejus, eduxeruntque eum &c. Explicans, inquam, Cyrillus locum iſtum, dicit: quòd per hoc ſignificatur duplex Dei auxilium; alterum ſuadens, ſed eo poſito homo diſſimulat. Per apprehenſionem autem manuum ſignificatur, ait, aliud auxilium fortius, quo de facto Deus apprehendit manum, & educit hominem à peccato, juxtà illud Pſalmi: a *apprehendiſti manum dexteram meam, & in voluntate tuâ deduxiſti me.* Eccè apertiſſimè efficaciam divinæ gratiæ antecedentis, & apprehendentis hominis manum & voluntatem, & facientis illam cum omni ſuâ libertate operari; ſicut & Loth manu apprehenſus ab Angelo, liberè egrediebatur, & infallibiliter egrediebatur, non ſolùm Angelo exteriùs movente, ſed interiùs Deo efficaciter movente, & faciente ut infallibiliter vellet cum Angelo ire, & liberè ire.

a *Pſal.* 72. 24.

Hæc ſunt verba Cyrilli loco mox citato: b *Cùm verò manè factum eſſet, urgebant Angeli Loth, dicentes: accipe uxorem tuam, & duas filias quas habes, & exi, nè & tu pereas cum iniquitatibus civitatis. Et turbati ſunt: & tenuerunt Angeli manum ejus, & manum uxoris ejus, & manum filiarum ejus, eò quòd Dominus parceret illis. Id porrò eſſe argumento evidentiſſimo poteſt, nos non verbis tantùm & admonitionibus in animum immiſſis incitari, ut à peccatis recedamus; ſed etiam ad eam erga nos benignitatem deſcendere omnium Salvatorem Deum, ut efficaci auxilio nos juvet; juxtà illud: tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tuâ deduxiſti me. Nàm quià hominis natura non eſt admodùm firma, neque ſatis virium habeat, ut emergere è vitiis poſſit, opem illi fert in eâ re Deus. Itaque duplicem gratiam tribuere cognoſcitur. Cùm enim monitis ſuadet, tunc adjuvandi rationes invenit, eaſque præſenti malo, vimque nobis afferenti valentiores efficit.* Hæc Cyrillus. Ubi præter externas revelationes & excitationes, efficax præveniens adjutorium gratiæ manifeſtè tradit; & hanc duplicem gratiam expreſſit.

b *Tom.* 2. *propè medium hujus tractatûs.*

Poſt hæc in quibuſdam minùs neceſſariis & nullius difficultatis inſiſtebat P. Vaſtida dicens, quòd illud auxilium, & illa entitas, ſivè à Deo ſivè à creaturâ aſſumatur ad agendum, idem omninò ageret. Et ſimilia quædam planè abſurda dicebat.

Cui F. Thomas non reſpondit ob brevitatem, ſed tantùm dixit: Hæc veſtra argumenta humana ſunt ac debilia; mea autem documenta divina ſunt: ſicut S. Auguſtinus hæc verba proferebat contrà Julianum, qui iſtis rationibus debilibus ductus gratiam impugnabat divinam.

Statìm autem Sanctiſſimus interrogavit in fine Congregationis PP. Societatis; quid aliud petebant? Et P. Vaſtida dixit, ſe in ſequenti Congregatione dicturum eſſe ex Conciliis, & ex aliis omiſſis, & potiſſimè ex Concilio Tridentino & Senonenſi oſtenſurum ſuam ſententiam, & quòd per duas horas ad minus oportebat illum dicere de iſtis Conciliis: in alterâ autem Congregatione oportebat illum ſuam ſententiam oſtendere ex SS. Patribus: alteram verò poſtulabat ad idē oſtendendum ex Scholaſticis, & præcipuè ex iis qui contrà Calviniſtas ſcripſerunt in iſtis temporibus: & potiſſimè ex S. Thomâ: & tandem in aliâ quartâ Congregatione dicebat ſe Rationibus ſententiam ſuam oſtenſurum. Quibus propoſitis & poſtulatis, & F. Thomâ nihil omninò dicente, finita fuit Congregatio, cùm duraſſet circiter per ſpatium horarum trium.

CONGREGATIO
QUADRAGESIMA PRIMA, SEU QUARTA CORAM PAULO V.

Habita coràm Sanctiſſimo die 9. Novemb. 1605. Præſentes fuêre decem Cardinales. Adſtiterunt etiam omnes Cenſoresdeputati.

In quâ tertiò de phyſicâ prædeterminatione fuit diſputatum, nempè ex authoritate Conciliorum, Tridentini præcipuè & Senonenſis.

Vide Hiſt. Congreg. de Auxil. Lib. 4. cap. 8. col. 629. & ſeqq.

ACTUM fuit in hâc Congregatione de eodem Dubio, de quo in præcedentibus, videlicèt, de auxilio phyſicè prædeterminante. Et in hâc Congregatione, ut PP. Societatis promiſerant in præcedenti, laborabant ſententiam ſuam probare ex Concilio Tridentino & Senonenſi, contendentes in illis reprobari auxilium efficax antecedenter, ſeu phyſicè prædeterminans. Pro eodem enìm utrumque ſumebatur, nec majorem vim faciebant contrà vocem quàm contrà rem.

Incepit ergò P. Vaſtida, cum quo P. Perez erat, dicens: ſe ex utroque Concilio oſtenſurum, reprobatam eſſe ſententiam de phyſicâ prædeterminatione, ſeu de auxilio efficaci antecedenter. Undè legebat Caput 5. Concilij Tridentini *in Seſſ. 6.* ab illis verbis: *Declarat prætereà ipſius juſtificationis exordium*, uſque ad illa: *Quippe qui illam & abjicere poteſt.* Similiter legebat Canonem 4. ubì habetur: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, atque præparet, neque poſſe diſſentire ſi velit, ſed veluti inanime quoddam nihil omninò agere, meréque paſſivè ſe habere; anathema ſit.* Parique modo legebat Concilium Senonenſe *in cap. 15. de libero arbitrio*, in illis verbis: *Neque enìm liberum arbitrium aſſerentes, divinam propterea excludimus gratiam, quod illi falsò totiès imponere non verentur, atque hoc fumo credulorum oculos perſtringere. Sed juxtà Sacram Scripturam eò extendimus, ut voluntas humana, miſericordiæ prævenientis auxilio ſuffulta, & interiori quodam & occulto ſecretioris inſpirationis afflatu contacta, ſe ſe convertat in Deum, Deo appropinquet, & ad illam veram gratiam ſe præparet; quâ tandem accepta ſit ad vitam æternam. Neque tamen tanta gratiæ neceſſitas libero præjudicat arbitrio, cùm illa ſemper ſit in promptu: nec momentum quidem prætereat, in quo non ſtet ad oſtium & pulſet; a cui ſi quis aperuerit januam, intrabit ad illum, & cœnabit cum illo. Nec denique tale ſit hujuſmodi Dei trahentis auxilium, cui reſiſti non poſſit. Quotiès enìm Dominus voluit congregare filios Jeruſalem, b ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluerunt? Fruſtrà certè Stephanus Judæos duræ cervicis & incircumciſis cordibus argueret, c qui ſemper Spiritui Sancto reſiſterent. Fruſtrà Paulus Theſſalonicenſes admoneret, ſpiritum nè extinguerent d; ſi divinis inſpirationibus homines inevitabiliter raperentur.*

a Apocal. 3. 20.
b Matth. 23. 37.
c Act. 7. 51.
d 1. Theſſal. 5. 19.

Lectis his locis, ſic dicebat Vaſtida: Ex utroque Concilio has quinque propoſitiones deſumo. Iª. Liberum hominis arbitrium, dùm tangitur divinis inſpirationibus, & gratiâ omni præveniente, poteſt illam abjicere. IIª. Liberum arbitrium non habet ſe merè paſſivè recipiendo divinam inſpirationem & prævenientem gratiam.

IIIª.

IIIª. liberum arbitrium à Deo motum & excitatum poteſt diſſentire. IVª. Dei trahentis auxilium tale eſt, cui reſiſti poteſt. Vª. Per auxilium gratiæ non rapitur hominis arbitrium inevitabiliter.

Deindè ex Diſcipulis S. Thomæ, Bannez, Nugno, Avilâ, Alvarez, Lemos, deducebat alias quinque propoſitiones, quas dicebat totaliter eſſe contrarias illis quinque ex Conciliis deductis. Imprimis enim ex M. Bannez, tùm in Commentariis in primam partem S. Thomæ, tum in 2am. 2æ. deducebat, quòd diceret: impoſſibile eſſe, & contradictionem implicare, quòd liberum arbitrium ſit à Deo motum, & non conſentiat. Idem deducebat ex P. Franciſco Avilâ; libros eorum ibì legendo. Quam propoſitionem dicebat eſſe contrariam illi primæ & tertiæ relatis ex Conciliis.

Ex P. Didaco Nugno deducebat, quòd affirmaret liberum arbitrium non ſe habere merè paſſivè, quià activè producebat actum: ubì ſentiebat ſe habere merè paſſivè in recipiendo auxilium. Quod tamen erat contrà Concilium Tridentinum *in cap. 5.* quod affirmat aliquid agere, inſpirationem recipiendo; & ex conſequenti in recipiendo non ſe habere merè paſſivè. Ubì etiam introducebat P. Alvarez dicentem: quòd habet ſe liberum arbitrium, ſicut baculus: ubì dicit ſe habere merè paſſivè, & ut inanime quoddam; & quòd non ſe habet ſicut arbor in quâ ſunt fructus, frondes, rami &c.

Tertiam propoſitionem deducebat ex iiſdem Magiſtris Bannez & Avilâ, qui dicebant, in ſenſu compoſito non poſſe liberum arbitrium à Deo motum & excitatum diſſentire. Quartam propoſitionem deducebat ex iiſdem Bannez & Avilâ, qui affirmant quòd nullus poteſt reſiſtere auxilio efficaci divinæ voluntatis. Illam autem quintam propoſitionem deducebat ex eodem P. Avilâ aſſerente: quòd Deus movet hominis voluntatem inevitabiliter.

Ex his inferebat: prædictos Diſcipulos S. Thomæ conſtituere propoſitiones illas quinque oppoſitas & contrarias propoſitionibus à ſe inductis ex Conciliis prædictis. Et ſuperaddebat prædictos authores, ut ſe excuſarent, & ſuam doctrinam defenderent minimè contrariam Concilio Tridentino, confugere ad illam diſtinctionem de ſenſu diviſó atque compoſito, dicentes: Concilium, cùm ait, poſſe liberum hominis arbitrium diſſentire vocationi & Dei motioni, eſſe intelligendum in ſenſu diviſo, non autem in compoſito; & quòd ipſi ſemper affirmabant, non poſſe liberum arbitrium diſſentire tantùm in ſenſu compoſito, benè autem in ſenſu diviſo, ut Concilium affirmabat. Secundò dicebat, prædictos S. Thomæ diſcipulos etiam aſſerere Concilium loqui de gratiâ ſufficiente, cui homo poteſt omnibus modis reſiſtere. Itaque hanc utramque explicationem Concilij affirmabat inveniri in Libris prædictorum diſcipulorum S. Thomæ, quos ibì legebat. Tandèm inducebat meipſum F. Thomam de Lemos, qui in Concluſionibus celebratis in Capitulo Generali Neapoli dicebat, ſecundam cauſam non poſſe operari ſine prævio Dei concurſu.

Poſt hæc procedebat idem P. Vaſtida ad ſuadendum: Concilium Tridentinum & Senonenſe loqui manifeſtè in ſenſu compoſito, & definire, quòd in ſenſu compoſito liberum arbitrium poterat diſſentire auxilio gratiæ prævenientis. Quod multis viis ſuadere procurabat. Primò dicebat: quòd diſſentire Dei excitationi & motioni, erat conjungere contrarium diſſenſum cum illâ præveniente gratiâ; & ex conſequenti, quòd Concilium loquebatur in ſenſu compoſito. Deindè id multipliciter oſtendebat; quià poſſe diſſentire in ſenſu diviſo erat habere potentiam ad diſſentiendum, non illi præviæ motioni, ſed ad diſſentiendum ſi ablata eſſet talis motio, & talis efficacia gratiæ: ſed ſi hoc diceret Concilium ſolùm, quòd, videlicèt, liberum arbitrium à Deo motum &

Digitized by Google

excitatum habet potentiam ad diſſentiendum, ſi ablatum fuerit tale auxilium gratiæ, non definiret ſalvari libertatem, dùm actualiter eſt ſub auxilio gratiæ: ut ergò ſalvetur quod definit Concilium, liberum arbitrium, etiàm dùm eſt motum & excitatum, habere libertatem; intelligendum eſt omninò quòd procedat in ſenſu compoſito; & quòd definiat liberum arbitrium hominis, etiàm dùm eſt motum & excitatum, & etiàm dùm permanet in illo illa motio & excitatio, poſſe diſſentire, & quòd habet potentiam ad diſſentiendum de facto, & ad conjungendum cum tali motione gratiæ ſuum diſſenſum. Quod iterùm ſuadebat; quià habere poteſtatem ad diſſentiendum, ſi ablata fuerit illa motio gratiæ, eſt dicere, quòd poſitâ tali motione non habet poteſtatem ad conjungendum contrarium diſſenſum; & ſic non haberet poteſtatem ad diſſentiendum. Quod eſt expreſsè contrà Concilium.

Et hoc his ſimilibus exemplis manifeſtabat. Primò quià ſi ſufficit, quòd liberum arbitrium habeat poteſtatem ad diſſentiendum, ut Concilium definit quòd habeat illam poteſtatem ad diſſentiendum, ſi ablata fuerit motio gratiæ; ergò eâdem ratione poterit optimè quis dicere, poſſe hominem cuicunque gravi tentationi, toto tempore quo durat, reſiſtere ſine auxilio divinæ gratiæ; quià poteſtatem habet, etiàm dùm tentatur, ut reſiſtat, ſi ablata fuerit talis tentatio.

Similiter aliud inducebat exemplum, dicens: quòd quamvìs, dùm quis ſtat, non poſſit ſimùl in ſenſu compoſito non ſtare; quià fieri non poteſt, ut dùm ſtat non ſtet; tamen qui rogatur ut ſtet, vel ut ſedeat, etiàm poſitâ illâ rogatione, potentiam habet in ſenſu compoſito ad non ſedendum; ità quòd poteſtatem habet ad ſimùl conjungendum cum tali rogatione ipſum non ſedere. Ità dicebat: quòd licèt in ſenſu compoſito non fieri poſſit, ut dùm voluntas vult, ſimùl non velit, vel ſimùl conjungat contrarium diſſenſum; tamen cùm voluntas prævenitur auxilio gratiæ, poteſtatem habet ad diſſentiendum, & ad conjungendum cum tali præveniente gratiâ contrarium diſſenſum.

Aliud conſtituebat exemplum: quòd non ſufficit ad libertatem, quòd liberum arbitrium potentiam habet ad diſſentiendum, ſi gratia efficax auferatur. Quià aliàs ſi hoc ad libertatem ſufficeret, etiàm ſufficeret, quòd dùm parvulus trahitur à Gigante, liberè veniat; quià ille parvulus potentiam habet liberam ad non veniendum, ſi efficax illa motio Gigantis auferatur.

Aliud prætereà inducebat exemplum in hunc modum: ſequitur, quòd ſi ſufficit ad libertatem, & ut ſalvemus verba Concilij dicentis: *liberum arbitrium à Deo motum & excitatum poſſe diſſentire ſi velit*, ſivè quòd habeat potentiam ad diſſentiendum, ſi ablata fuerit illa efficax præveniens gratia; ſequitur, inquam, quòd dùm intellectus convincitur evidenti aliquo principio, quòd poſſimus dicere, quòd intellectus talis poteſt illi diſſentire. Nam intellectus, cùm habet tale evidens principium à quo determinatur ad aſſentiendum, poteſtatem habet ad diſſentiendum, ſi ablatum fuerit tale principium evidens. Quod tamen quis dicat?

Et tandem aliud quintum adducebat exemplum, dicens: quòd ſi ſufficit ad verificanda verba Concilij dicentis: *liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum poſſe diſſentire*, & potentiam habere ad diſſentiendum; quòd, videlicèt, habeat potentiam ad diſſentiendum, ſi ablata fuerit motio gratiæ: etiam poſſumus dicere, quòd Beatus poſſit diſſentire viſioni beatificæ. Quod tamen falſiſſimum eſſe patet; quià Beatus potentiam liberam habet ad diſſentiendum viſioni beatificæ, ſi ablata fuerit ab ipſo talis viſio. In his & ſimilibus quibuſdam aliis æquivocationibus, multa repetendo, inſtabat prædictus Pater.

Et poſteà ad illud ſuum intentum ſuadendum, quòd poteſt homo auxilio

lio cuilibet gratiæ prævenientis diſſentire in ſenſu compoſito ; ità quòd poteſt cum illo auxilio conjungere contrarium diſſenſum : id ſuadebat ex Concilio Arauſicano II. *in can. 25.* dicente : a *Hoc etiam ſecundùm fidem Catholicam credimus ; quòd acceptâ per Baptiſmum gratiâ , omnes baptiſati , Chriſto auxiliante & cooperante , quæ ad ſalutem pertinent , poſſint , & debeant , ſi fideliter laborare voluerint , adimplere.* Ex quo deducebat , quòd auxilium præveniens quodcunque, tale eſt, ut ſi homo illo uti noluerit, illud reddat inefficax. Aliàs ſi auxilium eſt antecedenter efficax, ſemper facit hominem operari. Et ſic non poterat Concilium dicere : *ſi fideliter homines laborare voluerint.*

a *In App. tom. 10. Oper. S. Auguſtin. col. 160.*

Et eodem modo prorsùs inducebat ex cap. 13. Seſſ. 6. Concilij Tridentini illa verba : *Nemo ſibi certi aliquid abſolutâ certitudine polliceatur ; tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare & reponere omnes debent. Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ità perficiet.* Ex quibus verbis ; *niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ità perficiet ;* dicebat : ergò cuicunque gratiæ ipſi deeſſe poſſunt ; & ſic cuicunque gratiæ poſſunt diſſentire & cuicunque poſſunt contrarium diſſenſum conjungere. Si enim auxilium prævenientis gratiæ eſt efficax, ità ut ſemper faciat conſentire, non poteſt ſalvari illa conditionalis ; *niſi ipſi illius gratiæ defuerint &c.*

Et eodem modo inducebat illud aliud ex Concilio Tridentino *cap. 11.* quòd Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum impoſſibilia non ſunt : ſi autem eſſet neceſſarium illud auxilium efficax prædeterminans, ſine illo, quod nec omnibus datur, eſſent præcepta homini impoſſibilia ; quià ſine illo non poterit homo operari. Et in hoc puncto induxit Concluſiones F. Thomæ de Lemos ſuprà relatas ; in quibus habetur : quòd ſecunda cauſa ſine prævio concurſu primæ operari non poteſt : ergò nec poterit operari voluntas ſine auxilio illo phyſicè prædeterminante : & ſic redderentur impoſſibilia præcepta divina. Nec hìc oportet recurrere, quòd Deus neget illa auxilia propter præcedens peccatum, ſivè actuale, ſivè originale ; quià homo exiſtens in gratiâ nullum tale habet impedimentum ; & tamen habens gratiam habitualem, ſi non adſit auxilium illud phyſicè prædeterminans, non poterit operari ; & ex conſequenti impoſſibilia ei redderentur præcepta divina.

Et tandem concludebat, dicendo : quòd Concilium Tridentinum definiebat contrà Calvinum, nullum tale eſſe adjutorium efficax gratiæ antecedenter voluntatem afficiens ; quià verba Calvini erant : *movet Deus voluntatem, non ſicut antiquis temporibus traditum eſt & creditum, ut noſtræ electionis ſit poſteà obtemperare vel refragari ; ſed illam efficaciter afficiendo.* Contrà quem dicebat definire Concilium Tridentinum, nullâ talem efficacem eſſe gratiam, efficaciter attrahentem, cui homo diſſentire non poſſit, & cum quâ non poſſit, ſi velit, conjungere contrarium diſſenſum. Hæc & ſimilia in ſubſtantiâ proponebat. Quædam enim alia minutiora affirmabat, quæ nec memoriâ retineri poſſunt, cùm per duas integras horas hæc propoſuiſſet.

Statim autem F. Thomas de Lemos ità incepit : BEATISSIME PATER, ad cujus pedes, quæcumque dixero, humiliter conſtituo. De Sacro Concilio Tridentino, de ejus mente, & definitione dixi ſatis in unâ ex præcedentibus Congregationibus ; & ut crediderim, non obſcurè manifeſtavi Concilium Sacrum quòad ſenſum, & verbis omninò æquivalentibus auxilium divinæ gratiæ phyſicè ſivè efficaciter prædeterminans hominis voluntatem ad bonum, & apertè tradidiſſe, & contrariam ſententiam, quæ tale adjutorium negat, apertiùs refutaſſe. Undè nec illa modò repetenda ſunt, nec antiqua decreta recenſenda, quæ per Felicis recordationis Innocentium I., Zozimum, Bonifacium, Cæleſtinum, Sixtum, Leo-

nem, Hormiſdam, atque Gelaſium, cum Conciliis pluribus, omnibus per ſanctam Sedem approbatis atque confirmatis, videlicet, Palæſtino, Carthaginenſi, Milevitano, Arauſicano II., & Epheſino Magno, quæ per diverſa tempora, conſenſione tamen unâ, efficaciam divinæ gratiæ perpetuò prædicârunt. Non, inquam, omnia iſta decreta, ſæpè in his Congregationibus inducta, de novo inducenda ſunt, ob brevitatem, ſed ſupponenda: & præſertìm, quià Concilium Tridentinum ità apertè loquitur in hâc parte, ut vel ipſum ſolum ſufficiat pro iſtâ veritate tenendâ atque fundandâ.

Duo enìm in Concilio Tridentino ſunt apertiſſima. Alterum eſt, illud quod in terminis docet *in cap. 5. modò citato*, videlicèt, adjuvantem gratiam ſuprà excitantem pertinere ad prævenientem, quâ Deus nos convertit. Hoc igitur ſit firmum ex Concilio fundamentum: gratia præveniens, quâ Deus nos convertit, non ſolùm eſt excitans, ſed etiàm, in quantùm præveniens eſt, verè adjuvans: ſed qui adjuvatur ſemper aliquid facit, ſemperque conſentit; nec enìm ſtat, quòd adjuvetur homo, & non cooperetur; ut perpetuò docuit S. Auguſtinus, & PP. RR. expreſsè fatentur: ergò non ſtat, quòd antecedenter homo præveniatur à gratiâ adjuvante, & quòd non cooperetur, ſecundùm expreſſa verba Concilij: & poteſt diſſentire ſi velit, ut idem Concilium definit apertè; in quo perfectiſſimè ſalvat hominis libertatem: ergò Concilium æquivalentibus verbis tradit auxilium phyſicè prædeterminans. Hoc enìm eſt illud auxilium, cui antecedenter poſito ſemper homo cooperatur. Hoc igitùr ſit primum contextuale argumentum.

Secundum eſt tale: Concilium *in can. 4. relato*, ſub anathemate damnat, quicunque dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari, conſentiendo Deo vocanti; (hoc enìm eſt prima pars Canonis) ergò definit liberum arbitrium à Deo motum & excitatum ſemper Deo cooperari conſentiendo; ergò definit, non ſimùl ſtare, quòd ſit à Deo motum & excitatum, & quòd non cooperetur conſentiendo; & quòd ità liberè conſentit quòd poteſt conſentire ſi velit; ergò definit quòad ſenſum & æquivalenter auxilium phyſicè prædeterminans; quià hoc auxilium eſt ſolùm illud, cui homo ſemper infallibiliter cooperatur conſentiendo. Rursùs definit Concilium, liberum arbitrium ſic excitatum & motum, ità ſemper Deo cooperari conſentiendo, quòd ſemper poteſt diſſentire ſi velit, & ſemper liberam habet potentiam ad ſic diſſentiendum. Igitur iſta duo ſunt in Concilio manifeſta, & quòd liberum arbitrium à Deo excitatum & motum ſemper cooperatur conſentiendo, & quòd ità liberè conſentit, quòd poteſt diſſentire ſi velit, & ad id ſemper habet potentiam liberam. Igitur damnat Concilium ſententiam quæ dicit: quòd liberum arbitrium ſic excitatum & motum antecedenter, ità cooperatur, quòd non poteſt diſſentire ſi velit, vel quòd ad id liberam potentiam non habeat.

Videant ergò PP. quæ ſententia in Concilio damnatur. Nos enìm dicimus, & ſemper diximus, liberum hominis arbitrium ità ſemper infallibiliter operari, quòd liberrimè cooperatur & conſentit, potens diſſentire ſi velit, & quòd ſemper ad id habet liberam potentiam. At verò PP. Societatis contendunt, quòd ſi liberum arbitrium ità eſt motum & excitatum antecedenter, ut ſemper infallibiliter conſentiat, non poteſt diſſentire ſi velit, nec ad id habet liberam potentiam. Igitùr illorum ſententia manifeſtè excluditur à Concilio. Quod unicâ ratione concludo.

Certum enìm omninò eſt Concilium loqui de gratiâ efficaci præveniente, cùm dicit: *excitatum & motum ſemper cooperatur*; ut etiàm RR. PP. concedunt. Hoc igitur præſuppoſito certo fundamento, ſic procedit ratio. Gratia præveniens, quæ eſt efficax,

efficax, ſecluſâ omni priori ſcientiâ mediâ, eſt phyſicè prædeterminans; ſed Concilium loquitur de efficaci gratiâ præveniente, ſecluſâ illâ priori ſcientiâ mediâ; ergò loquitur quòad rem de auxilio phyſicè prædeterminante. Major conceditur à RR. PP. Minor autem conſtat: quià media illa ſcientia, ut latè oſtenditur per tres integras Congregationes coràm Felicis recordationis Clemente VIII., fuit olìm Maſſilienſium inventum, ad enervandam efficaciam divinæ cauſalitatis & gratiæ; ergò non fuit cognita à Concilio talis media ſcientia. Immò ipſe Molina fatetur ſe priùs hanc mediam ſcientiam inveniſſe. Immò, quod majus eſt, Concilium illam omninò excluſit. Quod ſic oſtendo. Quià gratia præveniens, quæ fundatur in illâ mediâ ſcientiâ, ut omnes ſui Defenſores fatentur, eſt tantùm excitans, non autem verè adjuvans; ſed Concilium expreſsè determinat, quòd gratia præveniens quâ convertimur, non ſolùm eſt excitans, ſed etiam verè adjuvans; ergò Concilium quòad rem & ſenſum excluſit omnem illam mediam ſcientiam. Ad iſta poterunt PP. reſpondere, interìm dùm ego oſtendo non legitimas quaſdam illationes quas ipſi ex Concilio deduxerunt.

Igitur R. P. ſuam ſententiam fundavit in Concilio Tridentino & Senonenſi. Dicam ergò ad Concilium Tridentinum; deindè dicam ad Senonenſe. Ex utroque Concilio deduxit R. P. has quinque propoſitiones. 1a Eſt, liberum arbitrium, cùm divinam recipit inſpirationem, illam abjicere poſſe. 2a. Quòd illam recipiendo non ſe habet paſſivè; ſed quòd aliquid facit, activè concurrendo. 3a. Quòd liberum arbitrium à Deo excitatum & motum, poteſt diſſentire, ſi velit. 4a. Quòd Dei trahentis auxilium tale eſt, cui reſiſti poteſt. 5a. Quòd per Dei auxilium non rapitur liberum hominis arbitrium inevitabiliter.

Ad has quinque propoſitiones in primis Reſpondeo, illas certiſſimas & veriſſimas eſſe, & à nullo ex Diſcipulis S. Thomæ unquàm fuiſſe negatas. Et quidem prima: quòd liberum arbitrium recipiens inſpirationem, poteſt illam abjicere, quæ ponitur *in cap. 5.*, ità certa eſt, ut ad minùs, illam negare, ſit error in fide. Illa autem alia, quæ *in can. 4.* conſtituitur: quòd, videlicèt, liberum arbitrium à Deo motum & excitatum poteſt diſſentire, ſi velit, de fide eſt; & ſic eſt talis propoſitio ſemper concedenda abſolutè; cùm enìm abſolutè profertur, & ſine limitatione, eſt abſolutè & ſimpliciter vera. Illa autem alia ſecunda: quòd liberum arbitrium recipiens inſpirationem, aliquid facit, eſt certiſſima; nec enìm ſe habet merè paſſivè, recipiendo illam. Itaque non ſolùm ſe habet liberum arbitrium activè in producendo conſenſum, & in cooperando; ſed etiam ſe habet activè in recipiendo illam inſpirationem. Ex parte enìm ſe habet paſſivè, & ex parte activè, cùm illam recipit. Habet ſe ex parte paſſivè; quià à Deo movetur: moveri autem, aliquo modo eſt pati. Habet ſe activè; quià homo vult illam inſpirationem recipere. Itaque hoc ſic explicabit Theologus. In illo inſtanti, quo Deus per efficacem inſpirationem tangit cor hominis, ità tangit ut moveat hominem ad hoc quòd velit illam inſpirationem recipere; & ſic illam vult liberè recipere; & liberè recipit. Concilium autem Tridentinum ſolùm docet: quòd liberum arbitrium non habet ſe merè paſſivè; non autem definit: quòd non ſecundùm aliquam rationem paſſivè ſe habeat.

Similiter illam aliam propoſitionem, ex Concilio Senonenſi deductam, quæ aſſerit: Dei auxilium non eſſe tale, cui reſiſti non poteſt, in hoc ſenſu, id eſt, cui diſſentiri non poteſt, ſicùt dicitur in Concilio Tridentino, jàm dixi eſſe veram ſecundùm fidem. Illa autem ultima: quòd per tale auxilium liberum arbitrium non rapitur inevitabiliter; ex parte cauſæ ſecundæ eſt veriſſimum

riſſimum quòd ipſa non rapitur inevitabiliter. At verò ſi conſideretur motio in quantùm ſe tenet ex parte Dei, cujus intentio deficere non poteſt, immutabiliter Deus movet talem ſecundam cauſam. Iſta ſententia, ut jàm in præcedentibus Congregationibus oſtendi, eſt expreſſa S. Thomæ *q. 6. de malo, art. unico ad 3.* ubì docet expreſſis verbis : quòd Deus quidem movet voluntatem immutabiliter, propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non poteſt; ſed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter ſe habet ad diverſa, non inducitur neceſſitas. Itaque illæ quinque priores propoſitiones veriſſimæ ſunt.

Oppoſuit autem R. P. in ſecundo loco alias quinque, ex Diſcipulis S. Thomæ excerptas, quas dixit eſſe contrarias illis quinque ex Conciliis deductis. Ad quod Reſpondeo : illas non eſſe aliquo modo contrarias; ſed in ſenſu alieno valdè diverſo procedere.

Illa enìm prima, in quâ aliæ fundantur, videlicèt, impoſſibile eſſe, ſeu contradictionem implicare, liberum arbitrium eſſe motum, & diſſentire, quæ ſtatuitur à Diſcipulis ſancti Thomæ, facit ſenſum compoſitum apertiſſimè : & in ſenſu compoſito veriſſimum eſt, fieri non poſſe, quòd liberum arbitrium ſit excitatum & motum, & quòd diſſentiat. Itaque propoſitiones Concilij procedunt in ſenſu diviſo & abſolutè ; illæ autem aliæ, quæ à Diſcipulis S. Thomæ ponuntur, procedunt in ſenſu compoſito. Undè diverſæ valdè ſunt, nec aliquo modo oppoſitæ. Immò R. P. expreſsè modò conceſſit, Diſcipulos S. Thomæ loqui in illis propoſitionibus in ſenſu compoſito.

Ut autem apertè cognoſcatur hujus antiquæ diſtinctionis, de ſenſu diviſo atque compoſito, magna neceſſitas, & vera illius intelligentia; & quomodò in hâc & ſimilibus materiis propoſitiones per verbum *poteſt* affirmativæ, ſunt concedendæ in ſenſu diviſo, non autem in ſenſu compoſito : hoc ſic oſtendo ex S. Thomâ *q. 6. de veritate art. 4. ad 8.* ubì ſic dicit : *Ad octavum dicendum, quòd ſicut ex dictis patet, quamvìs de quolibet abſolutè concedi poſſet, quòd Deus poteſt illum prædeſtinare vel non prædeſtinare ; tamen ſuppoſito quòd prædeſtinaverit, non poteſt non prædeſtinare, vel è converſo; quià non poteſt eſſe mutabilis; & ideò dicitur communiter* : *quòd hæc propoſitio* : *Deus poteſt non prædeſtinatum prædeſtinare, vel prædeſtinatum non prædeſtinare, in ſenſu compoſito eſt falſa, in diviſo vera ; & ideò omnes locutiones illæ, quæ compoſitum implicant, ſunt falſæ ſimpliciter.* Hæc S. Thomas. Quid clarius ? vel quid apertius ? Duo dicit : hanc diſtinctionem de ſenſu compoſito atque diviſo eſſe communem inter Theologos. Secundò dicit : quòd omnes propoſitiones de poſſibili, quæ involvunt ſenſum compoſitum, ſunt ſimpliciter falſæ : ergò iſta propoſitio : liberum arbitrium à Deo motum & excitatum poteſt diſſentire, in ſenſu compoſito eſt falſa, & negativa veriſſima ; fieri enìm non poteſt, ut liberum arbitrium ſit à Deo excitatum & motum, & quòd diſſentiat. Iſtam ergò propoſitionem negativam, veriſſimam in ſenſu compoſito, admittunt cum S. Thomâ, omnes ejus Diſcipuli modò citati.

Idem magìs explicat S. Thomas *q. 23. de veritate art. 5. ad 3.* ità dicens : *Ad tertium dicendum, quòd quamvìs non eſſe effectus divinæ voluntatis, non poſſit ſimul ſtare cum divinâ voluntate; tamen potentia deficiendi effectum ſimùl ſtat cum divinâ voluntate : non enìm ſunt iſta incompoſſibilia ; Deus vult iſtum ſalvari, & iſte poteſt damnari : ſed iſta ſunt incompoſſibilia ; Deus vult iſtum ſalvari, & iſte damnatur.*

Eundem ſenſum compoſitum & diviſum magìs declarat S. Thomas *q. 6. de veritate art. 6. ad 7.* ſic dicens : *Ad ſeptimum dicendum, quòd aliquid poteſt dici poſſe, dupliciter. Uno modo, conſiderando potentiam quæ in ipſo eſt; ſicut dicimus, quòd lapis poteſt moveri*

deorsùm.

deorſùm. Alio modo, conſiderando id quod ex parte alterius eſt; ſicut ſi dicerem, quòd lapis poteſt moveri ſurſùm, non per potentiam quæ in ipſo ſit, ſed per potentiam projicientis. Cùm ergò dicitur: prædeſtinatus iſte poteſt in peccato mori; ſi conſideretur potentia ipſius, verum eſt: ſi autem loquamur de prædeſtinato ſecundùm ordinem quem habet ad aliud, ſcilicèt, ad Deum prædeſtinantem; ſic ordo ille non compatitur ſecum iſtum eventum, quamvìs compatiatur ſecum iſtam potentiam: & ideò poteſt diſtingui ſecundùm diſtinctionem primò inductam, ſcilicèt, conſideratio ſubjecti cum formâ, vel ſine formâ. Quibus locis veram intelligentiam, & ſenſum diſtinctionis ſensûs diviſi & compoſiti explicat, docens apertè, quòd poſitâ prædeſtinatione, ut homo eſt ſub illâ, adhuc habet potentiam ut damnetur; ſed fieri non poteſt, quòd ſimùl ſit prædeſtinatus, & damnetur.

Et magìs ad propoſitum præſens loquens S. Thomas de motione Dei antecedente, quâ movet liberum hominis arbitrium ad operandum, ità dicit *1. 2. q. 11. art. 4. ad 3.* Propoſuerat enìm tale tertium argumentum: *Poſſibile eſt, quo poſito, non ſequitur impoſſibile. Sequitur autem impoſſibile, ſi ponatur, quòd voluntas non velit hoc ad quod Deus eam movet: quià ſecundùm hoc operatio Dei eſſet inefficax. Non ergò eſt poſſibile voluntatem non velle ad quod Deus eam movet. Ergò neceſſe eſt eam hoc velle.* Quod argumentum ſi PP. Societatis proponerent, quomodò exaggeraſſent? Et tamen S. Thomas duobus terminis ſtrictiſſimè illud proponit, ad ipſumque ſic reſpondet: *Ad tertium dicendum: quòd ſi Deus movet voluntatem ad aliquid, impoſſibile eſt huic poſitioni, quòd voluntas ad illud non moveatur; non tamen eſt impoſſibile ſimpliciter. Undè non ſequitur, quòd voluntas à Deo ex neceſſitate moveatur.* Quid clariùs? Apertè dicit, quòd ad fugiendum illud impoſſibile, quòd, videlicèt, motio Dei ſit inefficax, dicendum eſt, impoſſibile eſſe poni, quòd Deus moveat voluntatem, videlicèt, ad conſentiendum, & quòd ipſa non conſentiat: qui eſt apertiſſimè ſenſus compoſitus. Dicit tamen quòd non eſt impoſſibile ſimpliciter, ſeu in ſenſu diviſo; & ſic voluntas non neceſſitatur ſed liberè vult.

Et *2. 2. quæſt. 24. art. 11.* ità habet: *Reſpondeo dicendum: quòd per charitatem Spiritus Sanctus in nobis habitat, ut ex ſupradictis patet. Tripliciter ergò poſſumus conſiderare charitatem. Uno modo ex parte Spiritûs Sancti moventis animam ad diligendum Deum. Et ex hâc parte charitas impeccabilitatem habet ex virtute Spiritûs Sancti qui infallibiliter operatur quodcunque voluerit. Undè impoſſibile eſt hæc duo ſimul eſſe vera: quòd Spiritus Sanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & quòd ipſe charitatem amittat peccando.* Igitur impoſſibile erit liberum hominis arbitrium à Deo eſſe excitatum & motum, & quòd non conſentiat. Nàm de motione Dei antecedente actum, loquitur apertè, & docet quòd Spiritus Sanctus movet ità infallibiliter habentem charitatem ad id quod vult, ut impoſſibile ſit, iſta duo ſimùl eſſe vera: & quòd Spiritus Sanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & quòd ille charitatem amittat peccando. Igitur impoſſibile erit, liberum hominis arbitrium à Deo eſſe excitatum & motum, & quòd non conſentiat. Quæ eſt propoſitio veriſſima atque certiſſima, & S. Thomæ, & omnium Diſcipulorum ejus. Iſta ergò principia ſunt certa atque manifeſta, de quibus dubitare non licet.

Tanta autem eſt neceſſitas hujus diſtinctionis de ſenſu diviſo & compoſito in illâ verâ intelligentiâ, quæ modò tradita eſt, ut Joannes Driedo qui ſcripſit contrà hæreticos hujus temporis, Lutheranos atque Calviniſtas, *Lib. de Concordiâ arbit. fol. 37. aliàs 39. §. confert.* ità dicat: *Confert autem huic materiæ intellecta diſtinctio dialectica, de neceſſitate conſequentis & conſequentiæ. Multæ enim ſunt conſequentiæ neceſſariæ, quarum conſequens eſt contingens. Sed hæreticus, ne hâc*

hâc diſtinctione convinceretur, & concluderetur, victus libidine contradicendi ſingulis & univerſis Eccleſiæ Doctoribus, niſus eſt deſtruere omnem Dialecticæ artis vigorem, refellens maximè illam doctrinam, quæ de diverſitate inter neceſſitatem conſequentiæ & conſequentis tractat. Quam tamen ex Scripturis Sacris ſemper ab initio intellexerunt Eccleſiaſtici Patres, Tertullianus, Origenes, Chryſoſtomus, Ambroſius, Auguſtinus, tractantes illud Joann. 12. &c. Notanda videtur valdè iſta doctrina, quòd hæretici Calviniſtæ (contrà illos enìm in particulari agebat Driedo) ne vincerentur & excluderentur, negabant hanc diſtinctionem, de neceſſitate conſequentis, quæ eſt neceſſitas in ſenſu diviſo, & conſequentiæ, quæ eſt neceſſitas in ſenſu compoſito, quam ſemper Patres Eccleſiæ tradiderunt.

Magiſter etiam Sententiarum *Lib. 1. Diſtinct. 38.* hanc eandem tradit ſicut neceſſariam diſtinctionem, in ſenſu modò ex S. Thomâ explicatam. Sic enìm ibì argumentatur: *Aut aliter poteſt fieri, quàm Deus præſcivit, aut non aliter. Si non aliter; ergò neceſſariò cuncta eveniunt. Si verò aliter, poteſt ergò Dei præſcientia falli, vel mutari.* Et ità reſpondet: *Ad quod dicimus, illam locutionem multiplicem facere intelligentiam, ſcilicèt, aliter poteſt fieri quàm Deus præſcivit, & hujuſmodi. Poſſunt enìm hæc conjunctìm intelligi, ut conditio ſit implicita, & disjunctìm. Si enìm ità intelligas: non poteſt aliter fieri, quàm Deus præſcivit, id eſt, non poteſt utrumque ſimùl eſſe, ſcilicèt, quòd Deus ità præſcivit fieri, & aliter fiat, verum intelligis. Si autem per disjunctionem intelligas, ut dicas hoc aliter non poſſe evenire quàm evenit, & quomodò futurum Deus præſcivit, falſum eſt.* Quibus verbis apertiſſimè ſenſum cõpoſitum, eodem modo quo ex ſancto Thomâ diximus, manifeſtat. Poterat induci Scotus, & Scholaſtici omnes, qui idem omninò dicunt verbis expreſſis; ſed eſſet nunquàm finire, & in re clariſſimâ immorari.

Immò ex PP. Societatis doctiores ſenſum diviſum atque compoſitum explicant, dicentes: in ſenſu compoſito non poſſe nos reſiſtere efficaci Dei motioni; quià fieri non poteſt, ut illa motio efficax ſit, & nos reſiſtamus. Undè iſtam formam ſenſûs compoſiti debent PP. Societatis admittere. Verum tamen eſt ipſos loqui de efficaciâ pendente ex conſenſu arbitrij, & involvente ipſum conſenſum. P. Valentia *1. 2. q. 3. de diviſione gratiæ, diſput. 8. puncto 3.* ità dicit: *Ex quibus ſit conſequens, quòd poſitâ vocatione efficaci, neceſſariò ex hypotheſi ſequitur hominis converſio, ut rectè cenſuit Vega Lib. 6. in Concil. Trident. cap. 9. Nàm ſi Deus efficaciter vocat, eo ipſo efficaciter concurrit ad converſionem, & facit nos reſpondere; & reſpondemus.* Et ſtatìm poſt pauca: *Quæ doctrina non pugnat cum eo quod definitum eſt in Concilio Tridentino Seſſ. 6. cap. 5. & can. 4.: liberè, ſcilicèt, hominem vocationi reſpondere, ità ut poſſit ei diſſentire. 1°. Quià ſi vocatio & inſpiratio divina conſideretur abſolutè, ut vocatio & inſpiratio eſt, & non ut jàm efficax, poteſt omninò rejici; cùm contingat quandoque inefficacem eſſe; ut dictum eſt. 2°. Quià etiamſi vocatio & inſpiratio conſideretur ut jàm efficax, tamen ſimpliciter loquendo liberè ei conſentitur, etiamſi ex hypotheſi, ſcilicèt poſito quòd vocatio ſit efficax, fieri non poſſit ut quis non conſentiat.*

Similiter hunc ſenſum facere ſenſum compoſitum dicit Franciſcus Suarez *Lib. 3. de auxil. divin. grat. cap. 9.* Ità enìm àit: *Quandò enìm dicitur potentiam, ad conſentiendum determinatam, poſſe diſſentire, aut eſt ſenſus compoſitus, ſcilicèt, ſtante formâ illâ determinante ad conſenſum, poſſe ſimùl cum illâ eſſe diſſenſum; & hæc eſt aperta repugnantia & contradictio.* Igitùr jàm expreſsè concedit eſſe apertam contradictionem, quòd poſſit voluntas conjungere contrarium diſſenſum cum formâ phyſicè prædeterminante ad conſenſum. Nihil ergò aliud nos dicimus, niſi eſſe hanc contradi-

ctionis

ctionis implicantiam, nec in tali implicatione conſiſtere hominis libertatem.

Eodem modo explicat ſenſum compoſitum Illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus *Lib. 6. de grat. & lib. arb. cap. 14.* ità dicens: *Atque hinc eſt, quòd ſanctus Auguſtinus ut plurimùm, cùm loquitur de gratiâ efficaci, non dicit eam non poſſe reſpui, ſed de facto non reſpui. Si quando tamen dicit, non poſſe reſpui, intelligendum eſt de hypotheſi, non abſolutè; ut ſenſus ſit: non poſſe fieri, ut is Deum vocantem non ſequatur, quem Deus vocavit eo modo, quo prævidit eum ſequuturum: tamen abſolutè poſſe non ſequi.* Et *cap. 15.* iterùm: *Nàm inprimis gratia excitans, ſi ſolùm ſit ſufficiens, non autem efficax, rejici poteſt, & reipsâ rejicitur; ut experientia docet. Si verò ſit efficax, non rejicitur unquàm, nec poteſt rejici ex hypotheſi, ſed abſolutè rejici poteſt; ut oſtendimus capite ſuperiori. Et ratio eſt; quoniàm gratia, quantumvìs efficax, nihil eſt aliud niſi ſuaſio, quæ non determinat voluntatem; ſed inclinat per modum proponentis objectum.* Igitùr ipſi Doctores ex Societate, quamvìs præſuppoſitâ illâ præſcientiâ, tamen fatentur, quòd gratia efficax ex hypotheſi rejici non poteſt in ſenſu compoſito. Nec hoc putant eſſe contrà Concilium, quod docet, quòd poteſt homo illâ rejicere.

Deindè P. Vaſtida rationibus intendebat ſuadere, Concilium loqui in ſenſu compoſito; ità quòd definiat fieri poſſe, ut liberum arbitrium motum & excitatum conjungat contrarium diſſenſum. Et quidem hoc tetigit, cùm ait: quòd diſſentire eſt conjungere contrarium diſſenſum. Quidam enìm putant difficultatem facere hanc conſequentiam: Diſſentire traditum à Concilio, eſt conjungere contrarium diſſenſum cum efficaci gratiâ præveniente: ſi enìm de facto diſſentiret homo, de facto conjungeret diſſenſum cum tali gratiâ efficaci; ſed Concilium definit hominem poſſe diſſentire; ergò definit hominem poſſe conjungere contrarium diſſenſum cum tali gratiâ præveniente.

Cæterùm iſta ratio nihil concludit, nec difficultatem facit; ſed eſt fallax, & Paralogiſmus. Fit enìm ex hâc ratione manifeſtus tranſitus à ſenſu diviſo ad compoſitum. Illa enìm minor: voluntas poteſt diſſentire, intelligitur in ſenſu diviſo; & in concluſione infertur poſſe diſſentire in ſenſu compoſito. Undè S. Thomas hanc detegens fallaciam in hâc & ſimilibus propoſitionibus, ità dicit *Lib. 1. contrà Gent. cap. 7. Hæc enìm conditionalis eſt neceſſaria: ſi videtur ſedere, ſedet. Undè etſi conditionalis in cathegoricam transferatur, ut dicatur: quod videtur ſedere, neceſſe eſt ſedere; patet eam de dicto intellectam & compoſitam eſſe veram, de re verò intellectam & diviſam eſſe falſam. Et ſic in his omnibus ſimilibus, quæ Dei ſcientiam circà contingentia oppugnantes argumentantur, ſecundùm compoſitionem & diviſionem falluntur.* Hæc S. Thomas. Falluntur ergò qui ſic argumentantur: liberum arbitrium à Deo motum & excitatum poteſt diſſentire; quod Concilium Tridentinum affirmat: ergò poteſt conjungere contrarium diſſenſum; vel quod idem eſt, poteſt diſſentire in ſenſu compoſito.

Immò idem argumentum tenentur PP. Societatis in ſuâ ſententiâ ſolvere. Certùm enìm eſt quòd dùm voluntas conſentit, potentiam habet ad diſſentiendum; nec enìm per hoc quòd conſentit, aufert à ſe potentiam quam habebat ad diſſentiendum. Tunc ergò ſic forment argumentum: Diſſentire cùm voluntas conſentit, eſt conjungere contrarium diſſenſum cum conſenſu; ſed voluntas cùm conſentit poteſt diſſentire; ergò poteſt conjungere contrarium diſſenſum cum conſenſu. Nihil valet conſequentia; quià falluntur ſecundùm compoſitionem & diviſionem. Minor enìm illa procedit in ſenſu diviſo & infert concluſionem in ſenſu compoſito.

Similiter certum eſt ſecundùm Catholicam veritatem, quòd poſtquàm Deus determinavit producere Antichriſtum, potentiam liberam habet

ad illum non producendum. Tunc ergò ſic faciat argumentum: ſi Deus poſtquàm determinavit producere Antichriſtum, illum non produceret, cōjungeret procùldubio non productionem Antichriſti cum efficaci determinatione de ipſo producendo; ſed Deus, poſtquàm determinavit illū producere poteſt non producere; ergò poteſt conjungere non productionē Antichriſti cum efficaci determinatione de ipſo producendo. Nulla eſt conſequentia, ſed fallacia, quâ falluntur ſic argumentantes ſecundùm diviſionem & compoſitionem. Quià illa minor: poteſt Deus modò non producere Antichriſtum, eſt vera in ſenſu diviſo; & concluſio infertur in ſenſu compoſito.

Hoc ampliùs manifeſtatur in illo communi exemplo: Certum eſt enìm prædeſtinatum, etiàm ut eſt ſub prædeſtinatione, potentiam habere ut damnetur; quià prædeſtinatio, ut inquit S. Thomas, *1. p. q. 23.* nihil ſubtrahit de potentiâ prædeſtinati. Tunc ergò ſi fiat ità argumentum: ſi prædeſtinatus damnaretur, conjungeret ſine dubio contrarium actum cum efficaci prædeſtinatione Dei; ſed prædeſtinatus poteſt damnari, etiam poſtquàm eſt prædeſtinatus; ergò poteſt conjungere contrariam damnationem cum efficaci Dei prædeſtinatione. Non valet conſequentia; quià qui ſic opponunt, ſecundùm diviſionem & compoſitionem falluntur. Minor enìm illa vera eſt in ſenſu diviſo, & infert concluſionem falſam in ſenſu compoſito.

Poſteà R. P. ſic procedebat: quòd poſſe diſſentire in ſenſu diviſo, nihil aliud dicat, niſi liberum arbitrium habere potentiam ad diſſentiendum, ſi ablata fuerit efficax gratia; ſed hoc non ſufficit, ut arbitrium poſitum ſub efficaci gratiâ habeat libertatem. Ad hoc Reſpondetur: quòd non ſolùm ſi auferatur gratia efficax, ſed etiam illâ poſitâ, & dùm eſt poſita, habet liberum arbitrium potentiam abſolutè & ſimpliciter ad diſſentiendum; & ità eſt abſolutè & ſimpliciter dicendum. Undè optimè ſalvatur hominis libertas, etiàm dùm eſt ſub efficaci præveniente gratiâ. Itaque non attribuat nobis R.P. id quod nunquam diximus; ſed totum contrarium affirmamus, videlicèt, quòd non ſolùm dùm gratia aufertur, ſed etiam dùm efficaciſſimè ponitur in voluntate, poteſt diſſentire, ſi velit, & potentiam liberam habet ad diſſentiendum.

Ad illud autem exemplum de tentationibus, mirum eſt quòd PP. non advertant non ſtare ad propoſitum. Nàm homo poſitus ſub gravi tentatione, ſine gratiæ auxilio, non habet potentiam proximam aut ſufficientes vires ad reſiſtendum. Undè de illo abſolutè dicitur, quòd non poteſt reſiſtere illis tentationibus; poterit autem reſiſtere, ſi non adſint tentationes illæ. At verò liberum arbitrium ſub efficaci gratiâ conſtitutum potentiam proximam & ſufficientem habet ad diſſentiendum, etiam dùm eſt ſub tali efficaci gratiâ; quià potentia ad diſſentiendum gratiæ, ex libero arbitrio habetur; nec datur per gratiam, ſicut datur per gratiam potentia ad reſiſtendum tentationibus. Undè ſine gratiâ non eſt potentia ad reſiſtendum, dùm ſunt graves tentationes: at verò potentia ad diſſentiendum ſemper ineſt libero arbitrio, ſivè adſit efficax gratia, ſivè auferatur.

Ad aliud exemplum de ſedente, qui licèt non habeat potentiam ad conjungendum ſimùl ſeſſionem cum non ſeſſione, potentiam tamen habet ad conjungendum non ſeſſionem cum rogationibus quibus quis rogat, ut ſedeat; Reſpondeo: vel in hoc exemplo ſatìs PP. manifeſtare quam gratiam prævenientem admittant, rogantem, videlicèt, & ſuadentem interiùs, non efficientem. Ad hoc enìm, exemplum inducunt, ut oſtendant, quòd ſicùt homo poteſt conjungere contrarium ſeſſioni cum rogationibus alterius rogantis ut ſedeat; ità cum interiori gratiâ rogante & exhortante, poſſit homo conjungere contrarium diſſenſum.

Ad aliud exemplum de Gigante trahente puerum, Reſpondetur: iſta eſſe

eſſe humana exempla, & diſſimilia valdè. Si enim Gigas ille dominium haberet ſuprà voluntatem liberam parvuli, & poſſet liberam ejus inclinationem movere, ſine dubio parvulus traheretur ab efficaciâ trahentis, & liberè traheretur. Modò, ut ſæpè diximus, Deus habet poteſtatem & dominium ſuprà liberas hominum voluntates, & liberas inclinationes, ad illas convertendum quocunque ipſe voluerit. Undè illas convertit & inclinat ſecundùm proprium modum; quià non ſolùm eſt cauſa movens efficaciter hominem ad conſentiendum, ſed eſt cauſa movens efficaciter ad liberè conſentiendum. Cauſat enim efficaciâ ſuâ & ſubſtantiam & modum, & modum & ſubſtantiam; ut ſæpè diximus: & ſic homo infallibiliter conſentit, liberè tamen, & cum omni ſuâ libertate, quâ ſemper poteſt diſſentire, ſi velit.

Ad aliud exemplum de propoſitione evidenti concludente intellectum, Reſpondetur: non eſſe ſimile; quià intellectus libertatem non habet ad diſſentiendum, cùm ei proponitur evidens propoſitio, V. G. omne totum eſt majus ſuâ parte. At verò voluntas ſub quâlibet efficaci gratiâ conſtituta, retinet ſuam propriam & connaturalem libertatem, quâ poteſt diſſentire, ſi velit. Itaque intellectus non eſt liber, ſed naturaliter convincitur ex evidentiâ objecti.

Et per hoc reſpondetur ad illud aliud exemplum de Beatis. Beati enim libertatem non habent, dùm ſunt ſub beatitudine, ad ceſſandum, videlicèt, ab actu amoris beatifici. Et ratio à priori eſt; quià omnis libertas in voluntate originatur ab indifferentiâ judicij rationis: quià autem intellectus Beati non habet judicium indifferens circà amorem Dei, vel circà ceſſationem ab illo actu; nec enim ſub aliquâ ratione boni talis ceſſatio ab actu proponitur per intellectum Beati voluntati illius: & ideò nec voluntas Beati libertatem habet ad ceſſandum ab actu; ſed ut natura fertur in tale objectum. Cæterùm in libero arbitrio excitato & moto efficaci gratiâ, totum contrarium invenitur. Ut enim explicui ſæpè, talis gratia efficax primò illuminat intellectum, proponendo voluntati per judicium practicum indifferens, ità illum debere aſſentiri, quòd advertat, ſe poſſe diſſentire, ſi velit. Et quià hoc ſæpè explicavimus; exemplum inductum potiùs contratium convincit.

Deindè R. P. idem intendebat probare ex Concilio Arauſicano II. *cap. 25.* a ex illis verbis: *Hoc etiàm ſecundùm fidem Catholicam credimus, quòd, acceptâ per baptiſmum gratiâ, omnes baptizati, Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint, & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere.* Et ex illis aliis verbis Concilij Tridentini, quibus dicit: *quòd niſi homines gratiæ Dei defuerint, ſicùt Deus cœpit opus bonum, ità perficiet.* Ad quod reſpondetur, utrumque Concilium loqui de juſtificatis, qui ſemper habent auxilium ſufficiens ad perſeverandum: & niſi illi defuerint gratiæ Dei peccando, Deus illis dabit auxilia perſeverantiæ. Cæterùm quòd ipſi non deſint gratiæ Dei, eſt ex ejus efficaci gratiâ. Itaque quòd deficiant gratiæ Dei, ex ipſis hominibus eſt; quòd autem non deſint, ex Deo eſt, ſicùt ex primâ causâ, ut in terminis docet S. Thomas *1. 2. q. 112. art. 3. ad 2.* In ſecundo enim loco ſic opponit: *Prætereà Anſelmus dicit in libro de caſu Diaboli, quòd iſta eſt cauſa, quarè Deus non concedit Diabolo gratiam; quià ipſe non voluit accipere. Sed remotâ causâ, neceſſe eſt removeri effectum: ergò ſi aliquis velit accipere gratiam, neceſſe eſt quòd ei detur.* Et ſic reſpondet: *Ad ſecundum dicendum, quòd defectûs gratiæ prima cauſa eſt ex nobis; ſed collationis gratiæ prima cauſa eſt à Deo; ſecundùm illud Ozee 13. perditio tua ex te Iſraël, tantummodò in me auxilium tuum.* Similiter quòd in iſtis conditionibus ſe fundant; quià, videlicèt, dicunt Concilia, quòd ſi homo non deſit gratiæ Dei, illa gratia non deerit illi; ex hoc

a *In App. Op. S. Auguſt. tom. 10. col. 160.*

non licet inferre, quòd homo faciat gratiam efficacem; quià omnes iſtæ conditiones ſic intelligendæ ſunt; quòd ſi homo velit, operatur.

Cæterùm quòd homo velit benè operari habet ex Deo. Quod S. Thomas apertè docet *1. 2. q. 109. art. 8. ad 3.* ſic dicens: *Ad tertium dicendum, quòd ſicùt Auguſtinus dicit in Hypognoſticon, verbum illud intelligitur de homine ſecundùm ſtatum naturæ integræ, quandò nondùm erat ſervus peccati. Undè poterat peccare & non peccare. Nunc etiàm quandocunquè vult homo, datur ei; ſed hoc quòd bonum velit, habet ex auxilio gratiæ.* Sic ergò ſi homo non deſit gratiæ, gratia non deerit illi; ſed hoc quòd homo non deſit gratiæ, habet ex auxilio gratiæ. Undè S. Auguſtinus *in Lib. de perfect. juſtit.*, reſpondens ad dicta argumenta, quæ non rectè deducebantur antiquitùs ex iſtis conditionibus; a *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*: b *Si volueris conſervare illa, conſervabunt te*, & ſimilibus, quibus Scriptura Sacra plena invenitur, ità dicit: c *Itèm dicunt*, inquit, ſcilicèt Celeſtius, *non volentis nec currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* d *Quibus reſpondendum eſſe dicit: quòd idem Apoſtolus alibi de quodam ait: quod vult, faciat &c. Itèm in Deuteronomio*; e *vitam & mortem dedit ante faciem tuam, bonum & malum, elige vitam ut vivas. Item apud Salomonem*: f *Deus ab initio conſtituit hominem & reliquit eum in manu conſilij ſui. Adjecit ei mandata & præcepta ſua: Si volueris mandata ſervare, conſervabunt te*; & ſimilibus, quibus Sacra Scriptura plena invenitur. Ad quas propoſitiones deductas ex illis conditionibus, ità reſpondet S. Auguſtinus: *Hìc verò, quantumlibèt iſti ſe obtegant, aperiuntur. Declarant enìm ſe contrà Dei gratiam vel miſericordiam diſputare, quam volumus impetrare, cùm dicimus*: g *Fiat voluntas tua ſicùt in Cælo & in Terrâ, & ne nos inferas in tentationem, ſed libera nos à malo. Ut quid enim iſta orando tanto gemitu petimus, ſi volentis hominis & currentis, & non miſerentis eſt Dei? Non quià hoc ſine voluntate noſtrâ agitur; ſed quià voluntas non implet quod agit, niſi divinitùs adjuvetur. Hæc eſt fidei ſanitas, quæ nos facit orare,* h *quærere ut inveniamus, petere ut accipiamus, pulſare ut aperiatur nobis. Contrà iſtam qui diſputat, contrà ſeipſum claudit oſtium miſericordiæ Dei. Nolo plura dicere de re tantâ; quià meliùs eam committo fidelium gemitibus, quàm ſermonibus meis.* Et poſt pauca: i *Aut quià dictum eſt: ſi voles præcepta, ſervabunt te; quaſi non debeat agere Deo gratias, quià præcepta voluit, qui deſertus omni lumine veritatis, hæc velle non poſſet.* Et multa talia ſimilia dicit S. Auguſtinus in iſto Libro circà iſtas conditiones, ex quibus malè deducebant aliqui falſam intelligentiam.

a Matth. 19. 17.
b Eccli. 15. 16.
c Tom. 10. cap. 19. n. 40. col. 186.
d Rom. 9. 16.
e Deut. 30. 15. & 19.
f Eccli. 15. 14.
g Matth. 6. 10.
h Luc. 11. 9.
i Ibid. num. 41. col. 187.

Et eodem modo quod dixit P. R. quòd ſi gratia eſſet efficax ex Deo, impoſſibilia eſſent homini divina mandata: hoc totaliter ei negatur; nàm etiamſi homo non habeat auxilium efficax, quià quibus datur ex miſericordiâ datur; tamen per auxilium ſufficiens poterat ſervare mandata, & ex defectu ſuo homo illa non ſervat, & ſibi imputatur quòd illa non ſervet. Et advertere debent Patres, hoc fuiſſe argumentum antiquitùs oppoſitum S. Hieronymo & S. Auguſtino in hâc eâdem causâ: cui ſemper SS. Doctores reſponderunt: quòd homo per ſua merè naturalia ſine auxilio gratiæ non poteſt ſervare omnia mandata; poteſt tamen cum auxilio gratiæ. Undè abſolutè & cum omni veritate & proprietate poteſt illa ſervare. Quamvìs enìm ſine efficaci auxilio gratiæ illa non ſervabit de facto, poteſt tamen illa ſervare per auxilium ſufficiens, quod Deus poteſt illi miſericorditer dare.

Ultimò induxit R. P. locum Calvini dicentis: *Movet Deus voluntatem, non qualiter antiquis temporibus traditum eſt & creditum, ut noſtræ poſteà electionis ſit obtemperare vel refragari; ſed illam efficaciter afficiendo.* Ad quod ſæpè diximus: Calvinum erraſſe, quià poſuit efficacem motionem hominem movere

movere & rapere ſine illo liberè conſentiente; & quià poſuit efficacem motionem neceſſitantem & tollentem hominis libertatem, ideò damnatus fuit à Concilio Tridentino definiente: quòd Deus efficaciter movet; ſed ſalvâ in omnibus hominis libertate. Immò hoc ipſum verba Calvini declarant. Dicit enìm Deum efficaciter movere hominis voluntatem; ità quòd noſtræ poſteà poteſtatis non ſit obtemperare vel refragari. Concilium autem Tridentinum contrà ipſum dicit: Deum movere hominis voluntatem; ità quod Deo cooperetur liberè & cùm poteſtate liberâ ad refragandum, & non conſentiendum.

Et modò dico: quòd Calvinus in illis verbis, ut hæretici ſolent, cùm æquivocatione procedit. Dupliciter enìm poteſt illa verba intelligere: *movet Deus voluntatem, non qualiter antiquis temporibus traditum eſt & creditum, ut noſtræ poſteà electionis ſit obtemperare vel refragari.* Si enìm intelligit Eccleſiam antiquitùs dixiſſe, Deum ità movere hominis voluntatem, ut ipſa voluntas ex ſe incipiat ſuum motum; ità quòd quandò vult faciat Dei motionem efficacem vel inefficacem; hoc Eccleſiæ imponit Calvinus; quià Eccleſia nunquàm talem Dei motionem docuit, ſed contrà Pelagianos illàm damnavit. Si autem intendat Calvinus, quòd antiquitùs Eccleſia docuerit, ità Deum movere efficaciter hominis voluntatem, ut liberam poteſtatem, quâ ità conſentit ut poſſit diſſentire ſi velit, habeat; tunc verum eſt quòd Eccleſia hoc ſemper tenuit & docuit. Undè ipſe Calvinus utramque hanc motionem negavit, & illam quam homo ad libitum reddebat efficacem vel inefficacem. Et negando hanc contrà Pelaginos, non erravit; ſed erravit negando aliam Dei motionem efficacem, quæ conſervat hominis libertatem, quam ſemper tradit Eccleſia; & conſtituendo efficacem Dei motionem auferentem hominis libertatem.

Circà Concilium autem Senonenſe dicebat F. Thomas: Illud Concilium Provinciale eſſe, nec per hanc Sanctam Sedem confirmatum. Undè quandò aliquid in oppoſitum diceret, ex ipſo nullo modo ſumi efficax argumentum pro rebùs fidei. Conſtat enìm Concilia Provincialia, immò Nationalia, in rebus fidei antè hujus S. Sedis confirmationem deficere poſſe. Immò aliquandò defecerunt. Cujus vel unum celebre exemplum habetur ex Concilio Africæ Nationali in quo fuère 85. Epiſcopi, ex quibus aliqui fuère Martyres, ut Cyprianus; quod tamen Concilium materialiter erravit circà rebaptizandos. Et tunc manſit integra fides in Stephano Papâ, qui ſemper dicebat: Errant, nihil innovandum. Errant; nihil innovandum. Et quidem poſſem inducere Concilia alia Provincialia, eodem tempore celebrata, ut Concilium Trevirenſe, Moguntinum, & Colonienſe; quià tamen video approbata non eſſe, nec ea indico.

Poſteà F. Didacus Alvarez reſpondit: PP. jàm alterâ vice induxiſſe illum ſuum Librum; ſed quòd ſemper truncatè inducebant. Quià ipſe non dicebat hominem eſſe inanime quoddam, vel truncum, ſeu baculum; ſed quòd ſicut baculus, niſi moveatur ab alio, non ſe movet; ità liberum arbitrium, niſi moveatur à Deo, ſe liberè non movet ad bonum. Sed poſtquàm à Deo movetur, ſe liberè movet. Quià, ut S. Thomas dicebat, *1. p. q. 105. art. 4. ad 2.* quòd moveri voluntariè, eſt moveri à ſe, id eſt, à principio intrinſeco: ſed illud principium poteſt eſſe ab alio principio extrinſeco; & ſic movens ex ſe, non repugnat ei, quòd moveatur ab alio. Et ad hoc inducebat id quod Chriſtus dicit: a *Filius à ſe non poteſt facere quidquam.* Quià enìm non habet eſſe ex ſe, ità non operatur ex ſe Filius. Quantò magìs creatum arbitrium non poterit operari ex ſe ſicut primum movens; quià non habet eſſe ex ſe.

a *Joan.* 5. 19.

Tunc iterùm P. Vaſtida aſſumptâ parabolâ incepit impugnare quæ dicebantur,

bantur, dicens : Quòd ſi P. Lemos habet tot decreta Pontificum pro ſuâ ſententiâ, quarè non inducit? Deindè dicebat gratiam adjuvantem in Concilio Tridentino non pertinere ad prævenientem, in quâ ſe fundabat contraria ſententia: quià Concilium dicit, quòd conſentit arbitrium gratiæ excitanti prævenienti, non autem gratiæ adjuvanti. Probabat 2°. quià ſi Concilium docet gratiam adjuvantem pertinere ad prævenientem, cùm ſit certum etiam eſſe cooperantem, & ſubſequentem, ſeu concomitantem, deficeret Concilium tradens defectuoſam doctrinam de gratiâ adjuvante. Similiter dicebat: quòd Canon quartus Concilij non dicebat hominem ſemper cooperari excitatum & motum; quià per illa verba *nihil cooperari,* dicebat damnari qui dicunt, ipſum ſe habere merè paſſivè. Et in probando dilatabat philacteria ſua, multa inculcando.

Ad illud autem quòd Concilium loquebatur de gratiâ præveniente efficaci, ſecluſâ ſcientiâ mediâ, dicebat: quòd aliqui ſine ſcientiâ mediâ ſalvabant gratiam efficacem; quâ tamen conſequentiâ, ipſi viderint: & quòd Concilium non locutum fuit expreſsè de ſcientiâ mediâ. Dicebat tamen, quòd ſcientia media, loquendo non de voce, ſed de reipsâ, erat certiſſima; & quòd ſecundum fidem aſſerenda erat.

Præterea ad loca inducta de ſenſu diviſo atque compoſito, & de ejus neceſſitate & intelligentiâ, dicebat ſe admittere talem diſtinctionem in hoc ſenſu; quòd voluntas dùm vult non poteſt non velle in ſenſu compoſito: non autem loquendo de auxilio antecedente prævenientis Dei gratiæ. Et ſic dicebat intelligendos Doctores ſuos allatos in oppoſitum; quià ipſi jàm involvebant hominis conſenſum, cùm dicunt: quòd efficaci gratiæ non poteſt homo reſiſtere in ſenſu compoſito. Et multa dicebat in explicationem Suorum; & apertiſſimè fatebatur, quòd auxilium gratiæ in ſuâ efficaciâ ab homine pendebat; & quòd homo conſentiendo vel non conſentiendo, illud reddebat efficax, vel non efficax. Similiter inducebat doctrinam Cajetani *1. p. q. 22. art. 4.* dicentis: per hanc diſtinctionem communem de ſenſu diviſo & compoſito, non quietari hominis intellectum.

Pariterque dicebat quòd Concilium Provinciale Senonenſe, licèt confirmatum non ſit, fuit tamen graviſſimum; & quòd nihil aliud dicit niſi quod Concilium Tridentinum, quod poſteà illud approbavit; & quòd PP. Dominicani ſolebant adducere Concilium Colonienſe in Enchiridio, quod tamen erat prohibitum. Et tandem concludebat cum quodam teſtimonio S. Proſperi, ubì dicebat, quòd Deus per gratiam prævenientem excitat, illuminat, dat affectum &c. Ex quo ſumebat ſuam excitationem, & perſuaſionem moraliter attrahentem. Et quædam ſimilia proponebat diffusè ſatìs. Quibus, quià de novo nihil adducebat, propter veritatem potiſſimè, F. Thomas nihil volebat reſpondere, inſinuantibus aliquibus Cardinalibus potiſſimè, ut nihil reſponderet. Sed Sanctiſſimus reſpiciens F. Thomam, inſinuavit ut aliquid diceret.

Tunc F. Thomas ità aït: PATER BEATISSIME, ſummâ brevitate unum aut alterum dicam. Imprimis P. R. negat gratiam adjuvantem in Concilio pertinere etiam ad prævenientem. Quod expreſsè dicit contrà Concilium. Nec aliter probandum quàm ex ipsâ apertâ litterâ Concilij à me ſatìs explicatâ. Undè omitto. Quod autem dicit, quòd Concilium dicit hominem conſentire gratiæ excitanti, cooperari autem cum adjuvante: vim facit verbis. Nàm aït Concilium: quòd liberum arbitrium conſentit gratiæ excitanti, & cooperatur gratiæ operanti, & prævenienti, & adjuvanti. In Canone autem quarto, P. R. illum ità explicat, ut unum ſolum ex quatuor contentis in illo Canone dicat, tribus omiſſis. Concilium enìm ibidem definit contrà Lutheranos & Calviniſtas.

Digitized by Google

Calviniſtas. Lutherani dicebant hominem ſe habere merè paſſivè. Contrà quod dicit Concilium : non ſe habere merè paſſivè. Similiter dicebant habere ſe ut inanime quoddam. Concilium autem definit : non ſe habere ut inanime. Calviniſtæ autem dicebant, hominem ſponte cooperari ſemper ſine libertate, dùm à Deo movetur. Concilium autem in primâ parte Canonis definit : quòd homo ſemper cooperatur, dùm à Deo antecedenter excitatur, & movetur. Deindè dicit: quòd ità ſemper Deo moventi & excitanti cooperatur, quòd non ſolùm ſponte, ſed cum omni ſuâ libertate conſentit; quià ità conſentit, ut poſſit ſemper diſſentire, ſi velit.

Ad illud autem de Cajetano, ut alia omittam quæ à P. ſunt dicta, Reſpondeo: quòd ſi PP. Jeſuitæ ſequerentur humilitatem Cajetani, non perturbaretur Eccleſia his controverſiis. Quià Cajetanus in illo loco citato, licèt fateatur, quòd illa diſtinctio de ſenſu diviſo atque compoſito, non perfectè in his materiis quietet intellectum; quià evidentiam non facit quâ quietatur intellectus : ſicùt in materiâ Trinitatis, Incarnationis Dominicæ, & in aliis pertinentibus ad fidem, intellectus perfectè non quietatur. Docuit tamen Cardinalis Cajetanus, quòd non propter hoc negandum eſt, vel hominis liberum arbitrium, vel certa & infallibilis Dei providentia; quià utrumque ad fidem pertinet, & utrumque de fide tenendum eſt, ſcilicèt, & efficacia divinæ gratiæ antecedentis, & libertas arbitrij. Nec propter difficultatem negandum unum vel alterum eſt.

Ad illud de S. Proſpero; pro explicatione SS. Doctorum Eccleſiæ, advertendum eſt triplicem eſſe excitationem. Nec enim Sancti ſolùm, ſed & ipſa Eccleſia petit à Deo excitationem: *Excita Domine tuorum fidelium voluntates &c.* Alia eſt excitatio interior, ſed extrinſeca, & quæ nullas vires dat voluntati, ad modum quo quis dormientem excitaret, ut periculum imminens fugeret, quam conſtat nullas ei dare vires. Alia eſt interior excitatio dans animæ vires ſufficientes tantùm, ad operandum. Et utramque iſtam excitationem admittunt PP. Societatis. Tertia excitatio de quâ Sancti loquuntur, & quam Eccleſia à Deo petit, eſt excitatio efficaciſſimas vires tribuens voluntati, illam applicans ad operandum, & infallibiliter effectum inducens, Et iſta includit gratiam adjuvantem ex parte prævenientis. Quæ doctrina patet ex S. Thomâ *1. p. q. 106. art. 1.* Ubi dicit duplicem eſſe illuminationem; aliam per modum ſuadentis; & ſic Angelus poteſt hominem illuminare; alteram ex parte potentiæ, quâ Deus immutat voluntatem. Et iſta eſt propria Dei. Et hanc antecedentem excitationem immutantem voluntatem RR. PP. omninò negant.

Tunc Vaſtida dixit : quòd etiam ipſi quieſcent, ſi definitum fuerit, talem eſſe gratiam efficacem antecedenter. Cæterùm modò illud negant, quià nec ex fide habetur. Unum tamen, ut aïebat, conſiderandum erat: quià hæretici, niſi eis oſtenderetur facilitas hujus concordiæ arbitrij cum gratiâ, ſemper ab illâ reſilirent. Inſinuans ſe hâc occaſione illam ſententiam ſuam defendiſſe. Et tandem dicebat : Conveniamus ergò, quòd eſt aliqua ſpecies excitationis, quæ infallibiliter inducit effectum, & poſteà de aliis diſputabimus. Et ſic finita fuit Congregatio, cùm per quatuor horas & ampliùs duraſſet.

CONGREG.

Digitized by Google

Habita coràm Sanctiſſimo die 22. Novembris die S. Cæciliæ anni 1605. Aſſiſtentibus Illuſtriſſimis Cardinalibus S. Inquiſitionis, & præſentibus etiàm omnib' aliis Prælatis, & Cenſoribus deputatis.

Vide Hiſt. Congreg. de Auxil. Lib. 4. cap. 9. col. 633. & ſeqq.

CONGREGATIO
QUADRAGESIMA SECUNDA, SEU QUINTA CORAM PAULO V.

In quâ de phyſicâ prædeterminatione quartò eſt diſputatum potiſſimè ex Sancto Auguſtino.

IN hâc Congregatione, ſicùt & in tribus præcedentibus, actum fuit de eodem Dubio : *An*, videlicèt, *Deus efficaci ſuâ gratiâ præveniente moveat hominis voluntatem ad actus bonos, non ſolùm ſuadendo &c. Sed etiam verè & activè propriè ? Et an talis efficax gratia convenienter Phyſica prædeterminatio vocetur ?* Et in hâc Congregatione proponebant PP. Societatis per ſuum recitatorem Vaſtidam, ex S. P. Auguſtino tantùm probare, ipſum negaſſe illam phyſicam prædeterminationem, ſeu illud auxilium præveniens, quo poſito, homo ſemper infallibiliter conſentiat. Ad quod probandum ſic incipiebat:

Authores phyſicæ prædeterminationis ſeptem dicunt de illâ. 1°. Auxilium illud non conſiſtere in interioribus ſuaſionibus ſed in illâ phyſicâ entitate prædeterminante. 2°. Dicunt, auxilium gratiæ adjuvantis, quatenùs adjuvans eſt, etiam pertinere ad gratiam prævenientem, & non ſolùm eſſe gratiam concomitantem. 3°. Dicunt, quòd per illud ità Deus trahit hominem, ut ſuæ libertati non dimittatur. 4°. Dicunt, non conſiſtere tale auxilium in congruâ quâdam vocatione, quæ ità uni congruat, quòd non congruat alteri; quià cùm datur, omnibus congruit, & omnes vocati veniunt. 5°. Dicunt, quòd cùm tale auxilium datur, omnes ſemper veniunt, & currunt : nec eſt poſſibile quòd detur, & non currant: nec eſt in illorum poteſtate, vel illud accipere, vel rejicere. 6°. Dicunt, quòd ſine tali auxilio prædeterminante phyſicè, homines nec poſſint converti, nec benè operari. 7°. Dicunt, quòd tale auxilium phyſicè prædeterminans eſt adæquata cauſa noſtræ converſionis & ſalutis. Iſta in ſubſtantiâ paulò diffuſiùs à principio proponebat.

Deindè aſſerebat: omnia iſta capita ſeptem eſſe à S. Auguſtino expreſſè reprobata; & ex conſequenti S. Auguſtinum reprobare auxilium phyſicè prædeterminans. Quòd enim Im. Caput ſit à S. Auguſtino reprobatum, ſic ſuadebat: quià S. Auguſtinus non ſolùm expreſsè docebat auxilium prævenientis gratiæ non eſſe ſine illis interioribus revelationibus, & excitationibus, & ſuaſionibus; ſed etiam affirmabat expreſsè, efficax auxilium gratiæ prævenientis in illis revelationibus & excitationibus ſeu interioribus perſuaſionibus conſiſtere. Quod primò probabat ex S. Auguſtino *q. 2. ad Simplic.* a ubì loquens de Pauli converſione, ità dicit: *Quid volebat Saulus, niſi ut invaderet & traheret &c.? Quàm rabida voluntas! quàm furioſa! quàm cæca! Qui tamen unâ deſuper voce proſtratus, occurrente utique tali viſo, quo mens illa & voluntas refractâ ſævitiâ retorqueretur.* Ex his verbis inſtabat in illo relativo *quo*, id eſt, quo viſo refracta eſt ſævitia. Igitur viſionibus Deus homines convertit. Et de illis viſionibus intelligebat illud aliud quod S. Auguſtinus dicit *Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 5.* b quòd Deus dat

a Tom. 6. n. 22. col. 104.

b Tom. 10. n. 12. col. 724.

dat voluntati efficaciſſimas vires ad ſui converſionem. Idipſum probabat ex illo *Lib. de Spirit. & Litterâ cap. 34.* a ubì dicit S. Auguſtinus: quòd viſionibus agit Deus ut agamus. Et ex illo *Lib. de dono perſev. cap. 14.* b *Ex quo apparet habere quoſdam in ipſo ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant.*

a *Tom. 10. n. 60. col. 120.*
b *Tom. 10. n. 35. col. 840.*

II^m. Caput quod habetur ex S. Auguſtino eſt, diſtingui gratiam adjuvantem ab excitante & præveniente; ità quòd excitans eſt præveniens; adjuvans verò eſt concomitans ſeu ſubſequens. Quod probabat ex S. Auguſtino *q. 2. ad Simplic.* c dicente: *Non igitur ideò dictum eſt putandum, non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei; quià niſi ejus adjutorio non poſſumus adipiſci quod volumus; ſed ideò potiùs, quià niſi ejus vocatione non volumus.* Idem etiàm probabat ex illo *Enchirid. cap. 32.* d *Ut totum Deo detur, qui præparat voluntatem adjuvandam, & adjuvat præparatam.* Ex quibus locis inferebat, adjuvantem gratiam ut diſtinctam ab excitante non eſſe prævenientem, ſed concomitantem & ſubſequentem; quià nullus adjuvatur, niſi qui aliquid facit.

c *Tom. 6. n. 12. col. 95.*
d *Tom. 6. col. 208.*

III^m. Caput deducebat ex S. Auguſtino in hunc modum: S. Auguſtinus ità docet; quòd Deus ità trahit homines, quòd illos dimittit in ſuâ liberâ poteſtate. Quod probabat ex illo *Lib. 2. contrà Felicem Manichæum cap. 4.* e *Cùm ergò dicit Dominus, aut hoc facite aut illud, poteſtatem indicat, non naturam. Nemo enìm niſi Deus facere arborem poteſt; ſed habet quiſque in voluntate, aut eligere quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona; aut eligere quæ mala ſunt, & eſſe arbor mala.* Et ex illo *83. qq. q. 68.* f *Vocatio ergò ante meritum voluntatem operatur: propthereà etſi quiſquam ſibi tribuit, quòd venit vocatus, non poteſt ſibi tribuere, quòd vocatus eſt: qui autem vocatus non venit, ſicut non habuit meritum præmij ut vocaretur, ſic inchoat meritum ſupplicij, cùm vocatus venire neglexerit.* Itèm ex illo id probabat, quod habet S. Auguſtinus *Lib. 2. contrà Litteras Petiliani Donatiſtæ, cap. 84.* g *Si tibi proponam quæſtionem: quomodò Deus Pater attrahat ad Filium homines, quos in libero dimiſit arbitrio? Fortaſsìs eam difficilè ſoluturus es. Quomodò enìm attrahit, ſi dimittit ut quis quod voluerit eligat? Et tamen utrumque verum eſt; ſed intellectu hoc penetrare pauci valent.* Ex his inferebat, Deum ità attrahere, ut homines dimittantur, ut eligant quod voluerint.

e *Tom. 8. col. 488.*
f *Tom. 6. num. 5. col. 54.*
g *Tom. 9. n. 186. col. 270.*

IV^m. Caput deſumebat ex S. Auguſtino *q. 2. ad Simplician.* h ubì apertè dicit vocationem eſſe uni congruam & non alteri ob differentem illorum diſpoſitionem & affectionem; ſic enìm dicit: *An fortè illi qui hoc modo vocati non conſentiunt, poſſent alio modo vocati accommodare fidei voluntatem; ut & illud verum ſit;* i *multi vocati, pauci electi; ut quamvìs multi uno modo vocati ſint, tamen quià omnes non uno modo affecti ſunt, illi ſoli ſequantur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei.* Et iterùm: k *Quià ſi vellet etiam ipſorum miſereri, poſſet ità vocare, quomodò illis aptum eſſet, ut & moverentur, & intelligerent, & ſequerentur.* Et iterùm: l *Illi enìm electi, qui congruenter vocati: illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quià non ſequuti, quamvìs vocati.* Ex iſtis locis deducebat illam ſuam vocationem congruam, contrariam auxilio efficaciter prædeterminanti.

h *Tom. 6. n. 13. col. 95.*
i *Matth. 22. 14.*
k *Ibidem.*
l *Ibidem.*

V^m. Caput colligebat ex S. Auguſtino in hunc modum: S. Auguſtinus expreſsè docet, quòd illi qui non obediunt vocationi, ſibi tantùm imputare debent, quòd vocati non veniunt; quià ſi non reſpuiſſent vocationem, ſed vellent conſentire, venirent, & ſalvarentur. Quod docet S. Auguſtinus *eâd. q. 2. ad Simplician.* cùm loquens de Eſaü, ità dicit: m *Noluit ergò Eſaü & non cucurrit; ſed & ſi voluiſſet, & cucurriſſet, Dei adjutorio perveniſſet, qui ei etiam velle & currere vocando præſtaret, niſi vocatione contemptâ reprobus fieret.*

m *Ibid. n. 10. col. 94.*

Bbbb VI^m.

Digitized by Google

VI^m. Caput deducebat ex S. Auguſtino: quòd, videlicèt, ſine illo auxilio phyſicè prædeterminante homo poteſt ſalvari, & poteſt converti. Ad quod probandum in particulari inducebat illud S. Auguſtini *Lib. de correpṫ. & grat. cap. 11.* a ubì docet: *quòd ſi adjutorium hoc vel Angelo vel homini, quamprimùm facti ſunt, defuiſſet; quoniam non talis natura facta erat, ut ſine Dei adjutorio poſſet manere, ſi vellet, non utique ſuâ culpâ cecidiſſent. Adjutorium quippè defuiſſet, ſine quo manere non poſſent.* Ex quo deducebat: quòd ſi auxilium phyſicè prædeterminans eſt tale, quòd ſine illo homo non poteſt converti, & homini denegatur, quòd non imputatur ſibi ad culpam, quòd non convertitur. Ubì & illud expreſsè iterùm ac ſæpè dicebat: quòd auxilium gratiæ antecedentis in hoc conſiſtit, quòd det poſſe operari, & poſſibilitatem ad operandum. Ad quod inducebat quædam loca S. Auguſtini, potiſſimè illum *ex Lib. 1. Retract.* b: quòd Deus præparando hoc modo dat poteſtatem, ut filij Dei ſint homines. Undè per præparationem tantùm dat poſſibilitatem, & poſſe benè operari.

a Tom. 10. n. 32. col. 768.

b Tom. 1. cap. 22. n. 4. coll. 33. & 34.

VII^m. denique Caput deducebat ex S. Auguſtino, dicens: quòd S. Auguſtinus ubique docet, quòd auxilium gratiæ non eſt tota adæquata cauſa noſtræ converſionis. Quod probabat ex illo S. Auguſtini *Lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 5.* c *Adjutor noſter dicitur Deus* d; *nec adjuvari poteſt, niſi qui etiam aliquid ſponte conatur. Non enìm ſicut in lapidibus, vel ſicut in his, in quorum naturâ rationem voluntatemque non condidit, ſalutem noſtram Deus operatur.* Et ex illo *Lib. de grat. & lib. arb. cap. 5.* e *Non ego, ſed gratia Dei mecum* f, *id eſt, non ſolus, ſed gratia mecum; ac per hoc nec gratia Dei ſola; nec ipſe ſolus, ſed gratia Dei cum illo.* Et ex illo *Lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 5.* g *Nec ideò tamen de hâc re ſolis votis agendum eſt, ut non ſubinferatur, adnitendo etiam noſtræ efficaciâ voluntatis. Adjutor enim noſter dicitur Deus, nec adjuvari poteſt niſi qui aliquid ſponte conatur.* Et aliis ſimilibus teſtimoniis probabat, gratiæ auxilium non eſſe adæquatam cauſam noſtræ converſionis & ſalutis. Immò error Calvini fuit, quòd totum agebat gratia, & quòd ipſa ſit cauſa adæquata converſionis noſtræ.

c Tom. 10. num. 6. col. 43.

d Pſal. 61. 9.

e Tom. 10. n. 12. col. 724.

f 1. Cor. 15. 10.

g Tom. 10. num. 6. col. 43.

Tandem dicebat: quòd fundamentum, in quo Defenſores phyſicæ prædeterminationis illam fundabant, totaliter erat contrarium S. Auguſtino. Undè fiebat argumentum ad hominem. Nàm ex eo quòd S. Auguſtinus dicit; quòd Deus dat vires efficaciſſimas voluntati; & quòd inflectit hominum voluntates; & quòd nos convertit &c. ex iſtis S. Auguſtini teſtimoniis inferunt auxilium phyſicè prædeterminans, ex generali ſubordinatione quam cauſa ſecunda habet ad cauſam primam; & quià ſecundum liberum non poteſt operari, niſi moveatur à primo libero; & propter certitudinem divinæ cognitionis. Sed ad omnia iſta conſtituere auxilium phyſicè prædeterminans, eſt expreſsè contrà S. Auguſtinum. Inprimis enìm S. Auguſtinus dicit: quòd ut Adam & Angeli operarentur in ſtatu innocentiæ, & ut perſeverarent, non indigebant hoc auxilio faciente facere, ſeu phyſicè prædeterminante. Ergò ex generali ſubordinatione quam habet cauſa ſecunda ad cauſam primam, non requiritur auxilium phyſicè prædeterminans; nec etiam ad hoc quòd ſecundum liberum operetur. Antecedens eſt expreſſum ſancti Auguſtini *Lib. de correptione & gratiâ capp. 11. & 12.* h ubì dicit: quòd Adam potuit perſeverare ſi vellet; ità quòd non indigebat illo alio auxilio phyſicè prædeterminante; ſed ſi vellet, nullo alio ſuperaddito, perſeveraret. Et de Angelis docet expreſsè *cap. 10. ejuſdem Lib.* i quòd *peccantibus Angelis, alij per liberum arbitrium ſteterunt.* Eccè ſteterunt, ſine illo auxilio phyſicè prædeterminante, per liberum arbitrium; quià videlicèt voluerunt. Igitur ſecundùm S. Auguſtinum eſt evidens, quòd ex generali ſubordinatione cauſæ ſecundæ

h Tom. 10. col. 766. & ſeqq.

i Ibid. num. 27. col. 765.

cundæ

cundæ ad primam, & ex dependentiâ ſecundi liberi à primo libero, non indiget homo auxilio phyſicè prædeterminante. Quod & rationibus probabat. Quià aliàs ſi non poterat ſine illo auxilio perſeverare, non imputaretur ei non perſeverare. Et in hoc ſuadendo nimìs diffundebatur.

Quòd autem ad certitudinem divinæ cognitionis de futuris contingentibus, non requiratur auxilium illud phyſicè prædeterminans, probabat; quià ipſe S. Auguſtinus expreſsè docet, quòd certò poteſt præſcire multa, quæ non prædeſtinavit nec prædeterminavit; ergò ad certitudinem divinæ cognitionis circà contingentia futura, non requiritur auxilium phyſicè prædeterminans. Quòd autem etiam non requiratur ex dependentiâ quam habet ſecundum liberum in ſuâ operatione à primo libero, ex eo etiam probabat; quià ſecundum liberum operabatur peccata & mala: & tamen Deus non prædeterminat ad illa; ut eſt certiſſimum; quià Deus non eſt cauſa peccati. Ergò ex generali ſubordinatione quam habet ſecundum liberum à primo in ſuâ operatione, non indiget prædeterminari phyſicè à primo libero.

Poſtremò & illud probabat ex generali ratione providentiæ. Et occaſione hujus, ultimatè inducebat Dominicum Bannez, qui in materiâ reprobationis relinquebat S. Auguſtinum; immò dicebat conſequentiam S. Auguſtini nullam eſſe: Quòd ſi attenderet, poſſet videre S. Auguſtinus. Et hoc legebat, & nimìs exaggerabat, dicens: Quòd in Molinâ reprehendebantur nimìs quædam ſimilia verba; quæ tamen PP. Dominicani, non ſequentes Auguſtinum, etiam dicebant. Quædam autem alia pauca dixit ſimilia, quæ nec memoriâ retinentur, nec oportet; quià iſta fuêre præcipua capita. Et in ſubſtantiâ crediderim quòd nihil aliud dixerit.

Tunc Frater Thomas ità dicebat: Beatissime Pater, ad cujus pedes, quæcumque dixero, humiliter ſuppono. Certum eſt docuiſſe S. Auguſtinum ſemper divinæ gratiæ prævenientem efficaciam, quâ Deus infallibiliter volũtates hominum tranſmutat, & ad bonum efficaciter prædeterminat; hoc, inquam, ità certum eſt & manifeſtum, ſicut eſt certum, ipſum pro hujus veritatis defenſione per tot annos adversùs Pelagianos in Eccleſiâ glorioſiſſimè laboraſſe. Nihil enìm ſanctus Doctor magìs impugnat, quàm talem eſſe prævenientem ſeu antecedentem gratiam, ut illâ utatur liberum arbitrium cùm vult, & cùm vult illam reddat omninò caſſam. Et ut omittam innumera teſtimonia ſæpè ad hoc inducta, quæ iterùm induci poterant, pauca quædam proponam.

S. Auguſtinus *in Epiſt. 107. ad Vitalem* a, poſt plurima ex Litteris Sacris inducta teſtimonia, quæ apertiſſimè efficaciam prævenientis gratiæ prædicant, ità concludit: *Hæc & alia teſtimonia divina, quæ commemorare longum eſt, oſtendunt Deum gratiâ ſuâ auferre infidelibus cor lapideum, & prævenire in hominibus bona merita voluntatum; ità ut voluntas per antecedentem gratiam præparetur.* Docet ergò ſanctus Auguſtinus in terminis Deum per antecedentem gratiam præparare hominis voluntatem. Hoc igitur ſit primum fundamentum à S. Auguſtino expreſsè traditum. Nè autem aliquis dicere poſſet, ipſum loqui de præparatione voluntatis per antecedentem gratiam trahentem tantùm moraliter; ut P. R. modò expreſsè explicavit; quâ poſitâ antecedenter in voluntate, ſi voluntas vult, conſentit, & illam efficacem reddit; ſi autem non vult, non conſentit, & illam reddit caſſam & vanam; ut PP. RR. in præcedenti Congregatione interpretabantur; hanc falſam intelligentiam præcludens ipſe S. Auguſtinus, ità *in eâd. Epiſt.* b dicit: *Recognoſcis me, ut puto, in iis, quæ nos ſcire dixi, non omnia quæ ad fidem Catholicam pertinent commemorare voluiſſe; ſed ea tantùm, quæ ad iſtam, quæ inter nos agitur de Dei gratiâ quæſtionem: utrùm præcedat hæc gratia, an ſubſequatur*

a *Nunc 217 tom. 2. n. 28. col. 805.*

b *Ibid. num. 17. col. 805.*

ſubſequatur hominis voluntatem? hoc eſt, ut planiùs hoc eloquar; utrùm ideò nobis detur, quià volumus, an per ipſam etiam Deus efficiat, ut velimus? Igitùr tota quæſtionis controverſia inter S. Auguſtinum & Catholicos ex unâ parte, & Pelagianos ex alterâ, illa fuit: quià Pelagiani dicebant gratiam dari, quià volumus. At verò S. Auguſtinus docet, Deum per antecedentem gratiam facere ut velimus. Itaque non facit tantùm Deus per antecedentem gratiam, ut, ſi volumus, conſentiamus, (ut PP. RR. dicunt) & ſi nolumus, non conſentiamus: ſed per antecedentem gratiam facit Deus, ut de facto & cum effectu velimus.

Quod magìs explicans idem ſanctus Doctor *Lib. de correptione & gratiâ cap. 11.* a conſtituens differentiam inter gratiam primæ conditionis, datam primo Parenti in ſtatu innocentiæ, & gratiam datam hominibus per Chriſtum Redemptorem, hanc eſſentialem inter utramque conſtituit differentiam, ità dicens: *Tale quippè erat adjutorium, quod deſereret, cùm vellet, & in quo permaneret, ſi vellet; non quo fieret ut vellet. Hæc eſt prima gratia quæ data eſt primo Adam; ſed hâc potentior eſt in ſecundo Adam. Prima enim eſt quâ fit, ut habeat homo juſtitiam, ſi velit: ſecunda ergò plus poteſt, quâ etiam fit ut velit.* Ex quo teſtimonio conſtat apertè RR. PP. ad ſummum admittere gratiam illam primæ conditionis, cùm dicunt: quòd poſitâ illâ antecedente gratiâ, ſi volumus, facimus; ſi nolumus, non facimus. Non autem admittunt gratiam redemptionis & reparationis humanæ, quæ facit ut velimus. Et hoc ipſum declarans magìs *eodem Lib. cap. 12.* b ità iterùm dicit: *Fortiſſimo quippè dimiſit, & permiſit, ut ipſo donante, invictiſſimè quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere invictiſſimè nollent.* Ergò ſecundùm S. Auguſtinum, Deus per antecedentem gratiam datam per Chriſtum, facit ut homines invictiſſimè velint. Quod adhuc magìs fundans atque declarans *in eod. cap.* c ità dicit: *Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ; ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur; & ideò, quamvis infirma non tamen deficeret, neque adverſitate aliquâ vinceretur.* Ergò ſecundùm S. Auguſtinum, ut omnia in ſummam reducam, Deus per antecedentem gratiam datam per Chriſtum, facit ut homines invictiſſimè, indeclinabiliter, & inſuperabiliter quod bonum eſt velint. Ergò poſitâ illâ antecedente gratiâ, non ſtat hominem declinare, non ſtat diſſentire: cùm tamen ſemper poſſit diſſentire, ſi velit.

a Tom. 10. num. 31, col. 767.

b Ibid. num. 38. col. 771.

c Ibidem.

Immò hoc ipſum magìs apertè declarans ipſe S. Auguſtinus *Lib. de dono perſever. cap. 6.* d loquens de dono perſeverantiæ, quo Deus perſeverantes facit, ità dicit: *De illâ enim perſeverantiâ loquimur, quâ perſeveratur uſque in finem; quæ ſi data eſt, perſeveratum eſt uſque in finem; ſi autem non eſt perſeveratum uſque in finem, non eſt data.* Et ſtatìm ſubjungit e: *Perſeverantiam verò uſque in finem, quoniam non habet quiſquam, niſi qui perſeveraverit uſque in finem: multi eam poſſunt habere, nullus amittere.* Itaque nullus poteſt amittere perſeverantiam; ut docet expreſsè S. Auguſtinus. Quod intelligit in ſenſu compoſito; quià fieri non poteſt, ut quis habeat illam perſeverantiam, & illam amittat. Nam abſolutè, & in ſenſu diviſo, poteſt homo illam amittere; quià etiam illâ poſitâ, liberam potentiam habet ad illam amittendam, ſi velit. Quod nullo modo negat ſanctus Auguſtinus. Et quòd loquatur in ſenſu compoſito, cùm dicit, nullum poſſe amittere perſeverantiam ſibi datam, ipſe S. Doctor mirabiliter declarat, verbis immediatè ſequentibus, dùm ità dicit: f *Quomodò enim poteſt amitti, per quod fit, ut non amittatur, etiam quod poſſet amitti?* Ubì dicit: quòd licèt, perſeverantia poſſet amitti; tamen quià per ipſam fit ut non amittatur, non poteſt amitti, ſeu nunquàm amittitur. Ubì duobus verbis & ſenſum diviſum & compoſitum conſtituit, dicens: quòd licèt poſſit abſolutè amitti; tamen quià

d Tom. 10. n. 10. col. 826.

e Ibidem.

f Ibidem. col. 827.

quià ipſa facit ut non amittatur, non poteſt amitti, id eſt, fieri non poteſt ut amittatur. Ergò ſecundùm expreſſa verba S. Auguſtini, poſitâ illâ antecedente perſeverantiâ, quâ fit ut perſeveret homo, illa non poteſt amitti in ſenſu compoſito; quià fieri non poteſt ut amittatur. Quod ſicut in præcedenti Congregatione oſtendi ex S. Thomâ; ità & modò ex S. Auguſtino fit manifeſtum, hos SS. Doctores, & omnes alios in hoc ſenſu admiſiſſe diſtinctionem illam neceſſariam de ſenſu diviſo atque compoſito. Quòd, videlicèt, reſpectu antecedentis gratiæ efficacis, fieri non poteſt ut homo illam habeat, & diſſentiat. Et in hoc ſenſu fuit ſemper intellecta, & communiter recepta talis neceſſaria diſtinctio à SS. Patribus.

Ex dictis modò tale formatur argumentum pro auxilio phyſicè ſeu efficaciter prædeterminante: Idem omninò eſt auxilium antecedens gratiæ, quo poſito non ſtat ob ejus efficaciam, quòd homo diſſentiat, & auxilium phyſicè ſeu efficaciter prædeterminans; ut etiam RR. PP. fatentur: nec enìm majus aliquod inconveniens inveniunt in auxilio phyſicè prædeterminante, quàm in auxilio antecedente, quo poſito, non ſtat diſſentire. Sed S. Auguſtinus in terminis docet, cum efficaci antecedente gratiâ, quâ Deus facit ut homo indeclinabiliter operetur, non ſtare quòd homo declinet ad diſſenſum. Ergò ſecundùm S. Auguſtinum admitti debet auxilium phyſicè ſeu efficaciter hominis voluntatem prædeterminans, ſalvâ illius libertate, quâ ſemper poteſt diſſentire ſi velit. Immò S. Auguſtinus utitur in hâc parte verbis ſtrictioribus, quàm ſit auxilium phyſicè ſeu efficaciter prædeterminans. Docet enìm ſæpè, quòd Deus ex omnipotentiâ ſuâ, & ex dominio quod habet ſuprà liberas hominum voluntates, ipſas inflectit, immutat & transfert inſuperabiliter & indeclinabiliter, quocunque vult. Quod verbum *inflectit indeclinabiliter* ſi ego dixiſſem, quanta PP. Societatis oppoſuiſſent! Docet præterea S. Auguſtinus, quòd ità transfert indeclinabiliter hominum voluntates Deus, quòd ipſas facit ex nolentibus volentes. Docens apertè, quòd magìs ſunt in poteſtate Dei liberæ hominum voluntates, quàm ſint in ipſorum hominum poteſtate. Sed homines ipſi ſuâ poteſtate ſe liberè applicant & determinant phyſicè ad volendum, ſalvâ ipſorum libertate. Ergò multò magìs poterit Deus hominum voluntates phyſicè prædeterminare, ſalvâ ipſorum libertate; quià magìs habet in ſuâ poteſtate hominum voluntates, quàm ipſi ſuas.

Præterea, bonæ memoriæ Cardinalis Toletus *ſup. epiſt. ad Roman. cap. 11. annot. 4.* fatetur apertè Deum efficaciter prædeterminare hominum voluntates. Sic enìm habet: *Auguſtinus exiſtimat totum eſſe gratiæ; quià Deus facit hominem cooperari, & determinat arbitrium hominis; quià dat ut velle poſſit, & facit velle.* Ubì clarè loquitur de determinatione arbitrij, quæ fit priùs naturâ antè actum; & ex conſequenti loquitur de prædeterminatione, & de prædeterminatione efficaci, quâ Deus non ſolùm dat poſſe, ſed & ipſum velle & operari. Et ex eo quòd S. Auguſtinus dicit, quòd totum eſt gratiæ, quià dat etiam ipſum velle, optimè deducit S. Auguſtinum docere Deum determinare hominis voluntatem efficaciter ad agendum; quià intelligi non poteſt, quòd Deus faciat voluntatem velle actum determinatum, & quòd non prædeterminet in actu primo voluntatem ad talem actum.

Illuſtriſſimus etiàm Cardinalis Bellarminus *Lib. 4. de grat. & lib. arbit. cap. 11.* fatetur ſententiam de phyſicâ prædeterminatione eſſe S. Thomæ. Sic enìm dicit: *Tertiò eſt obſervandum, poſſe quatuor modis voluntatem à Deo inclinari ad aliquid appetendum vel fugiendum. 1°. Efficienter & phyſicè, immediatè illam movendo, & determinando ad unum: nam ſi poſſit ipſa ſe determinare, cur non poſſit etiam Deus illam determinare?*

determinare? 2°. *Efficienter quidem, ſed mediante aliquâ formâ, quam imprimat in voluntate. Nam infundendo gratiam & virtutes, per eas inclinat voluntatem ad bonas actiones. Et hos duos modos notavit S. Thomas q. 22. de verit. art. 8.* Quod ſufficere ſatìs deberet, ut PP. Societatis non tantùm inſtarent contrà phyſicam prædeterminationem, oppugnando doctrinam S. Auguſtini, & S. Thomæ; ut ipſos apertiſſimè Illuſtriſſimi duo Cardinales Doctiſſimi, ex Societate aſſumpti, docent. Non igitur poteſt dubitari, hanc doctrinam de phyſicâ prædeterminatione eſſe S. Auguſtini & S. Thomæ doctrinam.

Quòd autem ſit doctrina omnium aliorum SS. Patrum, quos habebam præparatos ad id oſtendendum, nunc breviter duplici ratione manifeſtabo. 1a.: Sententia quæ negat phyſicam prædeterminationem eſt damnata Semipelagianorum ſententia; ergò SS. Patres non negant phyſicam prædeterminationem: niſi velimus dicere SS. Patres cum damnatâ Semipelagianorum ſententiâ convenire. Quod abſit. Antecedens refertur in terminis à S. Proſpero de Semipelagianis *in epiſt. ad S. Auguſt.* a ſub his verbis: *Removeri itaque omnem induſtriam, tollique virtutes, ſi Dei conſtitutio humanas præveniat voluntates: & ſub hoc prædeſtinationis nomine, fatalem quamdam induci neceſſitatem.* Hoc igitur contendebant Pelagiani illi: quòd ſi æterna Dei conſtitutio, prædeſtinatio, ſeu prædeterminatio ſuâ efficaciâ præveniret hominum voluntates, nullam eſſe in hominibus libertatem, nullam virtutem; ſed fatalem induci neceſſitatem. Quibus verbis apertè negabant Pelagiani prædeſtinationem æternam divinæ voluntatis, quæ antecedat efficaciâ ſuâ hominum voluntates. Quòd autem etiam negarent auxilium phyſicè prædeterminans, voluntati impreſſum, per quod Deus hominis voluntatem movet, etiam refert idem S. Proſper *in eâd. epiſt.* b ità dicens ad S. Auguſtinum, à quo inter omnia poſtulat inſtrui: *Deindè,* inquit, *quomodò per iſtam præoperantem & cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium?* Quià enìm Pelagiani dicebant, per illam præoperantem gratiam lædi arbitrium, S. Proſper adversùs illos petit inſtrui à S. Auguſtino, quomodò per illam antecedentem & præoperantem gratiam, ſeu prædeterminantem, non tolleretur liberum hominis arbitrium. Igitur manifeſtum eſt Semipelagianos negaſſe utramque Dei prædeterminationem efficacem antecedenter; & illam æternam divinæ voluntatis; & hanc temporalem voluntati impreſſam, per quam Deus facit, ut faciamus id, quod divina voluntas per nos vult fieri. SS. ergò Patres ſemper hanc doctrinam Pelagianam damnarunt.

a Tom. 10. Op. S. Auguſt. num. 3. col. 780.

b Ibid. num. 8. col. 783.

Prætereà omnes SS. Patres expreſsè tradiderunt æternas divinæ voluntatis prædeterminationes, ſeclusâ omni priori præſcientiâ boni usûs futuri, ſivè abſolutè, ſivè ſub conditione. Sed ex illis divinæ voluntatis æternis prædeſtinationibus per evidentem conſequentiam ſequitur, ità ut à nullo poſſit negari, auxilium phyſicè prædeterminans. Ergò auxilium phyſicè prædeterminans quòad rem & quòad ſenſum traditur à SS. Patribus. Major, quòd SS. Patres admiſerint æternas divinæ voluntatis prædeterminationes, ità certa eſt, ut eam etiam PP. RR. veram fateantur. Plures etiam ex SS. Patribus poterant legi; ſed unum tantùm Dionyſium Areopagitam magni Apoſtoli Pauli Diſcipulum legam, qui ità dicit *Lib. de divin. nominib. cap. 5. tit. de exempll. Exemplaria autem eſſe dicimus in Deo exiſtentium rationes ſubſtantificas, & ſingulariter præexiſtentes; quas Theologia prædefinitiones vocat, & divinas & bonas voluntates: exiſtentium prædeterminativas & effectivas, ſecundùm quas ſubſtantialis eſſentia omnia prædeſtinavit & produxit.* Quibus verbis non ſolùm docet divinæ voluntatis æternas prædefinitiones, ſed, quod magìs eſt, teſtatur Theologiam appellare divinas voluntates prædeterminativas & effectivas

Digitized by Google

effectivas rerum. Theologia autem tempore S. Dionyſij, quæ ſignificat ſermonem de Deo, nulla alia erat, niſi divina Scriptura. Igitur divina Scriptura vocat æternas divinæ voluntatis prædeterminationes.

Quod explicans S. Thomas *in Commentar. ſup. Dionyſ.* ità dicit : *Hoc eſt ergò quod dicit, quòd exemplaria dicimus eſſe non res aliquas extrà Deum, ſed in ipſo intellectu divino quaſdam exiſtentium rationes intellectas, quæ ſunt ſubſtantiarum factivæ, & præexiſtunt in Deo ſingulariter, id eſt, unitè, & non ſecundùm aliquam diverſitatem; & hujuſmodi rationes Sancta Scriptura vocat prædefinitiones, ſivè prædeſtinationes, ſecundùm illud Rom. 8. a : quos prædeſtinavit, hos & vocavit; & vocat etiam eas divinas & bonas voluntates, ſecundùm illud Pſalmi : b magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates ejus.* In quo loco S. Thomas dicit : Scripturam Sacram eas ſic nominare, videlicèt, divinæ voluntatis prædefinitiones & prædeterminationes. Igitur manifeſtum eſt, non ſolùm SS. Patres, quos plures omitto, verùm etiam ipſam Scripturam Sanctam, vocare divinæ voluntatis æternas prædeterminationes.

a *Rom.* 8. 30.

b *Pſ.* 110. 2.

Quòd autem prædeterminationes iſtæ divinæ voluntatis ſint ſine priori præſcientiâ usûs arbitrij, ſivè abſolutè, ſivè ſub conditione præcogniti ; ex eo patet, quòd ſi anteponatur talis præſcientia, deſtruuntur divinæ voluntatis prædeterminationes. Quod ex modò dictis fit manifeſtum. Nam Pelagiani, ut oſtenſum eſt modò, negarunt divinæ voluntatis prædeterminationes, & ad illas negandas elegerunt ut medium illam præſcientiam mediam; quià reverâ opponuntur veræ divinæ voluntatis prædeterminationes, & præſcientia illa. Igitur illa major eſt manifeſta: quòd SS. Patres, immò ipſa Scriptura, expreſsè tradunt divinæ voluntatis æternas prædeterminationes abſque priori præſcientiâ ſivè abſolutâ, ſivè conditionatâ.

Minor autem : quòd ex illis divinæ voluntatis prædefinitionibus evidenter concludatur auxilium phyſicè prædeterminans, vel ipſi RR. PP. ſunt teſtes. Franciſcus enìm Suarez *Lib. 2. de concurſu Dei cap. 7. §. ut ergò*, ità dicit : *Ut ergò authoribus prioris ſententiæ reſpondeamus: vel illi exiſtimant Deum habere præſcientiam conditionatam futurorum omnium, priuſquàm ea eſſe decernat, aut permittat; vel exiſtimant in Deo non ſupponi talem ſcientiam ante omne decretum liberum voluntatis ſuæ. Si in priori fundamento procedunt, conſequenter quidem loquuntur; quià reverâ ſi Deus abſque tali præſcientiâ præfiniret actum voluntatis meæ, non poſſet non applicare media, quibus meam voluntatem ad talem actum eliciendum prædeterminaret. Undè ex tali prædefinitione ſine illâ præſcientiâ neceſſariò ſequitur prædeterminatio ad extrà humanæ voluntatis. Si ergò hæc repugnat libertati, ut oſtenſum eſt, etiàm illa repugnabit.* Quibus verbis expreſsè dicit 1°., quòd ex prædefinitione divinæ voluntatis abſque ſcientiâ mediâ, ſequitur manifeſtè auxilium prædeterminans. 2°. Dicit, quòd ſi determinatio extrinſeca voluntati impreſſa repugnat libertati, etiam illa Dei prædefinitio repugnabit libertati. Quod eſt valdè conſiderandum. Quià ſententia RR. PP., quâ negant auxilium phyſicè prædeterminans, & dicunt illud tollere libertatem, etiàm dicit ex æternâ prædefinitione divinæ voluntatis tolli libertatem, ſi auferatur illa media ſcientia. Undè non tantùm inſtant RR. PP. contrà auxilium phyſicè prædeterminans, ſed contrà æternas divinæ voluntatis prædeterminationes, ſeu prædefinitiones.

Immò ipſe Franciſcus Suarez poſteà *Lib. 3. de Auxiliis divinæ gratiæ cap. 13. §. aliundè*, ità dicit : *Aliundè verò non magìs poteſt cohærere hæc prædeterminatio phyſica per extrinſecam Dei voluntatem cum indifferentiâ libertatis humanæ quòad exercitium actûs per entitatem inhærentem : ergò non ſolùm eſt neceſſaria talis voluntas Dei ad hunc concurſum, verùm etiàm nec poſ-*

ſibilis,

ſibilis, ſi concurſus dandus eſt ad actum liberum, ejus libertate ſervatâ. Antecedens latè probatum eſt dicto Lib. 1. cap. 14. Nàm, ut dixi, quòad hoc eadem eſt ratio actuum ſupernaturalium, & aliorum. Item rationes omnes quæ factæ ſunt de præmotione efficaci inhærente, probant idem de quâcunque præmotione efficaci, quæ ſit omninò antecedens. Immò multò magis probant de hâc præmotione per efficacem Dei voluntatem; quià minùs poteſt illi reſiſtere voluntas creata, quàm cuilibet formæ creatæ ſibi inhærenti Quibus verbis apertè dicit non magìs lædere libertatem auxilium phyſicè prædeterminans voluntati impreſſum, quàm æterna divinæ voluntatis prædefinitio ſine mediâ ſcientiâ. Immò dicit, quòd multò minùs lædit libertatem auxilium phyſicè prædeterminans, quàm illa divinæ voluntatis prædefinitio. Undè quidquid habet, habet ex divinâ voluntate; & ex conſequenti, ſi lædit libertatem, multò magìs lædit libertatem principalis cauſa, in cujus virtute operatur. Et ſic patet, quòd in hâc materiâ, potiſſima inſtantia fit à RR. PP. contrà efficaciam divinæ voluntatis prædefinientis aliquid, multò magìs quàm contrà phyſicam prædeterminationem voluntati inhærentem.

Igitùr, ut concludam, manifeſtum eſt, ex æternis divinæ voluntatis prædeterminationibus neceſſariò ſequi auxilium phyſicè prædeterminans. Nec ſunt timendæ voces iſtæ, quæ pro his temporibus tàm neceſſariæ videntur ad tollendas æquivocationes; potiſſimè quià & Concilia & Eccleſia in his materiis utuntur vocibus, quæ in apparentiâ videntur rigidiores. Concilium quidem Tridentinum vocat efficaciam gratiæ prævenientis *impulſum Spiritûs Sancti*. Et licet Calviniſtæ dicerent, impulſum tollere libertatem; tamen Concilium contrà ipſos non ideò negavit illam vocem *impulſus*; immò expreſsè impulſum nuncupavit ad ſignificandam efficaciam divinæ gratiæ, non tollentis, ſed perficientis libertatem. Et Eccleſia à Deo petit ſic: *Et ad te noſtras etiam rebelles compelle propitius voluntates.* Certè *compellere* quòad vocem, rigidius quid videtur ſonare, quàm prædeterminare phyſicè ſeu efficaciter. Et tamen illâ voce utitur Eccleſia ad exprimendam efficaciam voluntatis Dei, & gratiæ ipſius.

Et per hoc, etiamſi aliud non reſponderetur, pateret manifeſtè ad objecta omnia propoſita. Cæterùm reſpondetur inſuper ad illa omnia. Primò generali quâdam ſolutione: S. Auguſtinum in omnibus inductis locis nihil aliud intendere, niſi homines habere libertatem arbitrij in eligendo, & habere dominium & poteſtatem ſuorum actuum; & quòd voluntati non fit vis à Deo, nec cogitur; nec neceſſitatur: ſed quòd ſemper liberè operatur. Per quod non negatur efficacia antecedens divinæ gratiæ. Per ipſam enìm libertas perficitur & roboratur.

Secundò in particulari, per omnia dicta diſcurrendo, reſpondetur. Septem enìm in ſubſtantiâ induxit R. P. ex S. Auguſtino. I°. S. Auguſtinum docere non ſolùm efficaciam gratiæ non eſſe ſine illis interioribus ſuaſionibus, revelationibus, illuminationibus, & excitationibus; verùm ſolùm in illis conſiſtere probavit ex aliquibus locis. Ex *q. 2. ad Simplic.* & ex *Lib. de Spirit. & Litter.* Secundò inducebat ex S. Auguſtino ità diſtingui gratiam verè adjuvantem ab excitante, quòd excitans pertinet ad prævenientem, adjuvans verò ad concomitantem & ſubſequentem. Probabat ex inductis teſtimoniis ex *q. 2. ad Simplic.* & ex *Enchirid.* Tertiò dicebat S. Auguſtinum docere, quòd ità Deus trahit per auxilium gratiæ, quòd relinquitur homo in ſuâ poteſtate liberâ ad eligendum vel non eligendum. Quod probabat ex aliis S. Auguſtini teſtimoniis, potiſſimè ex quodam deſumpto ex *Epiſt. contrà Petilian. Donatiſt.* Quartò inducebat ex S. Auguſtino, vocationem ità eſſe congruam uni & non alteri, quòd propter diverſam affectionem, unus illam recipit, illique conſentit,

conſentit, & alter illam abjicit illique diſſentit. Quintò inducebat S. Auguſtinum dicentem: quòd illi qui non obediunt vocationi, ſi non reſpuiſſent illam, cum Dei adjutorio perveniſſent, & conſentirent. Quod ex *eâd. q. 2. ad Simplic.* probabat. Prætereà ſextò inducebat S. Auguſtinum ad probandum, poſſe hominem ſine auxilio phyſicè prædeterminante benè operari, atque converti; ità quòd ſi ſine illo non poſſit, nec ſibi imputaretur, quòd non conſentiret. Septimò & ultimò probabat ex S. Auguſtino, Dei prævenientem gratiam non poſſe eſſe adæquatam cauſam noſtræ converſionis. Quod probabat ex aliis ex S. Auguſtino deductis teſtimoniis. Iſta ſeptem capita proponebat ex S. Auguſtino, contrà alia ſeptem ex Thomiſtis defendentibus illam phyſicam prædeterminationem.

Ad I[m]. ergò Caput ex S. Auguſtino deductum, Reſpondetur: S. Auguſtinum in omnibus illis locis ſolùm intendere efficaciam gratiæ conſiſtere in perſuaſionibus interioribus, non ſolùm moraliter attrahentibus, ſed efficaciſſimas vires præbentibus voluntati, & illam indeclinabiliter & inſuperabiliter immutantibus, & infallibiliter inducentibus effectum. Quæ perſuaſionem idem ſunt omninò, quòd efficax auxilium gratiæ antecedens, & verè efficienter movens, & applicans voluntatem ad agendum. Et ad illud primum teſtimonium, *ex q. 2. ad Simplic.* [a] in quo habetur: quòd tali viſo, refracta eſt Pauli ſævitia; nullo modo poteſt intelligi, quòd ſolâ viſione exteriori fuerit fracta Pauli ſævitia, & ad fidem converſus: ſed intelligitur quòd illâ viſione exteriori poſitâ, Deus illum interiùs immutavit efficaci auxilio gratiæ ſuæ. Vel ſecundò dicatur: dicere S. Auguſtinum, quòd per Chriſtum, qui Paulo ſic in viſione apparuit, & per ejus potentiam & efficaciam, fracta fuit Pauli ſævitia. Hæc ſecunda ibì ſolutio non fuit aſſignata.

a *Tom. 6. num. 22. col. 104.*

Ad illum alium locum *L. de Spir. & Litt. cap. 34.* [b] Reſpondetur 1°. non debuiſſe PP. illud teſtimonium inducere; quià ipſe S. Auguſtinus *L. de grat. Chr. cap. 10.* [c] expreſsè refert in eodem ſenſu, & ad idem probandum, oppoſitum ſibi fuiſſe à Pelagio, contendente Deum operari in nobis velle, ſolùm per ſuaſiones illas interiores. Sic enìm dicebat Pelagius Auguſtino: *Operatur in nobis velle, ſuadendo omne quod bonum eſt; quod tu alibì negare non metuis.* Cui reſpondet S. Auguſtinus: ſe nomine ſuaſionis interioris intellexiſſe perſuaſionem, non moraliter attrahentem, ſed inducentem effectum, & inflectentem, ac immutantem ſuâ efficaciâ hominis voluntatem. Hanc enìm perſuaſionem S. Auguſtinus vocat, quâ Deus operatur in nobis velle, ipſo ſe ſic explicante contrà Pelagium. Immò *in eod. L. de Spirit. & Litt. in ipſo eod. cap. objecto, in fine illius,* [d] ſatis ſe declarat, dùm iſta verba habet: *Jàm ſi ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet, cur ità illi ſuadeatur, ut perſuadeatur, illi autem non ità: duo ſola occurrunt interìm, quæ reſpondere mihi placeat:* [e] *O altitudo divitiarum! Et,* [f] *nunquid iniquitas apud Deum? Cui reſponſio iſta diſplicet, quærat Doctores; ſed caveat ne inveniat præſumptores.* Quibus verbis, ſuper ſuaſiones illas moraliter invitantes, perſuaſionem deſuper apponit: quæ nulla alia poteſt intelligi, niſì illa quæ efficaciâ ſuâ inducit infallibiliter effectum, & animam immutat.

b *Tom. 10. num. 60. col. 120.*
c *Tom. 10. num. 11. col. 235.*
d *Tom. 10. num. 60. col. 120.*
e *Rom. 11. 33.*
f *Rom. 9. 14.*

Pro II°. Capite: quòd ſecundùm S. Auguſtinum gratia adjuvans ſit ità diſtincta ab excitante, ut excitans ſit ſolùm præveniens, adjuvans verò ſubſequens, & non præveniens; eſt valdè mirandum, quomodò hoc tribuatur S. Auguſtino, cùm totum contrarium in ipſo inveniatur. Nam de iſto adjutorio verè præveniente, quod ità adjuvat, ut faciat hominem ſecum operari, fuit tota quæſtio adversùs Pelagianos, qui tale præveniens ſeu antecedens adjutorium gratiæ negabant, ut ſæpè in his Congregationibus oſtenſum fuit & declaratum. Quod po-

Cccc tiſſimè

tiſſimè conſtat, vel ex hoc apertiſſimo loco S. Auguſtini *Lib. 2. de peccat. meritis & remiſſ. cap. 5.* a ſub his verbis: *Sicut enim corporis oculus non adjuvatur à luce, ut ab eâdem luce clauſus averſusvè diſcedat; ut autem videat, adjuvatur ab eâ, neque hoc omninò, niſi illa adjuverit, poteſt: ità Deus, qui lux eſt hominis interioris, adjuvat noſtræ mentis obtutum, ut non ſecundùm noſtram, ſed ſecundùm ejus juſtitiam boni aliquid operemur.* Apertis ergò verbis docet: quòd Deus adjuvat, ut operemur, & quòd adjuvat ut videamus. Sed clariùs ſtatìm ſubjungit: b *Converſos ergò Deus adjuvat, averſos deſerit. Sed etiàm ut convertamur, ipſe adjuvat; quod certè oculis corporis lux iſta non præſtat.* Quid clarius? Converſos Deus adjuvat, ſed ut convertantur ipſe adjuvat. Si ſolùm diceret S. Auguſtinus: converſos Deus adjuvat, poterant affirmare gratiam adjuvantem eſſe ſubſequentem; cùm autem dicat, quòd etiam ut convertantur, Deus adjuvat, apertiſſimè docet gratiam adjuvantem pertinere etiàm ad prævenientem; quià ità Deus antecedenter adjuvat, ut homines de facto convertantur.

a Tom. 10. col. 42.

b Ibidem.

Et *Lib. de grat. Chr. cap. 5.* c ità docet: *Eccè eſt totum dogma Pelagij in libro ejus tertio pro libero arbitrio his omninò verbis diligenter expreſſum: quo tria iſta, unum quod eſt poſſe, alterum quod eſt velle, tertium quod eſt eſſe, id eſt, poſſibilitatem, voluntatem, actionem, tantâ ſubtilitate curavit diſtinguere, ut quandòcunquè legimus vel audimus, divinæ gratiæ adjutorium confiteri, ut à malo declinemus, bonumque faciamus, ſivè in lege atque doctrinâ, ſivè ubilibèt conſtituat, ſciamus quid loquitur; nec erremus, aliter eum intelligendo, quàm ſentit. Scire quippè debemus, quòd nec voluntatem noſtram, nec actionem divino adjuvari credit auxilio, ſed ſolam poſſibilitatem voluntatis atque operis, quam ſolam in his tribus nos habere affirmat ex Deo: tanquàm hoc ſit infirmum, quod ipſe Deus poſuit in naturâ, cætera verò duo, quæ noſtra eſſe voluit, ità ſint firma, & fortia, & ſibi ſufficientia, ut nullo ejus indigeant auxilio: & ideò non adjuvet ut velimus, non adjuvet ut agamus; ſed tantùm adjuvet ut velle & agere valeamus.* Duo expreſsè dicit ex Pelagio, quæ expreſsè P. R. protulit. Primò docet Pelagium negare adjutorium ut velimus; ità quòd gratia verè adjuvans, non ſit præveniens & adjuvans voluntatem ut velit. Quod in terminis contendit P. Vaſtida. Alterum quod ex Pelagio refert, illud eſt: ipſum tantùm admittere præveniens adjutorium tribuens *poſſe* benè operari. Quod PP. RR. expreſsè modò dixerunt. Et quod magìs eſt, dicit S. Auguſtinus, totum dogma Pelagij in hoc ſitum fuiſſe, quòd neget adjutorium præveniens ut velimus, & admiſerit adjutorium præveniens ut poſſimus.

c Tom. 10. num. 6. col. 232.

Immò Concilium Tridentinum *cap. 5. de juſtific.* expreſsè docet, gratiam adjuvantem pertinere ad prævenientem. Undè in præcedenti Congregatione ego dixi, hoc eſſe apertiſſimum in litterâ Concilij; ità quòd qui hoc negant, apertam litteram Concilij negant. Sic enìm docet Concilium: *Declarat prætereà ipſius juſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum Jeſum præveniente gratiâ ſumendum eſſe; hoc eſt, ab ejus vocatione, quâ nullis eorum exiſtentibus meritis, vocantur; ut, qui per peccata à Deo averſi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam, ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo & cooperando, diſponantur.* Determinat ergò expreſsè Concilium, prævenientem gratiam, à quo ſumitur exordium juſtificationis, eſſe Dei vocationem; & hanc vocationem eſſe adjuvantem & excitantem gratiam, quâ homines diſponuntur, ut convertant ſe in Deum. Et dicit: eidem gratiæ prævenienti, excitanti ſcilicèt & adjuvanti, hominem liberè conſentire & cooperari. Liberè enìm conſentit excitanti, & liberè cooperatur adjuvanti. Nec proptereà Concilium eſt diminutum; quià non dixit adjuvantem pertinere ad ſubſequentem

quentem. Dicendo enìm, quòd adjuvans pertineat ad prævenientem, ità quòd Deus adjuvat ut velimus, ibì reipsâ dicit: quòd nobiſcum, cùm operamur, cooperatur. Qui enìm unum dicit ad quod aliud infallibiliter ſequitur, id explicare non oportet.

Et *in can. 3.* idem definit, dicens: *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritûs Sancti inſpiratione atque adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur; anathema ſit.* Docet igitur adjutorium, ſicut & inſpirationem, ad gratiam prævenientem pertinere. Et in hoc conſiſtit tota ſubſtantia hujus doctrinæ, & hujus controverſiæ: quòd gratia adjuvans ſuprà excitantem pertineat ad prævenientem. Certiſſimum eſt enìm, cùm gratia adjuvans ſuprà excitantem ſit præveniens, quòd illâ poſitâ antecedenter, non ſtat hominem non operari & conſentire; quià qui adjuvatur, aliquid cooperando facit.

Teſtimonia autem illa duo, quæ ex S. Auguſtino in oppoſitum adduxerunt, nihil eis facient; quià in illo primo inducto *ex q. 2. ad Simplic.* a, cùm aït: *Quòd non ideò &c. quià ſine ejus adjutorio non poſſumus, ſed quià niſi ejus vocatione non volumus*: pro eodem omninò ſumit adjutorium & vocationem. De quâ vocatione alibì dixerat, quòd vocatione fit credens. Et ſenſus eſt: non ideò eſt Dei miſerentis, quià ſine ejus adjutorio non poſſumus; ſed quià niſi ejus vocatione ſecundùm propoſitum, quæ includit adjutorium, non volumus.

a *Tom. 6. num. 12. col. 95.*

Similiter quod induxit *ex Enchirid. cap. 32.* b ſæpè inductum fuit alibì, & ſæpè explicatum. Dicit enìm Auguſtinus: quòd *Deus præparat voluntatem adjuvandam, & adjuvat præparatam.* Breviter, ſenſus eſt: quòd Deus præparat per excitantem & adjuvantem gratiam, voluntatem adjuvandam per gratiam ſubſequentem; & adjuvat ſubſequendo voluntatem, jàm præparatam per priorem gratiam adjuvantem. Quod ex eo patet; quià S. Auguſtinus dicit: hoc ità eſſe dicendum, *ut totum Deo detur*: ergò ut totum Deo detur, ipſe non ſolùm adjuvat ſubſequendo, ſed etiam adjuvat præveniendo, ut velimus: aliàs ſine dubio, ſi ut velimus non adjuvamur à Deo, non totum Deo datur, ſed homini, qui ex ſe ſolo ſe applicat ad volendum.

b *Tom. 6. col. 208.*

In III°. Capite R. P. inducebat S. Auguſtinum dicentem: Deum ità trahere hominem, ut ipſum relinquat, & in ſuâ libertate dimittat. Quod potiſſimè probabat ex quodam teſtimonio deſumpto *contrà Petilianum Donatiſtam* c; in quo habet: quòd ſi illi proponat quæſtionem, quomodò Deus trahit hominem, & tamen illum in ſuâ poteſtate liberâ dimittat; difficilè ſolveret quæſtionem: & tamen utrumque eſt verum, & quòd trahit Deus, & quòd homo ſuæ poteſtati dimittitur. Certè vel ex hoc loco poterant PP. RR. videre, loqui S. Auguſtinum de illâ tractione, quam ſemper explicavit, quâ Deus antecedenter efficaciter trahit homines. Hæc enìm eſt, de quâ ſolâ poteſt dici, quod S. Auguſtinus ibì affirmat: quòd, videlicèt, difficile eſt, quomodò ità efficaciter à Deo trahatur homo; & ex aliâ parte, ut veniat, in ſuâ dimittatur liberâ poteſtate. Nàm ſi de aliâ tractione duntaxàt rogante, ut iſti volunt, fiat ſermo, & de illâ quæ tantùm dat poſſe, ut ſi volumus, illâ benè utamur, & ſi nolumus, illam caſſam reddamus, nulla prorsùs difficultas eſt; ſed eſt evidentiſſimum, quòd homo liberè veniat.

c *Tom. 9. n. 186. col. 270.*

In IV°. Capite inducebat S. Auguſtinum pro illâ vocatione *congruâ*, cujus congruitatem conſtituunt PP. RR. ſumi ex naturali hominis affectione & diſpoſitione, & ex naturali temperamento, ex quo provenit, ſicut à primâ radice & causâ: quòd vocatio uni ſit congrua, & ſortiatur effectum; alteri verò non. Hæc eſt ſententia de congruâ vocatione, quam PP. Societatis defendunt; quæ contraria omninò eſt S. Auguſtino, qui congruitatem vocationis & gratiæ, & quòd uni ſit

Digitized by Google

congrua, & non alteri, ex ipſâ efficaciâ gratiæ docet provenire; non ex naturali hominis affectione vel temperamento : ità quòd ipſa gratia ex ſe habet illam congruitatem, quæ homini ità congruit, ut conſentiat, & vocantem ſequatur. Et hanc congruitatem cognoſcit Deus habere ſuam efficacem gratiam: ut faciat homines ſequi & obtemperare. Undè Paulus *ad Hebræos ultimo*: a *Aptet vos Deus in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem.* Hic tamen locus ibì dictus non fuit.

a Hebr. 13. 21.

Ad Auguſtini locum Reſpondeo 1°. ex Illuſtriſſimo Cardinale Bellarmino *Lib. 2. de grat. & lib. arb. cap. 15.* Ubì ſic dicit : *Porrò S. Auguſtinus, cùm ſcripſit Librum ad Simplicianum, adhuc juvenis erat, nec multa invenerat in hâc difficillimâ quæſtione, quæ poſteà majori diligentiâ inveſtigavit & reperit.* Inſuper ibì dicit, extortam adhibuiſſe explicationem illi Apoſtoli teſtimonio; b *ut ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret.* Et iterùm dicit: *Vides quàm aliter ſapiat Auguſtinus ſenex, quàm Auguſtinus juvenis. Nàm ſenex ſcripſit ad Sixtum & Paulinum, juvenis ad Simplicianum.* Cùm ergò iſte Liber ad Simplicianum tàm parvæ authoritatis ſit apud RR. PP., ut etiam dicant, in illo extortam explicationem adhibuiſſe Apoſtoli teſtimonio; mirandum eſt valdè, quòd in Libro tàm minimæ authoritatis apud eos, velint PP. Societatis negotium hoc graviſſimum de efficaciâ gratiæ fundare, omiſſis aliis plurimis teſtimoniis, immò Libris integris, quos majori cum ſtudio & diligentiâ, & ex profeſſo, exortâ jàm Pelagianorum hæreſi, adversùs eos ſcripſit; in quibus hujuſmodi congruitatis, quam illi tribuunt, non meminit: ſed manifeſtè efficaciam antecedentis gratiæ, prout venit à Deo independenter à creatâ voluntate, ſemper docuit.

b Rom. 9. 11.

Reſpondeo 2°. quòd licèt S. Auguſtinus, in præcitatâ quæſtione ad Simplicianum, in verbis citatis, magìs diſputativè procedat, & inquirendæ veritatis causâ, quàm aſſertivè, nihil tamen dicit, in quo illa congruentia dependens ab humanâ voluntate poſſit fundari; quià tantùm docet noſſe Deum congruentiam & efficaciam ſuæ gratiæ, ex quâ homines aptantur, & obtemperant, & ſequuntur. Immò tandem in ultimis verbis illius quæſtionis, ità apertè concludit pro gratiâ ex Deo ipſo efficaci, ſicut in omnibus aliis Libris ſuis. Sic enìm dicit circà finem quæſtionis: c *Cùm ergò nos eadem delectant, quibus proficiamus ad Deum, inſpiratur hoc, & præbetur gratiâ Dei, non nutu noſtro, & induſtriâ, aut operum meritis comparatur : quià ut ſit nutus voluntatis, ut ſit induſtria ſtudij, ut ſint opera charitate ferventia, ille tribuit, ille largitur. Propterea petere jubemur,* d *ut accipiamus; & quærere, ut inveniamus; & pulſare, ut aperiatur nobis.* Eccè apertiſſimis verbis docet, congruentiam & efficaciam gratiæ nullo modo pendere ex affectione noſtrâ naturali, ex nutu noſtro, ex induſtriâ noſtrâ; ſed quòd hoc inſpiratur, & præbetur gratiâ Dei: quià, inquit, ut ſit nutus voluntatis, ut ſit conſenſus in bonum, Deus ſuâ gratiâ tribuit atque largitur. Et hâc ratione forsàn dicit S. Auguſtinus *Lib. de prædeſtinat. Sanctor. cap. 4.* e quòd *in quæſtionibus ad Simplicianum, elaboratum eſt pro libero arbitrio voluntatis humanæ; ſed vicit Dei gratia.* Quià reverâ ità diſputativè procedit, ut videatur ex parte favere libero arbitrio ; ſed tamen concludit pro veritate; ut modò vidimus. Tamen totum contrarium hujus finis *q. 2. ad Simplic.* dicit doctrina RR. PP. de gratiâ illâ ſuâ congruâ; de quâ manifeſtè dicunt, quòd ex illâ non provenit, quòd ſit nutus & conſenſus voluntatis. Igitur apertè etiam in iſto loco, in oppoſitum inducto, S. Auguſtinus docet totum contrarium illius vocationis congruæ, quam PP. Societatis in illo fundare laborant.

c Tom. 6. Lib. 1. ad ſimpl. q. 2. n. 21. col. 102.

d Matth. 7. 7.

e Tom. 10. num. 8. col. 795.

Induxerunt etiam illud ſæpè inductum *ex Lib. de dono perſeverant. cap. 14.* f Ex quo apparet *habere quoſdam in ipſo ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ,*

f Tom. 10. n. 35. col. 840.

intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus, vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant. Ad quod, quià ſæpè dictum fuit, ſummâ brevitate Reſpondeo 1°. illud teſtimonium apertè procedere de extrinſecâ prædicatione & miraculorum viſione; ut verba ſonant. Si ergò RR. PP. ex iſto teſtimonio deducunt, ſufficere iſtam viſionem, & ſuaſionem, ad congruitatem, quâ venitur ad fidem; nihil aliud ſuadent, quàm ſufficere exteriorem legem atque doctrinam, ad credendum. Quod apertè & ſine pallio eſt Semipelagianum. Neceſſe eſt ergò dicere 2°., aliud intendere in illis verbis S. Auguſtinum. Hoc enìm tantùm docet: quòd, videlicèt, exterior prædicatio & miraculorum viſio, ex parte objecti, & ex parte proponentis, aliquos magìs invitat quàm alios, ut veniant ad fidem. Cæterùm, ut de facto veniant, requiritur internũ gratiæ divinæ auxilium, nón ſolùm dans poſſe, ſed ipſum velle & operari, faciens verè & efficienter, quòd homo credat, atque prædicationi conſentiat.

In V°. Capite inducunt ex S. Auguſtino, quòd tale debet eſſe auxilium prævenientis gratiæ; ut ſi homo non contempſiſſet illud, daret ei velle & poſſe. Quod probant ex illo S. Auguſtini *q. 2. ad Simplic.* a: *Si Eſaü non contempſiſſet, Dei adjutorio perveniſſet.* Quod poteſt intelligi in duplici ſenſu, alio Catholico, & falſo alio. Senſus falſus eſt: quòd ſi Eſaü non contempſiſſet vocationem, efficeret ut vocatio in eo eſſet efficax, ſicut efficit illam inefficacem, & vanam. Et iſte ſenſus damnata ſententia Pelagianorum eſt, tantò à S. Auguſtino magìs aliena, quantò ab ipſo efficaciùs ſemper impugnata: præcipuè *Epiſt. 107. ad Vital.* b Alius verò ſenſus Catholicus, & à S. Auguſtino intentus, eſt: quòd Eſaü quidem habuit vocationem ſufficientem, quâ poterat venire; & ex pravâ ſuâ voluntate, quâ reſtitit, non venit; quod & ſibi ad culpam imputatur. Quòd ſi non contempſiſſet, Deus, qui inceperat, & perficeret. Undè licèt auxilium efficax illi ex ſuâ culpâ ſit denegatum; tamen quòd haberet auxilium efficax, non ab ipſo dependeret, ſed ex voluntate Dei. Undè illa conditionalis: *ſi non contempſiſſet, adjutorio Dei perveniſſet*, facit iſtum ſenſum: ſi non contempſiſſet, eſſet ſignum quòd adjutorio Dei efficaci perveniſſet. Aliquando enìm iſtæ conditionales ſeu cauſales in Scripturâ non dicunt cauſam, ſed ſignum, ſeu effectum. Sicut eſt illud: c *Pater amat vos, quià vos me amaſtis.* Non enìm eſt ſenſus: quòd amor Diſcipulorum ergà Chriſtum fuerit cauſa, quòd Pater illos dilexerit; quaſi ipſi priùs dilexiſſent Deum, ut ab eo diligi mererentur. Sed ſenſus eſt: in hoc poteſtis videre, ſicut in ſigno, & tanquàm in effectu, quòd Pater vos amat, quià vos me amaſtis.

In Capite VI°. illud deducunt ex S. Auguſtino: quòd omnes habent auxilium quo poſſint converti; aliàs quòd ſibi non imputabitur; ſed ſine auxilio efficaciter ſeu phyſicè prædeterminante non poteſt homo converti; ut dicunt qui illud defendunt: ergò non ſibi imputabitur quòd non convertantur. Major probabatur ex S. Auguſtino *Lib. de corrept. & grat. cap. 11.* d dicente: quòd ſi homo vel Angelus non habuiſſet donum quo perſeverare poſſet, ſi vellet, non eis imputaretur. Ad hoc dicendum, nos ſemper aſſerere, quòd ſine auxilio efficaci prævenientis gratiæ, poſito ſufficienti, homo poſſit verè converti, & quòd ex ſuâ culpâ non convertatur; licèt impoſſibile ſit, quòd homo de facto convertatur ſine tali auxilio efficaci. Ille autem inductus S. Auguſtini locus non eſt ad propoſitum. Tùm quià locus ille procedit de auxilio ſufficienti, non de efficaci; tùm etiàm quià loquitur ibi S. Auguſtinus de auxilio ſufficienti dato Primo Parenti & Angelis, in quibus nullum præceſſerat peccatum. Et doctrina S. Auguſtini eſt, illaque ſine dubio certiſſima, quòd ſi Angelis & homini non eſſet datum auxilium ſufficiens, quo poſſent

a *Tom. 6. n. 10. col. 94.*

b *Nunc 217 tom. 2. col. 799. & ſeqq.*

c *Joan. 16. 27.*

d *Tom. 10. n. 32. col. 768.*

ſent perſeverare, cùm ex aliâ parte non negaretur eis ex aliquâ ſuâ priori culpâ, eis non imputaretur, ſi non perſeveraſſent. At verò hoc non currit de hominibus, poſtquàm ſunt in peccato originali vel actuali. Iſtis enìm ſic in peccato exiſtentibus, etiamſi non daretur auxilium ſufficiens, quià negaretur propter illorum peccata, eis peccatum quod committerent impu taretur; ut docet ipſe S. Auguſtinus *eodem Lib. de correptione & gratiâ cap. 6. & ſeqq.* a

a *Tom. 10. col. 754. & ſeqq.*

In VII°. & ultimo Capite inducunt ex S. Auguſtino: quòd auxilium gratiæ non eſt cauſa adæquata noſtræ converſionis, ſed quòd efficacia noſtræ voluntatis neceſſaria ſit. Cujus contrarium, ut proponebat, dicunt Defenſores auxilij efficaciter prædeterminantis. Ad quod dico, etiam hoc ſub magnâ æquivocatione procedere. In duplici enìm ſenſu intelligi poteſt iſta propoſitio: Auxilium gratiæ eſt adæquata cauſa noſtræ juſtificationis. Primus ſenſus eſt: quòd tale auxilium ſit adæquata cauſa noſtræ juſtificationis; ità quòd ipſum auxilium ſolum juſtificationem cauſet ſine nobis liberè conſentientibus. Et iſte ſenſus hæreticus eſt. Et in iſto ſenſu dicit Calvinus, auxilium gratiæ eſſe totam & adæquatam cauſam noſtræ converſionis. Et iſte ſenſus damnatur à S. Auguſtino in locis inductis, & in omnibus ſimilibus, quæ poſſunt adduci. Et in iſto ſenſu, nunquàm Defenſores auxilij efficacis dixerunt, auxilium gratiæ eſſe cauſam adæquatam converſionis noſtræ. Immò totum contrarium ſemper docuerunt. Secundus ſenſus, illeque veriſſimus eſt, quòd auxilium gratiæ prævenientis eſt tota & adæquata cauſa, quòd homo conſentiat, quòd benè operetur & convertatur; ità quòd in hâc efficaciâ antecedente ab homine non dependeat. Et in iſto ſenſu veriſſimum eſt: auxilium eſſe adæquatam cauſam, quòd nos convertamur. Quod S. Auguſtinus ſemper docuit, & Defenſores efficacis gratiæ prævenientis ſemper defendunt; quià contrarium aſſerere, à Pelagianorum ſententiâ minimè recedit, eâque damnatâ.

Prætereà dicebat P. R.: quòd fundamentum quo utebantur in hâc parte Defenſores gratiæ efficacis, erat totaliter contrarium ſancto Auguſtino. Quià ideò hoc auxilium phyſicè prædeterminans defendunt, ut ſalvent eſſentialem ſubordinationem cauſæ ſecundæ ad primam; & ut ſecundum liberum à primo libero in ſuâ operatione dependeat; & ut in Deo certitudo ſit de futuris contingentibus: ſed S. Auguſtinus hoc omninò negat. Docet enìm quòd primus homo & Angeli poterant perſeverare, ſi vellent; ità quòd ſi voluiſſent, de facto perſeveraſſent, nullo alio ſuperaddito auxilio, ſeu motione divinâ: ergò ex vi ſubordinationis cauſæ ſecundæ ad primam; & ut ſecundum liberum moveatur; & ut certitudinem habeat Deus de futuris contingentibus, non requiritur illud auxilium phyſicè prædeterminans.

Ad quod eſt dicendum: ad iſta tria, & ad alia eſſe auxilium neceſſarium efficaciter præmovens ſeu prædeterminans, & potiſſimè ex ſubordinatione quam habet in operibus gratiæ ſecundum liberum à primo libero. Nec S. Auguſtinus loco citato hoc negat. Ibì enìm, quod eſt attentè conſiderandum, conſtituit S. Doctor differentiam inter hominem vel Angelum cum gratiâ juſtificante, & inter hominem lapſum cum eâdem gratiâ juſtificante, in hoc quòd Angelus vel homo in illo primo ſtatu & ante peccatum, habebat naturam integram in ſuis naturalibus; ità quòd non erat rebellio &c. Undè per gratiam juſtificantem talis erat, quòd ad perſeverandum non indigebat aliquo alio auxilio gratiæ dante efficaciores vel majores vires voluntati. At verò homo juſtificatus in naturâ corruptâ, quià habet rebellionem &c. quæ non tollitur per gratiam juſtificantem, indiget homo, ut perſeveret, auxilio dante majores & efficaciores vires. Et iſta eſt differentia quam

Digitized by Google

quam S. Auguſtinus in utroque ſtatu conſtituit. Non verò negat hominem etiam in illo primo ſtatu indiguiſſe divinâ motione movente & applicante ipſum ad operationem; quià iſta generalis motio in omni ſtatu, etiam perfectiſſimo, fuit neceſſaria ex eſſentiali ſubordinatione, quam habet ſecunda cauſa, ut moveatur à primâ. Quod apertè, tùm alibì, tùm expreſsè docet S. Thomas 1. 2. *q.* 109. *art.* 1. & 9. ubì apertè docet, hominem in ſtatu naturæ corruptæ indigere auxilio divino, duplici ratione; & ratione generali, quià nulla creatura operatur ſine motione divinâ; & ratione ſpeciali, quià eſt in naturâ corruptâ.

Dicebat etiam P. Vaſtida: quòd ſi ex generali ſubordinatione requiritur iſta motio, etiam ad peccatum requiretur; & ſic homo à Deo moveretur ad peccandum. Ad quod, cùm perventum fuerit ad rationes examinandas, dicam. Modò enìm de peccato non agimus; ſed de efficaci auxilio.

Ad illud quod dicunt, S. Auguſtinum docere, quòd in poteſtate noſtrâ eſt converti; & quòd Deus dat poteſtatem ſeu poſſibilitatem ut ſimus filij Dei, dicebat F. Thomas: quòd nec hoc debebant adducere; quià S. Auguſtinus *Lib.* 1. *retract.* & 2. refert expreſsè, propter iſta ſua loca Pelagianos putaſſe illorum cauſam adjuvaſſe Auguſtinum. Sed fruſtrà, inquit Auguſtinus, hoc putant. Et legebat utrumque locum; tùm ex *Lib.* 1. *retract. cap.* 9. a Et *ex Lib.* 2. *cap.* 22. Et tandem dicebat: quòd in poteſtate eſt hominem mutare vitam; ſed illa poteſtas datur à Deo per ejus efficaciam gratiæ.

a *Tom.* 1. *num.* 3. & 4. *col.* 13.

Ad illud ultimum quod inducebat ex Dominico Bannez circà materiam reprobationis, Dico 1°. hoc minùs pertinere ad rem de quâ agimus. Dico etiam 2°. meum non eſſe defendere quidquid ab uno vel altero diſcipulo S. Thomæ dictum fuerit. Nec enìm laudatur exceſſus ille, quo dicit conſequentiam S. Auguſtini non tenere. Sed quòad doctrinam, certum eſſe probabile, & à multis graviſſimis authoribus defendi, reprobationem, ſicut & prædeſtinationem, fieri ex ſolo beneplacito divinæ voluntatis, & non propter aliquam demeritoriam cauſam, tenentem ſe ex parte reprobi, ſivè ſit actuale, ſivè originale peccatum. Et hanc ſententiam ibì defendebat Dominicus Bannez contrà ſententiam S. Auguſtini, qui ſine dubio tenet prædeſtinationem fieri abſque aliquâ operum prævisione; reprobationem verò docet fuiſſe propter originale peccatum prævisum. Quam ſententiam S. Auguſtini ego teneo & defendo; quià fundatur in Apoſtolo, & illam tenet S. Thomas cum S. Auguſtino; ut alibì oſtendam. Itaque dicendum videtur, reprobationem non fieri propter prævisa peccata actualia; hoc enìm videtur excludere Apoſtolus, cùm dicit: b *Antequam quidquam boni vel mali egiſſent*; ſed fuiſſe factam propter originale peccatum. Video argumentum difficile contrà hoc; ſed nec oportet modò vel illud proponere, aut ſolvere. Alibì ſolvam.

b *Rom.* 9. 11

Cùm autem Frater Thomas concluſiſſet; aliqua minùs pertinentia, quæ fuerant dicta à PP. Societatis, ob brevitatem omittendo; ſtatìm P. Vaſtida dicebat multa alia: quià ſemper ſcribit, ut minima retineat. Referam autem præcipua. Dicebat ergò primò, errorem Pelagianorum fuiſſe; quià dicebant, quòd gratia datur quià volumus, & quià ex operibus naturæ datur prima gratia; non autem quià volumus excitationibus Dei conſentire. Deindè dicebat, quòd perſeverantia, de quâ loquebatur S. Auguſtinus in loco citato, cùm aït, quòd nullus illam poteſt amittere, erat ipſe actus quo homo perſeverat; quam perſeverantiam nemo poteſt amittere: non autem erat perſeverantia antecedens, quæ faciat hominem perſeverare indeclinabiliter. Quod potiſſimè probabat ex S. Thomâ 2. 2. *q.* 137.

art.

Digitized by Google

art. 2. ad 3. ubì dicit: quòd Auguſtinus ibì loquitur de perſeverantiâ, non ſecundùm quod nominat habitum virtutis, ſed ſecundùm quod nominat actum virtutis continuatum uſque in finem.

Ad illud de Cardinale Toleto, dixit: ipſum non dicere, eſſe ſententiam S. Auguſtini, quòd Deus prædeterminet phyſicè voluntatem; immò immediatis verbis dicit, hoc non eſſe neceſſarium, ſed ſufficere quòd Deus tantùm det poſſe.

Similiter de Cardinale Bellarmino dicebat: quòd licèt ipſe fateatur, phyſicam prædeterminationem eſſe S. Thomæ ſententiam; tamen alibì dicit: hanc ſententiam de phyſicâ prædeterminatione eſſe errorem in fide, & convenire cum Calvino.

Ad aliam rationem reſpondebat: Semipelagianos ideò erraſſe, quià dicebant primam gratiam dari ex naturæ operibus. Et adducebat S. Auguſtinum dicentem contrà Pelagianos, quòd ipſi potiùs fatum conſtituerent. Quod certè nec argumento reſpondebat, nec ad propoſitum adducebat.

Præthereà circà aliam inductam rationem fatebatur, quòd æterna Dei prædeterminatio ſine aliquâ priori præſcientiâ boni uſûs præcogniti, magìs lædebat libertatem, quàm auxilium phyſicè prædeterminans: & quòd in hoc benè dicebat Suarez. Dicebat ſecundò, quòd non dabatur illa æterna Dei prædeterminatio ſine illâ mediâ ſcientiâ. Immò licèt illa præſcientia de medio tolleretur, affirmabat, non eſſe neceſſe affirmare phyſicam prædeterminationem; quià poſſet aliquis dicere quod S. Thomas affirmat *q. 6. de veritate art. 3.* Quòd, videlicèt, in his quos Deus prædeſtinat, tot adminicula ponit, quòd vel homo non cadat, vel ſi cadat, quòd reſurgat.

Deindè ad illud de compulſione, quâ voce utebatur Eccleſia in ſuis orationibus, ipſe dicebat: quòd S. Thomas *q. 22. de veritate art. 9. ad 7.* explicabat illud Evangelij: a *compelle eos intrare*, de efficaci perſuaſione, quæ fiebat per prædicatores Evangelij, & per ſervos, de quibus ibì loquebatur Evangelium.

a *Luc. 14. 24.*

Dicebat etiam: Concilium Senonenſe aſſerere, Pelagium non admiſiſſe veram gratiam. Undè dici non poterat, quòd Pelagius admiſit gratiam dantem poſſe; quià talis gratia eſſet vera gratia.

Poſteà dicebat, F. Thomam non reſpondiſſe ſibi ad ea quæ ibì propoſuerat. Nàm contendebat, S. Auguſtinum *q. 2. ad Simplician.* ponere differentiam inter vocationem & adjutorium; quià dicebat: *Non quià ſine ejus adjutorio non poſſumus; ſed quià niſi ejus vocatione non volumus.*

Similiter ad illum locum inductum à ſe *ex Lib. de Spirit. & Litt.* dicebat: quòd S. Auguſtinus dicebat, ſe in illo Opere locutum fuiſſe pro gratiâ; nec debebat F. Thomas illum Librum rejicere. Quaſi ipſe F. Thomas dixiſſet illum Librum rejiciendum.

Ad illud de diſtinctione adjutorij à gratiâ excitante, jàm quodammodò convictus, dicebat: quòd Deus etiam antecedenter adjuvabat, non verè efficienter, ſed ut vera cauſa; quià etiam cauſa moralis dicitur vera cauſa. Et ad hoc inducebat Sanctum Thomam *3. parte* dicentem: quòd cauſa moralis ſeu finalis ſit vera cauſa. Ex quo deducebat: quòd Deus operans finaliter ſeu moraliter, erat vera cauſa, licèt non ſit verum efficiens, ſed metaphoricum tantùm efficiens.

Ad Caput tertium impugnatum deveniens, dicebat: quòd ille locus ad Petilianum, qui retorquebatur contrà illos, non faciebat difficultatem; quià etiam in ſuâ ſententiâ, erat difficile, qualiter homo trahatur, & libertas ejus ſalvetur.

Ad Caput quartum perveniens dicebat: ſe non ponere illam congruam vocationem in affectione & temperamento naturali. Similiter dicebat F. Thomam rejicere tanquàm minimæ authoritatis Librum ad Simplicianum, cùm

Digitized by Google

cùm S. Auguſtinus *Lib. de prædeſtinat. Sanct. cap. 4.* a & in Retractationibus dicat, quòd optimè ſcripſit in illo libro pro Dei gratiâ. Quaſi F. Thomas hoc dixiſſet, ſed non potiùs retuliſſet Bellarminum id aſſerentem. Undè P. Vaſtida dicebat etiam, Cardinalem Bellarminum ſolùm dixiſſe: erraſſe S. Auguſtinum in explicatione illius dicti Apoſtolici: b *ut ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret ;* non autem erraſſe in aliis quæ inducuntur.

a *Tom. 10. num. 8. col. 795.*

b *Rom. 9. 11.*

In Capite quinto & ſexto dicebat: quòd quæſtio non erat de doctrinâ particulari F. Thomæ de Lemos; ſed de doctrinâ communi, quæ dicebat hominem non poſſe operari ſine auxilio efficaci.

In Capite ſeptimo dicebat : non poſſe dici, S. Auguſtinum illo Capite & aliis ſolùm docere, Deum non cogere, non facere violentiam voluntati; quià etiam Calvinus hoc dicebat, & tamen non ſalvabat arbitrij libertatem.

Et tandem dicebat: quòd illi ſuo argumento de primo Parente reſponſum non fuerat: quomodò, videlicèt, ſi non potuit perſeverare ſine auxilio efficaci, ſibi imputabatur, quòd non perſeveraſſet. Et in hoc argumento aliquantulùm inſtabat. Et quædam ſimilia dicebat minoris momenti, quæ omnia memoriâ retineri non poſſunt.

Cùm autem multùm temporis conſumpſiſſet, & Cardinales F. Thomæ innuerent, ut taceret, & nihil diceret verboſitati illi impertinenti; ipſe F. Thomas dixit Sanctiſſimo: Ad omnia iſta Beatissime Pater, jàm reverâ reſponſum eſt, & iterùm reſponderem, ſed brevitati conſulens, omitto.

Tunc Sanctiſſimus præcepit dicens: Dicas breviter aliqua.

Tunc F. Thomas ità dicebat: Quòd P. R. negat perſeverantiam, de quâ S. Auguſtinus dixit quòd nullus poteſt illam amittere, eſſe perſeverantiæ donum, antecedens hominis conſenſum, patet ex toto illo Libro, & potiſſimè ex illo loco ; quià dicit : *quòd ſi talis perſeverantia data eſt, perſeveratum eſt; & ſi non eſt data, perſeveratum non eſt.* Itaque loquitur de illâ perſeverantiâ, quâ fit ut homines perſeverent ; ut eſt apertiſſimum. Ergò loquitur de perſeverantiâ antecedente, quam dicit nullum poſſe amittere ; quià fieri non poteſt, ut amittatur.

Ad illud quod adduxit ex S. Thomâ *2. 2. q. 137.*, Reſpondetur: ibì S. Thomam tantùm intendere, quòd perſeverantia, de quâ loquitur S. Auguſtinus ibì, non eſt habitus. Dicit autem eſſe actum, non ſecundum productum ab homine, ſed actum, quo Deus facit homines perſeverare. Itaque perſeverantia eſt duplex. Alia eſt actus, quo formaliter in actu ſecundo homo perſeverat. Alia eſt actus & donum Dei, quo effectivè facit homines perſeverare.

Ad illud de Concilio Senonenſi, Non ſolùm illud Concilium, ſed Concilia Carthaginenſia & Africana dicunt Pelagium veram gratiam non admiſiſſe. Cum quo ſtat etiam verum quod S. Auguſtinus docet *Lib. de grat. Chriſti cap. citato* : quòd admiſit gratiam ad poſſe per illas revelationes. Quæ cùm non recedant à lege atque doctrinâ, optimè ſalvatur, quòd veram gratiam non admiſerit. Potiſſimè non admiſit gratiam Chriſti, de quâ erat quæſtio, quæ facit ut faciamus.

Ad illud de Cardinale Toleto: Advertat R. P., quòd ego illum induxi, in quantùm refert eſſe ſententiam S. Auguſtini, quòd Deus per auxilium prævenientis gratiæ determinat voluntatem. Non autem induxi eum pro alio, quod ex propriâ ſuâ ſententiâ ſubdidit. Immò conſultò quidem hoc omittebam ; quià à nullo dici poteſt, quòd Deus det tantùm poſſe, à quocunque illud dicatur ; ut jàm ex S. Auguſtino fuit oſtenſum.

Similiter ad illud quod R. P. adduxit ex Cardinale Bellarmino : c quòd dicit eſſe ſententiam erroneam & Calviniſticam illam de phyſicâ prædeterminatione. Etiam & hanc qualificationem ego videram, & conſultò omittebam.

c Erat præſens ipſe Cardinalis.

tebam. Etenìm quomodò iſta duo componantur; & quòd cognoſcatur illa doctrina de phyſicâ prædeterminatione eſſe S. Thomæ; & quòd erroris notâ taxetur, fateor me prorsùs neſcire. Unum tamen ſcio, BEATISSIME PATER, hanc Sanctam Sedem & Pontifices plurimos multò aliter doctrinam S. Thomæ qualificare & honorare. Sic enìm dicit Urbanus VI., qui ſequutus fuit hujus S. Doctoris doctrinam: Nunquàm inventus fuit à tramite veritatis deviaſſe, & qui illam impugnavit, ſemper fuit de veritate ſuſpectus.

Ad aliud quod R.P.dixit Deum eſſe veram cauſam, ſed moralem, non autem veram cauſam efficientem, dicendum: quòd cauſa materialis, formalis, & finalis, veræ cauſæ ſunt, ſingulæ in ſuo ordine & genere. Et hoc docet S. Thomas, & omnis Phyſica. Quod adeò eſt evidens, ut iſta ſint in Philoſophiâ principia notiſſima. Non autem agimus de hoc; ſed an Deus ſit vera cauſa verè efficienter faciens nos facere? Hoc enìm Scriptura dicit: *faciam vos facere &c.* PP. autem RR. ſatìs ſe manifeſtant, cùm dicunt, Deum non eſſe cauſam verè efficienter moventem, & operantem ut operemur; ſatiſque ſe declarant dicentes, Deum tantùm dare poſſe; quod à S. Auguſtino ut error ipſius Pelagij damnatur.

Ad aliud quod dixit, diſcipulos S. Thomæ dicere, ſine auxilio efficaciter prædeterminante hominem non poſſe operari; & ad illud quod petit ut reſpondeatur ſuo argumento; Reſpondeo: hominem per auxilium ſufficiens, etiàm antè efficax auxilium, reverâ poſſe benè operari; & ex culpâ ſuâ eſt quòd non operetur. Et hoc ſemper dixerunt S. Thomæ Diſcipuli omnes. Cum quo etiam ſtat, quòd in ſenſu compoſito fieri non poteſt, ut quis, non habens auxilium efficax ad ſui converſionem, convertatur. Et in hoc ſenſu dicunt, quòd non poteſt homo ſine auxilio efficaci converti.

Et ad argumentum de primo Parente jàm reſpondi, & iterùm Reſpondeo: quòd Adam non habuit auxilium perſeverantiæ; ſi enìm illud haberet, utique perſeveraret. Habuit tamen ſufficiens, quo potuit perſeverare, & ex culpâ ſuâ non perſeveravit; ut ſæpè dictum eſt. Quod autem P. R. ſemper habet in ore, quòd ſuis argumentis non reſpondeatur; utinàm liceret permanere uſque ad noctem, & quòd unum poſt alterum proponeretur; conſtaret manifeſtè, quomodò ad omnia reſponderem. Sed tanta inculcat, ut penè memoria non ſit ad illa retinendum.

Tunc P. Perez dicebat: non poſſe ſine errore dici, quod à F. Thomâ dicebatur: quòd gratia dans poſſe, non ſit vera gratia.

Cui ſtatìm F. Thomas: Ego dixi, gratiam dantem poſſe per illas revelationes & ſuaſiones, non eſſe veram gratiam Chriſti, de quâ eſt quæſtio; quæ, videlicèt, facit ut faciamus.

Tunc iterùm Perez dicebat: illam interiorem gratiam revelantem, ſuadentem &c. eſſe veram gratiam Chriſti; quià per illam Deus movebat interiùs; quià conſiſtebat in quibuſdam actibus indeliberatis. Et iſtam interiorem gratiam nunquàm admiſit Pelagius. Deindè dicebat: quòd S. Auguſtinus Lib. de libero arbitrio dicebat expreſsè, quòd ſi antecedenter ponatur in voluntate aliquid cui reſiſti non poteſt, tollebatur libertas. Et in hoc paululùm inſiſtebat.

Cui ſtatìm F. Thomas dicebat: Pelagium admiſiſſe illas internas revelationes & ſuaſiones. Dicit enìm expreſsè ipſe Pelagius, relatus à S. Auguſtino *Lib. de grat. Chriſti cap. 7.* a Et legebat ibì quomodò Pelagius dicebat, ſe præter legem atque doctrinam admittere aliud adjutorium gratiæ; & nominabat revelationes, ſuaſiones, oculorum apertiones, & multiformis doni gratiæ illuminationes. De quibus tamen omnibus S. Auguſtinus concludebat, quòd non recedebant à lege atque doctrinâ. Undè à quibuſcunque admittantur

a *Tom. 10. num. 8. col. 233.*

admittantur illæ interiores tantùm revelationes & ſuaſiones, tribuentes tantùm illud poſſe extrinſecum, non admittitur ab eis vera gratia; quià non recedunt à lege atque doctrinâ. Immò S. Proſper de ultimis Pelagianis, vulgò Semipelagianis, *in epiſt. ad Rufin. in principio* a, ità dicit: *Cùm ergò, ut dixi, totam juſtitiam hominis ex naturali vellent rectitudine ac poſſibilitate ſubſiſtere; atque hanc definitionem doctrina ſana reſpueret; damnatum à Catholicis ſenſum, & multis poſteà hæreticæ fraudis varietatibus coloratum, hoc apud ſe ingenio ſervaverunt, ut ad incipiendum, & ad proficiendum, & ad perſeverandum in bono, homini Dei gratiam neceſſariam profiterentur. Sed in hâc profeſſione * quomodò vaſa iræ moliventur irrepere, ipſa Dei gratia vaſis miſericordiæ revelavit.* Et proſequitur S. Proſper: b Quomodò licèt verbis gratiam profiterentur, tamen veram gratiam non admittebant, ſed tantùm quòd doceret, & eſſet magiſtra, non autem quòd efficeret. Et ſic concludebat F. Thomas de Lemos: quòd non ſolùm Pelagius veram gratiam non admiſit in illo poſſe, dato per illas revelationes interiores & ſuaſiones; verùm nec Fauſtus, nec Caſſianus, qui multò majorem gratiam videbantur admittere, admiſerunt veram Chriſti gratiam; ſed tantùm gratiam non recedentem à lege atque doctrinâ.

a *In App. tom. 10. Op. S. Auguſt. cap. 1. col. 163.*

* Olìm, quomodò, *nunc* quòd dolo.

b *Ibid. cap. 2. col. 164.*

Ad illud autem aliud quod opponit ex S. Auguſtino *Lib. de lib. arbit.* Quòd ſi eſt in voluntate antecedenter ad actum aliquid cui non poſſit reſiſti, non eſt libertas; Dico 1°. quòd hoc argumentum ex hoc eodem loco facit Pelagius adversùs S. Auguſtinum; ut ipſe ſanctus Auguſtinus refert in terminis *Lib. de naturâ & gratiâ cap. 67.* c Undè non debebat illud R. P. proponere. Reſpondeo 2°. quòd ipſe ſanctus Auguſtinus *Lib. de correptione & gratiâ cap. 14.* d ità dicit: *Non eſt itaque dubitandum, voluntati Dei,* e *qui in Cælo & in Terrâ omnia quæcunque voluit fecit, & qui etiam illa quæ* f *futura ſunt fecit, humanas voluntates non poſſe reſiſtere.* Videat ergò atque concordet, quomodò & in loco à ſe inducto dicat Auguſtinus, quòd ſi antecedat in voluntate aliquid, cui non poſſit reſiſti, tollitur libertas arbitrij; & modò dicat, quòd humana voluntas non poteſt reſiſtere divinæ voluntati, & tamen habet libertatem. Iſta ipſe concordet. Quòd ſi non fecerit, concordabo ego; quià utrumque verum eſt.

c *Tom. 10. n. 79. col. 161.*

d *Tom. 10. n. 45. col. 774.*

e *Pſal. 134. 6.*

f *Iſa. 45. ſecundùm LXX.*

Tunc Perez dicebat: non eſſe propoſitiones de eodem ſubjecto.

Tunc Sanctiſſimus ſubitò fecit ſignum, & finita fuit Congregatio cùm duraſſet circiter per quatuor horas & dimidiam.

Statìm autem Sanctiſſimus interrogavit Jeſuitas: Quid ampliùs vultis?

Tunc illi dixerunt: ſe in futurâ Congregatione acturos de aliis Sanctis Patribus pro fundatione ſuæ ſententiæ. Et ſic datâ benedictione eximus omnes.

CONGREGATIO

QUADRAGESIMA TERTIA, SEU SEXTA CORAM PAULO V.

Habita coràm Sanctiſſimo 14. Decembris 1605. præſentibus decem Cardinalibus & omnibus Cenſoribus.

In quâ de phyſicâ prædeterminatione eſt quintò diſputatùm, & potiſſimè ex SS. Patribus tàm Græcis quàm Latinis.

Vide Hiſt. Congreg. de Auxil. Lib. 4. cap. 10. col. 644. & ſeqq.

AGEBATUR in hâc Congregatione de eodem Dubio, de quo in præcedentibus Congregationibus actum fuerat, videlicèt, de auxilio phyſicè prædeterminante ; An, videlicèt, detur tale auxilium phyſicè prædeterminans ? Et P. Vaſtida veniens cum P. Perez, intendebat probare SS. Patres tùm Græcos, tùm Latinos hanc prædeterminationem phyſicam negaſſe, ſicùt libertatis deſtructivam.

Omnes autem Patres ad iſta quinque Capita reducebat. In 1°. Capite referebat SS. Patres, qui expreſsè negabant hanc phyſicam prædeterminationem, ſeu efficaciam prævenientis gratiæ, ità determinantem hominis voluntatem, ut ipſa voluntas ſemper ità infallibiliter operetur. Et omnium primò inducebat S. Cyrillum *Lib. 4. contrà Julian. ad finem*, ità dicentem : *Ut nos ad quodvis bonum ſponte incederemus, conſilio non coactè vivere ſuper terram hominem permiſit Deus : & ità fuit ab initio. Arripuit enim ſuæ voluntatis habenas, & ſuorum juſſuum momento in utraque fertur, in bonum, inquam, & in malum. Itaque ſi ineffabili quâdam & divinâ virtute & efficaciâ uſus mutaſſet ſingulorum mentem ad benè agendum, & indidiſſet poſteà bonum, à quo ægerrimè diſcedere poſſet & non ſponte, ultrà non eſſet fructus mentis &c.* Ex hoc deducebat S. Cyrillum aſſerere efficaciam virtutis & gratiæ tollere omninò ab homine libertatem.

Inducebat etiam pro hoc Capite S. Anſelmum *Lib. de concordiâ præſcientiæ & prædeſtinationis cap. 1.* illis verbis : *Licèt enim neceſſe ſit aut vitam aut rectitudinem relinquere ; nulla tamen neceſſitas determinat, quam ſervet aut deſerat. Nempè ſola voluntas determinat ſibi, quid teneat ; nec aliquid facit vis neceſſitatis, ubi operatur electio ſola voluntatis.* Ex quo inferebat : quòd ſi ſola voluntas ſe determinat ; ergò non determinatur à Deo per gratiam.

Inducebat 3°. S. Hieronymum *epiſt. 146. ad Damaſ.* illis verbis : *Dedit eis liberum arbitrium, dedit mentis propriæ libertatem, & ut viveret unuſquiſque non ex imperio Dei, ſed obſequio ſuo, id eſt, non ex neceſſitate, ſed ex voluntate ; ut virtus haberet locum.* Ex quo deducebat : quòd non ità ſecundùm S. Hieronymum vivit homo ex imperio Dei, ſicùt ex imperio animæ aliæ potentiæ moventur : ſed quòd vivit homo ex imperio Dei ponentis præcepta ; & quòd hoc tantùm intendebat S. Hieronymus in præſenti teſtimonio.

Inducebat 4°. Abulenſem in quodam loco dicentem : quòd Deus non determinat directè voluntatem, ſed indirectè, agendo, videlicèt, in intellectum.

Inducebat prætereà S. Chryſoſtomum *Homil. 11. in Joan.* : *Corporis*, inquit, *natura, quocunque eam Opifex ducere velit, eò ſequitur, nec reſiſtit : anima autem ſui juris vim in ſe habet operandi, nec ullâ in re Deo, niſi velit, obtemperat : invitum enim & coactum minimè vult*

vult Deus. Ex quo idem colligebat : quòd, videlicèt, ſi voluntas vult, obtemperat Deo, & quòd non prædeterminatur à Deo ; quià talis prædeterminatio invitam voluntatem moveret, & ab eâ auferret libertatem.

Inducebat etiam S. Proſperum *reſp. ad 6m. capit. Gallor.* illis verbis : *Prædeſtinationem autem Dei ſivè ad bonum, ſivè ad malum, in hominibus operari, ineptiſſimè dicitur ; ut ad utrumque homines quædam neceſſitas videatur impellere : cùm in bonis voluntas ſit intelligenda de gratiâ, in malis autem voluntas ſine gratiâ.* Ex quo deducebat, ibì negari expresſè phyſicam prædeterminationem. Quæ neceſſitas impellit homines, ſicut ad bonum, ità ad malum ; ut etiam authores phyſicæ prædeterminationis affirmant : in tantùm, ut Dominicus Bannez, ut aiebat, dicat Deum prædeterminare ad bonum vel ad malum.

Ultimò pro hoc Capite inducebat S. Damaſcenum *Lib. 2. de fid. Orthodoxâ* negantem expresſè, quòd ea quæ ſunt in nobis, ſint prædeterminata. Cujus verba ibì legebat. Dicebat autem S. Thomam *Lib. 3. contrà Gentes cap. 90. & 1. p. q. 23. art. 1. ad 1.* aſſerere, S. Damaſcenum negare ibì prædeterminationem neceſſitantem & tollentem libertatem. Ex quo ipſe ſic arguebat : Agnoſcit S. Thomas aliquam prædeterminationem tollere libertatem ; ſed nulla efficacior & potentior poteſt imaginari, quæ neceſſitet voluntatem, quàm phyſica prædeterminatio ; ergò phyſica prædeterminatio tollit libertatem. Minorem probabat ; quià illa phyſica prædeterminatio non eſt in noſtrâ poteſtate, ut ponatur : rursùs cùm ponitur, non poteſt homo non operari ; ergò non eſt in poteſtate hominis aliter operari ; & ſic libertatem non habet.

Deindè in IIº. Capite inducebat Doctores SS. qui dicunt : quòd Deus ità movet per ſuam gratiam homines, quòd in poteſtate illorum relinquat eligere operari, aut non operari, ſi velint ; ſed phyſica prædeterminatio non relinquit in poteſtate hominis operari, ſi velit ; ergò talis prædeterminatio damnatur à SS. Patribus. Majorem oſtendebat ex Cyrillo, Chryſoſtomo, Nyſſeno, Leone I., Origene, Juſtino Martyre *q. 9. ad Orthodox.* Clemente Alexandrino, qui omnes dicebant, hominem relinqui in ſuâ poteſtate, ut operetur, vel non operetur, ſi velit. Et præcipuè inſtabat in S. Chryſoſtomo, qui dicebat Deum ità movere hominem, ut ſi ipſe vult, conſentiat, ſi non vult, non conſentiat ; quià ipſum cogere non vult. Dicebat etiam quòd Chryſoſtomus vocationem in illâ congruitate, ubì Deus providebat hominem conſenſurum, conſtituebat. Loca in particulari inducta non notavi ; quià nec multùm refert.

In IIIº. ordine inducebat SS. Patres, qui dicunt : cum æquali auxilio gratiæ prævenientis, unum converti de facto, & non alium. Per quod totaliter, ut dicebat, negatur phyſica prædeterminatio ; quæ, ut à ſuis authoribus ſtatuitur, talis eſt, ut impoſſibile ſit, quòd illâ poſitâ unus convertatur, & non alius ; quià ſi ponitur, omnes qui illam accipiunt, convertuntur ; ſi autem non ponitur, nullus convertitur. Legebat etiam in quodam S. Doctore : quòd Judas tantam habuit gratiam prævenientem ex parte Dei, quantam alij Apoſtoli, ad perſeverandum : & ſic cùm æquali gratiâ præveniente ex parte Dei, alij perſeveraverunt, Judas autem non perſeveravit. In hoc ordine SS. Patres, quos adducebat in particulari, non retinui ; nec id opus eſt ; quià facilem omnes habent intelligentiam.

In IVº. Capite & ordine inducebat alios SS. Patres, qui affirmant, ex ſuppoſitione antecedenti libertatem tolli, non autem ex ſuppoſitione conſequente. Et præcipuè inducebat S. Anſelmum *Lib. de concordiâ præſcient. & prædeſt.* illis verbis : *Nàm ſi dico, cras ſeditio futura eſt in populo ; non tamen neceſſitate erit ſeditio, videlicèt, præcedente, quæ facit rem, ſed ſe-*

quente, quæ nihil cogit rem eſſe. Et iterùm *in eodem capite* aït : quòd *voluntas quidem poteſt non velle antequàm velit, quià libera eſt ; & cùm vult, non poteſt non velle, ſed eam velle neceſſe eſt.* Et ſtatìm : *ſed has neceſſitates facit voluntatis libertas, quæ priuſquàm ſint eas cavere poteſt.* Similiter inducebat eumdem S. Anſelmum *ad cap. 6. Matth.* in illis verbis : *fiat voluntas tua.* Ubì ità dicit : *Duæ ſunt voluntates in Deo : una miſericordiæ, quæ non eſt cogens, nec aliquid libero arbitrio aufert, quâ omnes homines vult ſalvos fieri, quod tamen in liberâ voluntate eorum poſitum eſt : & eſt alia, quæ eſt de effectibus rerum, de quâ dicitur : Omnia quæcunque voluit fecit. Huic nemo poteſt reſiſtere.* Ex quo deducebat, hanc, cui nemo poteſt reſiſtere, eſſe voluntatem ſeu ſuppoſitionem antecedentem, quæ tollit libertatem.

Tandem in V°. & ultimo Capite inducebat SS. Patres, qui dicunt : Deum ſuâ præveniente gratiâ movere homines ſuaſionibus, illuſtrationibus & excitationibus ; per quod omninò damnant phyſicam illam prædeterminationem, quæ ità prædeterminat voluntatem ad unum, ut in voluntate non relinquat libertatem. Inter SS. autem quos legebat, oſtendebat Cyrillum dicentem : Deum movere ſuadendo. Et potiſſimè S. Proſperum *Lib. 2. de vocatione Gent. cap. 26.* ubì ità habet : *Gratia quidem Dei in omnibus juſtificationibus principaliter præeminet, ſuadendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inſpirando conſilium, corque ipſum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo : ſed etiam voluntas hominis ſubjungitur ei atque conjungitur, quæ ad hoc prædictis eſt excitata præſidiis, ut divino in ſe cooperetur operi &c.* Ubì ponderabat illud verbum : *excitata præſidiis ;* ex quibus concludebat, S. Proſperum nullam aliam agnoviſſe gratiam prævenientem, niſi illuſtrantem, & excitantem. Et omnium ultimò inducebat S. Ambroſium in quodam loco, in quo dicebat : Deum eſſe Dominum mundi moralem, ſeu moraliter ; quià, videlicèt, moralibus excitationibus invitabat hominum voluntates. Quod ideò dicebat, ut oſtenderet illud verbum de morali attractione non eſſe rejiciendum ; quià S. Ambroſius vocabat Deum *moralem Dominum.* His largo diſcurſu propoſitis, tandem finivit.

Tunc ego F. Thomas ſic incepi ; ad pedes Sanctiſſimi omnia ex more conſtituens : Nullâ aliâ efficaciori viâ oſtendi poterit prævenientis gratiæ divina efficacia, & quàm convenienter temporibus iſtis nominatur, non ſolùm moraliter, ſed & verè efficaciter prædeterminans hominis voluntatem ad bonum, quàm referendo quæ RR. PP. compulſi ſunt fateri ex impugnatione hujus divinæ gratiæ. Ut enìm illam impugnarent, adeò proceſſerunt in præcedenti Congregatione, ut etiam apertis verbis faterentur, Deum per internas illas illuſtrationes & excitationes tantùm dare hominibus poſſe benè operari ; nec per illas verè efficienter efficere ut homines velint & operentur. Quorum vel aperta confeſſio, ipſius efficacitatis gratiæ eſt apertiſſima comprobatio. Quomodò enìm non vident Patres iſti, cùm iſta proponunt, ſe jàm abſque aliquâ verborum ambiguitate totum ipſum dogma Pelagij fundare atque publicare ? Etenìm Pelagius non negavit, ſed expreſsè admiſit internas illas illuſtrationes & excitationes. Admiſit etiam per illas tantùm Deum dare poſſe. Negavit autem, ſemperque negavit, per illas verè efficienter efficere Deum ut velimus, & operemur. Et in hoc fuit hæreticus. Notiſſima ſunt iſta apud S. Auguſtinum in illo ſuo mirabili Libro de Gratiâ Chriſti. Et quamvìs non ſemel inducta ; quià tamen PP. RR. nunquàm ità clarè locuti ſunt, ſicut in præcedenti Congregatione, ideò repetenda erant, & contextualiter comprobanda.

Et quidem, quòd Pelagius admiſerit internas illas excitationes & illuſtrationes,

Digitized by Google

trationes, quas dicebat gratiæ adjutorium, ipſe dicit, *Lib. de grat. Chriſti cap. 7.* a cùm enìm expugnaretur per S. Auguſtinum, quòd nullam veram gratiam admitteret, ſed tantùm legem atque doctrinam exteriorem; ipſe è contrà ad hoc ſe excuſans, & contendens ſe veram gratiam admittere, ſub his formalibus verbis dicit adversùs S. Auguſtinum: *Quam*, ſcilicèt gratiam, *non nos, ut tu putas, in lege tantummodò, ſed & in Dei eſſe adjutorio confitemur.* Jàm ergò Pelagius in terminis fatebatur, ſe non admittere tantummodò legem atque doctrinam, purè exteriorem, illuſtrantem, & excitantem; ſed aliquid aliud internum, quod gratiæ adjutorium vocabat. Cujus tàm apertam confeſſionem, cùm videret S. Auguſtinus, ſtatìm ſic dicit: b *Quis non hìc deſideret, ut oſtendat, quam velit intelligi gratiam? Propter hoc enìm maximè de illo exſpectare debemus, ut dicat hoc quod dicit, non in lege tantummodò ſe gratiam confiteri. Sed nobis hâc exſpectatione ſuſpenſis, quid addiderit intuemini: Adjuvat enìm nos, inquit, Deus per doctrinam & revelationem ſuam; dùm cordis noſtri oculos aperit; dùm nobis, nè præſentibus occupemur, futura demonſtrat; dùm Diaboli pandit inſidias; dùm nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cæleſtis illuminat.* Igitur manifeſtum eſt Pelagium præter legem atque doctrinam purè exteriorem, admiſiſſe internas aliquas illuſtrationes aperientes cordis oculos, quas adjutorium gratiæ ità vocabat, ut, eodem referente S. Auguſtino, immediatis verbis diceret ſic Pelagius: c *Qui hæc dicit, inquit, gratiam tibi videtur negare?* Quomodò poterat Pelagius iſta verba proferre, ſi ipſe non admitteret aliquid internum, quod gratiam vocaret, ſed tantùm exteriorem legem atque doctrinam? Si enìm externam tantùm admitteret legem, dicere nullo modo potuit: *Qui hæc dicit, gratiam tibi videtur negare?*

a *Tom. 10. num. 8. col. 233.*

b *Ibidem.*

c *Ibidem.*

Et idem S. Auguſtinus *cap. 10. ſeq.* d expreſsè dicit, aſſerere Pelagium, per illas internas illuſtrationes & excitationes, Deum ſuccendere & ſuſcitare ſtupentē voluntatē. Quod certè legi atque doctrinæ exteriori cōvenire non poteſt; ut eſt manifeſtum. Igitur manifeſtum eſt Pelagium in tertio ſtatu ſuæ perfidiæ, admiſiſſe has internas illuſtrationes & excitationes, quas adjutorium gratiæ vocabat. Dixerim in tertio ſtatu hæresìs ſuæ; quià à principio & omnium primò ſolam exteriorem legem atque doctrinam & liberum arbitrium dixit ſufficere ad ſalutem. Sed convictus à Fratribus, ut S. Auguſtinus aït *Epiſtolâ ad QuodvultDeum, hæreſi 88.* e, tantiſpèr priorem hæreſim temperavit, ſolis verbis, non autem reipsâ ab illâ diſcedendo. Undè admiſit gratiam non neceſſariam ad ſimpliciter, ſed tantùm ad faciliùs. Et iſte fuit ſtatus ſecundus hæresìs ſuæ. Cùm autem ulteriùs urgeretur per SS. Eccleſiæ Patres apertis Scripturæ teſtimoniis, quæ apertè prædicant Deum operari in nobis & velle; tandem callidè excogitavit, qualiter falleret prædictos Eccleſiæ Patres. Et adinvenit quaſdam interiores revelationes & excitationes, per quas non recedebat à priori lege atque doctrinâ; ut apertè ſanctus Auguſtinus refert verbis modò inductis.

d *Ibid. num. 11. col. 235.*

e *Tom. 8. coll. 25. & 26.*

Quod & Concilium Milevitanum celebratum contrà ipſum Pelagium clariùs oſtendit *in cap. 4.*, poſtquàm *in cap. 3.* ſic definierat: *Itèm placuit, ut quicunque dixerit gratiam Dei, in quâ juſtificamur per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, ad ſolam remiſſionem peccatorum valere, quæ jàm commiſſa ſunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur; anathema ſit.* Ubì apertè ſermo fit de gratiâ interiori, quam Pelagius dicebat valere ad remiſſionem peccatorum, non autem eſſe adjutorium, ut non peccemus. *In cap. autem 4.* de eâdem interiori gratiâ ità dicit: *Itèm quiſquis dixerit eamdem gratiam Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, propter hoc tantùm nos juvare ad non peccandum, quià per ipſam nobis revelatur & aperitur intelligentia mandatorum,*

Digitized by Google

torum, ut ſciamus quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præſtari, ut, quid faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque placeamus; anathema ſit. Cùm ergò hoc ſit definitum contrà Pelagium, neceſſe eſt dicere ipſum admiſiſſe interiorem gratiam oſtendentem tantùm atque revelantem. Igitur eſt manifeſtum, Pelagium tandem admiſiſſe neceſſarias illas internas revelationes & excitationes.

Apertâ ſic Litterâ S. Auguſtini, & Conciliorum: quòd Pelagius admiſerit illas internas revelationes, & excitationes, quas gratiam vocabat, facilis patet reſponſio ad quaſdam objectiones quæ contrà Litteram S. Auguſtini opponuntur.

Opponunt enìm inprimis PP. RR. Pelagium non admiſiſſe internas illas excitationes & illuſtrationes; aliàs admiſiſſet veram gratiam; cùm tamen Concilia Africana dicant ipſum nullam veram gratiam admiſiſſe. Et hoc eſt primum & principale fundamentum RR. PP.. Quià tamen expreſsè procedit contrà apertam Litteram S. Auguſtini, per eamdem Litteram ſolvitur manifeſtè. Utrumque enìm habetur in Litterâ S. Auguſtini, & utrumque verum eſt: & Pelagium admiſiſſe internas illas illuſtrationes & revelationes & non admiſiſſe veram aliquam gratiam, nec efficacem nec ſufficientem. Quià ut Sanctus Auguſtinus probat, *ed. Lib. de grat. Chriſti cap. 7. & 10.* illæ illuſtrationes & excitationes internæ non recedunt à commendatione legis atque doctrinæ; nec aliud tribuunt voluntati, quod non poſſit tribui per exteriorem legem atque doctrinam. Undè convincitur, quòd non ſit vera gratia, nec verè ſufficiens, nec verè efficax; quià gratia vera & propria aliquid aliud tribuit animæ, quod non poteſt tribuere lex atque doctrina. Et ſic illæ internæ revelationes & excitationes non tribuunt animæ verum poſſe, & veras ſufficientes vires, ſed quoddam poſſe quodammodò extrinſecum, non recedens, videlicèt, à lege atque doctrinâ.

Similiter præcluditur aliud ſecundum quod opponunt, videlicèt, Pelagium tantùm admiſiſſe gratiam ad faciliùs neceſſariam, non autem ad ſimpliciter: non ergò admiſit illas internas revelationes & excitationes ut ſimpliciter neceſſarias. Ad hoc patet reſponſio ex eodem fundamento.. Dicitur enìm primò: quòd in ſecundo ſtatu Pelagius de hoc fuit damnatus: in tertio autem admiſit illas internas illuſtrationes & excitationes, ut ſimpliciter neceſſarias: ſed quià illæ, ut modò dictum eſt non recedunt à lege atque doctrinâ, & ex conſequenti, non ſunt vera gratia; indè eſt, quòd veram & propriam gratiam non admiſit, niſi ad faciliùs.

Parique ratione ſolvitur aliud tertium quod opponi ſolet, videlicèt, Pelagium non admiſiſſe internas illas excitationes & illuſtrationes: Quià S. Auguſtinus dicit, illum admiſiſſe extrinſecas quaſdam excitationes: ergò non admiſit illas intrinſecas & internas illuſtrationes & excitationes. Ad hoc enìm reſpondetur, utrumque verum eſſe, & admiſiſſe internas illas illuſtrationes & excitationes, & illas meritò appellare S. Auguſtinum, excitationes extrinſecas; quià ſolùm pulſant exteriùs animam, non intrant illam. Undè meritò & à S. Auguſtino & à S. Proſpero vocantur extrinſecæ; ità quòd ſi illæ comparentur cum purè exteriori lege atque doctrinâ, poſſunt aliquâ ratione dici intrinſecæ; comparatæ verò cum animâ, quià ipſam non intrant, ſed à foris pulſant, ſicut qui ad oſtium pulſat, cum omni proprietate vocantur à SS. Doctoribus excitationes extrinſecæ. Igitur manifeſtum eſt tandem Pelagium admiſiſſe internas illas excitationes & illuſtrationes. Et hoc eſt primum quod S. Auguſtinus expreſsè refert de Pelagio.

Refert 2°. illum per has illuſtrationes dixiſſe, Deum tantùm dare poſſe, non autem ipſum velle & operari; ut verbis expreſſis docet S. Auguſtinus *eodem Lib. de gratiâ Chriſti cap. 5. & cap.*

cap. 47. cujus formalia verba citata ſunt ſæpè. Illud autem poſſe, quod dabant illuſtrationes illæ & excitationes, erat poſſe per modum legis atque doctrinæ. Undè nec erat verum poſſe dans veras ſufficientes vires animæ. Docet deindè S. Auguſtinus: quòd licèt Pelagius admitteret illas internas excitationes & illuſtrationes, daret tantùm verum poſſe. Quià verò negavit ſemper Deum dare efficienter ipſum velle & operari, non admitteret veram Chriſti gratiam, quæ faceret nos facere. Cùm ergò PP. RR. dicant expreſsè, ſe tantùm admittere illas internas illuminationes & excitationes, cùm dicant 2°. per illas tantùm Deum dare poſſe ex parte proponentis objectum; cùm 3°. affirment Deum verè efficienter non facere nos velle & operari; S. Auguſtinus contrà illos convincit, illos per hoc non recedere à lege atque doctrinâ, nec admittere veram & propriam gratiam, quæ det animæ vel efficaces, vel ſufficientes vires. Immò gratis omninò eis admittendo, quòd excitationes & illuſtrationes iſtæ tribuunt animæ verum poſſe, ad modum quo habitus tribuunt benè poſſe operari, non confitentur Chriſti gratiam, de quâ dicit Scriptura: quòd facit nos facere.

Quòd ſi tandem ſe excuſent PP. iſti, dicentes, ſe admittere cooperantem gratiam, quam Pelagius non admiſit, & in hoc diſtingui ab ipſo; Reſpondeo: veriſſimum, eſſe hanc cooperantem gratiam non admiſiſſe Pelagium expreſsè; ſed nec illam negaret; quià dogmati ſuo per illam nihil omninò ſubtraheretur: immò aliâ viâ ejus formaretur damnata ſententia. Quià illa gratia cooperans, quam PP. admittunt, ideò, ut dicunt, nobis cooperatur, quià nos ex nobis volumus conſentire illis excitationibus & moralibus invitationibus. Undè datur illa cooperans gratia, quià nos volumus, & ex conſequenti ſecundùm priora merita noſtra; & ſic nulla eſt gratia illa quam cooperantem vocant. Quâ ratione Julianus, Caſſianus, & Fauſtus, qui illam cooperantem gratiam hoc modo admiſerunt, convicti ſunt, quòd nullam veram gratiam admiſerint. Undè reverâ ſi illa RR. PP. ſententia penetretur, nullam veram gratiam admittit, nec prævenientem, nec ſubſequentem, nec cooperantem, nec operantem. Nullam quidem gratiam prævenientem, & operantem; quià ſolùm admittunt illas indeliberatas excitationes & illuſtrationes, quas non recedere à commendatione legis atque doctrinæ, S. Auguſtinus, ut diximus, & S. Proſper affirmant: gratia autem vera præveniens & operans aliquid aliud eſt præter id quod poteſt facere lex atque doctrina. Similiter nullam veram cooperantem & ſubſequentem admittunt; quià illam conſtituunt dari ſecundùm priora merita noſtra; quæ cooperans gratia, gratia non eſt, ſed naturæ debita. Et totum eſſentialiter dimanat ex illo falſo principio: quòd præveniens gratia non facit verè efficienter nos facere, ſed tantùm dat poſſe per illas excitationes & illuſtrationes.

Ut autem evidentiùs conſtet, quàm falſa ſit illa doctrina: quòd Deus det tantùm per prævenientem gratiam ipſum poſſe, & non ipſum velle & operari; legant tantùm unum S. Thomæ locum inſignem *ex Lib. 3. contrà Gentes cap. 88.* ubì ſic dicit: *Solus igitur Deus poteſt movere voluntatem per modum agentis abſque violentiâ.* Movere per modum agentis, & movere per modum cauſæ propriè efficientis, idem omninò eſt apud S. Thomam. Et ſtatìm *in cap. 89. ſequenti*, ità dicit: *Quidam verò non intelligentes, qualiter motum voluntatis Deus in nobis cauſare poſſit abſque præjudicio libertatis voluntatis, conati ſunt has authoritates malè exponere: ut ſcilicèt dicerent, quòd Deus cauſat in nobis velle & perficere, in quantùm dat nobis virtutem volendi; non autem ſic, quòd faciat nos velle hoc vel illud; ſicut Origenes exponit in L. 3. Periarchon, liberum arbitrium defendens contrà authoritates prædictas;* & ſtatìm

ſubdit

ſubdit S. Thomas : *Quibus quidem authoritatibus Sacræ Scripturæ reſiſtitur evidenter.* Sumus modò in terminis in hoc caſu in quo loquitur S. Thomas. Tria enim dicit apertiſſimè. 1°. Deum cauſare motum voluntatis per modum agentis & verè efficientis : quod P. R. negat expreſsè. 2°. Dicit, quoſdam, inter quos numerat Origenem, non intelligentes qualiter cum iſtâ præviâ Dei efficaciâ verâ ſtet liberum arbitrium, conatos fuiſſe malè exponere teſtimonia Scripturæ dicendo, Deum ideò nobis dare velle & perficere, quià dat poſſibilitatem & virtutem ad volendum, defendentes ſic liberum arbitrium contrà authoritates Scripturæ : quam poſſibilitatem dicunt PP. Societatis in terminis. Affirmat ergò Sanctus Thomas, quòd ſic opinantibus, authoritatibus Scripturæ evidenter reſiſtitur ; ut eſt illud : a *Cor Regis in manu Domini.* Et illud : b *Omnia opera noſtra in nobis operatus es Domine.* Et ſimilia quædam multa.

a Proverb. 21. 1.
b Iſ. 26. 12.

Præterea huic ſententiæ, quæ ità defendit arbitrium, contrà authoritates Scripturæ, ut dicat Deum tantùm dare poſſe, non autem verè efficienter facere ut velimus, reſiſtitur evidenter per illud Apoſtoli c : *Ipſius enim factura ſumus, creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Non enim potuit efficaciùs oſtendere Apoſtolus, Deum verè efficienter movere hominis liberum arbitrium ad benè operandum, quàm dicendo Deum creare in nobis bona opera. An hìc dicet aliquis non fieri ſermonem de verâ causâ efficiente ? Undè S. Auguſtinus propter iſtum inter alia præcipua defendit ſemper contrà Pelagianos divinæ gratiæ prævenientem efficaciam & efficientiam. Sic enim dicit *in Enchirid. cap. 32.* : Sumus creati in operibus bonis ; ergò Deus nos creat ; ergò Deus nos fingit ; ergò Deus nos format in operibus.

c Epheſ. 2. 10.

Præterea huic ſententiæ, quæ liberum arbitrium defendit contrà authoritatem Scripturæ, per alia teſtimonia ejuſdem Scripturæ evidenter reſiſtitur. *Ecclici 33.* d dicitur : *In multitudine diſciplinæ Dominus ſeparavit eos, & immutavit vias eorum. Ex ipſis benedixit, & exaltavit : & ex ipſis ſanctificavit, & ad ſe applicavit.* Immutat igitur Deus hominum voluntates ; quæ mutatio dexteræ Excelſi, ſine illâ verâ efficientiâ prædeterminante hominis voluntatem ad bonum, nec intelligi poteſt : in tantùm ut Dominus Cardinalis Bellarminus dicat : S. Thomam, quià docuit Deum immutare hominis voluntatem, docuiſſe phyſicam prædeterminationem. Cùm ergò Scriptura ipſa dicat, & non ſolùm S. Thomas, Deum immutare hominis voluntatem, Scriptura Sacra tradit phyſicam prædeterminationem, ratione eâdem. Dicit etiam Scriptura in prædicto loco, quòd Deus applicat ad ſe hominum voluntates ; quià, videlicèt, illas applicat ad bona opera, per quæ Deo applicantur. Quam explicationem etiàm P. R. negavit in præcedenti Congregatione ; non attendens, quòd non ſolùm negabat ſanctum Thomam, qui illam docet expreſsè, ſed & Scripturam ipſam, quæ illam docet in terminis.

d Eccli. 33. 11.

Inſuper huic ſententiæ, quæ dicit Deum tantùm dare poſſe, non autem verè efficienter facere ut faciamus, ità defendens liberum arbitrium contrà authoritates Scripturæ, reſiſtitur evidenter per Concilia Sacra. Et ut omnia omittam, unum ſolùm inducam Concilium Tridentinum *Seſſ. 6. cap. 5.* Ubì docet exordium juſtificationis ſumendum eſſe à Dei per Jeſum Chriſtum præveniente gratiâ excitante & adjuvante. Docet ergò initium juſtificationis fieri à Dei præveniente gratiâ : ergò docet ex Dei præveniente gratiâ incipere motum juſtificationis : ergò docet Deum per prævenientem gratiam verè efficienter movere hominem ad juſtificationem, & ut ſe diſponat ad illam. Patet conſequentia ; quià ſecundùm Ariſtotelem & omnes Philoſophos, cauſa verè efficiens,

ciens, ut diſtinguitur ab aliis generibus cauſarum, ſic definitur: quòd ſit id undè incipit motus. Si ergò Concilium definit, quòd à præveniente gratiâ incipit motus juſtificationis, proculdubio determinat Concilium, Deũ per prævenientem gratiam movere hominem verè efficienter, ut ſe diſponat ad juſtificationem. Quod eſt valdè notandum in Concilio. Illæ internæ illuſtrationes & excitationes indeliberatæ, quamvìs ſint id ſine quo homo non inchoabit juſtificationem, tamen non ſunt id ex quo inchoatur & ſumitur exordium juſtificationis.

Quod advertens Pelagius ipſe, aſtutè utrumque dixit, & Deum immittere internas illuſtrationes illas & excitationes indeliberatas, ſine quibus homo non rectè operabatur; & tamen dixit ex illis, ſicut ex divino adjutorio, non effici bonam hominis voluntatem. Sic enìm de illo refert S. Auguſtinus *Lib. de gratiâ Chriſti cap. 10.* a Et alio loco, cùm diù aſſeruiſſet, non adjutorio Dei, ſed ex nobis ipſis in nobis effici voluntatem bonam: eccè negabat, quòd verè efficienter fiat voluntas bona ex præveniente Dei adjutorio; ſicut R. P. dicit in terminis. Cùm, inquam, hoc dixiſſet Pelagius, ſimùl admittebat, Deum ſtupentem ſuſcitare voluntatem; quià videbat quòd ex illis illuſtrationibus, & indeliberatis excitationibus non efficiebatur bona voluntas, nec ex illis inchoabatur motus voluntatis bonus, ſed ex ipsâ humanâ voluntate.

a *Tom. 10. n. 11. col. 235.*

Undè Franciſcus Suarez clariùs manifeſtans, quomodò ex illis illuſtrationibus & indeliberatis excitationibus non incipit exordium juſtificationis, nec ex illis inchoatur motus voluntatis, *Lib. de Auxiliis divinæ gratiæ cap. 13.* §. *præterea*, ità dicit: *Præterea, ubicunque Sancti de libertate arbitrij loquuntur, dicunt ità ſe gerere Deum cum voluntate noſtrâ, ut nullam vim ei ingerat, ſed in poteſtate ejus motum ejus conſtituat, ità ut eum inchoare poſſit, ſi velit.* Ergò motus voluntatis ſecundùm iſtum Authorem non efficitur nec inchoatur ex præveniente gratiâ, ſed ex nobis. Et ſtatìm ſubdit: *Hæ autem locutiones omnes, quæ non ſolùm Sanctorum ſunt, ſed etiam divinæ Scripturæ, non poſſunt ſatìs intelligi, & ad veram praxim reduci, ſi ſupernaturalis conſenſus, etiam poſitâ excitatione, & aliis ex parte hominis prærequiſitis, inchoandus eſt ab illâ efficaci Dei voluntate prædeterminante.* Quid clariùs? Dicit ergò apertè, quòd nec ab excitatione, nec à divinâ voluntate prædeterminante inchoatur bonus conſenſus; ergò bonus conſenſus non ſumit initium & exordium ex Dei præveniente gratiâ. Quod eſt expreſsè contrà Concilium Tridentinum ſuprà inductum.

Undè tandèm Molina hoc ipſum magìs declarans *in Concordiâ q. 23. art. 4. & 5. diſput. 1. memb. 10.* §. *quòd enìm.* b ità dicit: *Quòd enìm actus à gratiâ præveniente, & ab arbitrio elicitus, liber ſit, eâque de cauſâ capax rationis, virtutis, laudis, & honoris, quæ propter eum liberè homini eo pacto influenti tribuantur; profectò non eſt effectus gratiæ prævenientis.* Ergò Deus per gratiam prævenientem non eſt cauſa illius boni usûs. Contrà hanc autem doctrinam militant apertè inducta teſtimonia Scripturæ & Conciliorum, & authoritas S. Auguſtini & S. Thomæ, cum rationibus ex ipſis inductis.

b *Pag. 116. col. 2.*

Ad objecta ergò oportet reſpondere, imprimis, ſolutionibus generalibus, ut poſteà ad particularia deſcendam. I°. Nullus ex inductis Patribus, vel formaliter, vel æquivalentibus verbis, dicunt Deum non efficere verè efficienter ut nos faciamus, vel Deum tantùm dare nobis poſſe operari, noſtrum autem eſſe velle, & operari; ſed tantùm dicunt, Deum non cogere, non violentare, aut abſolutè neceſſitare hominis voluntatem, nec auferre quìn ipſa in liberâ ſuâ poteſtate habeat ſuum velle & operari. Hæc dicunt inducta teſtimonia, & verba Sanctorum. Ex hoc autem inferre per legitimas conſequentias, ipſos negare prævenientis gratiæ efficax adjutorium, nihil eſt aliud quàm ipſis contradicere.

Reſpondeo II°. hoc argumentum antiquiſſimum eſſe, quo Maſſilienſes olìm S. Auguſtino opponebant SS. Patres eo antiquiores, omnes ei contrariam tenere ſententiam. Et bellum hoc quod antiquitùs ex SS. Patribus fiebat S. Auguſtino, tunc fuit ſuperatum, cùm ipſe S. Auguſtinus veram intelligentiam Sanctorum produxit. Undè in hâc causâ ſemper idem opponitur argumentum.

Reſpondeo III°. cum S. Auguſtino *Lib. de prædeſt. Sanctor. cap. 14.* a, dicente ità: *Quid igitur opus eſt, ut eorum ſcrutemur opuſcula, qui priuſquàm iſta hæreſis oriretur, non habuerunt neceſſitatem in hâc difficili ad ſolvendum quæſtione verſari? Quod proculdubio facerent, ſi reſpondere talibus cogerentur. Undè factum eſt, ut de gratiâ Dei quid ſentirent, breviter quibuſdam Scriptorum ſuorum locis, & tranſeunter attingerent: Immorarentur verò in eis, quæ adversùs alios inimicos Eccleſiæ diſputabant, & in exhortationibus ad quaſque virtutes, quibus Deo vivo & vero pro adipiſcendâ vitâ æternâ & verâ felicitate ſervitur. Frequentationibus autem orationum ſimpliciter apparebat Dei gratia quid valeret.* Manifeſtum eſt ergò SS. Patres inductos nihil adversùs efficaciam divinæ gratiæ egiſſe, licèt non ità ex profeſſo, ſed tranſeunter de illâ diſputarent.

a Tom. 10. n. 27. col. 808.

Reſpondeo IV°. quòd dato, & non admiſſo, aliquem vel aliquos ex antiquioribus vel Græcis vel Latinis Patribus aliquid dicere, quod iſtis RR. PP. favere videretur, piè ſunt explicandi, nec extendendi. Sola enìm authoritas S. Auguſtini in hâc parte omnibus illis præponderat; cùm ejus doctrina in hâc parte ſit jàm doctrina Eccleſiæ, ab ipſâ per tot Pontifices Summos, & Concilia ab hâc S. Sede confirmata, recepta & approbata.

Reſpondeo ultimò, generali ſolutione ſicut à principio, ipſos SS. Patres inductos nihil tale dicere. Ad hanc enìm propoſitionem in Scripto Cenſoribus tradidimus ex contextu Sanctorum veram illorum intelligentiam. Ad quod me præſens remitto.

Et ad particularia dicta Sanctorum veniens, imprimis quidam inducuntur à PP. Societatis authores, quos inducere nullo modo debebant. Quâ enìm ratione pro ſuâ ſententiâ inducunt Origenem, de quo modò in S. Thomâ oſtendi, ipſum contrà authoritatem Scripturæ defendere liberum hominis arbitrium? An ignorant, quòd S. Hieronymus *Epiſtolâ ad Cteſiph.* de Origene dicat eum loqui cum Pelagio? Sic enìm dicit ipſi Pelagio: *Doctrina tua Origenis ramuſculus eſt.* Si ergò doctrina Pelagij doctrinæ Origenis ramuſculus eſt, quâ ratione pro ſe citant PP. RR. Origenem? Poterant & citare Pelagium ipſum.

Inducunt etiam pro ſe Clementem Alexandrinum, de quo præterquàm quòd illis nullo modo favet, ſic dicit Gelaſius Papa *in capite, Sancta Romana: Itèm alterius Clementis Alexandrini Opuſcula Apocrypha.* Si ergò Eccleſia docet, Opuſcula illius apocrypha eſſe, quomodò inducuntur?

Similiter induxerunt PP. RR. Juſtinum Martyrem *in illo tractatu quæſtionum de Orthodoxis*: Sed iſte Tractatus vel Opuſculum illud, Juſtini Martyris non eſt. Cujus vel demonſtrationem facit Sixtus Senenſis in ſuâ Bibliothecâ; quià Juſtinus Martyr vixit in principio II. Sæculi: at verò Opuſculum illud, illi falsò tributum, citat Origenem & Ireneum, qui fuerunt in fine III. Sæculi, aut in principio IV^i^. Quomodò ergò Juſtinus potuit authores longè ſe poſteriores citare vel allegare? Omitto, quòd multa falſa & abſurda continet Opuſculum illud, de quo modò non ago. His ergò prætermiſſis, Doctores qui authoritatem habent, & quos R. P. induxit, ad quinque claſſes reduxit.

In I^a^. Claſſe poſuit authores, qui negabant, efficaciam prævenientis gratiæ ità voluntatem determinare, ut ſemper actus voluntatis infallibiliter ſequeretur. Et imprimis induxit ſanctum Cyrillum, ità dicentem *Lib. 4. contrà*

contrà Julian. : *Itaque ſi ineffabili quâdam & divinâ virtute & efficaciâ uſus,* ſcilicet Deus, *mutaſſet ſingulorum mentem ad benè agendum, & indidiſſet poſteà bonum, à quo ægerrimè diſcedere poſſet, & non ſponte, ultrà non eſſet fructus mentis.* Sed Cyrillus in his verbis non indiget explicatore, ſed lectore. Expreſsè enim dicit: quòd ſi Deus tali uteretur efficaciâ in movendo hominis voluntatem, ut homo ſponte, id eſt, liberè non operaretur; quod & Deus ſi vult facere poteſt, nullus eſſet fructus mentis. Ex hoc autem nullo modo, vel apparenter ſequitur, negare Cyrillum efficaciam prævenientis gratiæ, quâ modò Deus fortiter & ſuaviter liberum hominis movet arbitrium, ut infallibiliter & liberè ſuam producat operationem.

Immò nullum ex SS. Patribus Græcis minori cum apparentiâ pro ſe inducere poterunt PP. Societatis, quàm S. Cyrillum. 1°. Quià S. Cyrillus *Lib. 1. in Iſa. cap. 1.* expreſsè docet, hominum voluntates eſſe Dei inſtrumenta, ità quòd niſi à Deo priùs moveantur, ſe movere non poſſunt. Quid clariùs potuit aſſerere pro efficaciâ prævenientis gratiæ prædeterminante & efficaciter movente hominis voluntatem ad operationem? Itèm quià, ut in præcedentibus Congregationibus [a] coràm Sanctitate Veſtrâ oſtendi, S. Cyrillus *Lib. 1. de adorat. in ſpir. & verit.* expreſsè docet duplex eſſe auxilium Dei: alterum cui reſiſtitur, ſufficiens videlicèt: alterum verò fortius, quod ſemper facit hominem operari. De quo ultimo dicit verificari illud: [b] *Apprehendiſti manum dexteram meam, & in voluntate tuâ deduxiſti me.* Et ad hoc explicandum, adduxit illud *Gen. 19.* [c] de Angelis, qui cùm ſuaderent Loth, ut egrederetur de ſubvertendâ civitate, ille cum iſtis ſimulationibus diſſimulabat, dicit Scriptura Sacra. Undè illi *apprehenderunt manum ejus &c.* & duxerunt illum extrà maledictam illam civitatem. Et per hoc affirmat denotari duplex illud auxilium Dei, jàm ſuprà relatum. Potuit-ne S. Cyrillus expreſſiùs ſignificare prævenientis gratiæ auxilium efficaciter prædeterminans, quàm cùm iſta dicit? Eccè S. Cyrillus, quem pro verâ ſententiâ adduco, expreſsè tradit prævenientis gratiæ auxilium efficaciter prædeterminans.

[a] *Vide ſuprà col. 1084. & ſeq. in Congregat. 40. ſub finem.*

[b] *Pſal. 72. 24.*

[c] *Gen. 19. 16.*

Prætereà, cùm ſit notum, S. Cyrillum nomine Apoſtolicæ Sedis & Cæleſtini I. præfuiſſe in magno Concilio Epheſino, in quo, ut epiſtola iſtius Concilij, miſſa ad Cæleſtinum, apertè declarat, damnati ſunt Pelagius, Celeſtius, & Julianus inimici gratiæ Chriſti, qui efficaciam prævenientis gratiæ negabant, & Cyrillus illos damnavit cum Neſtorio, qui negabat Chriſti Divinitatem; quià iſti errores ſunt valdè affines: Quomodò Cyrillus inducitur pro ſententiâ, quam ipſe tàm apertè damnavit?

Induxerunt etiam PP. Societatis pro hâc Iª. Claſſe in ſecundo loco S. Anſelmum *Lib. de concord., præſcient. & prædeſt.* illis verbis: *Licèt enim neceſſe ſit, aut vitam aut rectitudinem relinquere, nulla tamen neceſſitas determinat, quam ſervet aut deſerat. Nempè ſola voluntas determinat ſibi quid teneat; nec aliquid facit vim neceſſitatis; ubi operatur electio ſola voluntatis.* Sed in iſtis verbis S. Anſelmus dicit, quòd voluntas ſe ſola determinat in ſuo ordine & genere cauſæ ſecundæ, abſque eo quòd ab aliquo priori neceſſitetur per neceſſitatem tollentem liberam electionem voluntatis. Et hoc ſolùm intendere & aſſerere Anſelmum, conſtat apertè; quià in eodem capite præmiſerat iſta verba: *Neceſſitas enim videtur ſonare coactionem vel prohibitionem.* Cùm ergò negat neceſſitatem cogentem, id eſt, abſolutè neceſſitantem, & tollentem electionem voluntatis tantùm negat.

Immò ipſe S. Anſelmus *in citato capite* expreſsè docet, & clariſſimis verbis, prævenientis Dei motionis efficaciam, præmoventem phyſicè voluntatem ad agendum, cùm ità dicit: *Omnis quippè qualitas, vel omnis actio, & quidquid aliquam habet eſſentiam,*

Digitized by Google

tiam, à Deo eſt. Et ſtatim: *Facit itaque Deus omnia, quæ juſtâ vel injuſtâ voluntate fiunt, id eſt, bona opera & mala. In bonis quidem facit quòd ſint, & quòd bona ſint; in malis verò, quòd ſint, ſed non quòd mala ſint.* Et poſt pauca: *Ipſum quoque velle, quod aliquandò juſtum eſt, nec eſt aliud quàm uti poteſtate volendi & voluntate, quas Deus dat, in quantùm eſt, & bonum eſt, & à Deo eſt.* Et iterùm ibidem: *Sic itaque facit Deus in omnibus voluntatibus & operibus bonis, & quòd eſſentialiter ſunt, & quòd bona ſunt. In malis verò, non quòd mala ſunt, ſed tantùm quòd per eſſentiam ſunt.* Quibus verbis apertiſſimè S. Anſelmus influxum in voluntatem facientem ipſam uti ſuâ poteſtate, exponit. Qui influxus in cauſam, efficax præmotio & prædeterminatio eſt; ut etiàm PP. Societatis apertè fatentur. Docet ergò Anſelmus phyſicam prædeterminationem reſpectu cujuſcunque entitatis, & bonitatis etiam in peccato inventæ.

Fuit 3°. inductus S. Hieronymus *epiſt. 146. ad Damaſ.* illis verbis: *Dedit eis liberum arbitrium, dedit mentis propriæ libertatem, & ut viveret unuſquiſque, non ex imperio Dei, ſed obſequio ſuo, id eſt, non ex neceſſitate, ſed ex voluntate, ut virtus haberet locum.* Quem locum ſic contrà litteram interpretabatur P. R.; quòd negat S. Hieronymus imperium Dei ſuper hominum voluntates, ipſas efficaciter movens; non autem negat imperium morale, quo ſuaſionibus agit. Sed non opus eſt S. Hieronymum explicare extortâ explicatione, cùm explicatio in litterâ ſit manifeſta, quâ docet S. Hieronymus, ſe negare imperium Dei, id eſt, neceſſitatem lædentem in homine libertatem.

Sed quomodò S. Hieronymus citatur pro hâc ſententiâ, cùm ipſe efficaciſſimè Pelagianos expugnaverit, ut conſtat apertè ex illis tribus Dialogis contrà Pelagianos, qui, ſi hìc modò referri poſſent, quanta viderentur apertiſſima pro gratiâ Dei? Et *in epiſtolâ citatâ* dicit illa verba graviſſima contrà Pelagianos: *Quæ autem major poteſt eſſe temeritas, quàm Dei ſibi, non dico ſimilitudinem, ſed æqualitatem vindicare, & brevi ſententiâ omnium hæreticorum venena complecti?* Contrà Pelagianos, qui efficaciam divinæ motionis negabant, & voluntatem hominis à Deo non moveri, ſicut nec ab aliquo Deus ipſe movetur, iſta verba profert: quòd faciebant liberum hominis arbitrium Deo æquale. Et *in ead epiſt. adversùs Pelagianos;* quià S. Hieronymo, ſicut & modò nobis, tribuebatur quòd liberum hominis negaret arbitrium per auxilium gratiæ; ità dicit: *Quòd autem ſursùm deorſùmque jactitant, liberum à nobis auferri arbitrium, audiant è contrario eos arbitrij deſtruere libertatem &c.* Quod ità eſſe, quòd Patres Societatis deſtruant hominis libertatem, oſtendam manifeſtè, cùm actum fuerit de rationibus.

Inducebat deindè Vaſtida Abulenſem. Sed quidquid dicat Abulenſis, parùm retulerit; nec in hoc eſt immorandum. Sed nec ipſe aliquid dicit, quod ſententiæ horum faveat.

De S. Chryſoſtomo, quem etiam induxerunt in ſecundo ordine, tunc ex profeſſo dicam, quid S. Chryſoſtomus ſentiat.

Inducebant etiam S. Proſperum *in reſp. ad 6. capitul. Gallor.* dicentem: *ineptiſſimè dici prædeſtinationem Dei ſivè ad bonum, ſivè ad malum in hominibus operari.* Ex quo RR. PP. inferebant nos dicere Deum ad malum homines prædeſtinare, ſeu prædeterminare. Sed cùm actum fuerit de hoc, oſtendam ipſos PP., qui iſta opponunt, hoc aſſerere, videlicèt, Deum eſſe cauſam malorum omnium.

Inducebant ultimò S. Damaſcenum *Lib. 2. de Orthod. fid.* dicentem: ea quæ ſunt in nobis non prædeterminare Deum; ſed ea tantùm præſcire. Similiter adhibebat P. Vaſtida S. Thomam dicentem, S. Damaſcenum tantùm negare prædeterminationem neceſſitantem voluntatem. Quià tamen S. Thomam non legit, ſed ſub ſilentio omiſit,

Digitized by Google

omiſit, legam ipſe, ut conſtet ex S. Thomâ de verâ intelligentiâ Damaſceni. Ità ergò dicit S. Thomas *Lib. 3. contrà Gent. cap. 90.* Agit autem S. Thomas ex profeſſo in iſto capite, quòd electiones & voluntates humanæ ſubduntur divinæ providentiæ. Quod poſtquàm efficaciſſimis rationi bus probavit, opponit quòd à Scripturâ Sacrâ, & SS. Patribus videtur contrarium inſinuari, ità dicens : *Videntur autem quædam in doctrinâ ſacrâ ſecundùm prædictam ſententiam ſonare. Dicitur enim Ecclici 15. : Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilij ſui &c.* Et ſtatìm ſubdit: *Hæc autem verba ad hoc inducuntur, ut homines eſſe liberi arbitrij oſtendantur, non ut eorum electiones à divinâ providentiâ ſubtrahantur. Et ſimiliter quod Gregorius Nyſſenus dicit, in Libro quem de homine fecit : providentia eſt eorum quæ non ſunt in nobis, non autem eorum quæ ſunt in nobis. Et Damaſcenus eum ſequens dicit in Libro 2°. : quòd ea quæ ſunt in nobis Deus præno ſcit, ſed non prædeterminat : exponenda ſunt, ut intelligantur ea quæ ſunt in nobis, divinæ determinationi non eſſe ſubjecta, quaſi ab eâ neceſſitatem accipientia.* Undè manifeſtè diſtinguit, ſecundùm mentem Damaſceni duplicem prædeterminationem ; aliam neceſſitantem voluntatem, & hanc dicit negare Damaſcenum ; aliam verò ſalvantem libertatem, & hanc docet non negari à Damaſceno.

Idem S. Thomas *1. p. q. 23. art. 1.*, cùm adversùs prædeſtinationem oppoſuiſſet primo loco ex Damaſceno, *quòd ea quæ ſunt in nobis Deus præſcit, ſed non prædeterminat ;* ità reſpondet: *Ad primum ergò dicendum, quòd Damaſcenus nominat prædeterminationem, impoſitionem neceſſitatis, ſicut eſt in rebus naturalibus, quæ ſunt prædeterminatæ ad unum. Quod patet ex eo quòd ſubdit : Non enim vult malitiam, nec compellit virtutem. Undè prædeſtinatio non excluditur.* Ubì pro eodem ſumit omninò prædeſtinationem & prædeterminationem. Rursùs dicit, non qualemcunque negaſſe prædeterminationem Damaſcenum, ſed illam duntaxat quæ compellit, & aufert libertatem. Igitur alia eſt prædeterminatio vera, quæ non aufert libertatem.

Sed ſtatìm P. Vaſtida formabat argumentum ex S. Thomâ : Eſt aliqua prædeterminatio tollens libertatem ; ſed nulla alia potentior & efficacior ad tollendam libertatem, quàm iſta phyſica prædeterminatio ; ergò iſta tollit libertatem. Ad hoc negatur illa minor. Illa enìm prædeterminatio, quæ tolleret libertatem, ſi Deus, ut poteſt, vellet voluntatem neceſſitare, eſſet quæ anteverteret judicium indifferens rationis, & moveret ad modum quo bruta moventur. At verò iſta moralis & phyſica prædeterminatio movet efficaciter hominem per judicium rationis indifferens, & ſupponit rationis indifferentiam & deliberationem, quæ eſt prima radix libertatis. Undè tantùm abeſt, quòd libertatem lædat, quòd potiùs ipſam cauſat, & perficit ; ut dictum eſt ſæpè.

Deindè in II°. Capite inducebat authores, qui dicunt Deum ità movere per gratiam ſuam voluntates hominum, quòd relinquat in poteſtate eorum operari vel non operari, ſi velint. Quod probabat ex Cyrillo, Nyſſeno, Leone I. ac Chryſoſtomo. Ad quod jam diximus veriſſimum hoc eſſe : ſed ex hoc inferre, quòd non detur phyſica prædeterminatio, nulla eſt conſequentia ; ut ſæpè diximus. Quià illa ità in actu primo hominis voluntatem determinat, ut eam faciat liberè ſe determinare in actu ſecundo.

Et quod attinet præcipuè ad Chryſoſtomum, in particulari reſpondetur 1°. : quòd cùm ipſi cum Molinâ a dicant Chryſoſtomum ſine ſuâ culpâ incidiſſe in errorem Pelagianorum : quarè ipſi modò non ſine ſuâ culpâ citant pro hac ſuâ ſententiâ Doctorem, videlicèt quem, licèt falsò, fatentur tamen errorem habuiſſe Pelagianorum ? Reſpondeo 2°. Chryſoſtomum, cùm dicit Deum ità vocare, ſicut videt congruum & aptum ut ſequantur

a *Diſp. 45. pag. 177. & 178.*

ſequantur homines, vel quid ſimile, ſicut in locis objectis opponitur; tantùm intelligere, Deum ità vocare, ſicut ipſe novit homines ex ſuâ efficaci ratione & gratiâ ſecuturos.

Et ità eſſe explicandum Chryſoſtomum, aliter non ſuſtinendum, dicit expreſsè bonæ memoriæ Cardinalis Toletus *ſup. Luc. cap. 5. annotat. 54.* Et in fine concludit, totum S. Auguſtinum eſſe in contrariâ ſententiâ, ſi non ſic intelligatur & explicetur S. Chryſoſtomus. Ex quo ſumitur efficaciſſimum argumentum: Totus S. Auguſtinus eſt in contrariâ ſententiâ hujus quam RR. PP. defendunt, & quam S. Chryſoſtomo laborant adſcribere; ut inquit bonæ memoriæ Cardinalis Toletus: ſed ſententia S. Auguſtini in hâc materiâ eſt ipſa fides Eccleſiæ; ut expreſsè dicit Illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus *Lib. de gratiâ & libero arbitrio cap. 11. §. Itaque Sedes Apoſtolica.* Cujus verba ſunt: Itaque Sedes Apoſtolica, non tantùm ſemel, ſed etiam ſecundò & tertiò, adversùs Pelagianorum reliquias, pro Defenſoribus gratiæ & prædeſtinationis, ſententiam tulit; ut jàm hæc ſententia, non quorumvis Doctorum opinio, ſed fides Catholicæ Eccleſiæ eſſe debeat. Ergò ſententia, quam contrà S. Auguſtinum Chryſoſtomo tribuunt, ut illam defendant, contrà fidem Eccleſiæ procedit.

Accedit, quòd, ut Cardinalis Toletus dicit, falsò conantur ſuam ſententiam adſcribere S. Auguſtino, propter ejus verba in cortice litteræ conſiderata. Quæ & priùs intellecta & explicata fuerunt à S. Auguſtino *Lib. de dono perſev. cap. 19.* a Ubì potiſſimè propter S. Chryſoſtomum ità dicit: *Quid ergò nos prohibet, quandò apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præſcientiam, & agitur de vocatione electorum, eamdem prædeſtinationem intelligere?* Et ſtatìm: Hoc ſcio, neminem contrà iſtam prædeſtinationem, quam ſecundùm Scripturas Sacras defendimus, niſi errando diſputare potuiſſe.

a *Tom. 10. n. 48. col. 848.*

In III°. ordine inducebat Doctores Sanctos, qui dicunt, cum æquali auxilio prævenientis gratiæ ſtare, quòd unus convertatur, & non alius: per quod negant apertè phyſicam prædeterminationem; quià illâ poſitâ omnes convertuntur. Potiſſimè autèm inducebatur S. Proſper *Lib. 2. de vocat. Gent. cap. 26.* Ubì ità dicit: *Gratia quidem Dei in omnibus juſtificationibus principaliter præeminet, ſuadendo exhortationibus, movendo exemplis, incitando miraculis, dando intellectum, inſpirando conſilium, corque ipſum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo: ſed etiam voluntas hominis ſubjungitur ei atque conjungitur, quæ ad hoc prædictis eſt excitata præſidiis, ut divino in ſe cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod ſuperno ſemine concepit ad ſtudium, de ſuâ habens mutabilitate, ſi deficit; de gratiæ opitulatione, ſi proficit. Quæ opitulatio per innumeros modos, ſivè occultos, ſivè manifeſtos, omnibus adhibetur, & quòd à multis refutatur, ipſorum eſt nequitiæ: quòd autem à multis ſuſcipitur, & gratiæ eſt divinæ, & voluntatis humanæ.* Ex quo loco dededucebat, quòd eadem gratia ab uno ſuſcipitur, ab alio repudiatur; & ex conſequenti, cum æquali gratiâ ſtat unum converti, alium non.

Ad quod Dico 1°. Multos ex SS. Patribus loqui de habituali gratiâ, cùm dicunt, cum æquali habituali gratiâ unum converti in bonum, & alium non converti. Sed quià etiam aliqui loquuntur de actuali auxilio gratiæ, ideò Dico 2°. quòd cùm aliqui ex SS. Patribus dicunt eamdem gratiam ab uno accipi, ab alio repudiari, loquuntur de eâdem gratiâ excitante, non verò adjuvante. Gratia enìm præveniens efficax & debet conſiderari in ſui principio, cùm tantùm, videlicèt, moraliter excitat, & in ſuo fine & complemento, cùm à nullo duro corde reſpuitur, ut aït S. Auguſtinus *Lib. de prædeſtinat. Sanctorum cap. 8.* b Ità in ſui principio, cùm tantùm eſt excitans, ſtat optimè, quòd cum æquali gratiâ excitante unus convertatur, & non alius: ſed qui

b *Tom. 10. n. 13. col. 799.*

convertitur

convertitur ſemper habet majorem adjuvantem. Et ſic intelligitur S. Proſper citato loco.

a Quæ ſequuntur in Congregatione non fuerunt dicta, uſque ad hæc verba : In IV°. Capite, *ſed leguntur in margine apud MSS. P. Lemos.*

" a Sicut enim calor in principio,
„ cùm eſt ut unum, repudiatur à ſub-
„ jecto indiſpoſito; ſed dùm eſt perfec-
„ tus in ſuo fine, cùm, videlicèt, po-
„ teſt ut octo, non repudiatur, ſed in-
„ troducit formam : ità &c. Itaque ſi-
„ cut dicimus de dono perſeverantiæ,
„ quòd conſiſtit in adjuvatione conti-
„ nuâ auxiliorum, quibus homo perſe-
„ verat uſque in finem; & auxilium pri-
„ mo loco datum, ut dicit ordinem ad
„ alia auxilia perſeverantiæ, vocatur do-
„ num perſeverantiæ initiativè; comple-
„ ctitur enim initiativè, non autem om-
„ nia comprehendit : ità gratia excitans,
„ ut infert gratiam adjuvantem, dicitur
„ efficax in ſui principio; cùm autem
„ jàm eſt adjuvans dicitur completiva
„ efficax. Et ſicut martyrium conſiſtit
„ in inflictione vulneris lethalis, ad quod
„ infallibiliter ſequitur mors : ità gratia
„ efficax initiativè conſiſtit in gratiâ ex-
„ citante, ad quam infallibiliter ſequi-
„ tur adjuvans. Sed advertendum, quòd
„ eadem excitans, ſi non dicit illum reſ-
„ pectum infallibilem ad adjuvantem,
„ de facto repudiatur; ſi autem illum
„ dicit, de facto non repudiatur. Immò
„ Sancti conſiderantes eamdem gratiam
„ excitantem ſine illo reſpectu, dicunt
„ quòd repudiatur. Eadem autem ut
„ dicit illum reſpectum, dicunt quòd
„ non repudiatur ab aliquo duro corde.

In IV°. Capite inducebat SS. Doctores qui dicunt ex neceſſitate antecedente tolli libertatem, non autem ex neceſſitate conſequente. Et inducebat potiſſimè S. Anſelmum *Lib. de concord. præſcient. & prædeſt.* citatis verbis à principio. Ad quod Reſpondeo : S. Anſelmum aſſerere quidem, neceſſitatem antecedentem tollere libertatem, non autem conſequentem. Cæterùm ipſe ſe declarat, quid intelligat per neceſſitatem antecedentem, illam, videlicèt, quæ inducit naturalem neceſſitatem; ſicut apertè declarat in exemplo, cùm dicit, neceſſitatem antecedentem tollentem libertatem eſſe illam, quâ neceſſe eſt cælum volvi, & ſolem oriri; quià ex neceſſitate antecedenti, determinatâ ad unum, id provenit. Neceſſitatem autem conſequentem, non tollentem ſed ſalvantem libertatem, non intelligit ſolùm illam quæ conſequitur ad voluntatem creatam, ſed etiam illam quæ conſequitur ad Dei primam voluntatem liberam : quià enim conſequitur ad primam cauſam liberam, licèt antecedat naturâ creatam voluntatem, abſolutè & ſimpliciter vocatur conſequens libertatem, & ſervans illam in cauſis ſecundis, ex primâ libertate divinâ ità volente, quòd cauſa ſecunda & velit infallibiliter, & liberè velit.

Et quòd iſta ſit Anſelmi certa ſententia, conſtat ex ipſo *in eodem citato loco*, cùm ità dicit : *Quoniàm enim quod Deus vult, non poteſt non eſſe, cùm vult hominis voluntatem nullâ cogi vel prohiberi neceſſitate, ad volendum, vel ad non volendum, & vult effectum ſequi voluntatem, tunc neceſſe eſt voluntatem eſſe liberam, & eſſe quod vult.* Quid clarius ? Apertè dicit, quòd ex Dei voluntate antecedente volente iſta duo, & quòd homo velit, & quòd velit cum libertate, utrumque neceſſe eſt ſequi, & quòd velit, & quòd velit cum libertate. Itaque in Sancto Anſelmo neceſſitas conſequens vocatur illa, quæ licèt antecedat libertatem noſtram, tamen conſequitur ad priorem libertatem divinam, volentem quòd homo velit, & liberè velit. Quòd autem dicit, quòd has duas neceſſitates facit voluntas noſtra, loquitur apertè de neceſſitate, quæ eſt in actu ſecundo à voluntate elicito. Quam neceſſitatem non dubium quìn illam faciat noſtra voluntas, ſed mota priùs ab efficaci Dei voluntate vel motione. Legit etiam F. Thomas S. Thomam *1. p. q. 19. art. 8. ad 1. 2. & 3.* ubì tertio loco in formâ facit hoc argumentum de neceſſitate antecedente divinæ voluntatis, quâ dicit ſervari libertatem.

S. Anſelmus *ſuper caput 6. Matth.*

Digitized by Google

facilem habet intelligentiam. Diſtinguit enìm duplicem voluntatem; aliam miſericordiæ, quæ non eſt cogens, nec aliquid arbitrio aufert, quâ Deus vult omnes homines ſalvos fieri; aliam quæ de effectibus eſt, de quâ dicitur: omnia quæcunque voluit fecit; quæ vocatur juſtitiæ, & concordat providentiæ, cui nullus reſiſtit. Et hanc petimus à Deo. Sed iſta non eſt cogens, vel abſolutam inferens neceſſitatem; ut falsò tribuitur Anſelmo; quià aliàs ſecundùm Anſelmum peteremus à Deo hanc cogentem, & noſtram auferentem libertatem.

In V°. & ultimo ordine inducebat SS. Doctores, qui dicunt Deum convertere hominem illuſtrationibus, ſuaſionibus, & excitationibus. Ad quod ſæpè reſponſum eſt: SS. Patres, qui iſta dicunt, loqui apertiſſimè, ut ipſi ſe alibì declarant, de illuſtrationibus & excitationibus interioribus effectivè moventibus & invitantibus animam & voluntatem: Quæ excitationes ſunt auxilia verè efficienter prædeterminantia; non autem ſequi de excitationibus & illuſtrationibus objectivè tantùm moventibus, ſeu moraliter per modum proponentis objectum; ut PP. RR. volunt & dicunt expreſsè. Quià has tantùm objectivè moventes admiſerunt Pelagiani, immò Pelagius ipſe; ut oſtenſum fuit à principio. Undè propter harum vocum æquivocationem maximam, non ſufficit modò iſtis vocibus uti, ſed aliis, quæ veram doctrinam ſine æquivocatione defendant. Ubicunque enìm RR. PP. legunt vel audiunt illuſtrationes & excitationes, ſtatìm ad illam objectivè tantùm oſtendentem recurrunt, quæ non recedit à lege atque doctrinâ. Immò cùm Concilium Tridentinum dicat, gratiam prævenientem, quâ convertimur, eſſe excitantem & adjuvantem ſimul; ipſi dicunt adjuvantem eſſe ſubſequentem, non prævenientem. Undè neceſſe eſt his temporibus, aliis vocibus uti, quæ cum ſuavitate & veritate rem antiquam ſignificent, ſine his magnis æquivocationibus.

Poſt hæc Vaſtida dicebat: Pelagium non admiſiſſe illas internas illuſtrationes & excitationes. Nec tamen reſpondebat locis inductis ex S. Auguſtino; ſed aſſerebat Concilia antiqua dicere, ipſum nullam veram gratiam admiſiſſe. Et tamen illæ internæ excitationes ſunt vera gratia: nec poſſe dici illas non eſſe veram gratiam contendebat; & poſtulabat ut iſta propoſitio qualificaretur: quòd illæ non ſint vera gratia. Dicebatque: ut Jeſuitas faciat iſte Pater Pelagianos, Pelagium facit Catholicum. Et inducebat quemdam ſalvantem contrà Calviniſtas, Jeſuitas non eſſe Pelagianos; ut Calviniſtæ illis imponebant.

Ad illud inductum ex Apoſtolo ſecundùm S. Auguſtinum: a *creati in operibus bonis*, dicebat: ideò Apoſtolum dixiſſe, *creati*, quià fiebat ſine prioribus operibus, ſicut fit creatio; & ad veram efficientiam importatam per creationem, nihil omninò reſpondebat. a *Epheſ.* 2. 10.

Ad illud quod ex Scripturâ dicitur: Deum applicare & immutare hominum voluntates; dicebat ſe admittere applicationem, ſed non illam prædeterminantem, ſed moralem tantùm.

Ad aliud de Concilio Tridentino inductum, dicebat ſe retorquere argumentum; quià dictum fuit, quòd motus ad juſtificationem ex homine fiat, vel incipiat, cùm tamen fiat ex præveniente gratiâ; ut dicit Concilium.

Ad aliud inductum ex Molinâ, dicebat Molinam tantùm aſſerere, quòd non habet actus à voluntate elicitus, quòd ſit liber, capax vitij atque virtutis ex gratiâ præveniente, ſed tantùm ex libero arbitrio: quià gratia neceſſariò operatur à voluntate; & ex conſequenti, ex ipsâ non provenit, quòd actus liber ſit; ſed ex ipsâ habet tantùm ſupernaturalitatem.

Poſteà veniens ad illa, quæ in reſponſione ſuarum objectionum dicta fuerant, dicebat: non poſſe dici quòd SS. Patres tantùm intelligantur negare prævenientem

prævenientem Dei gratiam cogentem; quià etiam Calvinus hoc dicebat: quòd gratia præveniens non cogebat. Et hoc legebat in aliquibus Calviniſtis. Dicebat etiam quòd illi Doctores, qui repudiabantur ſicut non habentes authoritatem, ſi repudientur; ità poterat ipſe rejicere Librum Dionyſij *de divinis nominibus*; quià ſunt Doctores graves, qui dicunt ipſum S. Dionyſij non eſſe. Non tamen retulit nominatìm qui Doctores negent illud opus eſſe S. Dionyſij.

Præterèa dicebat, PP. Dominicanos non induxiſſe pro ſe Sanctos, qui dicunt phyſicam prædeterminationẽ, niſi ſolum S. Dionyſium præcedenti Congregatione citatum. Qui tamen loquitur de ideis, quæ effectivè non ſunt prædeterminantes.

Dicebat etiam, quòd non deberet rejici Abulenſis, cùm potiſſimè illum pro ſe citare non dubitent. Ad explicationem autem datam S. Chryſoſtomo dicebat, ſe non inducere locum iſtum qui explicabatur.

Cui ſtatìm F. Thomas dixit: quòd erat omninò ſimilis, & ſicut explicabatur iſte, explicantur & alij.

Ad aliud dicebat Vaſtida, non poſſe explicari SS. Patres de gratiâ habituali, cùm dicunt, cum æquali gratiâ unum converti, & alium non converti; quià loquuntur de converſione in Deum.

Ad quod F. Thomas: dicunt Sancti unum operari, alium non operari cum æquali gratiâ habituali: & unum in bonum actualiter converti, alium non.

Deindè procedens idem Vaſtida, dicebat eſſe imaginationem, diſtinguere duplicem gratiam efficacem, alteram in principio, alteram verò in fine, & completivè; & quòd hoc nunquàm anteà dictum fuerat.

Præterèa dicebat S. Anſelmum, ut jàm oſtenderat, loqui de neceſſitate antecedente humanam voluntatem; & hanc dicebat tollere libertatem: quià ſolam neceſſitatem ſalvantem libertatem admittebat, quam facit noſtra voluntas; ut jàm iterùm legebat.

Ad illud autem inductum ex S. Thomâ, apertè dicente, ex neceſſitate antecedente divinæ voluntatis non lædi ſed ſalvari libertatem; dicebat S. Thomam loqui etiam de neceſſitate conſequente humanam libertatem; quià tales cauſas contingentes aptabat, ùt contingenter operarentur. Itaque negabat, S. Thomam ibì loqui de neceſſitate antecedente proveniente ex priori efficaci Dei voluntate.

Ultimò dicebat SS. Patres per gratiam prævenientem nihil aliud intelligere, niſi illuſtrationes & excitationes interiores, & nullam aliam eſſe prævenientem gratiam: nec eſſe aliis nominibus utendum, ne conveniamus cum Calviniſtis, qui modò tantùm infeſtant Eccleſiam. Ab his enìm omninò eſt fugiendum. Nàm Pelagiana hæreſis jàm antè annos mille eſt ſepulta. Undè nec neceſſe eſt modò contrà illam inſtare. Et ſimilia talia dicebat maximâ verboſitate, quæ minùs conſideratione ſunt digna. Et tandem finivit.

Statìm autem F. Thomas breviter ſic concludebat: Quòd R. P. dicit S. Thomam non aſſerere neceſſitatem ex priori Dei voluntate non lædere libertatem, apertè eſt contrà litteram inductam modò, in quâ manifeſtè dicit: quòd neceſſitas proveniens ex priori Dei voluntate ſuprà voluntatem humanam, eſt neceſſitas non abſoluta, quæ optimè ſervat libertatem.

Quod autem dicit Pelagium nullam interiorem admiſiſſe revelationem & excitationem, ſed tantùm legem atque doctrinam; modò ex S. Auguſtino oſtenſum fuit contrarium, & patet ex alio evidentiori S. Auguſtini teſtimonio *Lib. de gratiâ Chriſti cap. 14.* [a] cujus verba ſunt: *Venire poſſe in naturâ ponit Pelagius, vel etiam, ut modò dicere cœpit, in gratiâ; qualemlibet eam ſentiat, quâ ipſa, ut dicit, poſſibilitas adjuvatur: venire autem jàm in voluntate & opere eſt.* Eccè manifeſtè ait S. Auguſtinus: quòd Pelagius cœpit ponere in gratiâ, quòd homines poſſint

[a] Tom. 10. n. 15. col. 237.

poſſint venire, non autem quòd de facto veniant.

Ad illud autem quod dicit me dixiſſe, motum juſtificationis incipere non in gratiâ præveniente, ſed ab actu liberi arbitrij; ego totum contrarium aſſerui. Dixi enìm quòd ex illis excitationibus & illuſtrationibus objectivè tantùm moventibus non ſumitur exordium juſtificationis, ſed ex actu hominis incipiente ex ſe motum juſtificationis; cùm tamen Concilium Tridentinum apertè doceat, exordium & initium juſtificationis ſumendum eſſe à Dei per Jeſum Chriſtum præveniente gratiâ.

Ad illud quod aſſeruit eſſe imaginationem meam, gratiam efficacem, & à principio moraliter ſuadere, & in fine eſſe adjuvantem: ſi hanc imaginationem P. R. ſequeretur, non oppugnaret divinam gratiam; & omnes SS. Patres intelligeret & concordaret. Nec ego dixi quod ipſe impugnat: duplicem, videlicèt, eſſe gratiam efficacem. Hoc ego nunquàm dixi; ſed tantùm aſſerui efficacem gratiam à principio eſſe excitantem, & in fine adjuvantem. Quod eſt veriſſimum.

Tunc P. Vaſtida iterùm inſiſtebat, & à Sanctiſſimo poſtulabat, qualificari propoſitionem: quòd internæ excitationes & revelationes non ſunt vera gratia.

Cui F. Thomas: Non dixi ego hanc propoſitionem, quam ipſe de ſuo ponit; ſed mea propoſitio iſta eſt: quòd interiores illuſtrationes & excitationes, adjuvantes tantùm per modum legis & doctrinæ, & ab illâ non recedentes, quas poſuit Pelagius, & modò ponuntur, non ſunt vera gratia, nec efficax nec ſufficiens. Hæc fuit mea propoſitio, quam iterùm dico. Quamvìs generaliter vocentur aliqualis gratia. Immò etiam ipſa purè exterior lex atque doctrina, aliqualis gratia eſt. Et de fide eſt, quòd Deus prædicatores Evangelij mittat, quòd gratia eſt. Non autem eſt nec iſta purè exterior, nec illa interior non recedens à lege atque doctrinâ, ut S. Auguſtinus aït, vera & propria gratia, nec efficax, nec ſufficiens. Immò ipſe P. R. dicit unum, quod nullo modo ſuſtineri poteſt. Quomodò enìm vult perſuadere, Judam ex parte prævenientis gratiæ nihil minus habuiſſe receptum à Deo quàm Apoſtolum Petrum? Et quod magìs eſt, hoc laborat SS. Eccleſiæ Doctoribus tribuere. Quod tamen contrà veritatem Catholicam expreſsè procedit. Quod autem SS. Doctores dicunt, eſt Judam æqualem gratiam habuiſſe cum cæteris Apoſtolis; quià gratiam Apoſtolatùs habuit æqualem. Habuit etiam cum illis æqualem menſam, æqualem participationem Sacramentorum, æqualem poteſtatem. Immò etiam habuit gratiam juſtificantem ſicut illi. Cæterùm non habuit æqualem gratiam perſeverantiæ, quæ propter alta Dei judicia illi denegata eſt, aliis autem fuit miſericorditer data.

Tunc pauca quædam dicebat ipſe Vaſtida; & ſic finita fuit Congregatio.

CONGREG.

CONGREGATIO

QUADRAGESIMA QUARTA, SEU SEPTIMA CORAM PAULO V.

Celebrata eſt coràm Sanctiſſimo 10. Januarij 1606. Aliqui ex Illuſtriſſimis Cardinalib' defuerunt; præſētes tamen fuerunt omnes Prælati & deputati Cenſores.

In quâ de prædeterminatione phyſicâ, ſeu de gratiâ per ſe efficaci ſextò eſt diſputatum, ipſam potiſſimè conferendo cum Calvini erroribus.

Vide Hiſt. Congreg. de Auxil. Lib. 4. cap. 11. col. 649. & ſeqq.

AGEBATUR in hâc Congregatione de eodem principalis difficultatis puncto, de quo in quinque præcedentibus Congregationibus, videlicèt, de efficaciâ prævenientis gratiæ; & an convenienter dicatur phyſicè prædeterminare?

Incepit P. Vaſtida, cum quo aderat Socius ejus Perez. Et manu tenens longiſſimum quoddam Scriptum, ſeu potiùs Proceſſum, cœpit proponere ſe probaturum his tribus rationibus capitalibus, non poſſe defendi phyſicam illam prædeterminationem, quâ poſitâ homo ſemper infallibiliter conſentiret. 1°. Quià talis gratiæ efficacia, omnem antecedens humanæ voluntatis uſum, totaliter lædebat libertatem. 2°. Quià quibus deerat tale auxilium efficax, ſeu prædeterminans, non habebant ſufficiens, quo poſſent in Deum converti. 3°. Quià ex tali auxilio efficaci prædeterminante, inferebatur Deum prædeterminare ad malum. Sed antequàm iſtas rationes formaret, ante omnia oſtendebat, qualiter Defenſores phyſicæ prædeterminationis cum Calvino in multis punctis principalibus convenirent. Teſtabaturque coràm Deo ſe omnes tales Thomiſtas reputare Catholicos, & quòd tantùm de doctrinâ tractabat, qualiter cum Calvino ferè in omnibus conveniret. Dicebatque ſe, omnia ſi non poſſet legere, paratum eſſe in aliis Congregationibus id oſtendere; ità quòd bis in ſeptimanâ diſputaret. Procurabat enìm iſte dilatare negotium per plures Congregationes.

Tunc incepit illum ſuum longiſſimum Proceſſum recitare a, legendo primò viginti duas vel plures propoſitiones, in quibus aſſerebat Thomiſtas cum Calvino convenire. Legebat limitationes octo vel decem, in quibus ſtatìm promittebat oſtendere, Calviniſtas & Thomiſtas eiſdem in hâc materiâ uti limitationibus. Et ità audacter proponebat, ut aſſereret mitiùs & moderatiùs in hâc parte loqui Calvinum quàm Thomiſtas. Ut ergò inciperet hoc ſuadere, poſt omnes propoſitiones ſimul lectas, accedebat ad comparationem Thomiſtarum & Calviniſtarum in eiſdem propoſitionibus.

a Omnia quæ dixit in hoc longo Scripto habes alibi. Nunc ſub breve.

Hanc I[am]. Propoſitionem ſic formabat: *Auxilium prævenientis gratiæ eſt de ſe ſolo efficax, independens ab humanâ libertate, ità quòd humana voluntas illud non poteſt reddere efficax vel inefficax.* Hanc legebat in Thomiſtis. Omnes autem Thomiſtæ, quos in hâc comparatione citabat, fuerunt M. Bannez; M. Nugno, quem ſæpè Capezudum nominabat *3. p. q. 62. art. 5. pag. 138. col. 2.*, & *3. p. pag. 142. in principio.*; M. Avila *pag. 79.*; Et ſemel citabat P. Didacum Alvarez *in illo ſuo Libro ſup. Iſai.* Deindè hanc eamdem propoſitionem in Calvino legebat. Et circà illam dicebat, eſſe primum Caput, primamque radicem, ex quâ cæteræ ferè omnes eſſentialiter ſequebantur. Rursùs circà illam aſſerebat, mitiùs

mitiùs fuiſſe Calvinum locutum, quàm citatos Thomiſtas; quià Calvinus dixit, auxilium de ſe efficax; at verò Thomiſtæ addiderunt illud verbum *de ſe ſolo.* Quod tamen Calvinus non dixit. Deindè circà verbum *independens* dicebat, quòd etiam Calvinus conſtituebat auxilium eſſe independens à libero arbitrio. Prætereà Calvinus dicebat, non poſſe arbitrium creatum facere efficax vel inefficax auxilium; ſicut in terminis Thomiſtæ dicebant, damnantes Molinam; quià aſſeruit contrà Calvinum poſſe arbitrium reddere efficax vel inefficax auxilium gratiæ, & imponentes Molinæ, quòd arbitrium daret vires efficaces auxilio, vel quòd eſſet cauſa, quòd auxilium eſſet efficax. Quod tamen Molina nullo modo dicit; quià ſolùm aït: quòd bonus uſus arbitrij eſt tantùm conditio requiſita, ut auxilium ſit efficax, vel reddatur inefficax. Hoc nimìs dilatabat, & multùm temporis conſumebat, eadem multoties repetendo; itàut in hâc Congregatione non ſemèl, ſed iterùm, & tertiò diceret ei Sanctiſſimus, ut non repeteret idem toties; quià ſemèl intelligebatur, & ſine causâ tempus conſumebat.

Deindè II^am^. Propoſitionem conſtituebat in hunc modum: *Poſito auxilio gratiæ de ſe ſolo efficaci, non poſſumus non velle, non poſſumus diſſentire, non poſſumus reſiſtere aut refragari.* Hæc propoſitio, ut dioebat, ex præcedenti infertur. Nàm ſemèl poſito quòd auxilium ſit ex ſe ſolo efficax, nec poſſit efficax vel inefficax reddi ab arbitrio, neceſſe eſt fateri, non poſſe ei arbitrium reſiſtere aut diſſentire. Hanc legebat in M. Avilâ *pag. 269. in principio*; in Bannez *1. p. q. 23. pag. 679.*; in Avilâ *pagg. 387. & 451.*; in Bannez *1. p. q. 14. art. 13. pag. 461.* Itèm legebat ex Calvino *Lib. 3. de lib. arb. contrà Pighium pag. 265. §. voluntatem*; ex eodem Calvino *in antidoto contrà Concil. Trident. ad can. 4. ſeſſ. 6. pagg. 720. & 721.*; ex eodem Calvino *in inſtitut. cap. 2. num. 56. pag. 80.*; Tandem ex eodem, *Lib. 3. de lib. arb. contrà Pighium pag. 304.*

Deindè III^am^. Propoſitionem conſtituebat in hunc modum: *Ex hâc gratiâ actus voluntatis ſequitur neceſſariò, non ſuâpte naturâ, ſed ex ſuppoſitione decreti divini, vel alterius antecedentis cauſæ.* Hæc propoſitio, ut aïebat, ex duabus antecedentibus ſequitur. Si enìm auxilium eſt de ſe efficax, & illi non poteſt reſiſtere voluntas, oportet ut quamdiù hoc auxilium habuerit, ejus ductum neceſſariò ſequatur, eique conſentiat. Hanc habet Avila *pag. 391.*; Bannez *1. p. q. 23. art. 3. pag. 635.*; & *1. p. q. 14. art. 13. pag. 461.*; & *1. p. q. 19. art. 8. pag. 553.* Idem legitur apud Calvinum *Lib. 5. de lib. arb. contrà Pigh. pag. 236. §. tertium argumentum.* Et *Lib. 1. inſtitut. cap. 16. §. nono.* Et *Lib. de æter. prædeſt. pag. 940. §. quod Deus.*

IV^am^. verò Propoſitionem ità conſtituebat: *Sine auxilio efficaci gratiæ, homo non poteſt benè operari, nec ad Deum converti.* Hanc dicebat affirmari ab Avilâ *pag. 75. toto capite nono*; à Bannez *1. p. q. 14. art. 13. pag. 436.*; Ab Alvarez *in Iſai. cap. 10. pag. 296.*; Ab Avilâ *pag. 270.* A Calvino verò *Lib. 4. de lib. arb. contrà Pig. pag. 296. §. cæterùm.* Et *Lib. 3. de lib. arb. pag. 277. in principio.* Et à Petro Martyre *ſup. 1. ad Cor. cap. 11. q. 1. fol. 53.*

V^am^. autem Propoſitionem ſic formabat: *Quòd ex duobus hominibus unus convertatur, alius non, non aliundè quàm ex inæqualitate gratiæ eſt.* Hanc dicebat manifeſtè ſequi ex antecedentibus. Nàm poſito, gratiam ità eſſe ex ſe efficacem, ut eâ poſitâ neceſſariò ſequatur conſenſus, & eâ abſente impoſſibile ſit ipſum ſequi; manifeſtum eſt, illum qui convertitur, carere hujuſmodi gratiâ. Ex quo manifeſtè infertur, illos eſſe inæqualis gratiæ. Ex Catholicis hanc tribuebat Nugno *3. p. q. 62. art. 5.*, & *eâd. q. & art. pag. 144. col. 2.*; Bannez *1. p. q. 23. pagg. 653. & 682.* Illam etiam dicebat poni à Calvino *ſup. act. Apoſtol. cap. 13. num. 48.*, & *in inſtitut. cap. 2. num. 78.*

pag.

pag. 98. & *Lib. de ætern. prædeſt. pag. 301.* §. *hic quoque.*

Deindè VI^am^. Propoſitionem ità conſtituebat: *Eos quibus æqualem gratiam Spiritus Sanctus partitur, æqualiter cum illâ conari neceſſe eſt.* Iſta propoſitio conſequenter, ut dicebat, affirmatur. Quam tamen dicebat eſſe contrà definitionem Concilij Tridentini *Seſſ. 6. cap. 3.* definientis: unumquemque recipere gratiam ſecundùm menſuram quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis pròut vult, & ſecundùm propriam cujuſque diſpoſitionem, & cooperationem. Ubì manifeſtè videtur ſupponere non ſemper hominem ſe diſponere ſecundùm ultimum quod cum auxilio poteſt. Sed oſtenditur qualiter in illâ concordent, ut dicebat, Thomiſtæ cum Calvino. Ex Thomiſtis illam tribuebat Bannez *2. 2. q. 24. art. 6. pag. 813.* & *1. p. q. 23. art. 5. pag. 638.* Similiter illam dicebat inveniri in Calvino *Lib. 5. de lib. arbit. contrà Pigh. pag. 305. versùs finem*, & *pag. 318.*

VII^a^. Propoſitio etiam ſic conſtituebatur ab eo: *Oblatam gratiam recipere, hoc eſt, acceptare, non facultatis noſtræ eſt.* Hanc tribuebat Avilæ *pag. 89.* Nugno *3. p. q. 62. art. 5. pag. 157.* & Calvino *in inſtitut. cap. 2. num. 57. pag. 8.*, & *Lib. 5. de lib. arbit. pag. 316.* §. *ſequitur.*

VIII^a^. verò Propoſitio ſic ab ipſo formabatur: *Hæc gratia, ità voluntatem agit, ut quamvìs voluntas agat, nihilominùs adæquata cauſa converſionis, ſola gratia ſit.* Bannez *1. p. q. 23. art. 3. pag. 633.* & *pag. 634.* Nugnus *3. p. q. 62. art. 4. pag. 136.* Bannez *2. 2. q. 10. art. 1. pag. 487.* Avila *pag. 181.* Nugnus *3. p. q. 62. art. 4. pag. 137.* Et Calvinus *Lib. 5. de lib. arb. pag. 303. in principio*, & *Lib. 6. de lib. arb. pag. 344.* §. *ad illud.*, & *in inſtitut. cap. 2. num. 90. pag. 109.*

IX^a^. autem Propoſitio ità proponebatur: *Auxilium in quo conſiſtit perſeverantiæ donum, eſt inamiſſibile, redditque hominem immobilem in bono, & independenter à libero arbitrio antecedenter facit perſeverare.* Dicebatque quòd eodem modo loquebantur authores phyſicæ prædeterminationis de auxilio perſeverantiæ ac de auxilio efficaci. Undè propoſitionem hanc aſſerebat reperiri in Avilâ *pag. 56.* in Nugno *3. p. q. 62. art. 5. pag. 144. col. 2.* In Calvino verò *in inſtit. cap. 2. pag. 8. num. 58.*

X^am^. Propoſitionem verò ità conſtituebat: *Deus æterno & inevitabili ſuo decreto omnes noſtras actiones ſivè bonas, ſivè malas præfinit ac determinat.* Bannez *1. p. q. 14. art. 10. pag. 576.*, & *q. 23. art. 5. pag. 643.*, & *2. 2. q. 10. art. 1. pag. 409.* Nugnus *3. p. q. 62. art. 5. pag. 158.* Bannez *2. 2. q. 10. art. 10. pag. 490.* In Calvino autem, ut aïebat, invenitur *Lib. 2. de lib. arbit. pag. 236.* §°. *tertium argumentum.* & *in inſtitut. cap. 14. pag. 719.* & *Lib. de ætern. Dei prædeſt. contrà Pighium pag. 945. in principio.*

Et quià eſſet longum omnes Propoſitiones referre, aliam proponebat: *Effectus fortuiti & caſuales, ſunt à Deo non ſolùm permiſſi, ſed etiam prævìſi & determinati.* In quâ aïebat Thomiſtas & Calvinum convenire; ut concludam; quià alias minutiores omitto, quæ alibì ſunt expreſſæ.

Tandèm concludebat: quòd quidam Thomiſta, videlicèt Avila, dicebat, quòd ſuppoſito auxilio homo non habebat libertatem in ſenſu compoſito.

Cùm autem ipſe vellet relinquere alias propoſitiones aliis Congregationibus, Sanctiſſimus præcepit, ut omnia quæ haberet, diceret. Et ſic ipſe proſecutus legebat omnes alias propoſitiones, in quibus hanc prætendebat facere convenientiam inter Thomiſtas & Calviniſtas. Et ſimiliter legebat limitationes aliquot, in quibus affirmabat & Thomiſtas & Calviniſtas convenire; ſi quidem ſuas propoſitiones eodem modo, ſicut Calvinus, limitabant. Et cùm per tres horas & dimidiam omnia legiſſet, finivit.

Tunc Frater Thomas ità dicebat: Beatissime Pater, ad cujus pedes,

pedes, quæcunque dixero, humiliter ſuppono: Quas & quales efficaciſſimas rationes ex principiis fidei derivatas pro ſe habeat divinæ gratiæ prævenientis efficacia, quià omnes ſimul referre non vacat, præcipuas aliquas ſub brevitate proponam; ut liceat poſteà in ſolutione earum, quæ divinam gratiam impugnant, commodiùs immorari.

I[a]. igitur ratio ex conceſſis in præcedenti Congregatione procedit, in hunc modum: Dixerunt PP. RR. manifeſtè, ſe cum Pelagio convenire, ſi damnatus Pelagius fuit, quià reipsâ negavit auxilium non ſolùm phyſicè ſed etiam moraliter prædeterminans: ſed ob hoc potiſſimè Pelagius damnatus fuit: ergò vel ipſi concedant, ſe cum illo abſolutè convenire, cùm reipsâ ſimiliter negant auxilium phyſicè prædeterminans. Oſtenditur minor, & ratio convincit. Pelagius enìm damnatus fuit, quià negavit adjutorium prævenientis gratiæ, quo Deus verè efficeret, ut homo conjungeret ſuum velle & operari: ſed hoc adjutorium eſt reipsâ auxilium non ſolùm moraliter, ſed etiam phyſicè prædeterminans: ergò damnatus fuit Pelagius, quià negavit reipsâ auxilium phyſicè prædeterminans. Minor hujus Syllogiſmi admittitur expreſsè à tenentibus contrariam ſententiam. Dixerunt enìm expreſsè in his Congregationibus, idem omninò eſſe auxilium prævenientis gratiæ, verè efficiens quòd homo conjungat ſemper ſuum velle & operari, & auxilium phyſicè prædeterminans. Immò conceſſerunt, quòd ſi ſemèl de re ipsâ conſtet, negari non debet vox *phyſica prædeterminatio*. Major autem latè probatur à S. Auguſtino per totum Librum de gratiâ Chriſti; ſed efficaciùs *cap. 47.* ubi ità concludit: [a] *Quapropter quantùm attinet ad iſtam de divinâ gratiâ & adjutorio quæſtionem, tria iſta, quæ apertiſſimè diſtinxit, attendite: poſſe, velle, & eſſe, id eſt, poſſibilitatem, voluntatem, actionem. Si ergò conſenſerit nobis, non ſolam poſſibilitatem in homine, etiamſi nec velit, nec agat benè, ſed ipſam quoque voluntatem & actionem, id eſt, ut benè velimus, & benè agamus, quæ non ſunt in homine, niſi quandò benè vult & benè agit: Si, ut dixi, conſenſerit, etiam ipſam voluntatem & actionem divinitùs adjuvari, ut ſine illo adjutorio nihil benè velimus & agamus, eamque eſſe gratiam Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, in quâ nos ſuâ non noſtrâ juſtitiâ juſtos facit, ut ea ſit vera noſtra juſtitia, quæ nobis ab illo eſt: nihil de adjutorio Dei, quantùm arbitror, inter nos controverſiæ relinquitur.* Igitur damnatus fuit Pelagius in iſtâ controverſiâ; quià negavit reipsâ auxilium verè efficienter, ſeu phyſicè prædeterminans.

[a] Tom. 10. n. 52. col. 251.

II°. efficacia gratiæ, vel debet conſtitui in vocatione Dei objectivè tantùm movente, & per modum proponentis objectum tantùm; vel in auxilio & objectivè, & verè efficienter prædeterminante: ſed illud primum nullo modo dici poteſt; ergò hoc ſecundum omninò eſt conſtituendum. Major eſt manifeſta; quià nullum poteſt eſſe medium inter congruam illam vocationem moventem tantùm per modum proponentis objectum, & inter hanc veram prædeterminationem. Nec inter iſta duo medium invenit Illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus *Lib. 6. de gratiâ & libero arbitrio cap. 15. §. octava ſententia*, cùm ità dicit..... Cùm autem F. Thomas librum ad legendum aperiret, dixit ei Cardinalis Bellarminus & in ſuâ linguâ: *Patre Lemo: no' biſogna citar me a me, che ſe volete alcuna coſa, diteme lo in particular.* Statìm autem F. Thomas clauſit Librum, & depoſuit, & proſecutus adjunxit: Itaque inter illa duo medium nullo modo datur, ſicut medium non datur inter phyſicam prædeterminationem, & non phyſicam prædeterminationem. Minor autem probatur 1°. quià gratia efficax, ut nomen ſonat, dat voluntati efficaces vires, per modum principij effectivi; at motio objectivè tantùm movens, & per modum proponentis objectum, non dat voluntati

tati efficaces vires per modum princi-pij effectivi ; ergò iſta objectiva motio per modum proponentis objectum tantùm, non eſt efficacia gratiæ. Explicatur magìs eadem minor. Nàm illa motio tantùm objectiva , & per modum proponentis objectum, dicitur congrua uni & non alteri ; quià unus eſt ità affectus atque diſpoſitus, ut talis vocatio ſit illi congrua , non verò alteri, qui non eſt ità diſpoſitus. Ità dicunt in terminis Defenſores vocationis congruæ. Ergò propter illam affectionem & diſpoſitionem, vocatio eſt uni congrua & non alteri : ſed illa diſpoſitio atque affectio non provenit à priori aliquâ gratiâ præveniente , cùm ex parte hominis ſupponatur ad illam : habetur ergò talis diſpoſitio & affectio ex ipſis naturæ viribus, vel ex aliquo naturali temperamento, aut ingenij qualitate ; ut dicitur frequenter à RR. PP. : ergò propter diſpoſitionem merè naturalem, gratia congrua & efficax eſt in uno, & non in altero : pendet ergò efficacia gratiæ ab illâ merè naturali diſpoſitione, & exſpectat Deus merè naturalem diſpoſitionem & affectionem, ut ſua gratia in homine efficax reddatur. Quod contradicit expreſsè Conciliis Sacris, quæ, ut viſum fuit ſuprà, apertè docent, nullam in homine inveniri naturalem diſpoſitionem , ad quam vel gratia ſequatur, vel per illam efficax reddatur.

Explicatur hoc magìs. Si enìm detur homo indiſpoſitus , & ità malè affectus, ut nullâ objectivâ ſuaſione , moraliter tantùm ſuadente, moveatur, vel Deus poteſt iſtum convertere & ſalvare, ſalvâ ejus libertate, vel non. Hoc ſecundum concedi non poteſt ; quià repugnat divinæ omnipotentiæ, ut S. Auguſtinus expreſsè docuit *q. 2. ad Simplician.* Si autem poteſt illum, quamvìs obſtinatum, convertere ſalvâ ejus libertate : ergò præter illam objectivam tantùm motionem , neceſſaria erit alia efficacia immutans ejus voluntatem : Hæc autem efficax immutatio eſt phyſica prædeterminatio : ergò phyſica prædeterminatio libertatem non lædit. Certè poteſt Deus de ſuâ potentiâ ipſum Diabolum ad bonum convertere, ſalvâ Diaboli propriâ libertate, de quo tamen eſt certum , quòd per ſuaſiones quaſlibet, objectivè tantùm moventes, non converteretur , nec converti poterit ; ergò per phyſicam prædeterminationem illum tunc converteret , & tamen cum plenâ libertate : non ergò phyſica prædeterminatio negat libertatem.

Confirmatur & explicatur ampliùs. Nàm authores hujus congruæ vocationis illam conſtituunt in actibus indeliberatis ipſius voluntatis ; ſed voluntas in inſtanti quo convertitur, habet actum deliberatum , & in eodem inſtanti non poteſt habere actum indeliberatum ; quià repugnat in eodem inſtanti ſe habere voluntatem circà idem objectum per actum indeliberatum & deliberatum : præcipuè ſi voluntas per actum indeliberatum producere debeat actum deliberatum ; ergò in inſtanti, quo ſe voluntas deliberatè convertit, non habet illam congruam & indeliberatam vocationem ; ergò in inſtanti converſionis nullam habet prævenientem gratiam , ſi talis præveniens gratia in illis actibus indeliberatis conſiſtit ; ſed oportet quòd talis actus indeliberatus tempore præcedat inſtans converſionis. Undè in inſtanti, quo homo deliberatè convertitur, ipſum arbitrium in ſuis naturalibus nudum, & ſine aliquâ gratiâ præveniente ſe perfectè convertit in Deum ex recordatione præteritæ gratiæ ; ut Franciſcus Suarez in ſuis Opuſculis concedit.

Sit autem III[m]. illud argumentum ex Eccleſiæ orationibus deſumptum, quo ſemper S. Auguſtinus contrà Pelagianos triumphavit : Eccleſia orat, ut Deus homines convertat : ipſe ergò verè & efficienter eos convertit, & illorum immutat voluntates ; quod eſt phyſicè prædeterminare ; ergò qui negant hanc veram Dei efficientiam convertentem homines , vel per ipſas Eccleſiæ orationes aper-

tiſſimè convincuntur.

Premebatur antiquitùs Pelagius hoc argumento; undè reſpondere ſolebat, referente S. Auguſtino *Lib. de gratiâ Chriſti cap. 41.* a, Eccleſiam orare, ut dùm doctrina proponitur, Deus interiùs revelet, & objectivè tantùm oſtendat, & ſtupentem ſuſcitet voluntatem. Sed licèt hoc diceret, convictus tamen fuit, quòd noſtris orationibus contradiceret. Ergò qui modò dicunt, interiùs tantùm excitare & oſtendere Deum, neceſſe eſt, quòd hoc ipſum reſpondeant, videlicèt, orare Eccleſiam, ut dùm exteriùs doctrina proponitur, Deus interiùs revelet, & excitet voluntatem illis indeliberatis excitationibus, ſuadentibus tantùm per modum proponentis objectum. Qui autem ſic dicunt, certè noſtris orationibus contradicunt: quià interiùs ſic revelare & excitare oſtenſivè, non eſt homines convertere: quod tamen Eccleſia à Deo petit.

a Tom. 10. n. 45. col. 348.

Sed dicunt, Deum movere interiùs objectivè eo tempore quo ſcit hominem conſenſurum, & hoc eſſe illud majus beneficium gratiæ quo Deus homines convertit: quod quidem majus gratiæ beneficium eſt, quàm ſi vocaret alio tempore, quo ſcit hominem non conſenſurum. Et hoc majus beneficium dicunt Eccleſiam à Deo poſtulare.

Cæterùm etiam qui hoc dicunt, Eccleſiæ orationibus contradicunt; quià hoc majus beneficium, qualecunque ſit illud, non eſt illud beneficium gratiæ, quo Deus verè homines convertit. Quod tamen Eccleſia petit in ſuis orationibus. Quià tunc præſciret Deus hominem non ex efficaci Dei gratiâ, ſed ex ſeipſo, & ex illâ ſuâ naturali diſpoſitione, ſuprà impugnatâ, reddere ſibi vocationem congruam & efficacem, & ſeipſum efficaciter convertere. Undè nec Eccleſia verè poſtularet, ut homines Deus converteret, ſed ut daret illud, cum quo præſciret homines ex ſe convertendos.

Immò hoc majus quod dicunt beneficium, nunquàm fuit negatum à Pelagianis. Nec enìm Pelagiani aliquandò negarunt, majus eſſe beneficium gratiæ movere hominem, interiùs proponendo objectum eo tempore quo præſcitur homo conſenſurus, quàm alio tempore quo præſcitur non conſenſurus. Sed hoc expreſsè dixerunt Caſſianus & Fauſtus, ultimi illuſtriores Pelagiani. Et tamen S. Auguſtinus *Lib. de dono perſev. cap. 7.* b, ut manifeſtaret illos, per hoc quod vocabant majus beneficium, non admittere illud beneficium quod Eccleſia petit orationibus ſuis, iterùm contrà illos format hoc argumentum de orationibus Eccleſiæ, docens quòd per iſtum docendi modum orationibus Eccleſiæ contradicebant. Ergò qui modò idem dicunt, & recurrunt ad illas indeliberatas internas ſuaſiones, cum illâ præſcientiâ, quòd homo ex ſuâ innatâ libertate benè illis utetur, & illas reddet efficaces; etiam, quidquid verbis dicant, Eccleſiæ orationibus contradicunt. Quià totum hoc quod admittunt, invitare eſt, non efficere; ſuadere, non facere; excitare objectivè, non convertere effectivè; quod tamen Eccleſia petit orationibus ſuis.

b Tom. 10. n. 15. col. 828. & 829.

Quid enìm orat Eccleſia? Ut Deus oſtendat ſolùm ex parte objecti? Abſit. Sed orat ut Deus homines ad ſe convertat; ut illorum in melius mutet voluntates; ut auferat ab eis cor lapideum; & ut eorum rebelles ad ſe propitius compellat voluntates. Undè in præfato loco *de dono perſeverantiæ*, ità reputat S. Auguſtinus evidens hoc argumentum de orationibus Eccleſiæ, ut ità tandem ibì concludat: c *Prorſùs in hâc re non operoſas diſputationes exſpectet Eccleſia; ſed attendat quotidianas orationes ſuas.* Excluſis ergò his indeliberatis excitationibus, objectivè tantùm interiùs moventibus, per modum proponentis objectum, quæ hominem convertunt, nec ſufficiunt quòd in illis tantùm efficacia gratiæ conſtituatur; & in ſummâ quæ non ſunt illa Chriſti gratia, quæ homines ad ſe

c Ibid. num. 15. col. 828.

ad ſe trahit, & illos facit benè operari: oſtendenda erit modò neceſſitas efficacitatis gratiæ, immutantis & prædeterminantis in actu primo hominis voluntatem efficaciter, ut ipſa voluntas ſe determinet in actu ſecundo.

Undè eſt IV^m. argumentum: Determinatio voluntatis ad bonum eſt à Deo ſicut à primâ causâ verè efficiente: ergò Deus non ſolùm objectivè, ſed verè efficienter prædeterminat voluntatem in actu primo, ut ipſa voluntas ſe determinet in actu ſecundo. Conſequentia eſt ità manifeſta, ut illam evidentem eſſe RR. PP. fateantur. Antecedens autem efficaciter probatur: Determinatio voluntatis ad bonum eſt aliquid maximè pertinens ad ſalutem; quod nullus negare poteſt: ſed omne medium pertinens ad ſalutem eſt nobis à Deo ſicùt à primâ causâ verè efficiente: ergò determinatio voluntatis ad bonum eſt à Deo, ſicut à primâ causâ verè efficiente. Major videtur de fide. Minor autem patet ex illo Apoſtoli: a *Quid habes, quod non accepiſti?* Igitur omne medium pertinens ad ſalutem accipit homo à Deo ſicut à primâ causâ, verè dante, & verè efficiente in nobis medium tale. Ex majore autem & minore, quæ tàm apertè videntur ad fidem pertinere, ſequitur Concluſio pertinens ad fidem: quòd, videlicèt, determinatio voluntatis ad bonum ſit à Deo, ſicut à verâ causâ efficiente.

a 1. Cor. 4. 7.

Certè cùm apertè dicat Apoſtolus: *Quid habes, quod non accepiſti?* mirandum eſt valdè, quòd dixerit Pater Vaſtida in præcedenti Congregatione: habemus ex nobis noſtram determinationem, quam non accipimus à Deo verè efficiente illam in nobis. Ampliùs. Si Deus verè efficienter non facit, quòd nos determinemus ad bonum; nec talis determinatio ordinabitur in Deum, ſicùt in ultimum finem; quià Deus non poteſt eſſe finis ultimus alicujus, cujus non ſit primum efficiens principium; ut omnes Theologi uno ore fatentur. Quòd ſi determinatio voluntatis ad bonum non ordinatur in Deum ſicut in ultimum finem, talis determinatio mala erit; omnis enìm actio, quæ non in Deum ſed in alium finem ordinatur, mala eſt. Implicatio ergò eſt apertiſſima, immò eſt propriam vocem ignorare, conſtituere determinationem voluntatis bonam, & ad bonum; & aſſerere illam non effici à Deo in nobis: quià ipſo facto convincitur, illam nec in Deum ordinari, ſicut in ultimum finem, quod eſt proprium actionis malæ.

V^a. Cùm voluntas ſeipſam ad bonum determinat, producit efficienter bonam determinationem in actu ſecundo: ergò talis determinatio efficax in actu ſecundo produci debet à voluntate efficaciter determinatâ ad bonum in actu primo. Conſequentia eſt manifeſta. Quià actus ſecundus bonus non poteſt produci niſi ab actu primo bono: ergò determinatio in actu ſecundo bona, non poteſt produci niſi à voluntate determinatâ ad bonum in actu primo: ergò determinatio in actu ſecundo efficaciter bona, non poteſt produci niſi à voluntate efficaciter determinatâ ad bonum in actu primo: ergò Deus efficaciter & phyſicè voluntatem prædeterminat in actu primo, ut ipſa voluntas ſe liberè determinet in actu ſecundo.

Confirmatur, & explicatur hoc magìs. Ut voluntas poſſit producere actum ſupernaturalem defectibiliter, oportet quòd conſtituatur in actu primo per auxilium ſufficiens; ut fatentur omnes: ergò ut voluntas producat actum ſupernaturalem certò infallibiliter, oportet quòd conſtituatur in actu primo ſupernaturali certò & infallibiliter movente. Patet conſequentia; quià actus ſecundus infallibilis & certus procedere debet à voluntate conſtitutâ in actu primo, per principium certum & infallibile. Sed tale principium, certò & infallibiliter movens; nec eſt ipſa voluntas, quæ de ſe certitudinem non habet; nec eſt auxilium tantùm ſufficiens, quià non dat voluntati certò & infallibiliter operari: ergò neceſſe eſt, quòd à Deo prædeterminetur

minetur in actu primo, certò, ut ipſa ſe determinet certò in actu ſecundo.

Confirmatur hoc potiſſimè in voluntate peccatoris. Nàm voluntas peccatoris ante converſionem in Deũ, eſt mala: ergò niſi tranſmutetur in bonam initiativè & inchoativè, impoſſibile erit, quòd bonum actum converſionis producat: debet ergò fieri inchoativè bona talis voluntas, & priùs naturâ immutari in bonam, ut bonum actum producat. Quià niſi priùs mutetur in bonam, erit arbor mala, quæ, teſtante ipsâ primâ Veritate a, non poterit facere fructus bonos: Sed voluntas non immutatur in bonam, nec fit bona per iſtas revelationes & excitationes moraliter ſuadentes; ut eſt manifeſtum; quià virtutem non habent ad immutandam animam: neceſſe eſt ergò aliud auxilium fortius, quo à Deo immutetur & prædeterminetur ad bonum in actu primo, ut ipſa poſſit producere fructus bonos. Qui ergò negant hanc priorem à Deo immutationem, & prædeterminationem efficacem Dei, ipſo facto convincuntur unum è tribus eligere; vel voluntatem malam bonos actus facere poſſe; vel voluntatem in nullo caſu actum bonum producere; vel voluntatem ſeipſam facere bonam. Quæ omnia apertè ſunt impoſſibilia.

a *Matth.* 7. 17.

Confirmatur tandem argumento Scoti. Cùm enìm voluntas ſe determinat per actum ſecundum bonum, vel voluntas divina determinat humanam, vel humana divinam, vel neutra aliam. Secundum dici non poteſt. Quis enìm dicat, quòd humana voluntas determinat divinam? quià aliàs jàm voluntas humana in hâc determinatione erit prima cauſa determinans, & voluntas divina cauſa ſecunda determinata. Tertium, quòd neutra aliam determinat, imaginari non poteſt; quià ſimul à caſu & per accidens concurrent ad illum bonum actum. Ergò primum eſt dicendum, quòd, videlicèt, voluntas divina determinat & prædeterminat voluntatem humanam in actu primo, ut illa ſe liberè determinet in actu ſecundo.

VI°. principaliter, & præcedens ratio explicatur & confirmatur: Deus non eſt cauſa verè efficiens, quòd homo ſe ad Deum determinet; ut expreſsè conceditur: ergò homo in hâc ſuâ determinatione, eſt prima cauſa efficiens illam, eſt primum liberum, & primum ſuæ determinationis principium. Conſequentia adeò eſt evidens, ut concedant PP. Societatis in terminis, hominem eſſe primam radicem ſuæ determinationis, & primum ſe determinans, concedentes quòd poteſt dici homo primum liberum; non quidem ſimpliciter & abſolutè, ſed reſpectu liberæ ſuæ determinationis: quià primum liberum ſimpliciter & abſolutè, eſt illud quod eſt primum liberum per eſſentiam.

Cæterùm doctrina iſta, etiam cum ſuâ limitatione, graviſſimè notatur & qualificatur à S. Thomâ *in 2m. diſt. 37. art. 2.* ubì agens contrà aliquos, qui reſpectu alicujus actionis humanæ negabant præviam Dei cauſalitatem, influentem in potentiam ipſam, & illam applicantem ad agendum actionem quamlibet, quatenùs actio eſt; docet apertè eos per hoc duo prima principia conſtituere cum Manichæis. Verba S. Thomæ ſunt: *Alia opinio dicebat, actus peccatorum nullo modo, nec etiam in quantùm actus ſunt, à Deo eſſe. Et hæc opinio tangitur in præſenti Diſtinctione, quam ad præſens nulli vel pauci tenent; quià propinquiſſima eſt errori duplici. Primò quià ex eâ videtur ſequi, quòd ſint plura principia prima: hoc enìm eſt de ratione primi principij, ut agere poſſit ſine auxilio prioris agentis & influentiâ ejus. Undè ſi voluntas humana actionem aliquam poſſet producere, cujus author Deus non eſſet, voluntas humana rationem primi principij haberet. Quamvìs ſolvere hoc nitantur, dicentes: quòd voluntas, & ſi per ſe poſſit actionem producere ſine influentiâ prioris agentis, non tamen habet à ſe eſſe, ſed ab alio; quod etiam exigeretur ad rationem primi principij.* Hæc eſt excuſatio

excuſatio in terminis quam RR. PP. aſſignant modò ; contrà quam tamen ſtatim S. Thomas : *Sed hoc videtur inconveniens, ut quod à ſe eſſe non habet, à ſe agere poſſit, cùm etiàm per ſe durare non poſſit quod à ſe non eſt ; omnis enìm virtus ab eſſentiâ procedit, & operatio à virtute. Undè cujus eſſentia ab alio eſt, oportet quòd virtus & operatio ab alio ſit. Et prætereà, quamvis per hanc reſponſionem evitaretur, quòd non eſſet primum ſimpliciter principium, non tamen poſſet vitari, quin eſſet primum agens, ſi ejus actio in aliquod priùs agens non reduceretur, ſicut in cauſam.* Hæc S. Thomas.

Quòd autem loquatur contrà eos, qui negabant præviam Dei actionem influentem in voluntatem, & ipſam moventem ad agendum, patet manifeſtè ex ſolutione ſecundi & tertij argumenti, ubì ſic dicit : *Et ideò non oportet quòd ad malum cooperari dicatur, quamvis actionis illius cauſa ſit, in quâ malum conſiſtit, ſecundùm quod influit agenti eſſe, poſſe, & agere, & quidquid perfectionis in agente eſt.* Et ſolutione ad tertium : *Utrumque enìm agenti influit, & ut agat, & ut benè agat.* Igitur manifeſtè contrà eos, qui hanc præviam Dei motionem influentem in voluntatem negant, docet eos conſtituere duo principia. Quod & rationibus, modò in litterâ oſtenſis, docet apertiſſimè, & probat. Attendant ergò qui negant modò Dei præviam actionem, & qui dicunt hominem eſſe primum ſuæ determinationis principium, qualiter per S. Thomam convincantur, quòd duo prima principia conſtituant, concedendo, quòd hominis determinatio à Deo non fit, ſed ab ipſo homine, ſicut à primâ causâ illam efficiente.

Propter quam rationem etiàm S. Hieronymus *epiſt. ad Cteſiph.* illam graviſſimam protulit cenſuram, adversùs eos qui hanc præviam Dei motionem negabant, dicens : *Quæ enim poteſt alia major eſſe temeritas, quàm Dei ſibi, non dicam ſimilitudinem, ſed æqualitatem vindicare ; & brevi ſententiâ omnium hæreticorum venena complecti ?* In quo complectitur hæreſis Pelagiana omnium hæreticorum venena ? niſi in hoc, inquit S. Hieronymus, quòd arbitrium creatum conſtituit æquale Deo, ut, videlicèt, ſicut liberum Dei arbitrium à nullo determinatur, ità arbitrium creatum à nullo etiam determinetur.

VII°. & ultimò : Negatâ Dei efficaci prædeterminatione in actu primo, omnis noſtra actualis libertas negatur in actu ſecundo, & conſtituitur arbitrium immotum, & ut inanime quoddam; nec aliâ efficaciori viâ negari poteſt arbitrij humani actualis libertas, quàm negando phyſicam prædeterminationem : ergò qui hanc prædeterminationem negant, attendant, quòd ſub prætextu ſalvandæ libertatis, libertatem omninò negant.

Demonſtratur ex ſancto Thomâ *1. 2. q. 109. art. 1.* ità dicente : *Manifeſtum eſt autem, quòd ſicut omnes motus corporales reducuntur in motum cæleſtis corporis, ſicut in primum movens corporale ; ità omnes motus, tàm corporales, quàm ſpirituales, reducuntur in primum movens ſimpliciter, quod eſt Deus. Et ideò quantùmcunque natura aliqua corporalis vel ſpiritualis ponatur perfecta, non poteſt in ſuum actum procedere, niſi moveatur à Deo. Quæ quidem motio eſt ſecundùm ſuæ providentiæ rationem, non ſecundùm neceſſitatem naturæ.* Ergò ſecundùm S. Thomam fieri non poteſt, ut voluntas exeat in actum liberum, ſine præviâ Dei motione, applicante & determinante voluntatem ad actum. De hâc enìm in terminis loquebatur. Undè *1. p. q. 105. art. 5.* hanc motionem vocat *applicationem, quâ Deus applicat* potentiam *ad agendum.* Ergò qui negant illam, apertè conſtituunt voluntatem nunquàm exire in actum, & nunquàm habere libertatem in exercitio; & ſic conſtituunt liberum arbitrium immotum, & ut inanime quoddam.

Et in tantùm adhæret huic doctrinæ S. Thomas, ut *q. 3. de potent. art. 7. ad 7.* expreſsè dicat : non poſſe per

divinam omnipotentiam communicari voluntati creaturæ, quòd ſeipſam moveat ſine illâ priori motione & applicatione Dei. Verba S. Thomæ ſunt: *Ad ſeptimum dicendum, quòd virtus naturalis, quæ eſt rebus naturalibus in ſuâ inſtitutione collata, ineſt eis, ut quædam forma, habens eſſe ratum & firmum in naturâ. Sed id quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, eſt ut inventio ſola, habens eſſe quoddam in complementum, per modum quo colores ſunt in aëre, & virtus artis in inſtrumento artificis. Sicut ergò ſecuri per artem dari potuit acumen, ut eſſet forma in eâ permanens, non autem ei dari potuit, quòd vis artis eſſet in eâ, quaſi quædam forma permanens, niſi haberet intellectum: ità rei naturali potuit conferri virtus propria, ut forma in ipsâ permanens, non autem vis, quâ agit ad eſſe, ut inſtrumentum primæ cauſæ; niſi daretur quòd eſſet univerſale eſſendi principium. Nec iterùm virtuti naturali conferri potuit, ut moveret ſeipſam, nec ut conſervaret ſe in eſſe. Undè ſicut patet, quòd inſtrumento artificis conferri non potuit, quòd operaretur abſque motu artis: ità rei naturali conferri non potuit, quòd operaretur abſque motione divinâ.* Fuit lecta tota hæc ſolutio, potiſſimè in illis verbis: *Ità rei naturali potuit conferri virtus propria, ut forma in ipsâ permanens, non autem vis quâ agit ad eſſe ut inſtrumentum primæ cauſæ, niſi daretur ei, quòd eſſet univerſale eſſendi principium &c.* Sicut ergò non poteſt conferri hominis voluntati, quòd ſit univerſale eſſendi principium, nec hoc eſt ei communicabile per divinam potentiam; ità nec ei poteſt communicari, inquit S. Thomas, quòd ſit primum ſe movens abſque priori motione divinâ.

Et quòd loquatur hìc de motione prævià & applicante, fit manifeſtum: quià præmiſerat *in ſolutione ad 3.* quòd in operatione quâ Deus movet naturam, (& idem dicit in articulo de motione quâ Deus movet voluntatem) non operatur ipſa natura; quià illa Dei motio, prævia, videlicèt, eſt actioni naturæ vel voluntatis. Et *in fine corporis articuli* concluſerat: quòd operatur Deus in omni operante, ut dans formam ad operandum, & ut conſervans, & ut applicans &c. Igitur ſecundùm Sancti Thomæ expreſſam ſententiam, non ſolùm de facto, nec ſolùm de potentiâ ordinariâ operatur voluntas, vel quælibet alia creatura, ſine præviâ Dei motione, applicante & determinante; ſed nec de potentiâ Dei abſolutâ & extraordinariâ fieri poteſt, ut creatura aliqua operetur ſine Dei efficaci præviâ motione.

Qui ergò modò negant hanc efficacem præviam Dei motionem & applicationem, ſivè priorem determinationem, efficaciſſimè negant omnem noſtram actualem libertatem quòad exercitium operis, & conſtituunt reipsâ liberum arbitrium nunquàm liberè agere; ſed immotum, & velut inanime quoddam conſtituunt propter convincentem rationem S. Thomæ. Sicut enìm creaturæ non poteſt communicari, quòd ſeipſam conſervet ſine Deo conſervante; ità nec ei communicari poteſt, quòd ſeipſam moveat ſine Deo movente. Propter quam etiam rationem, illud principium phyſicum & univerſaliſſimum docet: quòd cauſa ſecunda mota movet; ità quòd niſi priùs moveatur à primâ causâ, ſeipſam non movebit. Et hoc ad modum, quo ſi ceſſaret motus primi Mobilis, omnes motus inferiores ceſſarent; ità multò à fortiori, ceſſante motione primi moventis, omnes in univerſum motus, & actiones omnium creaturarum, & corporalium & ſpiritualium ceſſarent; & nulla ſpiritualis creatura, quantùmcunque perfecta, ſeipſam moveret per actum, nec ſuam libertatem aliquo modo exerceret.

Quâ etiam ratione docet S. Thomas ſæpè in doctrinâ ſuâ, quòd humana voluntas habet ſe, ut Dei inſtrumentum; quantùm ad hoc, videlicèt, quòd ſicut inſtrumentum, niſi priùs moveatur à principali agente, non ſe movet; ità voluntas niſi priùs naturâ moveatur

Digitized by Google

moveatur & applicetur à Deo, nunquàm exibit in actum ſuum liberum. Quòd autem hæc prævia Dei motio & applicatio debeat determinare ſeu prædeterminare voluntatem; ità quòd ſine iſtâ Dei motione prædeterminante, nunquàm creata voluntas liberè operabitur: docet expreſsè S. Thomas *1. p. q. 19. art. 3. ad 5.* ità dicens: *Ad quintum dicendum, quòd cauſa quæ eſt ex ſe contingens, oportet quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum; ſed voluntas divina, quæ ex ſe neceſſitatem habet, determinat ſeipſam ad volitum, ad quod habet habitudinem non neceſſariam.* Quibus verbis S. Doctor apertam conſtituit differentiam, inter Dei voluntatem, & alias voluntates creatas contingentes: quòd Dei voluntas à nullo priori extrinſeco determinetur; voluntas autem quælibet contingens determinatur à Deo, ut agat. Et loquitur apertè de motione Dei phyſicè prædeterminante; ut conſtat ex argumento cui reſpondebat. Et ſine iſtâ Dei præviâ motione prædeterminante, docet liberum creatum arbitrium nunquàm operari. Qui ergò hanc præviam Dei motionem prædeterminantem modò negant, arbitrium creatum conſtituunt nunquàm ſe movere nec ſuam exercere libertatem.

Propter quam etiam rationem S. Hieronymus *epiſt. ad Cteſiph.* cùm ſibi opponeretur à Pelagianis, quòd per auxilium gratiæ libertatem hominis negaret, contrà illos retorquens argumentum, ità dicebat: *Quòd autem ſursùm deorsùmque jactitant, liberum à nobis arbitrium deſtrui, audiant è contrario eos arbitrij deſtruere libertatem, qui malè eo abutuntur adversùs beneficium largitoris.* Hæc S. Hieronymus contrà Pelagianos dicebat, quòd ipſi deſtruerent hominis libertatem.

Et S. Auguſtinus *Lib. 2. ad Bonifac.*
a Tom. 10. col. 431. *cap. 1.* [a] idem magìs aperit ſub his verbis: *Quid opus eſt ea quoque refellere, quæ dogmatis eorum inſidioſa venena non continent? Sed tantùm in auxilium ſuum, vel pro Catholicâ fide, contrà Manichæorum, ſicut loquuntur, profanitatem, conſenſionem Orientalium Epiſcoporum videntur expoſcere; nihil aliud nitentes, niſi ut horribili hæreſi objectâ, cujus ſe adverſarios confingunt, lateant inimici gratiæ in laude naturæ.* Quid clarius? Docet Pelagianos prætextu ſalvandæ libertatis confingere ſe eſſe inimicos hæreſis Manichæorum; ſed veros inimicos non eſſe. Immò quod magìs eſt *Lib. 1. contrà Julian. cap. 1.* [b], Ju- b Tom. 10. num. 3. col. 498.
liano ipſi opponenti: quòd S. Auguſtinus Manichæus eſſet, & liberum negaret hominis arbitrium, ità reſpondet: *Deindè monſtrabo, quòd tu ipſe ſic adjuvas damnabilem Manichæorum & nefandæ impietatis errorem, ut nullum talem patronum nec in ſuis dilectoribus valeant invenire.* Itaque apertè, teſtante Auguſtino, nullus talis patronus erat inter omnes Manichæos ad negandum arbitrij libertatem, qualis Julianus Pelagianus, qui gloriabatur ſe libertatem defendere. Itaque ex SS. Hieronymo, Auguſtino, & Thomâ, & apertis rationibus manet comprobatum, quòd qui negant phyſicam Dei prædeterminationem, prætextu ſalvandæ libertatis, omnem noſtram libertatem, quòad operis exercitium, de medio tollunt: ità quòd nullos tales patronos habeat Calvinus ad negandam hominis libertatem.

Et ità eſt reverà: quòd error Pelagianorum, ſub prætextu ſalvandæ libertatis, magìs illam reipsâ negat, quàm Calviniſtæ ipſi. Quis enim magìs negat libertatem; vel ille qui conſtituit principium ex quo eſſentialiter dimanat actualis libertas; licèt ex ignorantiâ vel proterviâ id neget: an qui conſtituit principium, ex quo eſſentialiter negatur libertas; licèt verbis dicat ſe ſervare libertatem? Conſtat apertè, quòd ille ſecundus magìs neget libertatem. Sic ergò Calvinus conſtituit hoc principium: quòd Dei motio hominem efficaciter movet; ex quâ Dei efficaci motione evidenter concludunt SS. Patres, quòd cauſetur & perficiatur hominum libertas; quidquid ipſe Calvinus contrarium dicat, vel ex ignorantiâ, vel ex proterviâ.

Digitized by Google

terviâ. Cæterùm Pelagiani fundant principium, ex quo eſſentialiter omnes SS. Doctores deducunt hominis negari libertatem, ut oſtenſum eſt modò, licèt ipſi verbis duntaxàt publicent ſe defendere libertatem. Et proptereà dixit S. Auguſtinus, quod nullus talis patronus hæreſis Manichæorum, negantium libertatem noſtram, invenitur, qualis Julianus Pelagianus.

Sed antequàm reſpondeam ad hunc longum Proceſſum quem R. P. retulit; ad illa tria argumenta, quibus PP. Societatis confidunt, & quæ ſemper proponunt, dicam breviter. Primum eſt: ex efficaci Dei gratiâ prædeterminante tolli libertatem. Secundum: quòd ex illâ ſequitur quòd auxilium ſufficiens negetur omnibus qui tali efficaci gratiâ carent. Et tertium: quòd in hâc ſententiâ Deus conſtituatur author peccati. Quæ tria PP. iſti modò tetigerunt. Circà quæ tria argumenta, oſtendam 1°. omnia iſta fuiſſe in terminis olìm S. Auguſtino à Pelagianis oppoſita. 2°. Quòd authores qui illa opponunt, convincuntur per SS. Patres eadem ipſi tenere quæ aliis objiciunt. 3°. Eadem argumenta apertâ ſolutione diſſolvam.

Circà I^m^., fuiſſe olìm à Pelagianis objectum S. Auguſtino, quòd libertatem ipſe negaret, & cum Manichæo conveniret, teſtantur ferè omnes Libri S. Auguſtini, qui ſæpè in his Congregationibus in conſpectu Sanctitatis Veſtræ lecti fuerunt. Sufficiet illud inſigne ex S. Proſpero teſtimonium *epiſt. ad Auguſtinum* a, in quâ ſic refert de Semipelagianis: *Rem overtitaque induſtriam, tolliquevirtutes* dicunt, *ſi prædeſtinatio Dei humanas præveniat voluntates; & ſub hoc prædeſtinationis nomine, fatalem quamdam induci neceſſitatem.* Cùm ergò argumentum hoc modo opponant RR. PP., apertum eſt quòd in eâdem causâ idem nobis modò opponitur argumentum, quod olìm S. Auguſtino. Ille enìm cum Manichæo clamatur tollere libertatem, & nos cum Calvino de eodem modò oppugnamur.

a *Tom. 10. Op. S. Auguſt. n. 3. col. 780.*

Quòd autem Pelagiani opponerent S. Auguſtino, quòd negaret auxilium ſufficiens, conſtat *ex Lib. 1. Fauſti capp. 4. & 11.* ubì damnat prædicatores efficacis gratiæ, tanquàm negantes gratiam in aliis, qui illam non habent. Similiter & idem nobis modò opponitur, quòd ſufficiens auxilium gratiæ negemus.

Quòd autèm olìm objectum fuerit S. Auguſtino, quòd affirmaret Deum eſſe cauſam peccati, moventem hominem ad peccandum, refert S. Proſper *in reſp. ad capitul. Gall.* b. Hunc enìm refert titulum objectionis undecimo loco poſitæ: *Quòd Deus per potentiam homines ad peccata compellat.* Conſtat etiam ex Fauſto *Lib. 1. cap. 19.*, ubì Catholicis imponebat, quòd aſſererent, per voluntatem Dei homines tradi in perditionem. Conſtat etiam ex S. Fulgentio, qui ità dicit: *Non autem ignoras, etiàm præterito tempore illi luculentiſſimo ſancti Auguſtini Operi, quod ſcripſit de Prædeſtinatione Sanctorum, à quibuſdam Gallis objectum, quòd B. Auguſtinus in aſſertione prædeſtinationis divinæ, peccatores non ad ſolum prædeſtinatos diceret judicium, ſed etiam ad peccatum.* Objectum ergò fuit S. Auguſtino quod & modò nobis: quòd dicamus Deum ſolâ voluntate prædeſtinare, ſivè prædeterminare homines ad peccatum. Igitur omnia iſta argumentandi genera, antiqua ſunt, & olìm S. Auguſtino fuêre objecta.

b *In App. tom. 10. Oper. S. Auguſtin. col. 203.*

Sed etiam oſtendo illud II^m^., qualiter, videlicèt, SS. Patres convincebant eoſdem qui iſta argumenta aliis opponebant, & negare libertatem arbitrij, & negare ſufficiens auxilium, & aſſerere quòd Deus moveat ad peccatum. Primum, quòd ipſi negent libertatem arbitrij crediderim ſatis comprobatum in ratione ultimâ modò factâ, in quâ ex SS. Hieronymo, Auguſtino, & Thomâ oſtendi Pelagianos, qui hanc objectionem opponebant, convictos fuiſſe, quòd libertatem ipſi negabant, & cum Manichæo convenirent. Undè & RR. PP., qui hoc modò objiciunt, ſine dubio cum Calvino conveniunt,

Digitized by Google

conveniunt, & noſtram ipſi auferunt libertatem.

Quòd autem ipſi negent auxilium ſufficiens, conſtat ex S. Auguſtino *Lib. de gratiâ Chriſti capp. 7. & 10.* & ex S. Proſpero *Carm. de ingrat.* In quibus Libris uterque Sanctus oſtendit, in illis internis excitationibus & ſuaſionibus, cùm ipſæ non recedant à lege atque doctrinâ, veram gratiam, etiam ſufficientem, dantem verum poſſe, non conſiſtere. Gratia enìm ſufficiens aliquid aliud eſt, præter id quod non recedit à lege atque doctrinâ. Cùm ergò RR. PP. tantùm admittant interiores excitationes objectivè tantùm moventes, de illis convincit S. Auguſtinus & S. Proſper, quòd non recedant à lege atque doctrinâ: & ex conſequenti convincit, in illis nec verum auxilium ſufficiens poſſe conſiſtere; quià auxilium verè ſufficiens, præter interiorem doctrinam revelantem, dat animæ veras ſufficientes vires per modum principij effectivè ad operandum.

Quòd autem PP. RR. convincantur aſſerere Deum eſſe cauſam peccati, quod nobis opponunt, declarat, & oſtendit S. Proſper *in reſp. ad capitul. Gall. reſp. 15.* [a] ſub his verbis: *Qui præſcientiam Dei in nullo ab ipſius prædeſtinatione diſcernit, malis conatur adſcribere.* Quibus verbis id apertè declarat, quòd qui prædeſtinationem conſtituunt ſecundùm boni usûs præſcientiam, ſicut conſtituunt Deum prædeſtinare ad bonum, ità Deum dicunt prædeſtinare ad malum, & ad peccatum. Cùm ergò RR. PP. prædeſtinationem conſtituunt ſecundùm boni usûs præſcientiam, ut in præcedentibus Congregationibus apertè oſtendi, convincuntur per S. Proſperum, conſtituere, Deum prædeſtinare ad malum & peccatum.

[a] *In Appendic. Op. S. Aug. tom. 10. col. 205.*

Et ratio pro ſententiâ S. Proſperi eſt manifeſta; nam conſtituentes prædeſtinationem ſecundùm præſcientiam, dicunt: Deum prædeſtinare ad bonum, nihil aliud eſſe, quàm conſtituere hominem in tali rerum ordine, in quo præſcitur, quòd ſi conſtituatur, benè utetur arbitrio & gratiâ ſufficiente ſibi oblatâ; ergò eâdem omninò ratione, prædeſtinare ad malum, nihil aliud omninò erit, quàm conſtituere hominem in tali ordine rerum, in quo prævidetur malè uſurus ſuo arbitrio & ſufficiente gratiâ ſibi oblatâ. Et ſic conſtituunt ità Deum prædeſtinare ad malum ſicut ad bonum. Igitur RR. PP. ſunt, ſi attendant, qui dicunt Deum prædeſtinare ad malum & ad peccatum: ut contrà illorum ſententiam apertè S. Proſper affirmat.

Immò Molina ipſe hoc apertis verbis fatetur *in Concord. diſp. 33.* [b] dicens: Deum eſſe cauſam in particulari noſtrarum malarum operationum, non ſimpliciter, ſed cum hoc addito, cauſa univerſalis, quaſi eſſe cauſam univerſalem ſit diminuens veram & propriam rationem cauſalitatis; cùm potiùs eſſe cauſam univerſalem, ſit eſſe primam & perfectiſſimam cauſam; quià cauſa prima magis influit in effectum quàm ſecunda. Undè ſi conceditur, quòd Deus ſit cauſa univerſalis noſtrorum peccatorum, ſimpliciter & abſolutè dicitur Deus cauſa peccatorum, & cum Calvino peſſimè erratur. Diſcipuli autem S. Thomæ dicunt, atque defendunt, nullo modo dici poſſe Deum eſſe cauſam noſtrarum malarum operationum, nec univerſalem, nec particularem, nec aliquo alio modo.

[b] *S. Quintum p. 137.*

Nec evitatur inconveniens per id quod à Molina dicitur: quòd Deus eſt cauſa univerſalis noſtrarum malarum actionum, non intendens illas, ſed cum homine determinato ad peccandum, ſimul producens malam actionem. Nàm etiam iſto modo conſtituitur Deus cauſa peccatorum. Quod ità declaro: Si enìm eſſet unus homo determinatus ex ſe ad peccandum, & peccatum non poſſet operari ſine alterius adjutorio, & ille alius cum homine determinato ad peccatum, ſimùl produceret illud idem peccatum; quis dubitat quòd etiam iſte ſecundus

peccaret? Si quidem ad minùs conſentiret peccato alterius, & eum in ſuâ malâ determinatione adjuvaret. Si ergò concedunt Deum ſimùl producere malam actionem, ut cauſam videlicèt, univerſalem concurrentem ad peccatum cum homine determinato ad peccatum, abſque dubio Deus eſſet cauſa peccati. At omnia iſta inconvenientia admittunt PP. RR.; quià non diſtingunt de actione quæ eſt in peccato, quatenùs entitas & actio eſt, & quatenùs mala eſt. Igitur convincuntur conſtituere Deum authorem peccati; quod tamen aliis opponunt, qui id nullo modo dicunt; ut jàm oſtendam manifeſtè.

Ad iſta ergò argumenta antiquitùs oppoſita S. Auguſtino, quæ è contrà ſuos proprios convincunt authores, modò reſpondetur. Et ad Iᵐ. dicendum, ex efficaci gratiâ prævenientе, & determinante hominem ad conſenſum, non lædi, aut tolli hominis libertatem, ſed cauſari & perfici; quià Deus movet arbitrium juxtà ſuam propriam naturam & conditionem, & movet arbitrium ut operetur, & liberè operetur; & eſt cauſa non ſolùm ſubſtantiæ actûs, ſed omnis modi illius, & omnis libertatis ſuæ. Quæ eſt perpetua doctrina Sanctorum, ſæpè explicata in his Congregationibus, quam ſemper tenuit S. Thomas, & præcipuè *1.p.q.83. art. 1. ad 3.* & *1. p. q. 19. art. 8.*. Ex efficaciâ divinæ voluntatis, ex quâ RR. PP. colligunt lædi hominis libertatem, S. Thomas convincit, hominis libertatem cauſari; quià voluntas Dei, cùm ſit efficaciſſima, non ſolùm cauſat actionem, ſed & omnem modum actionis. Undè nec ad hoc argumentum oportet ampliùs reſpondere.

Ad IIᵐ., negatur, ex doctrinâ defendente cum S. Auguſtino & cum veritate auxilium efficax divinæ gratiæ quod verè facit homines operari, ſequi aliquo modo præter ipſum nullum aliud eſſe auxilium ſufficiens. Cùm enim iſta duo auxilia diverſæ conditionis ſint; undè ſequitur, quod ex poſitione unius alterum negetur? Vel undè infertur, quòd ſi homo non habeat auxilium efficax, quo de facto convertatur, non habeat aliud ſufficiens, quo converti poſſit? Certè iſta nulla conſequentia eſt. Sicut non ſequitur, quòd qui habet habitum virtutis, non habeat ſufficiens principium ad operandum; licèt actualiter ad operandum non moveatur. Immò ſtat optimè: quòd quis actualiter non moveatur ad operandum, & tamen quòd habeat ſufficiens principium in ſe ad operandum. Undè qui hoc argumento convincuntur, id opponant S. Auguſtino, qui *Lib. de correptione & gratiâ cap. 12.* [a] ità dicit: *Ipſa adjutoria diſtinguenda ſunt. Aliud eſt adjutorium ſine quo aliquid non fit; & aliud eſt adjutorium quo aliquid fit.* Quorum primum eſt auxilium ſufficiens, alterum efficax. Quià ergò S. Auguſtinus diſtinguit hoc duplex gratiæ auxilium, opponant PP. RR. S. Auguſtino, quòd per affirmationem gratiæ efficacis negârit auxilium verè ſufficiens. Et hæc ſufficiant ſub brevitate pro hujus argumenti ſolutione.

[a] *Tom. 10. n. 34. col. 769.*

Similiter ad IIIᵐ. dicendum, nullo modo ex doctrinâ de phyſicâ prædeterminatione ſequi, quòd Deus ſit cauſa peccati, vel quòd ad peccatum homines prædeterminet. 1°. Quià poteſt optimè quis defendere phyſicam prædeterminationem pro actibus ſupernaturalibus, & ex iſto capite non coarctatur ad illam defendendam pro aliis actibus facillimis naturalis ordinis, & pro actionibus peccatorum. Et ratio eſt; quià reſpectu actuum ſupernaturalium eſt peculiaris ratio, præter iſtam generalem ſubordinationem cauſæ ſecundæ ad primam; ad quam ſpecialem rationem, quidquid ſit de illâ ſubordinatione generali, eſt conſtituenda phyſica prædeterminatio in voluntate, quâ Deus faciat illam benè operari ſupernaturales actiones. Quià reſpectu hujuſmodi ſupernaturalium actionum, cùm ſint elevatiſſimæ & ſuprà voluntatem, illam omninò excedentes, oportet quòd Deus

Deus immutet, & determinet voluntatem ad illas; quià ipſa nunquàm ſe determinabit ad id quod ſuprà ipſam eſt, niſi ad id immutetur & determinetur à Deo in actu primo. Quod evidentiùs patet in voluntate peccatoris. Quomodò enim, cùm ſit averſa à Deo, ipſa ſe convertet & determinabit ad Deum, niſi Deus priùs illam ad ſe convertat, & verè faciat quòd ſe determinet ad bonum? Propter hanc ergò ſpecialem rationem, etiamſi quis teneret, voluntatem in actionibus quæ in peccatis ſunt non determinari à Deo, etiam quatenùs entitates & actiones ſunt facillimæ, ad quas voluntas ſe poſſit determinare; tamen in actionibus ſupernaturalibus aſtringeretur fateri phyſicam prædeterminationem neceſſariam ad ſupernaturalia opera exercenda. Placuit Cardinalibus omnibus aſſiſtentibus iſta differentia valdè.

Dixi conſultò: quòd optimè poteſt defendere quis phyſicam prædeterminationem pro actibus ſupernaturalibus, abſque eo quòd ex iſto capite ſit neceſſaria conſequentia vel illatio, id fateri pro actionibus facillimis naturalibus. Nàm, non loquendo de illatione & conſequentiâ, quæ certè nulla eſt, quidquid RR. PP. dicant, ſed de veritate ipsâ; veritas eſt, quam in terminis docet S. Thomas *in 1m. diſt. 37. art. 2.* quòd Deus voluntati influit, ut agat quidquid entitatis & actionis eſt in peccato; non autem quod deformitas eſt. Et ibì damnat contrariam ſententiam, ſicut proximam errori duplici, & ſicut negantem primam Dei cauſalitatem reſpectu omnium entitatum & realium actionum. Et loquitur manifeſtè de influxu, influente in voluntatem, illam applicante, & movente, ſeu determinante ad agendum quidquid eſt actionis & entitatis in actionibus peccatorum.

Et quià ſcio iterùm RR. PP. objecturos hoc argumentum de peccato, quià ſemper recurrunt ad peccatum, ideò modò verba S. Thomæ non lego, ſed reſervo; & ſolùm dico in peccato quatuor debere diſtingui à Theologis. 1m., ipſum peccatum, quod includit & actionem ſeu entitatem, & deformitatem ſeu malitiam annexam. 2°. Ipſam deformitatem, ſeu malitiam annexam. 3°. Materiale peccati, quod videlicèt fundat malitiam, & ſubſtat formali. 4°. Actionem poſitivam & realem quæ eſt in peccato, quatenùs præcisè entitas ſeu actio eſt. Et hâc ſuppoſitâ clariſſimâ diſtinctione, dicendum eſt: Quòd Deus non eſt cauſa peccati, nec ad peccandum homines movet. Quæ propoſitio eſt de fide, contrà errores Calvini. Dicendum eſt 2°. quòd multò minùs Deus eſt cauſa deformitatis malitiæ. Dicendum eſt 3°., quòd loquendo formaliter & propriè, non debet concedi, quòd Deus ſit cauſa materialitatis peccati; quià materiale peccati videtur in ſuo conceptu dicere ordinem ad formale, & videtur, ut Theologi dicerent, connotare ſaltèm in aliquo culpam ſeu deformitatem. Undè ne concedatur, quòd aliquo modo Deus ſit cauſa culpæ, & propter tollendas æquivocationes hujus temporis, non oportet concedere, quòd Deus ſit cauſa materialis peccati. Dicendum eſt 4°. contrà Pelagianos, quòd Deus eſt cauſa cujuſcunque entitatis. Nec ſequitur: quòd ſi Deus cauſa ſit entitatis & actionis, quæ in peccato eſt, etiàm peccati ſit cauſa. Quià entitas & actio reducitur in Deum ſicut in primam cauſam; at verò peccatum nullam aliam habet cauſam, niſi hominem ipſum: ità quòd homo eſt prima cauſa peccati. Undè in hoc non ſubordinatur alteri cauſæ primæ.

His ergò ſuppoſitis, ad illum longum Proceſſum Reſpondeo: Diſcipulos S. Thomæ in illis allatis propoſitionibus cum Calvino non convenire. Ia. enim Propoſitio ità formabatur à PP. Societatis: *Auxilium eſt de ſè ſolo efficax, independenter à voluntate creatâ; ità quòd voluntas non poteſt illud reddere efficax vel inefficax.* Quam propoſitionem dicunt eſſe caput om-

nium aliarum. Undè poterant hanc ſolùm proferre, & non tot multiplicare. Circà iſtam propoſitionem, illud primò notatunt, Catholicos aſſerere auxilium de ſe ſolo efficax: quod verbum *ſolo* nec Calvinus adhibuit. Notarunt ſecundò, convenire illos cum Calvino; quià dicunt auxilium tale eſſe independens à voluntate creatâ. Dicunt tertiò convenire; quià dicunt voluntatem creatam non poſſe illud reddere efficax vel inefficax.

Ad quod Reſpondeo: *Diſcipulos S. Thomæ conſtituere auxilium prævenientis gratiæ efficax de ſe ſolo, id eſt, à ſolo Deo.* Quæ propoſitio Catholica eſt, & veritatem Catholicam tenet contrà Pelagianos. Et ſi in hoc ſenſu Calvinus vocavit auxilium gratiæ de ſe efficax, id eſt, ex Deo ipſo, in hoc non erravit aſſerendo auxilium habere efficaciam independenter ab humanâ voluntate. Quià quòd auxilium in efficaciâ ſuâ independens ſit à voluntate creatâ, docet ſemper S. Auguſtinus contrà Pelagianos. Similiter quòd voluntas creata non poſſit reddere auxilium tale efficax vel inefficax, eſt S. Auguſtini perpetua doctrina contrà Pelagianos, potiſſimè *epiſt. 107. ad Vitalem.* Undè cùm Calvinus de hoc reprehendit Chryſoſtomum, imponit Doctori Sancto talem ſententiam. Illam enim Chryſoſtomus non habuit: ſi autem illam teneret, verè eſſet ejus ſententia reprehendenda in hâc parte; quià, ut dixi, à S. Auguſtino tanquàm Pelagiana damnatur citato loco.

Itaque in hâc propoſitione, quæ docet efficaciam auxilij gratiæ ex ſe ſolò eſſe independenter à voluntate creatâ, Calvinus non erravit, ſed cum veritate ſenſit. Erravit autem, quià ex hoc antecedente de fide contrà Pelagianos, ipſe intulit lædi aut tolli hominis libertatem. Quòd ſi ipſe prædicando efficaciam divinæ gratiæ independentem ab homine, ſimiliter teneret, illam non deſtruere, ſed cauſare & perficere libertatem, nullo modo in hâc materiâ erraret; ſed in hâc parte ità Catholicam veritatem teneret, ſicut Auguſtinus ipſe. Ac proindè, cùm Diſcipuli S. Thomæ prædicant efficaciam auxilij gratiæ independenter ab homine, non cum Calvino conveniunt, ſed cum ipſo Auguſtino, & cum Catholicâ veritate.

Diſtinguendum eſt enim in hæreticis id in quo ipſi errant, ab eo in quo non errant. Nec enim, ut certiſſimum eſt, in omnibus hæretici errant, ſed quædam vera apponunt, ut falſa deducant; V. G. Pelagius dixit hominem eſſe liberi arbitrij, ſed non eſſe efficaciam auxilij gratiæ. Certum eſt autem, quòd non erravit dicendo, hominem eſſe liberi arbitrij: nec cum Pelagio, ſed cum veritate conveniunt, qui dicunt hominem eſſe liberi arbitrij. Ità ergò per oppoſitum, nec cum Calvino conveniunt, qui dicunt auxilium efficax eſſe ex Deo ipſo, independenter ab homine; quià in hoc Calvinus non erravit.

Diſtinguenda eſt ergò triplex phyſica prædeterminatio. Quædam eſt dependens à voluntate creatâ; & illa conſtituebatur à Pelagianis. Alia eſt prædeterminans voluntatem ad agendũ ad modum naturæ, & excludens ejus libertatem; & iſta conſtituitur reipsâ à Calvino. Et iſti ſunt duo extremi errores. Tertia eſt media inter utramque, & utramque æqualiter damnans, videlicèt, prædeterminatio phyſica non dependens à voluntate creatâ, nec auferens illius libertatem, ſed cauſans & perficiens libertatem humanam. Et iſta eſt conſtituenda à Catholicis contrà Pelagianos & Calviniſtas. Undè tantùm abeſt quòd Diſcipuli S. Thomæ in conſtituendâ hâc phyſicâ prædeterminatione cum Calvino conveniant, quòd potiùs illum expugnant. Quià ipſe admittit efficaciam gratiæ auferentem hominis libertatem: Diſcipuli autem S. Thomæ defendunt efficaciam gratiæ ſalvantẽ & perficientem libertatem arbitrij. Immò, ut modò oſtendi, potiùs PP. RR., qui iſta aliis opponunt, convincuntur cum Calvino convenire, & cum eo negare & efficaciam gratiæ, & arbitrij libertatem.

II.

IIª. Propoſitio, in quâ dicebant, convenire Diſcipulos S. Thomæ cum Calvino, talis erat: *Poſitâ gratiâ de ſe ſolâ efficaci, non poſſumus non velle, non poſſumus diſſentire, non poſſumus reſiſtere, aut refragari.* Iſta propoſitio continet pravum errorem Calvini, quo per fallacem conſequentiam, ex antecedente de fide, id eſt ex efficaci Dei gratiâ, ex ſolo Deo efficaci, abſurdè intulit, homines nec libertatem habere in conſentiendo, nec poſſe diſſentire, ſi velint, efficaci Dei motioni. De iſto errore fuit damnatus in Concilio Tridentino *Seſſ. 6. can. 4.*; ut alibì effusè explicatum eſt, & comprobatum. Et in hâc propoſitione nullo modo conveniunt cum Calvino citati Diſcipuli S. Thomæ. Immò Calvino opponuntur, ipſumque damnant, aſſerentes ſemper, quòd poſitâ efficaciâ gratiæ ex Deo ipſo, ſemper homo illi poteſt diſſentire, ſi velit; & ſemper habet liberam facultatem ad diſſentiendum; & ſemper liberè conſentire: ità quòd ex efficaciâ prævenientis gratiæ, dicunt atque defendunt, non lædi vel minui hominis libertatem; (ut errando dixit Calvinus) ſed cauſari & perfici actualem hominis libertatem: quià efficacia gratiæ facit, ut homo conſentiat, & liberè conſentiat. Cum quâ veritate, quam defendunt contrà Calviniſtas, dicunt etiàm contrà Pelagianos: in ſenſu compoſito non poſſe hominem illi diſſentire, id eſt, fieri non poſſe, ut ſimul efficaciter moveatur, & diſſentiat. Iſte enìm eſt ſenſus compoſitus, quem ſemper ex Sancto Thomâ explicant ejus Diſcipuli: ità quòd poſitâ efficaci gratiâ, & poſtquàm eſt poſita, in ſenſu diviſo poteſt homo diſſentire, ſi velit; in ſenſu autem compoſito non poteſt ſimùl conjungere cum efficaci gratiâ Dei contrarium diſſenſum. Non igitur Diſcipuli S. Thomæ cum Calvino conveniunt; quià dicunt contrariam propoſitionem. Sed potiùs cum Calvino conveniunt, qui aſſerunt bonam eſſe illationem & conſequentiam Calvini, aſſerentes ſequi ex efficaci gratiâ Dei, quòd hominis læditur libertas: in quo Calvinus erravit, & modò PP. RR. cum illius errore conveniunt; quià probant hanc ejus peſſimam conſequentiam & illationem.

IIIª. Propoſitio in hâc collatione & convenientiâ, talis fuit: *Ex hâc gratiâ, actus voluntatis ſequitur neceſſariò, non ſuâpte naturâ, ſed ex ſuppoſitione decreti divini, vel alterius antecedentis cauſæ.* Quòd, poſitâ gratiâ, non ſequatur actus voluntatis neceſſariò ſuâpte naturâ; veritas Catholica eſt, in quâ Calvinus non erravit: quià omnes Catholici id fateri tenentur. Similiter quod dixit, ex ſuppoſitione decreti divini vel alterius antecedentis cauſæ ſequi actum voluntatis neceſſariò neceſſitate infallibilitatis, ſeu conditionatâ, ſalvante hominis libertatem; veritas Catholica eſt contrà Pelagianos. Et hanc propoſitionem dicunt S. Thomæ Diſcipuli, in quâ non conveniunt cum Calvino. Quià Calvinus errando dixit, actum voluntatis ſequi neceſſariò, & ſine aliquâ hominis libertate, ex ſuppoſitione factâ decreti divini: in quo illum damnant S. Thomæ Diſcipuli. Quòd autem ſit affirmandum à Catholicis, actum voluntatis ſequi neceſſitate infallibilitatis & conditionatâ, docet ſemper S. Thomas, & præſertìm *1.2. quæſt. 112. art. 3.* Et *Lib. 1. contrà Gentes cap. 89.* ità dicit: *Etiam contingentia ad utrumlibet redduntur ex ſuppoſitione neceſſaria.* Quam propoſitionem PP. RR. damnant in Thomiſtis, ut convenientem cum Calvino; cùm tamen expreſſa ſententia ſancti Thomæ ſit.

IVª. Propoſitio hujus convenientiæ fuit: *Sine auxilio efficacis gratiæ, non poteſt homo benè operari, & ad Deum converti.* Iſta propoſitio ſic intelligitur à Calvino: quòd nullum ſit aliud auxilium ſufficiens, præter efficax, quo homo poſſit operari; & iſte ſenſus eſt damnatus. At verò Diſcipuli S. Thomæ in ſenſu valdè alieno dicunt hanc propoſitionem. Fatentur

enìm eſſe aliud ſufficiens auxilium, præter efficax, quò homo poſſit operari benè: & tantùm dicunt, fieri non poſſe, ut homo ſine auxilio efficaci operetur de facto. Et in hoc ſenſu propoſitio à Theologo Catholico concedenda eſt; quià in hoc ſenſu tradit illam S. Thomas ſæpè. V. G. *1. 2. q. 109. art. 1.*, & *q. 3. de potentiâ art. 7. ad 7.* Et verum ejus ſenſum explicat *q. 1. de potentiâ art. 5. ad 1.* ità dicens: *Ad primum ergò dicendum, quòd hæc locutio: Deus non poteſt facere, niſi quod præſcit ſe facturum, eſt duplex; quià exceptio poteſt referri ad potentiam, quæ importatur per Ly poteſt, vel ad actum qui importatur per Ly facere. Si primo modo, tunc locutio eſt falſa: plura enìm poteſt facere, quàm præſciat ſe facturum; & in hoc ſenſu ratio procedebat. Si autem ſecundo modo, ſic locutio eſt vera; & eſt ſenſus: quòd non poteſt eſſe, quòd aliquid fiat à Deo, & non ſit à Deo præſcitum.* Sic ergò Calvinus dicit, quòd ſine auxilio efficaci homo non poteſt converti; ità quòd exceptio cadat ſuper Ly *poteſt*: in quo ſenſu eſt falſa. Catholici autem utuntur hâc propoſitione; ità quòd exceptio cadat ſuper Ly *facere*: in quo ſenſu eſt vera. Diſtinguendæ ſunt ergò ſimiles verborum æquivocationes.

Vª. Propoſitio, quæ in hâc collatione proponebatur, ità ſe habebat; *Quòd ex duobus hominibus unus, convertatur, & non alius, non aliundè eſt, quàm ex inæqualitate gratiæ.* Iſta propoſitio in pravo ſenſu dicitur à Calvino. Ideò enìm affirmat eam, quià negat libertatem hominis. Undè dicit, quòd ſolùm ex inæqualitate auxilij unus convertitur, & non alius, abſque liberâ cooperatione illius qui convertitur. Et iſte eſt hæreticus ſenſus. Cæterùm Diſcipuli S. Thomæ illam concedunt in ſenſu Catholico, ſicut ab omnibus concedi debet; in hoc ſenſu, videlicet, quòd ex inæqualitate auxilij ſicùt ex primâ radice provenit, quòd unus convertatur, & non alius: licèt ſicùt à causâ proximâ, quòd iſte convertatur, provenit ex liberâ cooperatione ſui arbitrij, efficaciter à gratiâ moti. Itaque ſemper qui convertitur, habet majus & fortius auxilium, quàm qui non convertitur: & in hoc ſenſu Catholici dicunt: quòd unus convertatur, & non alius, provenire ex inæqualitate auxilij.

VIª. Propoſitio, quæ conferebatur, talis erat: *Eos, quibus æqualem gratiam Spiritus Sanctus partitur, æqualiter cum illâ conari neceſſe eſt.* Iſta propoſitio Catholica eſt, neceſſariò ab omnibus admittenda; quià illam docet S. Thomas in terminis *2. 2. q. 24. art 3.* ex illo *ad Epheſ. 4. Unicuique noſtrûm data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti.* In quo articulo docet, quòd illa virtus, ſecundùm quam ſua dona Deus dat unicuique, eſt diſpoſitio, ſivè præparatio præcedens, ſivè conatus gratiam accipientis: ſed hanc diſpoſitionem vel conatum prævenit Spiritus movens mentem hominis, plùs vel minùs, ſecundùm ſuam voluntatem. Undè & Apoſtolus dicit *ad Coloſſ. 1. Qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine.* Itaque ſecundùm menſuram auxilij eſt & conatus voluntatis. Et ratio eſt manifeſta. Nàm ſi aliquis conaretur ſuprà quantitatem auxilij, eſt manifeſtum, quòd ille exceſſus conatûs non tribueretur gratiæ, ſed arbitrio. Ut ſi V. G. aliquis habens auxilium ut octo, conaretur ut viginti, ille exceſſus duodecim ſuprà octo non ex gratiâ proveniret; ſed tantùm ex libero hominis arbitrio. Quod ſecundùm Catholicam veritatem dici non poteſt.

VIIª. Propoſitio talis erat: *Oblatam gratiam acceptare, non noſtræ libertatis eſt.* Hanc ſic intelligit Calvinus: quòd nullam facultatem liberam habeamus ad accipiendam gratiam oblatam; ſed quòd ſine aliquâ noſtrâ libertate illam recipiamus. Qui ſenſus eſt hæreticus. Cæterùm Diſcipuli S. Thomæ concedunt, noſtræ liberæ facultatis eſſe gratiam oblatam acceptare. Quià dùm ab efficaci gratiâ movemur, liberè volumus eam acceptare,

ceptare, & liberè ei conſentimus, cum poſitivâ facultate ad diſſentiendum, ſi velimus; licèt noſtræ facultatis non ſit, illam efficacem aut inefficacem reddere, ut PP. RR. intendunt; quià iſte ſenſus damnata eſt Pelagianorum ſententia.

VIIIª. Propoſitio erat: *Hæc gratia ità voluntatem agit, ut quamvìs voluntas agat, adæquata tamen cauſa converſionis ſola ſit gratia.* Iſta propoſitio poteſt facere duplicem ſenſum; alterum falſum, & Catholicum alterum. Damnatus ſenſus eſt: quòd gratia ſit adæquata cauſa converſionis, abſque eo quòd voluntas liberè convertatur: ità quòd totalis converſionis cauſa ſit gratia, abſque eo quòd voluntas, ut cauſa proxima, etiàm totalis cauſa libera ſit converſionis ſuæ. Et iſte ſenſus intenditur à Calvino; ut dictum eſt ſæpè. Sed Catholici Diſcipuli S. Thomæ in ſenſu omninò contrario hanc propoſitionem concedunt. Dicunt enim adæquatam cauſam, facientem quòd homo convertatur, eſſe ſolam gratiam; quià ſola gratia facit verè, quòd homo ſe liberè convertat: & ſic eſt ſola gratia totalis ſivè adæquata cauſa prima & radicalis converſionis in Deum. Cum quâ optimè ſtat, quòd etiam totalis cauſa proxima, in ſuo videlicèt ordine & genere, ſit ipſa voluntas, liberè volens ſe in Deum convertere.

IXª. Propoſitio fuit de auxilio perſeverantiæ in hunc modum: *Auxilium perſeverantiæ eſt inamiſſibile, & reddit hominem immobilem in bono, independenter à libero arbitrio, & antecedenter facit perſeverare.* Mirandum eſt certè, quòd dicatur convenire cum Calvino, qui affirmat auxilium perſeverantiæ, independenter à libero arbitrio facere homines perſeverare, cùm iſta ſit perpetua doctrina S. Auguſtini per totum Librum de dono perſeverantiæ, potiſſimè *cap. 6.* cujus verba in hâc parte ſæpè ſunt citata. Non ergò cum Calvino, ſed cum Catholicâ doctrinâ S. Auguſtini convenit. Quòd autem affirmant Doctores Catholici, eſt, quòd auxilium perſeverantiæ facit immobiliter ex parte ſuâ homines perſeverare, licèt ipſi potentiam & facultatem liberam habeant, ad non perſeverandum: ſicut dici ſolet de confirmatis in gratiâ, quòd immobiliter ſtant in bono, & tamen quòd poſſint peccare. Undè cùm dicunt Catholici, quòd donum perſeverantiæ eſt inamiſſibile, in hoc ſenſu dicunt: quòd fieri non poteſt, ut quis illud habens amittat. Qui ſenſus eſt veriſſimus contrà Pelagianorum errorem.

Xª. Propoſitio ità proponebatur: *Deus æterno ſuo & immutabili decreto omnes noſtras actiones, ſivè bonas, ſivè malas, præfinit ac determinat.* Nullo modo propoſitio hæc, quæ conceditur à Calvino, conceditur à Diſcipulis S. Thomæ. Quià Calvinus dicit, ità Deum prædefinire & determinare ad malum ſicut ad bonum. De quo à Concilio Tridentino damnatur *Seſſ. 6. can. 6.* At verò Diſcipuli S. Thomæ hoc omninò negant, & Calvinum condemnant. Non enìm ſolùm dicunt, Deum non ità determinare ad malum ſicùt ad bonum; ſed etiam dicunt, Deum nullo modo determinare ad malum: & tantùm concedunt cum S. Thomâ *in 2m. diſt. 37. art. 2.*, Deum prædefinire actionem, quæ eſt in peccato, quatenùs entitas & actio eſt. Quòd autem inducitur Bannez damnans hanc propoſitionem: quòd Deus non determinet ad bonum vel malum; ideò illam rejicit, quià negat Deum determinare ad bonum. Quià ſua contradictoria eſt: Deus determinat ad bonum vel malum: quæ vera eſt ratione primæ partis. Et quià illa negativa totum negat, etiam pro eâ parte quâ negat illam primam partem disjunctivæ; falſa eſt: & ideò negatur à Dominico Bannez.

Aliam etiam propoſitionem intulerunt PP. Societatis tanquàm convenientem cum Calvino, quâ dicitur: *Omnia fortuita ſunt à Deo, non tantùm præviſa, ſed etiam volita & determinata.* Mirum eſt, quòd hanc propoſitionem

tionem velint negare, negantes Dei providentiam, intentionem, & cauſalitatem reſpectu illorum fortuitorum. Dicunt enim ſolùm eſſe prævisa, & non volita; ac ſi eſſent peccata: cùm tamen iſta cauſalia nobis, & nobis fortuita, ut quòd, videlicèt, dùm aliquis voluit natare, ſuffocatus eſt, vel quòd tegula cadens illum occidat, ſint mala pœnæ, & abſolutè bona, & à Deo cauſata verè & propriè, & non tantùm permiſſa, ſicut peccata permittuntur. Immò cùm dicat Scriptura: a quòd nec folium arboris cadat in terram ſine voluntate Patris &c. Et b quòd *omnes capilli capitis noſtri numerati ſunt*, mirandum eſt quòd iſta cauſalia & fortuita negentur eſſe à divinâ providentiâ ordinata, & propriè cauſata.

a *Matth.* 10 29.

b *Matth.* 10 30. *Luc.* 12. 7.

Ad aliam propoſitionem hujus convenientiæ, quâ dixerunt: Dominicum Bannez dicere: *Deum reprobare homines antè prævisionem peccati originalis, pro ſolâ ſuâ voluntate & beneplacito*; loquendo, ut apertè loquitur, de primo effectu reprobationis, quod PP. RR. ignorare non poſſunt, eſt valdè probabilis ſententia: licèt ego cum S. Auguſtino ſemper contrarium defendo; quià magìs conformis eſt veritati. De quo non eſt hujus loci diſputare.

Illud autem aliud, quo nimìs exaggerant, quemdam Diſcipulum S. Thomæ aſſerere, voluntatem non eſſe liberam in ſenſu compoſito, nihil illos juvat; quià in ſenſu quo loquebatur ille Diſcipulus S. Thomæ, veriſſimum dixit. Solùm enim affirmat non habere hominem libertatem ad ſimùl conjungendum atque componendum diſſenſum, cum efficaci auxilio gratiæ; quod eſt certiſſimum. Et hoc vocavit, non habere libertatem in ſenſu compoſito. Similiter dixit, non habere libertatem in ſenſu compoſito, ad reddendum pro ſuâ libertate auxilium efficax aut inefficax: in quo ſenſu veriſſima eſt illa propoſitio: ſed aliquo modo eſt dura, & minùs propria. Quià potiùs dicendum eſt, eſſe hominem magìs liberum in ſenſu compoſito; quià eſt liber in actu ſecundo, quæ eſt major ac perfectior libertas, quàm illa quæ tantùm eſt in actu primo. Alia minutiora omitto ob brevitatem, quià nullam omninò habent difficultatem. Et ſic finivit F. Thomas.

Poſteà Vaſtida verboſitate ſuâ plurima dicebat, ad quæ nec attendi; quià determinavi nihil illi reſpondere. Et cùm finivit, dixit F. Thomas: Pater Beatissime, hæc quæ modò propoſuit, nullam omninò difficultatem habent, ipſiſque facillimè reſponderem niſi Sanctitas Veſtra gravaretur. Quod propterea dixit, quià per ſex horas integras Congregatio duraverat, & omnes erant valdè feſſi. Et ſic placuit omnibus, quòd hâc brevitate F. Thomas rem terminaret.

Fuit iſta Congregatio celebris pro Gratiâ, de quâ multi mirati ſunt quòd tot ac tantis, ubi fecerunt ſummum prælium PP. Societatis, ſic ex tempore fuiſſet reſponſum. Sed gratiâ Dei ſum id quod ſum.

CONGREG.

Digitized by Google

Celebrata eſt coràm Sanctiſſimo 25. Januarij die Converſionis ſancti Pauli, poſt meridiem. Cardinales 7. fuêre præſentes, & Prælati ac Cēſores omnes. Per tres antè dies inundaverat fluvius Tiber ferè univerſam Romam; & vigiliâ Cōverſionis poſt meridiem cœpit minui inundatio.

CONGREGATIO
QUADRAGESIMA QUINTA, SEU OCTAVA CORAM PAULO V.

In quâ Theologicis præſertìm rationibus de prædeterminatione Phyſicâ ſeptimò eſt diſputatum.

Vide Hiſt. Congreg. de Auxil. Lib. 4. cap. 12. col. 655. & ſeqq.

AGEBATUR in hâc Congregatione, ſicùt in ſex prioribus, de efficaciâ prævenientis gratiæ: An rectè dicatur phyſicè prædeterminans? Et incepit P. Vaſtida illas ſuas rationes proponere contrà phyſicam prædeterminationem. Tres autem dicebat rationes debere proponere, quibus impoſſibilitas hujus phyſicæ prædeterminationis oſtendebatur: Alteram, quòd iſta phyſica prædeterminatio aufert omninò humanam libertatem: Alteram, quòd in omnibus carentibus phyſicâ prædeterminatione negetur auxilium ſufficiens: Alteram verò, quòd teneantur fateri Defenſores illius phyſicæ prædeterminationis, etiam Deum prædeterminare ad peccatum. Et antequàm iſta diffusè probaret, referebat quoddam dictum Bannez aſſerentis inexplicabile eſſe, quomodò cum eâ cohæreat humana libertás; & quòd eſt fide tenendum. Circà quod exaggerabat valdè: quòd credendum eſt Eccleſiæ, vel Pontifici id proponenti, non autem Doctori particulari id dicenti. Et etiam proponebat ſimilia impertinentia.

Deindè veniens ad rem, dicebat ſe oſtenſurum, talem phyſicam prædeterminationem tollere libertatem, ex tribus Capitibus quæ affirmantur à Defenſoribus hujus phyſicæ prædeterminationis. 1°. Enìm dicunt, illam eſſe talem, cui homo non poſſit reſiſtere. 2°. Illam inevitabiliter movere hominis libertatem. 3°. Non poſſe hominem cum illâ conjungere contrarium diſſenſum.

Et accedens ad primum horum, dicebat: Concilium Senonenſe in decreto fidei expreſsè definire, non eſſe tale Dei trahentis auxilium, cui non poſſit reſiſti: ergò aſſerere tale eſſe auxilium phyſicè prædeterminans cui homo non poteſt reſiſtere, eſt expreſsè aſſerere illud tollere libertatem. Nàm Concilium prædictum hanc reddit rationem, ad probandum quòd auxilium non tollit libertatem; quià ſemper præſtò eſt tale auxilium, & non eſt tale cui homo non poſſit reſiſtere. Similiter inducebat S. Thomam *quodlib. 1. art. 7. ad 2.* dicentem: quòd homo Dei motioni poteſt reſiſtere; & in hoc conſtituit, hominum libertatem conſiſtere: ergò cùm phyſicæ prædeterminationi non poteſt homo reſiſtere, non habebit talis homo libertatem. Similiter inducebat aliud S. Thomæ teſtimonium *ex 1. p. q. 82. art. 2. ad 2.* ubì docet: quòd tunc movens ex neceſſitate cauſat motum in mobili, quandò poteſtas moventis excedit mobile; ità quòd tota ejus poſſibilitas moventi ſubdatur: ſed iſta phyſica prædeterminatio ſubdit ſibi totam virtutem voluntatis: ergò illam de neceſſitate movet. Inducebat etiam illud aliud tertium S. Thomæ teſtimonium *ex eâd. 1. p. q. 83. art. 1. ad 5.* ubì docet: quòd inclinationes, qualitates, & habitus ſubjacent judicio rationis cui obediunt, & ideò non auferunt hominis libertatem. Docet ergò S. Thomas,

quòd illa qualitas ſeu motio, quæ non ſubjacet judicio rationis, non ſervat in homine libertatem: ſed phyſica prædeterminatio non ſubjacet judicio rationis: ergò non ſervat hominis libertatem.

Præterea ratione id perſuadebat: quià talis prædeterminatio aufert à voluntate indeterminationem: ergò aufert ab eâ libertatem: quià libertas in illâ indeterminatione & indifferentiâ conſiſtit. Undè ablatâ indifferentiâ ſivè indeterminatione per illam phyſicam prædeterminationem, neceſſe eſt, quòd auferatur libertas.

Ad hoc, dicebat, ſolet reſponderi: quòd Deus illâ prædeterminatione movet ſuaviter, ſalvando libertatem. Contrà quod ſic inſtabat: Quià illa prædeterminatio ſivè ab Angelo, ſivè à Deo voluntati imprimatur, ſemper habet eamdem virtutem; ſed ſi ab Angelo imprimeretur, tolleret libertatem: ergò ſi à Deo voluntati imprimitur, etiam tollit libertatem: quià forma ex ſuâ naturâ habet, ſic determinare voluntatem. Undè ex vi illius formæ id provenit, à quocunque producatur. Sicut ex naturâ ignis procedit ignire, & ex formâ caloris calefacere. Quod autem dicitur, quòd Deus ſuaviter movet voluntatem, eſt verum: quià id facit non prędeterminando, ſed relinquendo voluntati, ut ſeipſam determinet. Quod, ut aïebat, docet S. Thomas *in 2m. diſtinct. 25. art. 1. ad 3.* dicens: *Ad tertium dicendum, quòd Deus operatur in omnibus; ità quòd in unoquoque ſecundùm ejus conditionem. Undè in rebus naturalibus operatur ſicut miniſtrans virtutem agendi, & ſicut determinans naturam ad talem actionem. In libero autem arbitrio hoc modo agit, ut virtutem agendi ſibi miniſtret, & ipſo operante liberum arbitrium agat; ſed tamen determinatio actionis & finis in poteſtate liberi arbitrij conſtituitur. Undè remanet ſibi dominium ſui actûs, licèt non ità, ſicut primo agenti.* Docet ergò ſanctus Doctor, quòd Deus, licèt moveat liberum arbitrium, non tamen ipſum prædeterminat.

Et tandem dicebat: quòd interrogandi erant PP. Dominicani, in quo à Calvino in hâc phyſicâ prædeterminatione diſtinguantur. Nàm Calvinus dicebat, Deum movere voluntatem; & dicebat, quòd voluntas mota agebat; & dicebat, quòd Deus per judicium rationis illam movebat: hoc tamen illi diſplicebat, quòd arbitrium eſſet flexibile in utramque partem. Undè flexibilitatem hanc negabat. Quæ flexibilitas tollitur per illam prædeterminationem, quæ voluntatem ad unam partem prædeterminat. Et iſta in ſubſtantiâ dicebat circà Im. Caput de ablatione libertatis.

Circà IIm. verò, de negatione auxilij ſufficientis, iſta dicebat: Primò quòd ſine illo auxilio phyſicè prædeterminante, homo de facto non convertitur; ut Defenſores ejus defendunt: & ſic qui illo caret, caret aliquo neceſſario ad converſionem. Undè nec dabitur ſine illo auxilium ſufficiens. Immò Thomiſtæ dicunt: quòd homo ſine illo non poteſt converti. Undè qui hoc modò negant, deſerunt ſuos proprios authores. Immò qui dicunt, quòd poſito auxilio ſufficiente, & homine benè utente illo, datur efficax; conſtituunt auxilium efficax pediſſequum; & ſic illud conſtituunt ſub merito, & incidunt in Pelagianiſmum. Quià ipſi dicunt quòd homo non reddit ſufficiens, efficax. Immò hoc impugnant in Molinâ. Ergò dicunt, quòd propter actum ſivè naturalem, ſivè ſupernaturalem datur efficax; & ſic efficax conſtituunt pediſſequum, convenientes cum Pelagio.

Præterea aſſerebat: per hoc auxilium efficaciter prædeterminans negari auxilium ſufficiens. Quià ſaltem voluntas, præter auxilium ſufficiens, indiget ad operationem auxilio efficaci, & complemento potentiæ; & ſic abſque illo erit potentia incompleta ad operandum. Et præterea, quià auxilium

auxilium efficax dicitur dare operari: ergò conſtituitur in ipſo operari, & in ipsâ operatione, & in ipſo actu ſecundo; & ſic dabitur, quià voluntas ſe vult applicare ad operandum. Undè erit etiam hâc ratione pediſſequum.

Et fortiùs ſuo judicio argumentabatur ſic: Illud auxilium phyſicè prædeterminans eſt neceſſarium ad operandum, & illud non eſt in poteſtate voluntatis, ut dicunt: ergò deficit voluntati aliquid, quod eſt neceſſarium ad operandum; quod tamen in poteſtate voluntatis non eſt; & ſic nec ipſa habebit ſufficiens ad operandum; & ſic ipſi non imputabitur, quòd non operetur: quià nulli imputatur quod in ſuâ poteſtate non habet. Hæc dicebat in ſubſtantiâ circà II^{m}. Caput.

In III°. Capite, ex auxilio efficaciter ſeu phyſicè prædeterminante, inferebat ſequi, Deum prædeterminare homines ad malum & ad peccatum. Quià ſine tali prædeterminatione voluntas non poteſt ſe movere ad peccatum. Undè oportet, ut peccet, quòd determinetur à Deo ad peccatum. Undè quidquid verbis dicant adverſarij, nullis tergiverſationibus liberare ſe poſſunt, quin dicant Deum prædeterminare ad peccatum. Nec enìm ſufficit recurrere ad materiale peccati, dicendo, quòd Deus tantùm prædeterminat ad materiale peccati, non autem ad formale, ad malitiam, ſeu deformitatem, ut dicunt. Quià prædeterminando ad materiale peccati, cui eſt conjuncta inſeparabiliter malitia, etiam prædeterminabit ad malitiam. Non etiam ſufficit reſpondere: quòd Deus prædeterminando ad actionem, quæ eſt in peccato, non intendat malitiam. Quià etiam homo peccans non intendit malitiam; nec Calvinus dixit, quòd Deus malitiam intendat. Undè ex prædeterminatione ad actionem peccati, ſequuntur, ut aiebat, graviſſima inconvenientia. 1^{m}. Quòd Deus ſit cauſa ipſius peccati, ratione dictâ. 2^{m}. Quòd Deus ſit ità cauſa mali, ſicùt boni, contrà expreſſam definitionem Concilij Tridentini *Seſſ. 6. can. 6.* 3^{m}. Quòd non ſit in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, contrà Concilium Tridentinum *Seſſ. 6. can. 7.* 4^{m}. Quòd Deus tentat ad mala. Nàm ſi aliquis ſuaderet ad malum, iſte eſſet cauſa peccati. Ergò à fortiori, qui phyſicè prædeterminaret ad peccatum, multò magìs eſſet cauſa peccati; præcipuè in ſententiâ oppoſitâ, quæ tenet, quòd qui movet ſuadendo & moraliter, non eſt vera cauſa peccati; ſed qui movet efficienter & phyſicè: ergò quià Deus movet ad peccatum efficienter & phyſicè, eſt vera cauſa peccati. Et alia duo ſimilia inconvenientia inferebat, quæ nec poſuit in numero cum præcedentibus. Et ſic tandem finivit P. Vaſtida, affirmans ſententiam eſſe Calvini, quòd Deus moveat ad actum peccati.

Statìm autem Frater Thomas ità proponebat, omnia ex more ad pedes Sanctiſſimi ſubjiciens: BEATISSIME PATER, ad cujus pedes, quæcunque dixero, humiliter conſtituo. Oſtendi ſatìs in Congregatione præteritâ, quas rationes pro ſe habeat prævenientis gratiæ divina efficacia. Oſtendi inſuper, hæc tria argumentorum Capita fuiſſe ſæpè in his Congregationibus objecta, & ſæpiſſimè ſoluta, ac penitùs confutata. Oſtendi prætereà omnia iſta argumentorum genera fuiſſe olìm damnata Pelagianorum fundamenta contrà S. Auguſtini doctrinam oppoſita, & per eumdem S. Doctorem, ac alios SS. Patres Eccleſiæ ità efficaciter contrita, atque comminuta, ut eliſarum argumentationum ratiunculis, fracta ſtudeant RR. PP. arma colligere. Immò quod magìs eſt, oſtendi hæc eadem argumenta, ità per SS. Patres Eccleſiæ in ſuos proprios authores retorqueri, ut ipſi convincantur eadem ſentire, quæ aliis opponunt. Convincuntur enìm, ut latè oſtendi in præcedenti Congregatione, omnem actualem noſtram deſtruere libertatem; cùm negant primam divinam cauſalitatem, à quâ omnis noſtra dependet

Digitized by Google

actualis libertas, quòad operis exercitium, & ſine quâ divinâ cauſalitate nunquàm operatur humana libertas. Convincuntur negare non ſolùm auxilium efficax, quod eſt apertiſſimum; ſed & verum auxilium ſufficiens; quià in illis internis illuſtrationibus & excitationibus, moventibus tantùm per modum proponentis objectum, & non recedentibus à lege atque doctrinâ, verum auxilium ſufficiens, dans veras virtutes ſufficientes animæ, conſiſtere nequit. Convincuntur tandem cum ſuo authore Molinâ, apertis verbis fateri, Deum eſſe univerſalem cauſam noſtrorum peccatorum. Et quià ad iſtas rationes nullo modo, nec tunc, nec modò reſponſum eſt, fortè nihil aliud eſſet ſuperaddendum.

Ad abundantiorem tamen doctrinam, jàm nunc oſtendam, quàm inefficacia ſint, quæ modò proponuntur objecta. Reſpondebo in formâ ad omnia iſta elaborata argumenta. Quæ cùm ſint infirmæ rationes humanæ, oppugnare tamen audent gratiam & omnipotentiam divinam.

Tria ergò Capita P. R. à principio propoſuit quæ Thomiſtæ concedunt ex hâc phyſicâ prædeterminatione. 1°. Illi non poſſe reſiſtere arbitrium. 2°. Deum movere arbitrium per illam inevitabiliter. 3°. Non poſſe cum illâ conjungi contrarium diſſenſum.

Ad quod Reſpondeo: Thomiſtas dicere, non poſſe hominem diſſentire illi prædeterminationi in ſenſu compoſito, benè autem in ſenſu diviſo; ſecundùm quod ſæpiſſimè explicatum & declaratum eſt. Dicunt etiam non poſſe cum illâ phyſicâ prædeterminatione conjungi diſſenſum, benè autem poſſe diſſentire. Et ſimiliter veriſſimè dicunt, Deum ex parte ſuæ efficaciæ immutabiliter movere liberum arbitrium, licèt arbitrium ex ſe contingenter moveatur.

Deindè probabat P. R., quòd aſſerere, quòd non poteſt homo reſiſtere auxilio Dei, tollat libertatem, ex Concilio Senonenſi, decreto de libero arbitrio, dicente: *Nec tale eſt Dei trahentis auxilium cui reſiſti non poſſit.*

Ad quod Reſpondeo: a quòd cùm in unâ Congregatione actum fuerit de hoc Concilio, ex ſuperfluo iterùm modò P. R. ad idem proponendum revertitur. Undè Dico breviter, Concilium in illis verbis loqui de auxilio, non efficaci, ſed ſufficienti. In fine autem illius Canonis, loquitur de efficaci; ut in prædictâ Congregatione probavi. Cui auxilio ſufficienti homo poteſt reſiſtere, & de facto reſiſtit; ut ibì Concilium illud dicit. Itèm ſi loquitur de auxilio efficaci in illis verbis, debet de neceſſitate intelligi & explicari, quòd poteſt reſiſtere abſolutè, ut propoſitio ſonat, ſivè diviſè, non autem in ſenſu compoſito; ut dixi. Prætereà Dico, Concilium per verbum *reſiſtere* intelligere idem quòd *diſſentire*, & ſumere verbum *reſiſtere* in latâ quâdam ſignificatione. Nàm ſi verbum *reſiſtere* ſumatur in ſuo rigore, & de propriâ reſiſtentiâ ſit ſermo, nulla creatura poteſt reſiſtere efficaci Dei voluntati, moventi efficaciter per auxilium efficax: quià Scriptura expreſsè dicit: b *Nec eſt qui tuæ poſſit reſiſtere voluntati.* Non autem invenitur in Scripturâ Sacrâ: Non eſt qui tuæ voluntati diſſentire poſſit. Undè Concilium Tridentinum declarat, quomodò illud Concilium Senonenſe, quod confirmatum non eſt, debeat intelligi. Non enìm Concilium Tridentinum dicit, liberum arbitrium poſſe reſiſtere Dei motioni; ſed aït, quòd poteſt diſſentire. Aliud enìm eſt, poſſe reſiſtere; & aliud, poſſe diſſentire. Poſſe enìm diſſentire, non eſt poſſe reſiſtere: quià Deus vult, quòd homo conſentiat, & quòd poſſit diſſentire. Undè homo potens diſſentire, non reſiſtit divinæ voluntati; ſed potiùs facit quod divina voluntas vult. Cæterùm non poteſt homo propriè reſiſtere divinæ voluntati. Quid enìm ſentiunt PP. Societatis de Deo, cùm dicunt hominem poſſe propriè reſiſtere divinæ voluntati efficaci? Neceſſe eſt enìm, quòd ſi homo propriè poſſit reſiſtere Deo, efficaciter

a *Vide finem Præfationis ad hujus loci explanationem, ſicut & ad intelligentiam eorum quæ leguntur ſub finem Congregat. 39. præced. col. 1057. & ſeqq. circà verbum reſiſtere.*

b *Eſth. 13. 9.*

caciter aliquid volenti, quòd habeat homo æqualem potentiam cum Deo. Quià qui potentiam habet ad reſiſtendum alteri, neceſſe eſt, quòd ſaltem æquales vires cum eo habeat. Igitur propriè loquendo de reſiſtentiâ, non poteſt homo Dei voluntati efficaci reſiſtere, licèt poſſit ſemper diſſentire. Et hoc quantùm ad teſtimonium adductum ex Concilio.

Induxit poſteà locum S. Thomæ *ex quodlib. 1. art. 7. ad 2.* in quo dicit S. Thomas: quòd homo habet libertatem; quià poteſt reſiſtere motioni Dei. Ad quod jàm alibi fuit reſponſum: quòd S. Thomas ibì, vel loquitur de auxilio ſufficienti ſolùm, vel ſi loquatur de auxilio efficaci, ſumit verbum *reſiſtere* pro eo quòd *diſſentire*. In quo ſenſu veriſſimum eſt, hominem divinæ motioni poſſe diſſentire, licèt ſemper de facto conſentiat; ut ſæpius dictum fuit.

Induxit prætereà alium S. Thomæ locum *ex 1. p. q. 82. art. 2. ad 2.* In quo docet: quòd cùm movens ſuperat omnem virtutem ipſius mobilis, tunc illud ex neceſſitate movet. Ad quod Reſpondeo: ibì S. Thomam loqui tantùm de objecto movente quòad ſpecificationem; & docet, quòd cùm objectum ſuperat omnem virtutem potentiæ, & illam totaliter ſibi ſubdit; tunc illam ex neceſſitate movet: ſicùt Deus clarè viſus in Patriâ, propter hanc rationem, quià ſuperat omnem virtutem voluntatis Beatorum, & illam perfectè ſibi ſubdit, movet illorum voluntatem ex neceſſitate, & ſine libertate. De hoc tantùm in terminis loquitur ibì S. Thomas; non autem loquitur de auxilio Dei verè efficienter movente in virtute divinæ voluntatis. Undè ille locus non eſt ad propoſitum. Prætereà reſpondetur: quòd tota activitas voluntatis ſubditur Deo moventi, & excedenti illam, ſecundùm tamen quòd Deus vult, quòd ſibi totâ ſuâ plenâ libertate ſubdatur.

Similiter inducebat alium locum S. Thomæ *ex eâd. 1. p. q. 83. art. 1. ad 5.* ubì docet, quòd affectiones & qualitates exiſtentes in voluntate, ſubduntur imperio voluntatis; & ſic ſalvatur hominum libertas. Ex quo deducebat: quòd ut ſalvetur libertas hominis, debet illa prædeterminatio ſubdi imperio voluntatis. Ad quod Reſpondeo, S. Thomam in terminis loqui de affectionibus & qualitatibus naturalibus, quas ex naturâ habemus, & ſecundùm quas, quales dicimur. De quibus eſt indubitatum, quòd ſubdantur imperio voluntatis. At verò non loquitur de divinâ motione, quæ efficaciam habet ex Deo ipſo. Undè ille locus non inducitur ad propoſitum. Quià cùm S. Thomas in particulari loquitur de divinâ motione, quæ efficax eſt ex Deo ipſo; ut *q. 6. de malo, art. unico ad 3.* & *1. p. q. 19. art. 8.*; ſemper docet, quòd Deus immutabiliter voluntatem movet, propter efficaciam moventis; ſemper docet, quòd efficacia divinæ voluntatis eſt prima radix, primáque cauſa omnis actualis noſtræ libertatis, & contingentiæ. Quomodò ergò cùm efficacia divinæ voluntatis & divinæ motionis ſit prima radix & cauſa noſtræ actualis libertatis, poteſt lædere libertatem? An prima radix primáque cauſa alicujus effectûs tollere poteſt talem effectum? Immò docet S. Thomas *eâdem 1. p. quæſt. 19. art. 8. ad 2.*: quòd ex eo, quòd voluntati divinæ nullus reſiſtit, & ipſa divina voluntas vult, quòd homo operetur, & liberè operetur, utrumque ſuâ motione cauſat, & ſubſtantiam ſcilicèt actûs, & omnem modum liberum illius. Ideò voluntas creata, ut non reſiſtat divinæ voluntati, debet operari, & liberè operari: ità quòd ſi ſine libertate operaretur, potiùs per hoc reſiſteret divinæ voluntati.

Ad illum autem locum ex *Lib. 2. in L. ſent.* ſæpiùs inductum, ſæpiùs dictum eſt; nec in hoc immorandum.

Deindè R. P. conſtituebat hanc rationem, quæ eſt ſuæ ſententiæ fundamentum: Prædeterminatio phyſica tollit indeterminationem voluntatis, & ſic

& ſic tollit ejus libertatem, quæ in illâ indeterminatione conſiſtit. Nàm prædeterminatum & indeterminatum opponuntur. Ad quod ſæpè reſpondi ex S. Thomâ *Lib. 1. contrà Gentes cap. 82.* ità dicente: *Horum autem nullum neceſſe eſt ſequi. Ad utrumlibet enim eſſe alicui virtuti poteſt dupliciter convenire; uno modo ex parte ſui; alio modo ex parte ejus ad quod dicitur. Ex parte quidem ſui, quandò nondùm conſecuta eſt ſuam perfectionem, per quam ad unum determinetur. Undè hoc in imperfectionem virtutis redundat, & oſtenditur eſſe potentialitas in ipsâ; ſicùt patet in intellectu dubitantis, qui nondùm aſſecutus eſt principia, ex quibus ad alterum determinetur. Ex parte autem ejus ad quod dicitur, invenitur aliqua virtus ad utrumlibèt eſſe, quandò perfecta operatio virtutis à neutro dependet, ſed tamen utrumque eſſe poteſt: ſicut aliquis, qui diverſis inſtrumentis uti poteſt æqualiter ad idem opus perficiendum. Hoc autem ad imperfectionem virtutis non pertinet, ſed magìs ad ejus eminentiam in quantùm utrumlibèt oppoſitorum excedit, & ob hoc determinatur ad neutrum, ſed ad utrumlibet ſe habet. Sic autem eſt in divinâ voluntate reſpectu aliorum à ſe. Nàm finis ejus à nullo aliorum dependet, cùm tamen ipſa fini ſuo perfectiſſimè ſit unita. Non igitur oportet potentialitatem in divinâ voluntate ponere.* Ubì S. Thomas reſpondens argumento: quòd Deus non habeat potentiam liberam ad utrumlibet, diſtinguit duplicem indeterminationem in potentiâ, quæ eſt ad utrumlibet libera. Alia eſt indeterminatio potentiæ reſpectu hujus vel illius objecti, ità quòd utrumque excedit, & ad nullum ex ſe determinatur. Et iſta indifferentia ſeu indeterminatio eſt de eſſentiâ libertatis. Et iſta invenitur in voluntate divinâ, in quâ eſt perfecta libertas. Alia verò eſt indeterminatio ex parte ſui; quià videlicèt nullum actum habet potentia, ſed omni actu æqualiter privatur, & indeterminationem habet reſpectu omnis actûs. Et iſta indeterminatio, ut inquit S. Thomas, eſt imperfectio. Et iſta, ut potentia operetur, debet tolli. Et debet potentia libera, ut operetur, reduci de iſtâ potentialitate in actum. Et debet determinari talis potentialitas. Hæc igitur indeterminatio, & potentialitas, ſeu imperfectio aufertur per divinam prædeterminationem, quâ Deus reducit voluntatem creatam de illâ potentialitate in actum primum; ut ipſa liberè ſe determinet in actu ſecundo.

Quòd autem auferatur iſta privativa indeterminatio, ſeu potentialitas per Dei efficacem prædeterminationem, ità eſt neceſſum, ut omnis Phyſica demonſtrat, quòd ſi non aufertur, nunquàm voluntas operabitur. Quià principium Philoſophicum eſt, quòd actus non procedit ab agente ſecundùm quòd in potentiâ, ſed ſecundùm quòd in actu. Similiter aliud evidens principium Philoſophicum eſt: quòd actus determinatus non procedit à potentiâ ſecundùm quòd indeterminata, ſed ſecundùm quòd determinata in actu primo ad illum. Ità aliud principium Phyſicum eſt: quòd in potentiâ indifferente & indeterminatâ non poteſt certò cognoſci actus determinatus. Si ergò impoſſibile eſt, quòd actus determinatus procedat à potentiâ indeterminatâ in actu primo; ergò neceſſe eſt, ut producatur actus determinatus, quòd potentia ſit determinata in actu primo; & priùs naturâ ſit reducta in actum primum; & priùs ſit reducta de illâ potentialitate in actum. Hæc ergò reductio in actum primum, neceſſaria omninò ad actum ſecundum, eſt illa Dei motio phyſicè prædeterminans, & auferens illam potentialitatem, & indeterminationem privativam, ſeu imperfectionem voluntatis. Iſta ſunt manifeſtiſſima principia in Philoſophiâ. Et mirandum eſt valdè, quòd ad iſta tàm clara non attendat P. Vaſtida.

Procedunt enìm RR. Patres ſub æquivocatione, & ſub confuſione; nec diſtinguunt duplicem iſtam indeterminationem, quæ reperitur in voluntate

luntate creatâ: alteram eſſentialem, quæ eſt libertas; & illa ſemper manet cum Dei efficaci prædeterminatione, & ab illâ cauſatur & perficitur: alteram verò potentialem & imperfectâ, quæ debet auferri per efficacem Dei prædeterminationem; ut ſic actus determinatus voluntatis poſſit procedere à voluntate & potentiâ determinatâ; ut omnia principia Philoſophiæ clamant.

Et per hoc reſpondetur ad illud aliud quod dicebat: quòd, videlicèt, illa prædeterminatio ex naturâ ſuâ habet, ſic determinare voluntatem. Undè ſivè ab Angelo ſivè à Deo imprimatur voluntati, illam ad unum determinabit. Reſpondetur enìm implicationem eſſe dicere, quòd illa prædeterminatio poſſit fieri ab Angelo, vel à creaturâ aliquâ; quià nulla creatura poteſt movere hominis voluntatem efficaciter, nec intùs agere immediatè in voluntatem hominis; ſed hoc eſt proprium ſolius Dei, qui ob ſui infinitam potentiam, & ex dominio quod habet in voluntates hominum, poteſt illas quocunquè voluerit movere, ſalvâ humanâ libertate. Admittendo autem per impoſſibile, quòd Angelus intùs moveret voluntatem, illa motio ſubderetur ipſi humanæ voluntati, nec poſſet illam efficaciter movere.

Undè ad illud quod dicit P., quòd ex naturâ hujus formæ, quæ eſt prædeterminatio, à quocunque fiat, habetur illa vis prædeterminandi; Reſpondetur: quòd iſta prædeterminatio non eſt forma vel qualitas, ſicut calor ad calefaciendum, vel ſicut albedo ad dealbandum; ſed eſt motio quædam actualis divina, quâ voluntas Dei efficax utitur ut inſtrumento, ad efficaciter movendum humanam voluntatem. Nec habet aliam virtutem ad movendum, niſi quam participat ex efficaciâ actuali divinæ voluntatis. Undè non ſe habet ſicut calor aut albedo; ut PP. putant. Et iſta divina motio non ſolùm non lædit libertatem; ſed illâ poſitâ, neceſſe eſt quòd voluntas liberè feratur in actum, quem infallibiliter producit: quià ſupponit deliberationem rationis, & indifferentiam judicij practici, reſpectu talis objecti. Undè neceſſe eſt, quòd liberè voluntas in illud feratur; quià radix libertatis eſt ipſa ratio & indifferentia judicij practici. Quamvìs enìm libertas formaliter in voluntate conſiſtat, tamen radix libertatis eſt indifferentia judicij & rationis: à quo indifferenti judicio eſſentialiter pendet actualis libertas voluntatis. Undè cùm Deus prædeterminet voluntatem, præſupponentem judicium indifferens ex parte intellectûs, fieri non poteſt, quòd voluntas moveatur ſine libertate; quià aliàs cogeretur, & ferretur in actum contrà ſuam inclinationem. Inclinatio enìm voluntatis eſt moveri in objectum, ſicùt ſibi per intellectum proponitur; cùm ergò proponitur objectum amandum ſub libertate & indifferentiâ, Deus illam movet ad liberè illud amandum; nec ipſa poteſt ex neceſſitate moveri, ſemèl propoſito illo indifferenti judicio rationis.

Et per hoc patet ad illud quod dixit, ut explicetur, in quo hæc ſententia de phyſicâ prædeterminatione diſconvenit à Calvino, qui negabat flexibilitatem voluntatis. Reſpondeo enìm: quòd in hoc ipſo ab illo diſtinguitur, quòd ipſe negavit, poſitâ efficaci Dei motione, manere flexibilitatem & potentiam liberam, quâ poſſit diſſentire, ſi velit. At verò phyſicâ prædeterminatione poſitâ, ſalvatur flexibilitas & potentia libera, quâ ſemper arbitrium ſic determinatum poteſt diſſentire, ſi velit. Undè quod dicitur, Calvinum admiſiſſe, quòd voluntas agat mota à Deo, ipſe admiſit, quòd agit ſpontaneè, ac ſine libertate, mota à Deo. Judicavit enìm, quòd per divinam motionem tollebatur libertas, ſicut PP. RR. modò dicunt, approbantes peſſimam illationem Calvini, in quâ ipſe erravit, dùm ex efficaci Dei motione intulit tolli libertatem; vel dùm dixit, illam efficacem motionem auferre libertatem.

Circà IIm. Caput, quo dicebat negari,

Digitized by Google

gari, vel auferri auxilium ſufficiens in illis, in quibus non reperitur efficax; dicebat P. R., fateri Defenſores phyſicæ prædeterminationis, quòd ſine illo homo nunquàm convertitur. Ità eſt: quòd ſine illâ efficaci determinatione homo non convertatur. Dicebat prætereà, multos Thomiſtas aſſerere, quòd ſine illâ nec homo poteſt converti: qui deſtituuntur ab his, qui modò dicunt, quòd ſine illo auxilio prædeterminante non convertitur homo, ſed poteſt converti.

Reſpondeo: Jàm me dixiſſe veram intelligentiam hujus in præcedenti Congregatione ex expreſſo loco S. Thomæ *q. 1. de potentiâ art. 5. ad 2.* Ubì apertè docet S. Thomas, quòd in ſimilibus propoſitionibus illud verbum *ſine*, ſeu exceptio illa, vel poteſt referri ad potentiam importatam per verbum *poteſt*, vel poteſt referri ad actum importatum per verbum *converti.* Si referatur ad potentiam, propoſitio eſt falſa, & facit ſenſum: quòd ſine auxilio efficaci homo non habet potentiam ad ſe convertendum. Quod eſt falſum. Si autem referatur ad actum, eſt veriſſima propoſitio, & facit ſenſum: quòd fieri non poteſt ut ſine auxilio efficaci homo convertatur. Et hic ſenſus eſt veriſſimus. In quo ſenſu loquuntur cum S. Thomâ omnes ejus Diſcipuli. Sicut iſta propoſitio: Sacerdos non poteſt conſecrare ſine pane & vino; ſi verbum *ſine* referatur ad potentiam, falſa eſt, quià facit ſenſum: quòd Sacerdos ſine pane & vino non habet potentiam ad conſecrandum. Quod eſt falſum; quià per caracterem potentiam ad id habet. Si autem verbum *ſine* referatur ad *conſecrare*, propoſitio veriſſima eſt; tunc enìm facit ſenſum, fieri non poſſe, ut Sacerdos conſecret ſine pane & vino Quod eſt verum. Similiter: homo ſine lumine non poteſt videre; in ſenſu quo verbum *ſine* cadat ſuprà potentiam, falſa eſt propoſitio; quià etiam ſine lumine in tenebris habet homo potentiam viſivam ad videndum. Si autem cadat verbum *ſine* ſuprà actum, vera eſt propoſitio; quià fit ſenſus: quòd fieri non poteſt ut homo videat ſine lumine. Oportet ergò ad iſtam diſtinctionem S. Thomæ advertere, & ceſſabunt omnes æquivocationes, quæ confuſè proponuntur in iſtis materiis.

Quod autem poſteà objiciebat: quòd dato, quòd ſine efficaci auxilio homo non convertatur, ſequitur quòd tale auxilium conſtituatur pediſſequum: quod eſt incidere in Pelagianiſmum; quià, ut dicitur, tale auxilium dat operari; ergò conſiſtit in operari, & in actu ſecundo; & ſic dabitur quià homo priùs operatur. Reſpondeo: quòd auxilium efficax dat operari in actu primo; quià efficaciter per illud movet Deus voluntatem, ut producat actum. Undè nullo modo dependet in ſuâ efficaciâ à creatâ voluntate: nec creata voluntas poteſt illud aliquo modo efficax facere: nec per actum aliquem productum à voluntate ex ſufficienti datur efficax. Sed ipſe R. P. contrà ſe protulit ſententiam: quòd, videlicèt, illa quam defendit ſit Pelagiana. Si enìm, ut jàm modò fatetur, ſententia eſt Pelagij: quòd efficax auxilium ſit pediſſequum; cùm PP. RR. evidenter illud pediſſequum conſtituant, & datum quià volumus, ut expreſsè fatetur: ergò ipſi ſententiam tenent Pelagianam. Similiter, ſi ſententia Pelagij eſt: quòd arbitrium per ſuum actum, ſufficiens auxilium reddat efficax; ergò cùm PP. RR. hoc millies dicant, tenent ſententiam Pelagij.

Quod autem poſteà dixit: quòd illud auxilium efficax ſaltèm eſt complementum potentiæ, ſine quâ potentia non operabitur; & ſic qui illo caret, caret potentiâ ſufficienter completâ. Ad hoc Reſpondeo: quòd voluntas per auxilium ſufficiens eſt completa in ratione potentiæ proximæ; non autem eſt completa in ratione potentiæ actualiter operantis. Vel ut aliis verbis dici ſolet; eſt completa voluntas per auxilium ſufficiens in ratione potentiæ ſeparatæ ab actu;

non

non autem eſt completa in ratione potentiæ conjunctæ cum actu. Sicut intellectus humanus informatus ſpecie intelligibili hominis, potentia ſufficiens & completa eſt in ratione potentiæ proximæ ad producendum intellectionem hominis; & tamen abſque applicatione voluntatis, applicantis intellectum ad intelligendum, nunquàm intellectus intelliget, nec erit potentia completa in ratione potentiæ conjunctæ cum actu.

Ad illud autem aliud, in quo inſtitit: quòd, videlicèt, ſine auxilio efficaci homo nunquàm operabitur; ità quòd illud eſt neceſſarium ad operandum; nec habet homo in poteſtate ſuâ auxilium illud efficax: ergò non habet principium ſufficiens ad operandum. Ad hoc Reſpondeo: non eſſe de ratione humanæ libertatis, quòd habeat in ſuâ poteſtate auxilium efficax, vel Dei motionem: quià cauſa ſecunda præſupponit motionem primæ cauſæ, nec illam poteſt acquirere. Sed hoc eſt de ratione creatæ libertatis, quòd poſtquàm eſt à Deo mota, ipſa ſe moveat: ut docet expreſsè S. Thomas *1. p. quæſt. 83. art. 1.* ubì hoc conſtituit argumentum, quo PP. RR., convincuntur, in 3°. loco: *Liberum eſt, quod ſui cauſa eſt: ut dicitur in 1. Metaphyſ. Quod ergò movetur ab alio, non eſt liberum. Sed Deus movet voluntatem. Dicitur enìm Proverb. 21. Cor Regis in manu Domini eſt, & quocunque voluerit, vertet illud. Et Philipp. 2. Deus eſt qui operatur in vobis velle & perficere. Ergò homo non eſt liberi arbitrij.* Et ità Reſpondet: *Ad tertium dicendum, quòd liberum arbitrium eſt cauſa ſui motûs; quià homo per liberum arbitrium ſeipſum movet ad agendum. Non tamen hoc eſt de neceſſitate libertatis, quòd ſit prima cauſa ſui id quod liberum eſt; ſicut nec ad hoc quòd aliquis ſit cauſa alterius, requiritur, quòd ſit prima cauſa ejus. Deus igitur eſt prima cauſa movens & naturales cauſas & voluntarias: & ſicut naturalibus cauſis, movendo eas, non aufert quìn actus earum ſint naturales; ità movendo cauſas voluntarias, non aufert quìn actiones earum ſint voluntariæ, ſed potiùs hoc in eis facit: operatur enìm in unoquoque ſecundùm ejus proprietatem.* Et *Lib. 3. contrà Gentes cap. 159.*, qui erit locus primò legendus, expreſsè dicit: quòd homo non poteſt acquirere, nec in ſuâ habet poteſtate divinum auxilium. Igitur hoc non pertinet ad libertatem humanam. Immò contrà ejus rationem eſt, quòd habeat in poteſtate ſuâ divinum auxilium efficax.

Undè nunc ad argumentum: Illud auxilium efficax eſt neceſſarium, ut homo convertatur, nec illud habet homo in poteſtate ſuâ: ergò non habet auxilium ſufficiens ad ſalutem. Reſpondeo: nullam eſſe conſequentiam. Optimè ſalvatur, quòd homo habeat auxilium ſufficiens, etiamſi alio indigeat, quod eſt neceſſarium, ut de facto operetur. Hoc enìm in terminis docet S. Thomas *1. 2. q. 109. art. 9.* Inquirit enìm in articulo: utrùm ille qui jàm conſecutus eſt gratiam, per ſeipſum poſſit operari bonum, & vitare peccatum abſque auxilio gratiæ? Et Reſpondet concluſione negativâ: quòd, videlicèt, non poteſt homo conſtitutus in gratiâ operari bonum ſine auxilio gratiæ. Contrà quam veritatem ità opponit in primo argumento. *Unumquodque aut fruſtrà eſt, aut imperfectum, ſi non implet illud ad quod datur: ſed gratia ad hoc datur nobis, ut poſſimus bonum facere, & vitare peccatum: ſi igitur per gratiam hoc homo non poteſt, videtur quòd vel gratia ſit fruſtrà data, vel ſit imperfecta.* Hoc eſt argumentum, quo PP. RR. convincuntur ad probandum, non eſſe auxilium ſufficiens, ſed imperfectum, ſi indiget alio, ut de facto operetur. Et reſpondet S. Thomas: *Ad primum dicendum, quòd donum habituale gratiæ non ad hoc datur nobis, ut per ipſum non indigeamus ulteriùs divino auxilio: indiget enìm qualibet creatura, ut à Deo conſervetur in bono, quod ab eo accepit. Et ideò, quòd poſt acceptam gratiam homo adhuc indiget divino auxilio, non poteſt concludi, quòd gratia ſit in vacuum*

data, vel quòd ſit imperfecta. Hæc S. Thomas. Si ergò, ex eo quòd habitus charitatis, qui ſecundùm veritatem Catholicam dat hominibus poſſe benè operari, & qui eſt principium ſufficiens ad benè operandum, licèt alio indigeat auxilio, ut benè operetur, non liceat inferre quòd non ſit ſufficiens, vel ſit imperfectus; non licebit etiam inferre, ex eo quòd auxilium ſufficiens indigeat efficaci ad operandum, quòd ipſum non ſit ſufficiens.

Nulla ergò eſt conſequentia iſta, circà quam iterùm S. Thomas *quæſt. 3. de potentiâ artic. 7.* ſic loquitur. Cùm enim in corpore articuli docuit expreſsè, quòd voluntas creata dependet à Deo quadrupliciter, 1°. quià Deus dat creaturæ virtutem operativam, 2°. quià illam conſervat, 3°. quià voluntatem applicat ad operandum, 4°. quià operatur in virtute divinâ; & poſtquàm in ſolutione ad ſecundum & ſeptimum docet hanc motionem, à quâ dependet creatura, in eâ eſſe præviam & antecedentem humanam libertatem, ſtatìm opponit in primo loco tale argumentum: *Natura nec deficit in neceſſariis, neque abundat in ſuperfluis; ſed ad actionem naturalem ſufficit virtus activa ex parte agentis, & paſſiva ex parte recipientis: ergò non requiritur virtus divina in rebus operans.* Hoc eſt argumentum quod opponunt RR. PP.: quòd illud quod alio indiget ad operandum, non ſit ipſo facto ſufficiens. Sed ad illud reſpondet S. Thomas, ſub his verbis: *Ad primum ergò dicendum, quòd virtus activa & paſſiva rei naturalis ſufficiunt ad agendum in ordine ſuo, requiritur tamen virtus divina, ratione jàm dictâ.* Ità dico, quòd auxilium ſufficiens, ſufficiens quidem eſt ad operandum in ordine ſuo; quià ſufficientem conſtituit potentiam ad operandum: requiritur tamen efficax, quo de facto voluntas operetur & convertatur.

Itaque eſt auxilium verè ſufficiens, licèt non ſit ſufficiens ad operandum omnibus modis, ità quòd nullo alio indigeat, ut de facto operetur. Et quidem hoc ipſum demonſtrat commune illud principium Philoſophorum, quo dicitur: quòd cauſa ſufficiens completa, & non impedita, ſemper operatur. At verò ſi ſit cauſa ſufficiens & completa, ſi tamen impeditur, non operabitur. Nec valet conſequentia: hæc cauſa non operatur; ergò non eſt ſufficiens & completa. Nihil prorsùs valet conſequentia. Quià poteſt eſſe verè in ſe ſufficiens & completa, & quòd tamen non operetur; non ex defectu ſui, ſed quià aliàs impeditur. Sic ergò auxilium ſufficiens, eſt verè ſufficiens, & potentiam proximam conſtituit ad operandum; ſed tamen de facto non operatur, quià impeditur à pravâ voluntate, quæ illi reſiſtit, & quæ ſi non reſiſteret, ipſum auxilium ſufficiens quod incepit, fieret in homine efficax, non ex homine, ſed ex Deo ipſo. Et propterea peccatum homini imputatur; quià per ipſum ſtat, quòd non convertatur, & quòd non habeat auxilium efficax. Privatur enìm efficaci, quià reſiſtit ſufficienti. Itaque malum, quale eſt reſiſtere ſufficienti auxilio, ex homine provenit. At verò quòd non reſiſtat, ſed conſentiat, ex auxilio efficaci provenit, quo Deus vincit reſiſtentiam. Et ità S. Thomas *Lib. 3. contrà Gentes cap. 159.* expreſsè dicit: quòd illi ſoli gratiâ privantur, qui gratiæ impedimentum ponunt, & propterea illis imputatur, ſi non benè operentur.

In III°. Capite intendebat P. R.: quòd ex phyſicâ prædeterminatione ad opera ſupernaturalia, ſequatur inevitabiliter, quòd Deus prædeterminet phyſicè ad actionem aliam quamlibet naturalem, & ad actionem peccati. Ad quod omnium primò Reſpondeo: non ſequi ex prædeterminatione auxilij gratiæ ad opera ſupernaturalia, quòd detur auxilium phyſicè prædeterminans ad alia opera naturalia, ſeu ad actionem peccati. Itaque ex iſto capite, quòd detur auxilium gratiæ phyſicè prædeterminans, non ſequitur, quòd detur prædeterminatio

phyſica

phyſica ad actionem peccati; ſed poterit aliquis optimè ſalvare neceſſitatem auxilij gratiæ phyſicè prædeterminantis pro operibus ſupernaturalibus; nec ex iſto capite fateri cogetur illud determinans pro operibus merè naturalibus. Et ratio eſt manifeſta. Quià præter iſtam generalem rationem, & ſubordinationem, quam quælibet cauſa ſecunda habet, ut moveatur à primâ, eſt ſpecialis quædam ratio in operibus ſupernaturalibus, ob quam, etiamſi alia generalis deficeret, vel non admitteretur, admittenda tamen eſſet phyſica prædeterminatio in operibus gratiæ. Et iſta ſpecialis ratio eſt; quià ad opera ſupernaturalia, excedentia facultatem naturæ, voluntas ipſa, potiſſimè ſi eſt in peccato, debet tranſmutari in bonum in actu primo, ut faciat, & facere poſſit bonos fructus & actus in actu ſecundo: undè debet prædeterminari in actu primo, ut producat actum ſecundum ſupernaturalem. At verò reſpectu operis naturalis, & actionis peccati, voluntas de ſe ſufficit, & ſufficientes vires habet, etiamſi non tranſmutetur illâ ſpeciali ratione.

Quid autem ſit ſecundùm ſe dicendum: An, videlicèt, Deus moveat ac prædeterminet voluntatem ad actionem, quæ eſt in peccato, quatenùs entitas & bonitas eſt? docet S. Thomas *in 2m. diſt. 37. q. 2. art. 2.* Inquirit enim in iſto articulo: *Utrùm actio peccati, in quantùm actio, ſit à Deo?* Et ità reſpondet: *Alia opinio dicebat, actus peccatorum nullo modo, nec etiam in quantùm actus ſunt, à Deo eſſe: & hæc opinio tangitur in præſenti Diſtinctione, quam ad præſens nulli vel pauci tenent, quià propinquiſſima eſt errori duplici. 1o. Quià ex eâ videtur ſequi, quòd ſint plura prima principia: hoc enim eſt de ratione primi principij, ut agere poſſit ſine auxilio prioris agentis, & influentiâ ejus &c.* & ſtatìm poſt damnatam à ſe hanc ſententiam, concludit in hæc verba: *Et ideò cum primâ opinione dicendum eſt: quòd actus, in quantùm actus, à Deo eſt, & ut ſic non habet aliquid, quod deformitatem habeat.* Et fuit lectus totus contextus articuli, uſque ad finem. Quid clarius? Actio, quæ eſt in peccato, eſt à Deo, in quantùm actio eſt. Contrarium aſſerere, docet ſanctus Thomas eſſe propinquiſſimum errori duplici.

Quòd autem loquatur de actione & motione Dei præviâ, & applicante voluntatem ad agendum actionem quæ eſt in peccato, quatenùs actio & entitas eſt, patet manifeſtè *ex ſolut. ad 2. & 3.* Sic enim formavit ſecundum argumentum: *Quidquid eſt cauſa actionis, in quâ deformitas fundatur, ſecundùm quam actio mala dicitur, eſt movens & cooperans ad malum: nihil enim operatur ad malum, niſi ſecundùm quod talem actionem producit. Sed Deus nullo modo ad malum cooperari debet dici: ergò illius actionis, in quâ malum conſiſtit inſeperabiliter, cauſa dicendus non eſt.* Hoc eſt argumentum, quo RR. PP. convincuntur, & in terminis formatur à S. Thomâ, & ſtrictiùs quàm ipſi hoc proponant. Et reſpondet S. Thomas hæc verba: *Ad ſecundum dicendum, quòd illud dicitur ad malum cooperari, quod inclinat ad actionem, ſecundùm quod actio deformitati ſubſtat, undè mala eſt. Hoc autem Deo non convenit. Et ideò non oportet ut ad malum cooperari dicatur, quamvìs actionis illius cauſa ſit, in quâ malum conſiſtit, ſecundùm quod influit agenti eſſe, poſſe, & agere, & quidquid perfectionis in agente eſt.* Ecce apertè S. Thomas loquitur de influentiâ in cauſam & in voluntatem, movente ipſam ad agendum actionem quæ eſt in peccato, quatenùs actio eſt: & non ſolùm de actione influente in actionem ipſam, ut quidam contrà expreſſam litteram interpretantur.

Et *ſolut. ad 3.* ità dicit: *Ad tertium dicendum, quòd Deus dicitur cauſa bonarum actionum, non ſolùm quantùm ad eſſentiam actûs, ſed etiam quantùm ad perfectionem, ſecundùm quam bonæ dicuntur; utrumque enim agenti influit, & ut agat, & ut benè agat: ſed in malis actionibus,*

tionibus, quamvìs ſit cauſa earum, quantùm ad eſſentiam, non tamen eſt cauſa quantùm ad defectum: & ideò abſolutè dicenda eſt cauſa bonorum operum, non autem peccatorum. Ubì duo dicit. 1°. Quòd Deus influit voluntati ut agat actionem quæ eſt in peccato, quatenùs actio eſt: & ſic apertè loquitur de influentiâ, præmovente, & agente in voluntate ut agat. 2°. Ponit diſcrimen inter opera bona & mala: quòd ad opera bona Deus influit voluntati ut agat, & ut benè agat. At verò reſpectu malorum operum tantùm influit voluntati ut agat, & non ut malè agat. Et ſic reſpondet S. Thomas ad id quod P. R. oppoſuit: quòd, videlicèt, ſequatur, Deum ità concurrere ad malum, ſicut ad bonum.

Et tandem *ſolut. ad 5.* iterùm reſpondet ad argumentum, quo RR. PP. convincuntur, ità dicens: *Ad quintum dicendum, quòd ſicut actio, quæ peccati deformitatem habet, dicitur bona, in quantùm eſt actio, bonitate naturæ, non propter hoc, quòd aliquandò inveniatur ſeparata à deformitate; ſed quià bonitas illa naturæ deformitati ſubſtat: ità etiam Deus dicitur eſſe cauſa illius actionis, in quantùm eſt actio, & non in quantùm eſt deformis: hoc modo, quòd actionem non facit à deformitate ſeparatam; ſed quià in actione deformitati conjunctâ, hoc quod eſt actionis facit, & quod deformitatis non facit. Etſi enìm in aliquo effectu plura inſeparabiliter conjuncta ſint, non oportet, ut quidquid eſt cauſa ejus quantùm ad unum, ſit cauſa ejus quantùm ad alterum: ſicut natura eſt cauſa oculi, quantùm ad ſubſtantiam ejus, & non quantùm ad defectum cæcitatis, quæ ex defectu naturæ incidit.* Lecta fuit tota ſolutio, in quâ dicit manifeſtè, non ſequi, quòd licèt deformitas ſit inſeparabiliter conjuncta cum actione, quòd ſi Deus eſt cauſa illius entitatis & actionis, ut entitas & actio eſt, ſit etiàm cauſa deformitatis. Et tamen Patres Reverendi intelligere non valent, niſi quòd ſi Deus eſt cauſa actionis, quatenùs actio eſt, etiam ſit cauſa deformitatis.

Nè autem dicant PP. Societatis, hoc dicere S. Thomam *in Sententiis*, attendant, quid de hoc dicat in Summâ Theologiæ, in quâ ultimam manum ſuam impoſuit doctrinæ ſuæ. Ità enìm dicit *1. 2. q. 79. art. 2.* in quo inquirit: *Utrùm actus peccati ſit à Deo? Reſpondeo*, inquit, *dicendum: quòd actus peccati & eſt ens, & eſt actus, & ex utroque habet quòd ſit à Deo: Omne enim opus, quocunque modo ſit, oportet quòd derivetur à primo ente &c.* Tota littera articuli lecta fuit. Et ſtatìm dicebat F. Thomas de Lemos: Tres Concluſiones altiſſimas conſtituit S. Thomas. 1ª. Eſt in articulo primo hujus quæſtionis: *Deus non eſt cauſa peccati.* 2ª. In iſto articulo: *Deus eſt cauſa actionis quæ eſt in peccato, quatenùs actio eſt.* 3ª. *Deus non eſt cauſa hujus, quòd actus ſit cum defectu.* Et quod eſt valdè notandum, loquitur apertè de Dei motione & cauſalitate præmovente & prædeterminante voluntatem ad agendum quidquid actionis eſt in peccato. Quià loquitur de actione in quantùm procedit ab agente, ſecundùm quod eſt in actu. Agens autem, ait S. Thomas, reducitur in actum de potentialitate per Deum, qui eſt ſemper in actu. Manifeſtum eſt ergò, S. Thomam loqui de motione Dei prædeterminante, & reducente ſuâ prædeterminatione voluntatem de potentialitate in actum primum reſpectu actionis, quæ eſt in peccato, ſed quatenùs actio & entitas eſt.

Et contrà hanc veritatem facit ſecundum argumentum, ità objiciens: *Homo non dicitur eſſe cauſa peccati, niſi quia homo eſt cauſa actûs peccati: nullus enim intendens ad malum operatur, ut Dionyſius dicit 4. cap. de divinis nominibus. Sed Deus non eſt cauſa peccati, ut dictum eſt. Ergò Deus non eſt cauſa actûs peccati.* Hoc in terminis eſt argumentum RR. PP., quo convincuntur; nec attendunt ad clariſſimam ſolutionem, quæ talis eſt: *Ad ſecundum dicendum, quòd in hominem ſicut in cauſam*

in cauſam reducitur, non ſolùm actus, ſed etiam ipſe defectus; quià ſcilicèt non ſubditur ei, cui debet ſubdi, licèt hoc ipſe non intendat principaliter: & ideò homo eſt cauſa peccati. Sed Deus ità eſt cauſa actûs, quòd nullo modo eſt cauſa defectûs actum concomitantis; & ideò non eſt cauſa peccati.

Poterant etiam triginta loca S. Auguſtini pro hoc induci, ſed ob brevitatem omittuntur. Et exemplis plurimis poterat hoc manifeſtari, & declarari: quomodò Deus movens ad entitatem quæ eſt in peccato, quatenùs entitas eſt, non tamen moveat ad peccatum. Sed unum ſufficiat, quod conſtat ex Evangelio. Lingua enìm unius hominis mota fuit à Deo ad pronuntiandum illa verba: [a] *Expedit vobis, ut unus homo moriatur pro populo.* Et ad illam actionem, ſecundùm unum ſenſum intentum à Spiritu Sancto movebatur à Deo: & ad illam eamdem actionem & loquelam, ſecundùm pravum ſenſum loquentis, quod fuit in illo maximum peccatum, à Deo non movebatur. Cùm ergò utrumque ſit certiſſimum; quid mirandum, ſi ad eamdem actionem, quatenùs actio & entitas eſt, Deus moveat, & ad eamdem, quatenùs deformis & mala eſt, non moveat, ſed tantùm id permittat? Similiter docet S. Auguſtinus: quòd milites crucifigentes & flagellantes non elevarent manus, niſi Deus illas elevaret ad actionem illam quatenùs actio erat ordinata in Redemptionem generis humani: licèt quatenùs procedebat ex malâ illorum voluntate & peccatum maximum erat, Deus non movebat.

[a] *Joan.* 11. 14.

Undè ad argumenta & inconvenientia omnia per hoc patet Reſponſio. 1m. Inconveniens erat: quòd Deus eſſet cauſa peccati. Ad quod jàm patet, quòd nullo modo Deus eſt cauſa peccati, ſed ſolius actionis quæ eſt in peccato, quatenùs actio eſt; quià ut ſic bona eſt, & à Deo debet cauſari. Et ad illud, quòd Deus non intendit malum, Reſpondetur: non ſolùm Deum non intendere malum; quià nec etiam homo ad malum intendens operatur; ſed nullo modo Deus vult malum vel peccatum, nec primò, nec ſecundò, nec ad illud aliquo modo concurrit. Homo autem, licèt primò & principaliter malum non intendat, dùm peccat; tamen ſecundò vult malum, & vult peccatum, volendo producere actionem cum malitiâ & deformitate; ut ex litterâ S. Thomæ modò lectâ conſtat apertè.

Similiter patet ad 2m. inconveniens, quo infert: quòd Deus ità concurrat ad malum, ſicùt ad bonum. Negatur enìm hoc aliquo modo ſequi. Quià, ut S. Thomas aït ſolutione ad tertium modò lectâ, ad bonum influit Deus agenti, & agere, & benè agere: ad mala autem opera influit agenti agere quidquid actionis & entitatis eſt; non autem influit malè agere.

Similiter 3m. inconveniens nullo modo ſequitur: quòd, videlicèt, non ſit in poteſtate hominis vias ſuas malas facere. Hoc enìm non habet majorem difficultatem ſuper illam de efficaci gratiâ. Sicùt enìm homo adjutus efficaciter à Deo liberè facit vias ſuas bonas; ità alius liberè facit vias ſuas malas ex ſeipſo, & non ſecundùm quòd movetur à Deo; quià ad malum & peccatum ſolùm à ſe movetur; & ipſe eſt in hoc genere prima cauſa peccati.

Ad 4m. dicendum: nullo modo ſequi, quòd Deus ſit tentator ad malum; quià [b] *intentator malorum eſt.* Et ad confirmationem, Reſpondeo: quòd qui invitaret & excitaret ad peccatum, cauſa moralis eſſet illius peccati: quià verò Deus non ſuadet nec excitat ad peccatum, certum eſt, quòd ex hâc parte non movet ad malum. Rursùs phyſicè movendo ad entitatem & actionem quæ eſt in peccato, ut explicatum eſt modò, nullo modo movet ad peccatum; quià non movet ad actionem illam, ut habet deformitatem, ſed ad actionem, ut entitas & actio eſt. Et præterea valdè diverſâ ratione prædeterminat Deus ad

[b] *Jacob.* 1. 13.

 opera

Digitized by Google

opera ſupernaturalia, & ad actionem quæ in peccato eſt, quatenùs entitas & actio eſt. Nàm ad bona ſupernaturalia prædeterminat Deus & ſuadendo, & excitando, & ità phyſicè prædeterminando, quòd dat vires efficaces voluntati, ad operandum illa opera ſupernaturalia, ad quæ voluntas vires ex ſe non habet. At verò ad entitatem quæ eſt in peccato prædeterminat Deus, non dando vires; quià ipſa voluntas vires ad id habet: ſed tantùm applicando, ut agat actionem quatenùs actio eſt; & ipſa voluntas vult etiam illam actionem, quatenùs mala & deformis eſt.

Ad illud autem quod ultimo loco objiciebat: quòd iſta ſententia conveniat cum Calvino; Reſpondeo: totaliter eſſe Calvino contrariam; & ſententiam, quam P. R. defendit, fundare pravam ſententiam Calvini, & cum illâ convenire, in eo potiſſimè in quo ipſe erravit. Diſtinguendum eſt enìm id in quo Calvinus non erravit, ab his in quibus erravit, & de quibus damnatus fuit. Non erravit, quià admiſit auxilium efficax ex Deo independenter ab homine; quià iſta eſt ſententia S. Auguſtini, quam defendit Eccleſia: & qui hoc dicunt, non cum Calvino, ſed cum Eccleſiâ conveniunt; ſicùt nec convenit cum Calvino, qui dicit: *Paternoſter &c.* quià Calvinus dicebat: *Pater noſter &c.* Nec cum Calvino convenit qui dicit: *Credo in Deum &c.*, licèt Calvinus dixerit: *Credo in Deum &c.* Ille autem cum Calvino convenit, qui errorem ejus fundat; & qui dicit, quòd ex efficaciâ gratiæ tollitur libertas arbitrij, in quo Calvinus erravit. Calvinus ſimiliter non erravit dicendo: quòd Deus moveat hominem ad entitatem quæ eſt in peccato, quatenùs entitas & actio eſt: ſed quià malè intulit, ſimùl Deum movere ad culpam & ad peccatum. Sententia enìm Calvini fuit: quòd Deus movebat ad peccatum, ſed non peccabat; quià non erat ſubditus legi. Sicùt enìm per oppoſitum Pelagiani facientes hanc conſequentiam: Deus non movet ad peccatum; ergò non movet ad actionem quæ eſt in peccato, quatenùs actio eſt; non errant in antecedenti, quià antecedens eſt de fide: de fide enìm eſt, quòd Deus non movet ad peccatum. Sed errant in illatione & in conſequenti, dùm inferunt Deum non movere ad actionem, quatenùs actio eſt. Ità Calvinus fecit conſequentiam ex oppoſito conſequentis, hoc modò: Deus movet ad actionem quæ eſt in peccato, quatenùs actio eſt; ergò movet ad peccatum propter inſeparabilitatem utriuſque. Utrumque autem iſtum errorem & Calvini & Pelagij damnat Catholica veritas diſtinguens inter bonum & malum, & docens, quòd Deus movet ad actionem quæ eſt in peccato, quatenùs actio & entitas eſt; quià ut ſic bona eſt bonitate naturali: & non movet ad illam, quatenùs deformis & mala eſt; ſed ut ſic illam tantùm permittit. Undè per hanc ſententiam de efficaci auxilio gratiæ, & quòd Deus movet ad actionem quæ eſt in peccato, quatenùs actio eſt, & non quatenùs mala eſt, iterùm efficaciſſimè damnatur Calvinus, ſicùt & Pelagius ipſe. Igitur ut concludam: Iſta tria argumenta nihil obſtant, aut obſtare poſſunt auxilio prævenientis gratiæ phyſicè prædeterminantis. Quam efficacem gratiam ſemper defendit & tenuit Eccleſia.

Et tandem concludebat F. Thomas: Dico ultimò, quòd ſi alicui argumento minùs benè reſponſum fuit, ab aliis meliùs reſpondebitur: nec ideò verum eſt quod PP. Societatis proponunt; etiamſi illis rectè non fuerit reſponſum. Nec enìm erubeſco dicere, quod S. Auguſtinus dixit priùs, *Lib. 3. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 4.* [a] *Ego autem etſi refellere iſtorum argumenta non valeam, video tamen inhærendum eſſe iis, quæ in Scripturis ſunt apertiſſima, ut & his revelentur obſcura; aut ſi mens nondùm eſt idonea, quæ poſſit ea vel demonſtrata cernere, vel abſtruſa inveſtigare, ſine ullâ hæſitatione credantur.*

[a] Tom. 10. num. 7. fol. 74.

Digitized by Google

credantur. Quod S. Doctor ex maximâ humilitate dixit; perfectè enim omnia illorum ſolverat argumenta. Sed nè quis putaret, quòd ex illius ſolutionibus pendebat Catholica veritas, hoc dicere voluit; docens nè aliquis, propter alicujus argumenti difficultatem, veritatem relinquat.

Statim autem P. Vaſtida repetendo, dicebat ſe mirari, quòd dicatur hominem non poſſe reſiſtere auxilio divino. Putabat enim ipſe, quòd in præcedentibus Congregationibus calore diſputationis fuerat id dictum; & hoc modò tamen iterùm dicebatur: nec erat aliqua differentia, inter poſſe diſſentire, & poſſe reſiſtere. Dicebat etiam: quòd licèt S. Thomas in illo citato loco *ex primâ parte* loquatur de motione objectivâ, tamen hanc univerſalem ſumit propoſitionem: quòd, videlicèt, quoties movens ſuperat totam potentiam mobilis, illud ex neceſſitate movet. Inſtabat etiam: quòd illud argumentum; quòd prædeterminatio tollit indeterminationem & libertatem, non eſſet ſolutum; quià, ut dicebat, jàm fatentur, quòd voluntas habet libertatem reſpectu objecti; non autem eſt indeterminatio ex parte potentiæ.

Cui ſtatim F. Thomas: Non eſt hoc dictum; ſed ex S. Thomâ oſtenſum, quòd ex parte ſui voluntas habet quamdam potentialitatem quæ aufertur per divinam prædeterminationem. Et iterùm legebat verba S. Thomæ, & ità illa declarabat: Docet apertè S. Thomas, quòd voluntas habet indeterminationem reſpectu hujus vel illius objecti; ergò hæc indeterminatio in ipsâ voluntate & potentiâ eſt. Quomodò enim potentia poteſt habere indeterminationem reſpectu objectorum, & quòd in ſeipsâ non habeat potentia indeterminationem? Itaque illa potentia in ſe habet illam indeterminationem reſpectu objecti, in quâ conſiſtit libertas. Habet autem aliam indeterminationem reſpectu ſui, quæ eſt potentialitas non reducta ad actum; quià in ſe potentia voluntatis privatur omni actu; & hanc vocat S. Thomas indeterminationem reſpectu ſui; & iſta eſt imperfectio voluntatis; & à Deo tollitur per prædeterminationem.

Tunc ipſe Vaſtida oſtendebat quemdam librum Navarretæ, quem dicebat nuper ſcriptum, in quo legebat; quòd in ſenſu compoſito non habebat indifferentiam ad agendum & non agendum voluntas à Deo prædeterminata.

Cui F. Thomas: Librum iſtum non vidi; at iſtud dictum procedit de indifferentiâ privativâ, modò ex S. Thomâ explicatâ, quæ poſt determinationem non eſt in ipsâ voluntate. Dico etiam, quòd meum non eſt defendere quidquid unus vel alter Thomiſtarum docet. Et ſic manſit ſolutum argumentum de ablatione libertatis; ità ut ipſe Vaſtida ampliùs in eo non inſiſteret, ſed ad alia tranſiret, dicens: quòd illa forma, *phyſica prædeterminatio*, ex naturâ ſuâ & de ſe conſtituebatur prædeterminare hominis voluntatem. In quo cùm inſtaret, Illuſtriſſimus Cardinalis de Monopoli dixit: Quod dicunt Thomiſtæ, eſt, auxilium efficax eſſe efficax ex Deo ipſo, & pròut venit à Deo; & nihil aliud dicunt.

Dicebat etiam prædictus Vaſtida: quòd ſi Deus ſuâ omnipotentiâ moveret hominem ad infallibiliter operandum, tolleret ejus libertatem. Undè ſuâ potentiâ movet hominem; ſed non ſuâ omnipotentiâ. Dicebat etiam, illud argumentum de gratiâ ſufficienti non fuiſſe ſolutum; quià in hoc ipſe faciebat inſtantiam: Homo non habet in poteſtate ſuâ auxilium efficax, & ipſum eſt neceſſarium ut de facto operetur: ergò non habet ſufficiens ad operandum; & ſic nec ſibi imputabitur, quòd non operetur. Quià lumine naturæ conſtat, quòd qui non habet omnia requiſita ad operandum in ſuâ poteſtate, nec habet ſufficiens principium ad operandum, nec ſibi imputatur quòd non operetur. Prætereà dicebat: quòd illa inconvenientia,

tia, quæ deducebat ex prædeterminatione ad actum peccati, non ſolvebantur: nec S.Thomas dicebat, Deum prædeterminare voluntatem ad actionem quæ eſt in peccato: nec loquebatur in locis inductis de præviâ motione divinâ, ſed de cooperativâ, & ſimùl concurrente cum voluntate humanâ. Et ſimilia talia longâ repetitione dicebat.

Ad quæ ſub brevitate ità reſpondebat F. Thomas: Primò eſſe certiſſimum ex Scripturâ, quòd divinæ voluntati nullus poteſt reſiſtere: ergò certum eſt ex Scripturâ Sanctâ, quòd voluntati Dei efficaciter moventi per auxilium, quod ex Deo ipſo habet efficaciam, nullus poteſt reſiſtere. Nec in eo quod eſt poſſe reſiſtere divinæ voluntati, & auxilio quod ex eâ efficaciam habet, conſiſtit hominum libertas, aut conſiſtere poteſt; ſed in hoc quòd ità operetur & conſentiat, quòd poſſit diſſentire: in quo ideò non reſiſtit, quià Deus vult, quòd poſſit diſſentire. Undè auxilium efficax omnem efficaciam habet ex Deo ipſo: quià eſt actualis Dei motio, & inſtrumentum divinæ voluntatis volentis hominem convertere. Et iſta eſt SS. Auguſtini & Thomæ & Diſcipulorum ejus ſententia.

Itaque ex præciſâ ratione entitatis non eſt efficax auxilium gratiæ, ut ſæpè dictum. Undè Molina, qui primus impugnavit efficaciam hanc divini auxilij, quam Diſcipuli S. Thomæ ſemper defenderunt, ipſe declarat ſententiam quam impugnat, in quâ conſtituat efficaciam auxilij, ità dicens *in Concord. q. 23. art. 4. & 5. diſp.*
a Pag. 326. col. 2. *1. memb. 6. §. nonnulli.*: a *Nonnulli ità ſententiam hanc defendunt, ut duplex auxilium divinum conſtituant, quoddam efficax, quoddam ſufficiens, verumtamen inefficax: Quòd verò auxilium efficax ſit aut inefficax, cenſent nullâ ratione tribuendum eſſe libero arbitrio, quaſi ex eo auxilium quodcunque, ſivè magnum, ſivè parvum, efficax aut inefficax ſit, quòd cùm arbitrium pro ſuâ libertate poſſit conſentire & non conſentire, cooperari cum illo & non cooperari, ſi conſentiat & cooperetur, ut poteſt, efficiet illud efficax; ſi verò non conſentiat neque cooperetur, ut etiam poteſt, reddet illud inefficax: ſed ipſi auxilio, ſivè Deo efficaciter per illud moventi, tribuendum eſſe, quòd liberum arbitrium conſentiat, aut non conſentiat: ità ut quotiès Deus moverit per auxilium, quod ex modo motionis divinæ, atque ex Deo ipſo habet, quòd ſit efficax, liberum arbitrium conſentiet, cooperabiturque ad ſalutem; quòd ſi moverit per auxilium, quod ab eo non habet ut ſit efficax, liberum arbitrium non conſentiet, nec cooperabitur ad ſalutem.* Quo Paragrapho integrè lecto, oſtendebat F. Thomas, Molinam aſſerere; ſe impugnare, quòd quidam ipſi auxilio, ſivè Deo per illud efficaciter moventi, tribuebant efficaciam; ità quòd illud auxilium ex Deo ipſo & vi motionis divinæ habeat, quòd efficax ſit.

Ad illud autem aliud, quod P. R. dicebat: Deum ſuâ omnipotentiâ non movere efficaciter hominis voluntatem; contrà apertam doctrinam S. Auguſtini & aliorum Sanctorum dicit. SS. enìm Doctores, in hâc materiâ de efficaciâ gratiæ & libertate arbitrij ſemper ad Dei infinitatem & omnipotentiam recurrunt: ex cujus infinitate & efficaciâ provenit, quòd homo infallibiliter operetur, & cum omni ſuâ libertate. Undè S. Auguſtinus *epiſt. 107. ad Vital.* b *Quos vult* b Nunc 217
Deus omnipotentiſſimâ facilitate conver- tom. 2. n.
tit, & ex nolentibus volentes facit. Et 24. col. 807.
S. Thomas *in 2m. Sententt. diſt. 25. art. 2. ad 1.* ità dicit: *Deus operatur in voluntate & in libero arbitrio ſecundùm ejus exigentiam. Undè etiamſi voluntatem hominis in aliud mutet, nihilominùs tamen hoc ſuâ omnipotentiâ facit, ut illud in quod mutatur, voluntariè velit.* Et Felicis recordationis Clemens VIII. in illo ſuo Scripto, quod compoſuit de efficaciâ gratiæ, in Capite V°. ità dicit: c *Secundùm S. Auguſti-* c Vide ſu-
num gratia eſt efficax ex Deo ipſo, ex Dei prà col. 15.
omnipotentiâ, & ex dominio quod Deus habet ſuper liberum hominis arbitrium.

Ad illud

Digitized by Google

Ad illud autem in quo inſtabat R. P.; tolli auxilium ſufficiens, ex eo quòd non habet homo in ſuâ poteſtate auxilium efficax: Reſpondeo, nullo modo habere hominem in ſuâ poteſtate auxilium efficax, ità quòd illud mereri poſſit, vel acquirere. Quià cauſa ſecunda non poteſt acquirere, nec ſibi præſtare actionem cauſæ primæ; quià jàm in hâc motione ipſa ſecunda cauſa eſſet movens primam, & eſſet prima in hâc motione. Quod eſt contrà propriam naturam cauſæ ſecundæ. Undè S. Thomas *Lib. 3. cont. Gent. cap. 159.* ità dicit: *Poteſt alicui videri quòd non ſit homini imputandum, quòd prædictis careat, præcipuè cùm auxilium divinæ gratiæ mereri non poſſit, nec ad Deum converti, niſi Deus eum convertat: nulli enim imputatur, quod ab alio dependet.* Et Reſpondet: in hoc ipſum argumentum quo PP. RR. convincuntur: *Ad hujus dubitationis ſolutionem conſiderandum eſt, quòd licèt aliquis per motum liberi arbitrij divinam gratiam nec promereri nec acquirere poſſit, poteſt tamen ſeipſum impedire, ne ipſam recipiat.* Et ſtatìm: *Sed illi ſoli gratiâ privantur, qui in ſeipſis gratiæ impedimentum præſtant.* Ubi S. Thomas docet, quòd arbitrium nec poteſt mereri, nec poteſt acquirere auxilium gratiæ, nec tale auxilium gratiæ eſt in ſuâ poteſtate, ut illud habeat per motum ſui liberi arbitrij.

Idem S. Thomas *eod. Lib. 3. contrà Gentes cap. 149.* ità dicit: *Ex prædictis autem manifeſtè oſtenditur, quòd divinum auxilium homo promereri non poteſt.* Et ſtatìm: *Homo igitùr non movet ſeipſum ad hoc quòd adipiſcatur divinum auxilium, quod ſuprà ipſum eſt: ſed potiùs ad hoc ipſum adipiſcendum, à Deo movetur. Motio autem moventis præcedit motum mobilis ratione & causâ.* Quæ ſola verba, ſi PP. RR. conſideraſſent, ſufficerent in hâc materiâ: quòd motio Dei præcedit motum voluntatis ratione & cauſalitate: ità quòd ſicùt eſt prima cauſa, ità eſt prior cauſalitate, quàm ſit cauſalitas cauſæ ſecundæ: non ergò eſt in poteſtate arbitrij acquirere auxilium etiam ſufficiens.

Et clariùs *q. 3. de potentiâ, art. 7.* in decimo tertio loco format hoc idem argumentum, quo PP. Societatis convincuntur, dicens: *Voluntas eſt domina ſui actûs; hoc autem non eſſet, ſi agere non poſſet niſi Deo in ipsâ operante, cùm voluntas noſtra non ſit domina divinæ operationis: ergò Deus non operatur in voluntate noſtrâ operante.* Et Reſpondet in iſta verba: *Ad decimum tertium dicendum, quòd voluntas dicitur habere dominium ſui actûs; non per excluſionem cauſæ primæ; ſed quià cauſa prima non ità agit in voluntate, ut eam de neceſſitate ad unum determinet, ſicùt determinat naturam: & ideò determinatio actûs relinquitur in poteſtate rationis & voluntatis.* Igitùr motio efficax primæ cauſæ non eſt in voluntate humanâ, nec humana libertas in hoc conſiſtit, quòd habeat in ſe motionem divinam, quandò vult acquirere. Modò ergò ad argumentum reſpondetur: Auxilium efficax eſt neceſſarium ut voluntas operetur; ergò ſine illo non ſalvatur auxilium ſufficiens: nulla eſt conſequentia.

Tunc dixit P. Vaſtida: Non feci ego hanc conſequentiam, ſed iſtam: Auxilium efficax eſt neceſſarium ut homo operetur, & illud homo non habet in ſuâ poteſtate; ergò non habet ſufficiens.

Cui F. Thomas: Jàm dixi modò, quomodò homo non poteſt habere in ſuâ poteſtate acquirere auxilium efficax. Undè licèt illud ſit neceſſarium, ut de facto operetur, ſine illo ſalvatur auxilium ſufficiens, ſicut habitus charitatis, ut dixi, eſt ſufficiens auxilium benè operandi, etiamſi ſit neceſſarium ad actualem operationem actuale auxilium. Et per hoc manifeſtè reſpondeo argumento. Ut autem homini imputetur quòd non convertitur; ſufficit quòd auxilium efficax negetur, quià ipſe impedimentum ponit; ut dixi.

Ad alia quæ R. P. dixit: quòd, videlicèt, S. Thomas in locis inductis de

Digitized by Google

de cauſalitate Dei reſpectu actionis quæ eſt in peccato, quatenùs actio eſt, loquatur de cooperatione influente in actionem, non de prævià influente in voluntatem: conſtat quàm apertè contrà litteram S. Thomæ dicatur. Oſtendi enim in illâ, quòd apertiſſimè & expreſsè loquatur de cauſalitate influente in voluntatem, & illam reducente in actum primum, ut agat actionem quæ eſt in peccatò, quatenùs entitas & actio eſt. Iſte autem Pater verboſitate ſuâ multa dicit, ut appareat reſpondere; quià non vult tacere: involviturque quibuſdam ſophiſmatibus & intricationibus; contrà quæ omnia tandem hoc conſtituo argumentum: Chriſtus Dominus fuit efficaciſſimè prædeterminatus, ut obediret præcepto Patris de ſuâ morte; ità quòd, ſtante tali præcepto, inobedire non poterat; ut veritas docet: & tamen ſecundùm Catholicam veritatem liberè obedivit: ergò ſecundùm Catholicam veritatem cum efficaci prædeterminatione ſtat optimè humana libertas.

Huic argumento, quod apertiſſimum eſt, & quod vident ſuæ ſententiæ eſſe valdè contrarium, & quod probat manifeſtè prædeterminationem divinam, reſpondent PP. Societatis tribus ſolutionibus, quas breviter referam, ut appareat, qualiter de Chriſti Domini merito & libertate RR. PP. loquuntur. Quidam ex Societate, ut P. Gregorius de Valentiâ *1. p. quæſt. 23. diſp. 1. punct. 4. §. atque hinc prætereà.*, dicunt confirmatos in gratiâ, poſt confirmationem quâ peccare non poſſunt, neceſſariò & ſine libertate ſalutem conſequi. Quem locum ibì legebam; & apparebat hoc in terminis dicere: ponens exemplum in Beatâ Virgine & Apoſtolis. Undè ſic dicebam: cùm Beatiſſima Virgo à die Conceptionis fuerit confirmata in gratiâ, nullam ſecundùm hanc ſententiam habuit libertatem & meritum in totâ vitâ: & à fortiori Chriſtus Dominus; quià multò minùs peccare poterat. Secundò reſpondent alij cum Molinâ *quæſt. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. memb. 11. §. illud etiam* a: ideò animam Chriſti iſtam præ aliis unitam fuiſſe Verbo æterno in unitate perſonæ, quià præviſa fuit per illam mediam ſcientiam benè uſura ſuâ libertate. In quo rationem & cauſam, quare iſta anima & non alia fuerit Verbo unita, manifeſtè conſtituit ex parte boni uſûs ipſius animæ. Alij autem ex Societate, quos ego Valliſoleti in Diſputationibus publicis audivi, dicunt Chriſtum Dominum non meruiſſe per ea, quæ ſibi à Patre Æterno fuerunt præcepta, & ſic non meruiſſe per ſubſtantiam paſſionis & mortis, ſed propter aliquas circumſtantias. Quos etiam pro viribus ipſe ibì oppugnavi; quià ſequitur manifeſtè, Chriſtum non meruiſſe per obedientiam, quæ eſt reſpectu Patris præcepti. Quod eſt apertè contrà illud *Philippenſium 2°.*: *Factus eſt obediens uſque ad mortem: propter quod & Deus exaltavit illum &c.*

a *Pag. 372. col. 2.*

His igitur ſolutionibus omiſſis, quæ cum veritate Catholicâ ſtare non poſſunt, (& ſi alia eſt, proferatur) permanet prædictum argumentum in omni ſuâ virtute & robore, hoc modo: Chriſtus Dominus fuit efficaciſſimè prædeterminatus ad obediendum præcepto Patris; ità quòd impoſito tali præcepto inobedire non poterat; ut veritas dicit apertè: & tamen fuit perfectiſſimè liber in obediendo; ut fides docet: ergò ſecundùm fidem optimè ſtat cum efficaci prædeterminatione libertas humana.

Tunc dixit Sanctiſſimus, ut Vaſtida reſponderet. Et dicebat in reſponſione: eſſe hanc de Chriſto Domino quæſtionem difficilem valdè, & quæ torſit ingenia; quomodò cum ejus perfectiſſimâ determinatione, quâ peccare non poterat, nec inobedire præcepto Patris, ſtaret ejus libertas: & quòd vel per hoc argumentum eſt clarum, quòd Defenſores phyſicæ prædeterminationis ad rem tàm difficilem recurrunt. Dicebat etiam, quòd Chriſtus non potuit diſſentire præcepto impoſito.

Digitized by Google

to impoſito. Et tandem dicebat, quòd illi Jeſuitæ, qui dixerunt Chriſtum non meruiſſe per rem præceptam, (jàm ergò fatebatur illos dixiſſe) dicebant, quòd in eodem actu paſſionis merebatur, non in quantùm erat præcepta, ſed ratione aliarum circumſtantiarum.

Tunc F. Thomas nolens ad iſtam reſponſionem dicere unum verbum, Sanctiſſimus ſignum fecit; quià jàm ferè nox erat. Et ſic finita fuit Congregatio, cùm duraſſet circiter per horas quatuor.

Reſponſio autem talis debebat eſſe: quòd licèt ſit difficile, quomodò cum impotentiâ ad peccandum ſalvetur in Chriſto libertas, tamen fides docet utrumque, & quòd perfectiſſimè liber, & impeccabilis fuerit. Undè argumentum factum à priori convincit: quòd ſi in Chriſto Domino, in quo fuit efficaciſſima illa prædeterminatio, ſalvetur perfectiſſima libertas; in aliis hominibus, in quibus tàm efficax prædeterminatio non eſt, meliùs ſalvabitur eorum libertas. Concedere autem, pròut conceſſit Vaſtida, quòd Chriſtus diſſentire non poterat, dici non poteſt; quià Concilium Tridentinum dicit, hoc eſſe de ratione libertatis: undè etiam in Chriſto inveniri debet. Similiter fateri, quòd per eumdem actum non merebatur, quatenùs præceptus, eſt expreſsè dicere, Chriſtum per obedientiam non meruiſſe. Quod eſt contrà Apoſtolum *ad Philippenſes capite 2°.*

CONGREGATIO

QUADRAGESIMA SEXTA, SEU NONA

CORAM PAULO V.

In quâ de prædeterminatione phyſicâ octavò eſt diſputatum Doctoris Angelici præſertìm anthoritate.

Habita coràm Sanctiſſimo die 15. Februarij anno 1606. in S. Petro. Adſtiterũt Cardinales 9. & Cẽſores omnes.

Glorioſa valdè fuit iſta Congregatio ſeu Diſputatio pro Defenſoribus divinæ gratiæ.

Vide Hiſt. Congreg. de Auxil. Lib. 4. cap. 13. col. 658. & ſeqq.

ACTUM fuit de eodem Dubio, videlicèt, de efficaci præveniente gratiâ, & an convenienter phyſica prædeterminatio appelletur; de quo in ſeptem præcedentibus Congregationibus actum fuerat; & in hâc propoſuerunt PP. Societatis ſolùm ex mente S. Thomæ probare, gratiam non eſſe phyſicè prædeterminantem. Undè poſt dictam à Pontifice Summo, ex more, Spiritûs Sancti ſolitam deprecationem, incipiens P. Vaſtida ſuis ſolitis præambulis dicebat, ſibi adveniſſe peroptatum diem, ad oſtendendum, S. Thomam ſuam illorum tenere ſententiam, & phyſicam prædeterminationem negare.

Quod & ſic ſuadebat primò: Quià ſuppoſitâ illâ ſententiâ, quam Cajetanus, Capreolus, Conrardus, tanquàm ex S. Thomâ defendunt: quòd, videlicèt, motio Dei non eſt in cauſas ſecundas, ſed immediatè cum illis in earum operationes; manifeſtum eſt, quòd S. Thomas juxtà hanc ſententiam expreſsè negat hanc prædeterminationem. Quià conſequentia iſta manifeſta eſt: Deus non influit præviâ actione in ipſas ſecundas cauſas; ergò non phyſicè prædeterminat. Quià tenet à negatione ſuperioris ad inferioris negationem. Sicut optimè ſequitur: hoc ens non eſt animal; ergò non eſt homo. Secundò, quià admiſſo adhuc S. Thomam admiſiſſe influxum in cauſas prævium, adhuc conſequentia nulla eſt: Deus præviâ motione influit in cauſas ipſas; ergò

iſtas phyſicè prædeterminat. Nulla eſt conſequentia; quià tenet à ſuperiori ad inferius affirmativè. Non minùs quàm ſi quis argumentaretur ſic: hoc ens eſt animal; ergò eſt homo. Quæ conſequentia, ob rationem factam, nulla eſt. Itèm quià eſt manifeſta inſtantia: per auxilium enìm moraliter ſuadens, ſeu ſufficiens, Deus prævìè influit in ipſam voluntatem; & tamen illam phyſicè non prædeterminat.

Undè hanc conſtituebat generalem Concluſionem: Deus non prædeterminat phyſicè ſecundùm S. Thomam omnes in univerſum actus, tàm naturales, quàm ſupernaturales, tàm bonos, quàm malos.

Probabat 1°. ex S. Thomâ *1. 2. q. 9. art. 6. ad 3.* ità dicente: *Ad tertium dicendum, quòd Deus voluntatem movet, ſicut univerſalis motor ad univerſale objectum voluntatis, quod eſt bonum: & ſine hâc univerſali motione, homo non poteſt aliquid velle. Sed homo per rationem determinat ſe ad volendum hoc vel illud, quod eſt verè bonum, vel apparens bonum. Sed tamen interdùm ſpecialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinatè volendum, quod eſt bonum; ſicut in his quos movet per gratiam.* Legebat ſimiliter argumentum, cui iſta reſponſio dabatur, & inſiſtebat in primâ parte ſolutionis, in quâ S. Thomas dicit: quòd ad hoc vel illud bonum homo ſe determinat per rationem; Deus autem non determinat: quià ſolùm movet ut motor univerſalis ad bonum in communi.

Secundò alium locum inducebat ex S. Thomâ ad idem probandum, *ex eâdem 1. 2. quæſt. 80. art. 1. ad 3.* ubì ità dicitur: *Ad tertium dicendum, quòd Deus eſt univerſale principium omnis interioris motûs humani. Sed quòd determinetur ad malum conſilium voluntas humana, hoc directè quidem eſt ex voluntate humanâ, & à Diabolo per modum perſuadentis, vel appetibilia proponentis.* Ex quo inferebat: quòd licèt Deus ſit univerſale principium omnis motûs humani, ex hoc tamen non ſit, ut S. Thomas dicebat, quòd Deus determinet voluntatem ad malum conſilium, quod eſt actus humanus. Deindè dicebat: Forſitàn dicent, quòd licèt Deus non determinet ad actum malum, determinat tamen ad actum ſupernaturalem per gratiam. Quod colligunt ex ultimis verbis ſolutionis *ad tertium quæſt. 9. citatæ ex 1. 2.*: quià dicit ibì S. Thomas: quòd interdùm Deus ſpecialiter movet voluntatem ad aliquid determinatè volendum. Sed ex hoc, dicebat, id non infertur: quià non dicit S. Thomas, quòd Deus determinat, ſeu phyſicè prædeterminat per gratiam; ſed dicit, quòd movet ad aliquid determinatè volendum. Undè dicebat, quòd ſententia ſancti Thomæ erat, quòd Deus non determinat ad aliquem actum; & ex conſequenti, non determinat ad actum ſupernaturalem per gratiam.

Antecedens probabat ex S. Thomâ *in 2^m. diſt. 25. q. 1. art. 1. ad 3.* ubì ſic habetur: *Ad tertium dicendum, quòd Deus operatur in omnibus, ità tamen quòd in unoquoque ſecundùm ejus conditionem. Undè in rebus naturalibus operatur ſicùt miniſtrans virtutem agendi, & ſicùt determinans naturam ad talem actionem. In libero autem arbitrio hoc modo agit, ut virtutem agendi ſibi miniſtret, & ipſo operante liberum arbitrium agat: ſed tamen determinatio actionis & finis in poteſtate liberi arbitrij conſtituitur: undè remanet ſibi dominium ſui actûs, licèt non ità ſicut primo agenti.* Ex quo deducebat Deum non determinare arbitrium, ſed arbitrium ſe determinare.

Ad idem inducebat aliud teſtimonium *ex Lib. 2. in ſententt. diſt. 28. q. 1. art. 1.* ubì *in corpore* dicitur: *Non enìm eſſet homo liberi arbitrij, niſi ad eum determinatio ſui operis pertineret.*

Ad idem, tertium opponebat teſtimonium *ex eod. Lib. 2. diſt. 25. q. 1. art. 1. in fine corporis*, ubì ità dicitur: *Et propter hoc in ſolis intellectum habentibus liberum arbitrium invenitur; non autem in illis, quorum actiones non determinantur ab ipſis agentibus, ſed à quibuſdam aliis*

cauſis

Digitized by Google

cauſis prioribus. Quæ verba ibi ponderabat: quòd ſi liberum arbitrium ab aliâ causâ priore determinatur, non eſt liberum.

Sed dicent, aïebat: quòd in iſtis locis S. Thomas negat liberum arbitrium determinari ab aliis prioribus cauſis extrà Deum; non autem quòd non determinetur ab ipſo Deo. Sed contrà hanc explicationem eſt ipſe S. Thomas *in 4m. diſt. 49. q. 1. art. 3. quæſtiunculâ 2a. ad 1.* ità dicens: *Ad primum ergò dicendum, quòd potentia rationalis ſe habet ad oppoſita in his quæ ei ſubſunt; et hæc ſunt illa quæ per ipſam determinantur: non autem poteſt ad oppoſita illorum, quæ ſunt ei ab alio determinata. Et ideò voluntas non poteſt in oppoſitum ejus, ad quod ex divinâ impreſſione determinatur.* Eccè, dicebat, non poteſt voluntas in oppoſitum ejus ad quod ex divinâ impreſſione determinatur. Igitur ſi à Deo voluntas determinatur, vel aliquid in voluntatem imprimit, per quod illam determinet, jam ipſa voluntas libera non manebit.

Dicebat etiam, S. Thomam negare prædeterminationem *quæſt. 3. de potentiâ art. 7. ad 13.* ubì ità dicitur: *Ad decimum tertium dicendum, quòd voluntas dicitur habere dominium ſui actûs; non per excluſionem cauſæ primæ; ſed quià cauſa prima non ità agit in voluntate, ut eam de neceſſitate ad unum determinet.*

Similiter dicit S. Thomas *1. 2. q. 10. art. 4.* verba iſta: *Quià igitur voluntas eſt activum principium, non determinatum ad unum; ſed indifferenter ſe habens ad multa: ſic Deus ipſam movet, quòd non ex neceſſitate ad unum determinat.* Quibus verbis dicebat S. Thomam negare Deum prædeterminare voluntatem. Et addebat: falsò ex utroque iſto loco colligere Defenſores phyſicæ prædeterminationis, quòd Deus determinet voluntatem, ſed non ex neceſſitate: quià negatio non ſequitur, ſed antecedit. Non enim dicitur: quòd Deus determinat, ſed non ex neceſſitate, ſed dicitur: *quòd non ex neceſſitate Deus ad unum determinat.* Undè omnem determinationem negat.

Inſuper id ipſum ità probabat: S. Thomas *quodlibet. 1. artic. 7. ad 2.* expreſsè dicit: *quòd cuicunque auxilio prævenienti, & præparanti hominem, ipſe homo poteſt reſiſtere*: ſed poſitâ phyſicâ prædeterminatione, homo non poteſt reſiſtere: ergò S. Thomas negat phyſicam prædeterminationem.

Similiter inducebat aliud teſtimonium *ex q. 6. de malo, art. unico ad 15.* ubì ità dicit S. Thomas: *Ad decimum quintum dicendum, quòd non omnis cauſa ex neceſſitate inducit effectum, etiamſi ſit cauſa ſufficiens; eò quòd cauſa poteſt impediri, ut quandoque effectum ſuum non conſequatur: ſicut cauſæ naturales, quæ non ex neceſſitate producunt effectus ſuos; ſed ut in pluribus, quià in paucioribus impediuntur. Sic ergò illa cauſâ, quæ facit voluntatem aliquid velle, non oportet quòd ex neceſſitate hoc faciat, quià poteſt per ipſam voluntatem impedimentum præſtari; vel removendo talem conſiderationem, quæ inducit eam ad volendum; vel conſiderando oppoſitum, ſcilicèt, quòd hoc quod proponitur ut bonum, ſecundùm aliquid non eſt bonum.* In quo ſic inſiſtebat: Secundùm S. Thomam, cauſæ, quæ facit nos facere, poteſt poni impedimentum per voluntatem; ſed phyſicæ prædeterminationi non poteſt per voluntatem præſtari impedimentum; ergò S. Thomas negat in hoc phyſicam prædeterminationem.

Præterea, ut dicebat, S. Thomas *1. p. q. 83. art. 1. ad 5.* dicit: quòd *diſpoſitiones & inclinationes quæ ſunt in voluntate, ſubjacent judicio rationis, cui obedit inferior appetitus; ut dictum eſt: undè per hæc libertati arbitrij non præjudicatur.* Ex quo loco inferebat: quòd phyſica prædeterminatio cùm ſit in voluntate ipsâ, ut ejus ſalvetur libertas, debet ſubjacere judicio rationis, & ſi non ſubjacet, ut reverâ non ſubjacet, tollit arbitrij libertatem.

Præterea, idipſum ſic probabat: Secundùm S. Thomam, neceſſitas quæ

eſt ex prioribus tollit libertatem; ſed ex phyſicâ prædeterminatione, ſicut ex priori causâ, provenit neceſſitas in voluntate ad operandum; ergò ex illâ tolletur libertas. Majorem probabat ex S. Thomâ *3. p. q. 46. art. 1. in corpore*, ubì ità dicitur: *Alio modo dicitur aliquid neceſſarium ex aliquo exteriori. Quod quidem ſi ſit cauſa efficiens vel movens, facit neceſſitatem coactionis: ut potè cùm aliquis non poteſt ire propter violentiam detinentis ipſum.*

Et ad idem, aliud proponebat teſtimonium ex S. Thomâ *2. Phyſic., lect. 15.* ubì dicit: *quòd neceſſitas ex cauſis prioribus, eſt neceſſitas abſoluta: quod autem eſt neceſſarium ab eo quod eſt poſterius in eſſe, eſt neceſſarium ex conditione.* Ex quo inferebat: quòd neceſſitas ex auxilio prædeterminante eſt neceſſitas abſoluta; & ex conſequenti, tollit libertatem.

Inſuper contrà divinas prædefinitiones antecedenter ad omnem præſcientiam, opponebat: quòd S. Thomas doceret, non omnes actus à Deo eſſe prædefinitos & prædeterminatos. Et ad hoc, primum locum inducebat ex S. Thomâ *2. 2. q. 174. art. 1. in corpore*, ubì S. Thomas docet expreſsè: *quòd ea quæ habentur ex prophetiâ prædeſtinationis, à ſolo Deo fiunt; ea verò quæ ſubduntur prophetiæ providentiæ, etiam pendent ex noſtro libero arbitrio; ſicut bona vel mala quæ à noſtro fiunt arbitrio.* Ex quo dicebat: ſecundùm S. Thomam, omnem quidem noſtrum actum eſſe præſcitum, non autem omnem eſſe prædeſtinatum, ſeu prædefinitum, etiamſi bonus ſit.

Ad idem inducebat aliud teſtimonium, *ex 1. p. q. 23. art. 7.* Ubì S. Thomas dicit: minutiſſima quædam, ut ſunt arenæ maris, culices &c. eſſe à Deo præſcita, non autem præfinita. Et ex Cajetano *ibidem*, idem probabat, dicente: quòd iſta cognoſcit Deus præcognoſcitivè, non prædefinitivè.

Poſtremò ex generalibus quibuſdam principiis S. Thomæ id probabat, in hunc modum: S. Thomas expreſsè docet, quòd futurum contingens in ſuis cauſis non eſt certò cognoſcibile à Deo, dicens: quòd Deus certò illa cognoſcit, prout ſunt ſuæ æternitati præſentia. Si autem Deus illa cognoſceret per prædeterminationem divinæ voluntatis, aut in phyſicâ prædeterminatione, non oporteret S. Thomam ità eſſe ſollicitum ad tradendum, illa cognoſci pròut ſunt in ſuâ æternitate præſentia.

Similiter ex alio principio in ſancto Thomâ id deducere procurabat, dicens: S. Thomam non cognoviſſe hanc phyſicam prædeterminationem; ſi quidem docet *q. 6. de veritate, art. 3.* quòd Deus in eo quem prædeſtinat tot adminicula præparat, quòd vel non cadat, vel ſi cadat, quòd reſurgat. Quod tamen nullo modo diceret, ſi teneret phyſicam prædeterminationem; quià in uno auxilio phyſicè prædeterminante, haberet Deus totam de prædeſtinato certitudinem.

Et eodem modo opponebat: quòd S. Thomas loquens de dono perſeverantiæ, recurrit ad cuſtodiam Angelorum, & ſimilia quædam: ad quæ tamen minimè recurreret, ſi judicaret Deum phyſicè prædeterminare: quià in tali prædeterminante auxilio, certò donum perſeverantiæ & conſummationis in gratiâ cognoſceretur.

Ultimò diffusè comparabat multa ex Dominico Bannez cum multis ex Sancto Thomâ, quæ dicebat ſibi eſſe contraria; affirmans ſe liberare & defendere S. Thomam, cui Bannez in terminis contradicebat. Et in hoc multùm temporis conſumebat. Quæ quià ad Dubium de quo agebatur impertinenter omninò ſe habebant, nec memoriæ mandare procuravi. Et ſic finivit, cùm pluſquàm per duas horas dixiſſet.

Statìm autem F. Thomas, omnia ex more ad pedes Sanctiſſimi conſtituens, ità dixit: Beatissime Pater, ad cujus pedes quæcunque dixero humiliter ſuppono. S. Thomam eſſe totum in prædicandâ & defendendâ prævenientis gratiæ divinâ efficaciâ, quæ independenter ab homine

mine ab efficaciſſimâ voluntate Dei procedit, ità notum eſt, atque manifeſtum, ut mirandum ſit valdè, quàm in vanum laborent PP. Societatis, contrariam ſententiam ex S. Thomâ contrà S. Thomam fundare, propter teſtimonia modò inducta, ſed non rectè deducta, nec in veritate, ut expedit, intellecta. Ex cujus enim alterius, doctrina illa Molinæ, cùm cœpit patentiùs in Hiſpaniâ divulgari, impugnata fuit & expugnata, niſi ex hujus S. Doctoris apertâ manifeſtâque ſententiâ? Tunc cùm S. Thomas à ſuis Diſcipulis contrà novam Molinæ doctrinam opponebatur, apertè à RR. PP. tanquàm ignarus concordiæ liberi arbitrij & gratiæ rejiciebatur. Et tamen jam modò idem S. Thomas ab iiſdem PP. in ſuum patrocinium advocatur. Fatetur expreſsè Molina *in Concord. diſp. 26. & 27. in impreſſione Antuerp.* S. Thomam manifeſtè tradere influxum Dei in cauſas, quo Deus illas præmovet & applicat ad agendum; & tamen in hoc modò RR. PP. negant ſuum authorem Molinam; & ſuadere conantur, S. Thomam has divinas applicationes & præmotiones negaſſe.

Teſtantur Doctores ex Societate, quos jàm in præcedentibus Congregationibus in conſpectu Sanctitatis Veſtræ nominavi, ſed præcipuè Cardinalis Bellarminus, S. Thomam, cùm dicit, Deum immutare hominis voluntatem, ibì tradere phyſicam prædeterminationem; & tamen etiam contrà præcipuos ſuos authores contendunt RR. PP. modò, hanc apertiſſimam S. Thomæ ſententiam, etiam ab eis cognitam, obſcurare. Et quod majus eſt, Libellus iſte *de ratione ſtudiorum*, tantâ cum induſtriâ à Societate compoſitus, & per ſex ſelectos Patres ex præcipuis Provinciis elaboratus, ac per Generalem Societatis omnibus ſuis Collegiis & ſtudiis pro formâ ſervandâ propoſitus, inter plures propoſitiones, quas fatetur eſſe S. Thomæ, & illas rejicit, hanc *pag. 11. tract. de opinionum delectu in Theolog. Facult., regul. 5.* cognoſcit eſſe S. Thomæ: *Influxus Dei eſt in cauſas.* Et tamen modò, etiam contrà Librum rationis ſtudiorum, contrarium omninò ſuadere iſti PP. procurant. Quià enim coràm hâc Sanctâ Sede apertè S. Thomam negare non audent, illum mutato ſtilo in ſuam ſententiam violenter detorquere conantur.

Ut ergò conſtet manifeſtè, quàm apertè S. Thomas hanc illorum expugnet ſententiam; vaſtiſſimam & copioſiſſimam doctrinam S. Thomæ in hâc parte ſummâ brevitate ad Capita quinque reducam. 1°. Enìm oſtendam S. Thomam apertè docere efficaciam divinæ voluntatis antecedentem ad omnem humani arbitrij cooperationem, ex quâ infallibiliter ſequitur, quòd voluntas humana operetur, eſſe primam cauſam & radicem contingentiæ, & actualis noſtræ libertatis, nec illam lædere, ſed potiùs illam firmare atque cauſare. 2°. In S. Thomâ oſtendam, Deum hâc ſuâ efficaci voluntate prædeterminaſſe omnem bonum uſum arbitrij noſtri, antè omnem præſcientiam, ſivè abſolutam, ſivè conditionatam, ſivè mediam, vel quocunque alio nomine appelletur. 3°. Secundùm S. Thomam, Deum hâc ſuâ efficaci voluntate prædeterminante, aliquid imprimere in voluntates hominum oſtendam, quo illas efficaciter applicat, immutat, ac in actu primo quòad exercitium determinat, ut ipſæ ſe determinent in actu ſecundo. Oſtendam deindè 4°. ſecundùm S. Thomæ apertam ſententiam, poſitâ hâc efficaci Dei præmotione ſeu prædeterminatione, voluntatem ſemper operari, nec ſtare ipſam non conſentire; quamvìs poſitâ tali prædeterminatione ſemper poſſit diſſentire, ſi velit. Ac tandem 5°. & ultimò & illud aperiam: omnia argumenta, quibus PP. RR. modò ſuam fundant ſententiam, à S. Thomâ non fuiſſe ſolùm ſoluta, ſed confracta & comminuta.

Circà Im. S. Thomas agens ex profeſſo de iſtâ materiâ *1. p. q. 19. art. 8.* cujus titulus eſt: *Utrùm voluntas Dei neceſſitatem rebus volitis imponat?* Ità quæſtionem

quæſtionem reſolvit: *Reſpondeo dicendum, quòd divina voluntas quibuſdam volitis neceſſitatem imponit, non autem omnibus &c.* Et legebat omnia in Libro, uſque ad finem corporis articuli. Et ſtatìm ſic dicebat: Adeò littera eſt clara, ut timeam potiùs eam meâ explicatione obſcurare. Duo enìm expreſsè dicit: alterum, quòd ut actus liberè fiat & contingenter, non provenit ſolùm ex ſecundâ cauſâ liberâ & contingenti; quià aliàs talis actus liber eveniret præter Dei intentionem & voluntatem. In quo potiſſimum fundamentum ſententiæ RR. PP. penitùs evertit. Ipſi enìm cum ſuo Molinâ dicunt, quòd ut actus ſit liber, & capax virtutis & laudis, à ſolo habet creato arbitrio: at verò S. Thomas contradictorium docet in hoc articulo; quòd, videlicèt, actus non ſit liberè & contingenter, quià procedit à ſolo creato arbitrio; quià aliàs quòd liberè fieret, non proveniret ex Dei intentione. Quæ major poteſt eſſe contradictio?

Alterum à S. Thomâ aſſertum, eſt quòd actus humanus habet quòd ſit liber, tanquàm ex primâ radice, ex efficaciâ divinæ voluntatis, quæ ob efficaciam ſuam, & vult quòd actus à voluntate hominis fiat, & cum omni ſuâ libertate fiat; & utrumque vult, & utrumque cauſat, & ſubſtantiam actûs, & modum ejus liberum. Undè mirandum eſt planè quòd ex eodem principio ex quo S. Thomas deducit hominis libertatem; ex eodem, inquam, & non alio, colligunt PP. RR. tolli vel deſtrui libertatem. Ex efficaciâ enìm divinæ voluntatis deducit S. Thomas, ſicut ex primâ radice, noſtram actualem libertatem; & ex eâdem efficaciâ dicunt PP. Societatis ſequi ablationem libertatis.

Declarans autem magìs S. Thomas, hanc efficaciam divinæ voluntatis eſſe omninò antecedentem, & priorem ad omnem humanæ voluntatis uſum prævisum, opponit tertio loco hoc argumentum contrà hanc divinæ voluntatis efficaciam ſub his verbis: *Illud quod habet neceſſitatem ex priori, eſt neceſſarium abſolutè: ſed res creatæ à Deo comparantur ad voluntatem divinam, ſicut ad aliquid prius, à quo habent neceſſitatem; cùm hæc conditionalis ſit vera, ſi aliquid Deus vult, illud eſt: omnis autem conditionalis vera eſt neceſſaria. Sequitur ergò quòd omne quod Deus vult ſit neceſſarium abſolutè.* Hoc eſt totale fundamentum, quod ut Achilles proponitur ſemper à RR. Patribus: quòd, videlicèt, neceſſitas ex ſuppoſitione antecedente divinæ voluntatis, tollit libertatem. Quod argumentum format S. Thomas in terminis, opponens quòd neceſſitas ex ſuppoſitione priori & antecedente divinæ voluntatis, auferat hominis libertatem.

Si autem ex hoc loco ſumpſerunt PP. RR. ſuum argumentum, audiant & clariſſimam ſolutionem. *Ad tertium dicendum, quòd poſteriora habent neceſſitatem à prioribus ſecundùm modum priorum. Undè & ea quæ fiunt à voluntate divinâ, talem neceſſitatem habent, qualem Deus vult illa habere, ſcilicèt, vel abſolutam, vel conditionalem tantùm. Et ſic non omnia ſunt neceſſaria abſolutè.* Manifeſtè ergò docet S. Thomas, quòd neceſſitas ex ſuppoſitione priore & antecedente voluntatis divinæ, non lædit libertatem; quià neceſſitas illa eſt conditionata, quæ ſervat libertatem, non abſoluta, quæ illam negat. Et rationem reddit: quià voluntas Dei prior & antecedens vult, ob ſui efficaciam, quòd humana voluntas habeat neceſſitatem conditionatam, non abſolutam. Itaque PP. RR. dicunt, quòd neceſſitas ex ſuppoſitione priori & antecedente divinæ voluntatis, lædit libertatem: at verò S. Thomas docet totum contrarium; quòd neceſſitas ex ſuppoſitione priori & antecedente divinæ voluntatis, non lædat libertatem.

Et in ſolutione *ad ſecundum*, ex eo quòd efficaciæ divinæ voluntatis nullus reſiſtit, colligit quòd homo operatur, & liberè operatur; quià divina voluntas, cui nullus reſiſtit, & vult

quòd

quòd homo operetur, & quòd liberè operetur. Certè quandò nihil aliud in doctrinâ S. Thomæ inveniretur, iſte ſolus articulus ſufficeret pro veritate in hâc materiâ fundandâ & defendendâ, & pro argumentorum ſolutione, quæ in contrarium opponuntur.

Quòd autem hæc efficacia divinæ voluntatis ſit æterna Dei prædeterminatio, & ità nominetur à S. Thomâ, conſtat primò *ex 1. p. q. 23. artic. 1.* cujus articuli titulus eſt: *Utrùm homines prædeſtinentur à Deo?* Conſtituit Concluſionem affirmativam: *Homines à Deo prædeſtinantur.* Et ſtatìm contrà illam tale ponit argumentum primo loco, ità dicens: *Videtur, quòd homines non prædeſtinentur à Deo. Dicit enìm Damaſcenus in 2°. Libro; oportet agnoſcere, quòd omnia quidem præcognoſcit Deus, non autē omnia prædeterminat; præcognoſcit enìm ea quæ in nobis ſunt, non autem prædeterminat ea. Sed merita & demerita humana ſunt in nobis, in quantùm ſumus noſtrorum actuum domini per liberum arbitrium. Ea ergò quæ pertinent ad meritum vel demeritum, non prædeſtinantur à Deo.* In quo argumento, ut eſt apertiſſimum, pro eodem ſumit Dei prædeſtinationem & prædeterminationem. Et ad argumentum ità reſpondet: *Ad primum dicendum, quòd Damaſcenus nominat prædeterminationem, impoſitionem neceſſitatis, ſicut eſt in rebus naturalibus, quæ ſunt determinatæ ad unum. Quod patet ex eo quòd ſubdit: Non enìm vult malitiam, neque compellit ad virtutem. Undè prædeſtinatio non excluditur.* Quibus verbis duplicem prædeterminationem conſtituit S. Thomas: Aliam neceſſitantem omninò, ſicut in rebus naturalibus determinatis ad unum; & hanc negat in Deo reſpectu noſtrarum humanarum actionum: Aliam verò prædeterminationem ſalvantem humanam libertatem; & hanc dicit eſſe idem quòd prædeſtinationem; & hanc eſſe in Deo conſtituendam conſtanter affirmat. Itaque divinæ voluntatis efficacia eſt æterna Dei prædeſtinatio ſeu prædeterminatio, reſpectu operum quibus homines tranſmittuntur in vitam æternam.

Idem dicit clariùs *Lib. 3. contrà Gentes cap. 90.* Ubì poſtquàm docuit, & multis rationibus probavit humanas operationes divinæ ſubdi providentiæ, & ab ipsâ gubernari, explicans Nyſſenum & Damaſcenum, qui dicunt, omnia quidem præcognoſci à Deo, non autem omnia prædeterminari, quià ea quæ in nobis ſunt Deus non prædeterminat; ità dicit: *Quod Gregorius Nyſſenus dicit in Libro quem de homine fecit; providentia eſt eorum quæ non ſunt in nobis, non autem eorum quæ ſunt in nobis. Et Damaſcenus eum ſequens dicit in ſecundo Libro; quòd ea quæ ſunt in nobis Deus præcognoſcit, ſed non prædeterminat; Exponenda ſunt, ut intelligantur, ea quæ ſunt in nobis, divinæ determinationi non eſſe ſubjecta, quaſi ab eâ neceſſitatem habentia.* Quibus verbis apertiſſimè docet S. Thomas exponenda eſſe iſta verba Nyſſeni & Damaſceni. Non enìm negant omnem in univerſum prædeterminationem, ſed illam quæ imponit abſolutam neceſſitatem voluntati.

Idem docet *q. 5. de verit. art. 5. ad 1.* Ubì iterùm hanc ex profeſſo tractans quæſtionem, docet, quòd Damaſcenus, cùm negavit Deum prædeterminare quæ in nobis ſunt, negavit prædeterminationem cauſantem abſolutam neceſſitatem, qualis eſt in rebus prædeterminatis à naturâ ad unum; non autem aliam, quâ Deus prædeterminat noſtras humanas operationes juxtà modum proprium noſtræ libertatis.

Idem docet univerſaliùs & clariùs *q. 3. de veritate, art. 7.* ità dicens contrà Platonem: *Sed quià nos ponimus Deum immediatam cauſam uniuſcujuſque rei, ſecundùm quod in omnibus cauſis ſecundis operatur, & quòd omnes effectus ſecundi ejus definitione proveniant: ideò non ſolorum primorum entium, ſed etiam ſecundorum ideas ponimus.* Ecce omnes effectus ſecundi ex Dei prædefinitione ac determinatione proveniunt. Immò quod eſt notandum, dicit, quòd contrà Platonem, nos, id eſt, Catholici ponimus

nimus omnes effectus ſecundos ex Dei prædefinitione haberi.

Idipſum iterùm confirmat *eâdem q. art. 8:* ubì in fine ità concludit: *Ponimus etiam quòd per divinam providentiam definiuntur omnia ſingularia; & ideò oportet nos ſingularium ponere ideas. Ratio autem quæ neceſſitat ponere in Deo ideas omnium ſingularium, quæ ſine dubio ab omnibus Theologis admittuntur, illa eſt; quià per divinam providentiam omnia definiuntur. Qui ergò negant ſingularia omnia à divinâ providentiâ definiri, nec ſingularium ideas oportet ut conſtituant.*

Idipſum docet apertiùs *quodlibet. 12. art. 4.* ità dicens: *Alij reducunt omnia hæc in cauſam ſupra-cœleſtem, ſcilicèt, in providentiam Dei, à quo omnia ſunt prædeterminata & ordinata.* Et iſtorum ſententiam S. Thomas hìc approbat & defendit, quòd, videlicèt, omnia ſint per divinam providentiam prædeterminata. Igitur apertiſſimum eſt, conſtituere S. Thomam efficaciam divinæ voluntatis, omnia prædeterminantem efficaciâ ſuâ.

Quòd autem S Thomas conſtituit hanc efficaciam divinæ voluntatis prædeterminantem ante omnem in univerſum præſcientiam, etiam futuri ſub conditione, conſtat apertè. Quià illa ſcientia conditionata ſeu media, ſivè alio quocunque nomine vocetur, ut oſtendi per tres integras Congregationes coràm felicis recordationis Clemente VIII., fuit olìm Pelagianorum fundamentum ad ſubtrahendum divinæ gratiæ, quod malè hominis adſcribebant arbitrio. Et totaliter negat divinæ voluntatis veram prædeterminationem. Sed nunc breviter unicâ ratione monſtratur: S. Thomas, ut apertè conſtat, ex primo loco nunc *ex primâ parte* citato, conſtituit efficaciam divinæ voluntatis prædeterminantis & antecedentis omnem præſcientiam boni uſûs arbitrij: ſed talis efficax prædeterminatio eſt ante illam ſcientiam mediam, ut etiam PP. RR. fatentur; quià dicunt illam tollere libertatem: ergò loquitur apertè ſanctus Thomas de efficaci Dei voluntate, prædeterminante antè omnem præſcientiam boni uſûs arbitrij.

Illud autem tertium, quòd hâc efficaci Dei voluntate prædeterminante, aliquid influat Deus in ipſas hominum voluntates, quo illas moveat & determinet ad agendum, probatur primò ex S. Thomâ *q. 3. de potentiâ, art. 7.* ubì *in fine corporis* dicit: quòd quadrupliciter operatur Deus in naturâ & voluntate operante. Uno modo, ſicut dans formas. Secundò ſicut conſervans. Tertiò ſicut applicans ad agendum. Quartò quià omnis ſecunda cauſa operatur in virtute primæ. Lecta ſunt ibì textualiter verba S. Thomæ. Quòd autem iſta applicatio, ut nomen ſonat, ſit prævia antè creaturæ operationem, docet S. Thomas *in ſolutione ad 3.* ubì habet: quòd in operatione, quâ Deus operatur movendo naturam, non operatur natura, ſed ipſa naturæ operatio eſt etiam operatio virtutis divinæ, ſicut operatio inſtrumenti eſt per virtutem agentis principalis. Si in operatione, quâ Deus operatur movendo naturam, non operatur natura: ergò illa operatio & applicatio eſt prævia ad operationem creaturæ; quià Deus ità tunc operatur, quòd creatura non operatur.

Quòd autem Deus hâc applicatione & præviâ motione aliquid influat in voluntatem, quo illam ad agendum applicat, docet in terminis *ſolutione ad 7.* in quâ ità dicit: *Ad ſeptimum dicendum, quòd ſicùt virtus naturalis, quæ eſt rebus naturalibus in ſuâ inſtitutione collata, ineſt eis, ut quædam forma, habens eſſe ratum & firmum in naturâ. Sed id quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, eſt ut intentio ſola, habens eſſe quoddam incompletum, per modum quo colores ſunt in aëre, & virtus artis in inſtrumento artificis. Sicut ergò ſecuri per artem dari potuit acumen, ut eſſet forma in eâ permanens, non autem ei dari potuit, quòd vis artis eſſet in eâ, quaſi quædam forma permanens, niſi haberet intellectum: ità rei naturali potuit conferri virtus propria, ut forma in ipsâ permanens,*

non

non autem vis, quâ agit ad eſſe, ut inſtrumentum primæ cauſæ; niſi daretur quòd eſſet univerſale principium eſſendi. Nec iterùm virtuti naturali conferri potuit, ut moveret ſeipſam, nec ut conſervaret ſe in eſſe. Undè ſicut patet, quòd inſtrumento artificis conferri non potuit, quòd operaretur abſque motu artis: ità rei naturali conferri non potuit, quòd operaretur abſque operatione divinâ. Lecta fuerunt omnia. & ſtatìm ſubjunctum fuit: ergò manifeſtum eſt in S. Thomâ, quòd efficax Dei voluntas prędeterminans, aliquid influit in hominum volũtates, quo illas applicat ad agendum.

Immò docet ampliùs S. Thomas, quòd Deus, hoc influxu recepto in voluntatem, quo illam applicat, ipſam immutabiliter movet. Ità enìm dicit *q. 6. de malo, art. unico ad 3.* his verbis: *Ad tertium dicendum, quòd animalia bruta moventur per inſtinctum ſuperioris agentis, ad aliquid determinatum, ſecundùm modum ſuæ formæ particularis, cujus receptionem ſequitur appetitus ſenſitivus: ſed Deus movet quidem voluntatem immutabiliter, propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non poteſt; ſed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter ſe habet ad diverſa, non inducitur neceſſitas, ſed manet libertas. Sicut etiam in omnibus providentia divina infallibiliter operatur, & tamen à cauſis contingentibus proveniunt effectus contingenter, in quantùm Deus omnia movet proportionaliter ad unumquodque, ſecundùm ſuum modum.* Quid clarius? Quid apertius? Movet Deus voluntatem immutabiliter propter efficaciam moventis; & tamen voluntas liberè movetur. Advertat ergò P. R., qui potiſſimè damnabat S. Thomæ Diſcipulos, quòd aſſererent Deum immutabiliter movere hominis voluntatem: quòd S. Thomas expreſſiſſimis verbis id affirmat; & tamen non convenit cum Calvino. Sed ſicut dicendo, Deum immutabiliter movere hominis voluntatem, propter efficaciam moventis, Pelagianos deſtruit; ità in ſecundis verbis dicendo, quòd voluntas juxtà ſuam naturam & conditionem liberè movetur, Calvinum totaliter expugnat.

Opponitur contrà hoc, Concilium Provinciale Senonenſe, quod damnat, quòd Deus auxilio gratiæ immobiliter rapiat. Ad quod dicendum 1°. non eſſe confirmatum à Sede Apoſtolicâ. 2°. Quòd damnat Lutherum, qui dicebat, quòd Deus immobiliter rapiat homines ſine eorum libertate. Undè ſubdit: *Non enìm unco raptamur.* Cujus totum contrarium dicit S. Thomas: quòd Deus, ſcilicet, movet immutabiliter propter ſuam efficaciam; ſed quòd tamen manet voluntas libera in tali motione.

Idipſum clariùs docet idem ſanctus Doctor *q. 22. de veritate, art. 8.* ubì ità dicit: *Et per hunc modum intelligendum eſt, quòd Deus voluntatem immutat, ſine eo quòd voluntatem cogat: poteſt autem Deus immutare voluntatem ex hoc quòd ipſe in voluntate operatur ſicut in naturâ. Undè ſicut omnis actio naturalis eſt à Deo; ità omnis actio voluntatis, in quantum eſt actio, non ſolùm eſt à voluntate ut immediatè agente, ſed à Deo ut à primo agente, qui vehementiùs imprimit. Undè ſicut voluntas poteſt immutare actum ſuum in aliud, ut ex dictis patet, ità & multò ampliùs Deus.* Docet ergò apertè, quòd Deus immutat voluntatem ex uno in aliud: ſed immutare voluntatem, eſt phyſicè prædeterminare; ut Doctores ex PP. Societatis admittunt: ergò docet S. Thomas, quòd Deus phyſicè prædeterminet. Et ratio quâ id S. Thomas probat, convincit omninò. Cùm enìm voluntas immutet ſeipſam ex uno in aliud, ſalvâ ejus libertate: quià ut S. Auguſtinus ſemper docuit; multò magìs habet Deus in poteſtate ſuâ liberas hominum voluntates, quàm ipſi ſuas: ſi ergò, quià homo habet in poteſtate ſuâ ſuam liberam voluntatem, illam immutat ſalvâ ſuâ libertate; Deus qui multò magìs habet in ſuâ poteſtate liberas hominum voluntates, multò meliùs poterit illas immutare, & phyſicè prædeterminare, ſalvâ eorum libertate.

Et *art. 9. ſequenti* ità dicit: *Reſpondeo dicendum, quòd voluntas poteſt in-*

Digitized by Google

telligi mutari ab aliquo dupliciter. Uno modo, ſicut ab objecto ſuo, ſicut voluntas immutatur ab appetibili; & ſic non quærimus hìc de immutante volnntatem &c. Alio verò modo poteſt intelligi voluntas immutari ab aliquo, per modum ſcilicèt cauſæ efficientis; & ſic dicimus, quòd non ſolùm nulla creatura poteſt cogere voluntatem agendo in ipſam; quià hoc nec Deus poterat: ſed nec etiam poteſt directè agere in voluntatem, ut eam immutet neceſſariò, vel qualitercunque inclinet; quod Deus poteſt. Et infrà: Undè ſolus Deus poteſt inclinationem voluntatis, quam ei dedit, transferre de uno in aliud, ſecundùm quod vult.

a *Quæ ſequũtur uſque ad hæc verba:* Illud autem aliud, *non fuerunt dicta in Diſputatione. Undè tãtùm poſita ſunt in margine Mss.*

a " Uterque articulus *8us. & 9us. q. 22. de veritate*, ſolet explicari ab adverſariis: quòd Deus poteſt non cogere, ſed immutare voluntatem neceſſariò, non ſalvâ tamen ejus libertate. Sed contrà: quià S. Thomas loquitur de immutatione, quæ fit per hoc, quòd Deus operatur in voluntate, ſicut in quâlibet aliâ causâ. Undè loquitur de immutatione quæ modò fit, quæ ſine dubio ſalvat hominis libertatem. Itèm, quià *in 2m. diſt. 21. art. 1.* dicit, alludens ad hoc, quòd Deus omnipotentiâ ſuâ immutat hominis voluntatem, & facit, quòd id voluntariè, id eſt, liberè velit. Itèm quià *art. 9. modò citato*, dicit, quòd Deus ſolus poteſt immutare voluntatem, vel illam inclinare ex parte agentis. Ubì duo ſimùl docet; & quòd poteſt illam immutare abſque libertate, ſi velit, ſivè neceſſariò omninò & neceſſitate abſolutâ; & quòd per modum agentis poteſt illam inclinare efficaciter, videlicèt, quocunquè voluerit. Hæc enìm duo tribuit Deo; non autem quòd illam cogat propriè. Quæ duo etiam creaturæ negat. Quod autem opponunt S. Thomam *in artic. 8.* dicere, quòd Deus immutat voluntatem non imprimendo ei aliquam formam; ex quo deducunt, ipſum negare phyſicam prædeterminationem voluntati inhærentem; nihil juvat: quià ibì negat Deum determinare per formam habitualem; ut verbis expreſſis dicit; non autem negat, quòd impreſſione & motione actuali illam prædeterminet. «

Illud autem aliud, quòd Deus hâc prævià & efficaci motione prædeterminet verè, ſeu efficienter, aut phyſicè hominis voluntatem ad agendum, docet S. Thomas *1. p. q. 19. art. 3. ad 3.* In quinto enìm loco tale propoſuerat argumentum: *Ab eo quod eſt ad utrumlibet, non ſequitur aliqua actio, niſi ab aliquo alio inclinetur ad unum; ut dicit Commentator in 2. Phyſic. Si ergò voluntas Dei in aliquibus ſe habet ad utrumlibet, ſequitur, quòd ab aliquo alio determinetur ad effectum; & ſic habet aliquam cauſam priorem.* Quod argumentum apertè procedit de causâ priori determinante per modum cauſæ efficientis voluntatem, quæ eſt ad utrumlibet, ut de facto operetur. Et intendit, quòd quià Dei voluntas non poteſt habere priorem cauſam, à quâ efficienter determinetur, ipſa Dei voluntas non ſit ad utrumlibet libera, ſed omnia ex neceſſitate velit. Hoc eſt argumentum. Et reſpondet ſanctus Thomas: *Ad quintum dicendum, quòd cauſa, quæ eſt ex ſe contingens, oportet quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum. Sed voluntas divina, quæ ex ſe neceſſitatem habet, determinat ſeipſam ad volitum, ad quod habet aptitudinem non neceſſariam.* Quibus verbis differentiam apertam conſtituit inter voluntatem omnem creatam, quæ eſt de ſe cauſa contingens, & inter divinam voluntatem, quæ eſt de ſe neceſſaria: & ſtatuit quòd creata voluntas, quià eſt de ſe contingens, & eſt ad utrumlibet cum potentialitate & imperfectione, neceſſe eſt quòd ab alio determinetur priùs, ſicut à verâ causâ efficiente, ut liberè operetur. At verò divina voluntas, quià eſt prima cauſa neceſſaria, non determinatur ab aliâ priori, ſed ipſa ſe determinat liberè ad id, ad quod habet habitudinem non neceſſariam. Itaque docet apertè S. Thomas, quòd ſicùt eſt de ratione voluntatis divinæ, quià prima cauſa libera eſt, quòd à nullâ priori causâ determinetur ad agendum; ità de ratione

tione cujuſcunque creatæ voluntatis eſt, quià ſecunda cauſa libera eſt, quòd à Deo determinetur, ſicùt à primâ causâ, ad effectum. Determinare autem ad effectum, eſt determinare voluntatem antè effectum: undè eſt priùs determinare, quàm effectum producat. Et ſic eſt prædeterminare verè efficienter & phyſicè, ſeu ex parte potentiæ quòad exercitium.

Nec valet aliquorum ſolutio, quæ expreſsè contrà litteram S. Thomæ procedit, dicentium: S. Thomam loqui hìc de determinatione objectivâ, quæ, videlicèt, fit per intellectum, qui objectivè movet ſeu determinat voluntatem, quòad ſpecificationem; non autem quòd loquatur de prædeterminatione, quòad exercitium, ſeu phyſicâ. Non, inquam; valet iſta ſolutio; quià eſt contrà litteram S. Thomæ. 1°. Quià argumentum modò factum, cui S. Thomas reſpondebat, manifeſtè, ut declaratum eſt modò, procedit de determinatione quòad exercitium, ſeu phyſicâ, à priori causâ proveniente. Undè ſi ſolutio S. Thomæ de illâ non loquitur, ſed de aliâ determinatione quòad ſpecificationem, non reſpondet aliquo modo ad argumentum, nec illud ſolvit. 2°. Quià ſi S. Thomas non loquitur de prædeterminatione phyſicâ, ſeu quòad exercitium, falſa eſſet ejus doctrina, falſaque ſolutio, nullaque differentia quam conſtituit inter voluntatem divinam & creatam, quòad hoc, quòd divina ab aliâ non determinatur ad agendum, creata autem voluntas ut agat, oportet quòd ab alio determinetur. Nàm ſi ſermo eſt de determinatione objectivâ, quæ fit per intellectum quòad ſpecificationem, etiam divina voluntas determinatur objectivè & quòad ſpecificationem à divino intellectu, ſicut creata voluntas determinatur quòad ſpecificationem & objectivè à ſuo creato intellectu. Undè ſi de hâc prædeterminatione loqueretur, deberet dicere, nullo modo in hoc differre divinam voluntatem & creatam; ſed potiùs convenire in hoc, quòd utraque à ſuo intellectu determinatur objectivè & quòad ſpecificationem. Cùm ergò S. Thomas totum contrarium affirmet, & expreſſam conſtituat differentiam inter creatam voluntatem, & voluntatem divinam, quòd divina non determinatur ad agendum ab aliâ priori causâ, creata autem voluntas ab aliâ priori causâ determinetur; neceſſe eſt omninò fateri, S. Thomam loqui manifeſtè de prædeterminatione, quæ fit à causâ priori efficienter, ſeu quòad operis exercitium. Et tunc aſſignat veriſſimam & apertiſſimam differentiam, quòd divina voluntas à nullâ priori causâ phyſicè ſeu efficienter determinatur ad agendum: creata autem voluntas ab aliâ priori causâ verè efficienter determinatur, ut agat.

Quod adhuc clariùs conſtat ex eodem S. Thomâ *Lib. 1. contrà Gentes cap. 82.* ubì tale proponit quartum argumentum, quod eſt omninò idem cum eo, quod propoſuit *1. p. q. 19. art. 3. nunc citato*: *Si quod eſt*, inquit, *ad utrumlibet indifferenter ſe habens, non magìs in unum quàm in aliud tendit, niſi ab alio determinetur; oportet quòd Deus, vel nihil eorum velit ad quæ ad utrumlibet ſe habet, (cujus contrarium ſuprà oſtenſum eſt) vel quòd ab alio determinetur ad unum: Et ſic erit aliquid eo prius, quod ipſum determinet ad unum.* Hoc eſt argumentum, cui ut reſpondeat tradit illam mirabilem doctrinam ſub diſtinctione, quòd eſſe ad utrumlibet indifferens ſtat dupliciter. Uno modo cum potentialitate ex parte voluntatis. Alio modo cum indifferentiâ activâ reſpectu hujus objecti vel alterius & abſque potentialitate, docens: *quòd quià voluntas divina eſt ad utrumlibet indifferens abſque omni potentialitate, ideò non indiget, quòd ab aliâ priori causâ determinetur, quæ tollat illam potentialitatem & imperfectionem.* Quibus verbis iterùm ſolvit argumentum eodem modo ſicut *in primâ parte*, ponens apertam differentiam inter voluntatem divinam & creatam, quantùm ad hoc, quòd voluntas creata ab aliâ priori causâ determinatur efficienter,

& quòad exercitium, propter potentialitatem. At voluntas divina, quià nullam habet potentialitatem, non determinatur efficienter, & quòad exercitium, ab aliâ priori causâ.

Et ſtatìm ſubdit S. Thomas illa verba: *Quamvìs autem voluntas divina ad ſua cauſata non determinetur, non tamen oportet dicere, quòd nihil eorum velit, aut quòd ad volendum ab aliquo exteriori determinetur. Cùm enim bonum apprehenſum voluntatem ſicùt proprium objectum determinet, intellectus autem divinus non ſit extraneus ab ejus voluntate, cùm utrumque ſit ſua eſſentia; ſi voluntas Dei ad aliquid volendum per ſui intellectûs cognitionem determinetur, non erit determinatio voluntatis divinæ per aliquid extraneum facta.* Hæc S. Thomas. Quibus verbis fatetur quidem, quòd divina voluntas determinatur objectivè, & quòad ſpecificationem, per intellectum divinum, ſicut etiam voluntas creata quæcunque determinatur objectivè, & quòad ſpecificationem per intellectum creatum; in quo eſt convenientia inter voluntatem divinam & voluntatem creatam. Sed in alio eſt magna differentia: quòd creata voluntas ab àliquo extrinſeco agente, & ab aliâ priori causâ extrinſecâ efficienter determinatur, propter ſuam potentialitatem ad agendum. Cæterùm divina voluntas, quià potentialitatem nullam habet, à nullo priori agente extrinſeco determinatur efficienter, ſivè quòad operis exercitium. Igitur ſecundùm S. Thomam, creata voluntas priùs determinatur efficienter, ſeu prædeterminatur phyſicè à Deo ad agendum, propter potentialitatem quam habet creata voluntas, à quâ debet reduci de potentiâ in actum ab ipſo Deo, ut de facto agat.

Eamdem efficientem prædeterminationem tradit S. Thomas *1. p. q. 105. art. 1. ad 3.* ità dicens: *Ad tertium dicendum, hoc ipſum, quòd cauſæ ſecundæ ordinantur ad determinatos effectus eſt illis à Deo. Undè Deus quià alias cauſas ordinat ad determinatos effectus, poteſt etiam determinatos effectus producere per ſeipſum, ſine quocunque alio.* Hoc ipſum, inquit, quòd cauſæ ſecundæ determinantur ad determinatos effectus, eſt illis à Deo. Igitur Deus determinat ſecundas cauſas ad determinatos effectus. Igitur verè efficienter prædeterminat cauſas ſecundas Deus ad determinatos effectus.

Eamdem phyſicam, ſeu verè efficientem prædeterminationẽ docet S. Thomas *1. 2. q. 10. art. 4.* Quæ duo teſtimonia, quià P. R. pro ſe adduxit, & in illis convincitur contrà illos, ideò cùm reſpondebo ad objecta in contrarium teſtimonia, manifeſtabo qualiter in utroque loco S. Thomas veram phyſicam prædeterminationẽ doceat manifeſtè.

Nunc ergò jàm ad illud IV^m. oſtendam, qualiter S. Thomas dicat apertiſſimè, poſitâ hàc efficaci in voluntate & præviâ determinatione, ſeu phyſicâ prædeterminatione, non ſtare ſimùl, quòd voluntas non operetur, nec poſſe non conſentire in ſenſu compoſito, ità quòd poſſit cum illâ conjungere voluntas contrarium diſſenſum; licèt ſemper liberè conſentiat, & cum liberâ facultate ad diſſentiendum ſi velit. Hoc inprimis docet S. Thomas *1. 2. q. 10. art. 4. ad 3.* Oppoſuerat enìm tertium argumentum in hunc modum: *Poſſibile eſt, quo poſito non ſequitur impoſſibile; ſequitur autem impoſſibile, ſi ponatur quòd voluntas non velit hoc ad quod Deus eam movet: quià ſecundùm hoc, operatio Dei eſſet inefficax. Non ergò eſt poſſibile voluntatem non velle hoc ad quod Deus eam movet. Ergò neceſſe eſt eam hoc velle.* Cui argumento ità reſpondet: *Ad tertium dicendum, quòd ſi Deus movet voluntatem ad aliquid, impoſſibile eſt huic poſitioni, quòd voluntas ad illud non moveatur. Non tamen eſt impoſſibile ſimpliciter. Undè non ſequitur, quòd voluntas à Deo ex neceſſitate moveatur.*

Et *eâd. 1. 2. q. 112. art. 3.* ità dicit: *Alio modo poteſt conſiderari ſecundùm quod eſt à Deo movente: & tunc habet neceſſitatem ad id ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, ſed infallibilitatis.* Per coactionem hìc ſanctus Thomas intelligit omnem coactionem,

ſivè

Digitized by Google

ſivè propriam, quæ violentia eſt, ſivè impropriam, quæ eſt neceſſitas abſoluta, tollens libertatem: quià utraque coactio opponitur neceſſitati infallibilitatis, quam admittit S. Thomas. Et clariùs *2. 2. q. 24. artic. 11.* ità dicit: *Reſpondeo dicendum, quòd per charitatem Spiritus Sanctus in nobis habitat, ut ex ſupradictis patet. Tripliciter ergò poſſumus conſiderare charitatem. Uno modo ex parte Spiritûs Sancti moventis animam ad diligendum Deum. Et ex hâc parte charitas impeccabilitatem habet ex Spiritûs Sancti virtute, qui infallibiliter operatur quodcunque voluerit. Undè impoſſibile eſt, hæc duo eſſe vera; quòd Spiritus Sanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & quòd ipſe charitatem amittat peccando. Nàm donum perſeverantiæ computatur inter beneficia Dei, quibus certiſſimè liberantur quicunque liberantur; ut Auguſtinus dicit in Libro de prædeſtinatione Sanctorum.* Igitur S. Thomas loquendo expreſsè de Dei motione prævià applicante & determinante ad agendum, ut patet ex omnibus locis inductis, apertè docet impoſſibile eſſe hæc duo ſimùl eſſe, hæc duo ſimùl conjungi, & quòd Spiritus Sanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & quòd ipſe charitatem amittat peccando. Non poteſt ergò homo conjungere & componere cum efficaci Dei prævià motione, propter ejus efficaciam, contrarium diſſenſum: quod eſt, non poſſe diſſentire in ſenſu compoſito. In his enìm tribus inductis teſtimoniis *ex 1. 2. & 2. 2.* conſtat apertiſſimè, quis ſit ſenſus compoſitus, & qualiter in ſenſu compoſito non poſſit homo diſſentire, id eſt non poſſit ſimùl conjungere cum efficaci Dei prævià motione contrarium diſſenſum, quamvìs ſemper potentiam liberam habeat, etiam ſuppoſitâ illâ efficaci Dei prævià motione, ad diſſentiendũ ſi velit.

Quod & S. Thomas in terminis declaravit *q. 6. de veritate, art. 3. ad 7.* dicens: *Ad ſeptimum dicendum, quòd aliquid poteſt dici poſſe dupliciter. Uno modo conſiderando potentiam quæ in ipſo eſt; ſicut dicimus quòd lapis poteſt moveri deorsùm. Alio modo conſiderando id quod ex parte alterius eſt; ſicut ſi dicerem, quòd lapis poteſt moveri ſursùm, non per potentiam quæ in ipſo ſit, ſed per potentiam projicientis. Cùm ergò dicitur, prædeſtinatus iſte poteſt in peccato mori, ſi conſideretur ipſius potentia, verum eſt: ſi autem loquamur de prædeſtinato ſecundùm ordinem quem habet ad aliud, ſcilicèt, ad Deum prædeſtinantem, ſic ordo ille non compatitur ſecum iſtum eventum, quamvìs compatiatur ſecum iſtam potentiam; & ideò poteſt diſtingui ſecundùm diſtinctionem primò inductam, ſcilicèt, conſideratio ſubjecti cum formâ, vel ſine formâ.* Docet ergò apertè, quòd ordo prædeſtinationis non compatitur ſecum, quòd qui eſt prædeſtinatus, damnetur; quamvìs optimè compatiatur ſecum potentiam, quâ liberè poteſt damnari. Sic ergò gratia Dei efficax, quæ eſt effectus prædeſtinationis, non compatitur ſecum quòd homo diſſentiat, licèt ſecum compatiatur potentiam liberam, quâ ſemper poteſt diſſentire ſi velit.

Et *art. 4. ſeq. ſolut. ad 8.* iterùm dicit S. Thomas: *Ad octavum dicendum, quòd, ſicùt ex dictis patet, quamvìs de quolibet abſolutè concedi poſſet, quòd Deus poteſt eum prædeſtinare, vel non prædeſtinare, tamen ſuppoſito quòd prædeſtinaverit, non poteſt non prædeſtinare, vel è converſo; quià non poteſt eſſe mutabilis: & ideò dicitur communiter, quòd hæc propoſitio, Deus poteſt non prædeſtinatum prædeſtinare, in ſenſu compoſito eſt falſa, in diviſo vera: & ideò omnes locutiones illæ, quæ ſenſum compoſitum implicant, ſunt falſæ ſimpliciter.* Quid clarius? In hâc materiâ prædeſtinationis, & gratiæ, & liberi arbitrij, omnes propoſitiones de verbo *poteſt* affirmativæ, ſumptæ in ſenſu compoſito, ſunt ſimpliciter falſæ, inquit S. Thomas. Et tradit doctrinalem regulam abſque exceptione. Omnes propoſitiones, inquit, affirmativæ de verbo *poteſt*, in ſenſu compoſito ſunt ſimpliciter falſæ. Igitur iſta propoſitio: liberum arbitrium motum efficaci Dei gratiâ poteſt diſſentire; in ſenſu cõpoſito eſt ſimpliciter falſa,

falſa, & ut talis debet negari ab omni Theologo; ut S. Thomas, non ſolùm in hoc loco, ſed & in aliis modò citatis illam expreſsè negat, explicando ſimùl ſenſum compoſitum verum eſſe iſtum: Impoſſibile eſt, hæc duo ſimùl ſtare, & quòd liberum arbitrium à Deo ſit motum, & quòd non conſentiat. Quòd autem in ſenſu diviſo ſemper, poſitâ efficaci Dei gratiâ, homo potentiam liberam habeat ad diſſentiendum, præter teſtimonia inducta modò, id clariùs docet idem S. Thomas *q. 23. de veritate, art. 5. ad 3.* dicens: *Ad tertium dicendum, quòd quamvìs non eſſe effectus divinæ voluntatis, non poſſit ſimùl ſtare cum divinâ voluntate, tamen potentia deficiendi effectum, ſimùl ſtat cum divinâ voluntate; non enim ſunt iſta incompoſſibilia: Deus vult iſtum ſalvari, & iſte poteſt damnari; ſed iſta ſunt incompoſſibilia: Deus vult iſtum ſalvari, & iſte damnatur.* In iſto loco expreſſiùs tradit veram intelligentiam ſenſûs diviſi atque compoſiti. Senſus enìm compoſitus eſt, quòd poſitâ divinâ voluntate, volente iſtum ſalvari, non ſit ſimùl compoſſibile, quòd damnetur. Senſus autem diviſus eſt, quòd eâdem poſitâ divinâ voluntate, ut iſte ſalvetur, adhuc manet in homine libera potentia ut damnetur.

Qui autem argumentantur hoc modo: homo non poteſt diſſentire in ſenſu compoſito efficaci Dei motioni; ergò non poteſt diſſentire; argumentantur à dicto ſecundùm quid ad dictum ſempliciter. & divertunt à ſenſu compoſito ad ſenſum diviſum. In quâ diſgreſſione quomodò fallantur, docet manifeſtè S. Thomas *Lib. 1. contrà Gentes cap. 67.* ità dicens: *Hæc conditionalis eſt neceſſaria; ſi videtur ſedere, ſedet. Undè etſi conditionalis in categoricam tranſeat, ut dicatur: quod videtur ſedere neceſſe eſt ſedere; patet eam de dicto ſecundùm quid intellectam & compoſitam, eſſe veram, & diviſam eſſe falſam. Et ſic in his & in omnibus ſimilibus, quæ Dei ſcientiam circà contingentia oppugnantes argumentantur, ſecundùm compoſitionem & diviſionem falluntur.* Falluntur, inquit S. Thomas, qui ex ſenſu compoſito divertunt ad diviſum; ſicut PP. Societatis ſemper faciunt, dùm ex eo quod communiter dicitur à Theologis, quòd homo efficaciter à Deo motus non poteſt diſſentire in ſenſu compoſito, inferunt per fallacem conſequentiam: ergò non poteſt diſſentire. Quæ propoſitio abſolutè, & ſine addito prolata, facit ſenſum diviſum.

Jàm illud ultimum, quod à principio propoſui, quomodò, videlicèt, S. Thomas reſpondeat in terminis, omnibus argumentis, quibus PP. Societatis utuntur in hâc parte, patet ex dictis. PP. enìm RR. in hâc conſequentiâ laborant ſemper æquivocatione maximâ: Homo non poteſt diſſentire efficaci Dei motioni in ſenſu compoſito, id eſt, non poteſt ſimùl conjungere cum efficaci Dei gratiâ contrarium diſſenſum: ergò non poteſt diſſentire, id eſt, non habet liberam potentiam ad diſſentiendum, ſi velit. In quâ tamen conſequentiâ, docet S. Thomas antecedens eſſe veriſſimum, & conſequens falſiſſimum, affirmans quòd nimìs falluntur, qui ſic argumentantur. Itèm ſingulare fundamentum RR. PP. eſt, quòd neceſſitas proveniens ex ſuppoſitione antecedente divinæ voluntatis & cauſalitatis, tollit ab homine libertatem. Et tamen S. Thomas *1. p. q. 9. art. 8. ad 3.* ut à principio non explicavi, ſed legi, hoc ponit argumentum tertio loco, & illud ſolvit, dicens: Ex tali antecedente neceſſitate divinæ voluntatis & cauſalitatis, non ſequi neceſſitatem abſolutam, quæ lædat libertatem; ſed conditionatam quæ libertatem cauſat & perficit. Item *q. 3. de potent. art. 7.* in toto articulo; & potiſſimè *ſolut. ad 12. & 13. & 14.* reſpondet omnibus argumentis, quibus PP. Societatis convincuntur in hâc parte. Quæ omnia, quià non ſemèl ſunt inducta, ob brevitatem omitto.

Prætereà *1. p. q. 83. art. 1.* conſtituit argumenta quinque, quæ ſunt

argumenta

argumenta iſtorum PP. in terminis, & illa apertiſſimè ſolvit; & cum motione efficaci Dei antecedente ſalvat optimè hominis libertatem. Eadem argumenta ſolvit manifeſtè *1. p. q. 105. art. 4.* Ubì cum hoc, quod eſt voluntatem hominis à Deo moveri, docet ſtare ſimùl, quòd ipſa voluntas ſe liberè moveat. Innumera ſunt teſtimonia, quibus S. Thomas argumenta iſtorum PP. ſolvit in terminis. Undè quià omnibus iſta ſunt nota, nec in eis eſt immorandum; ſed tantùm ad teſtimonia objecta ex ſancto Thomâ contrà S. Thomam, erit per ſingula reſpondendum.

Et quidem ad illud primum quod oppoſuit: Cajetanum, Ferrarienſem, & Capreolum aſſerere ex mente S. Thomæ, Deum non influere in cauſas ſecundas, quià poſitâ hâc ſententiâ negatur phyſica prædeterminatio; quià iſta conſequentia eſt bona: Deus non movet præviâ actione; ergò non phyſicè prædeterminat: Reſpondeo, negando antecedens. Falsò enim tribuitur Cajetano, Capreolo, & Ferrarienſi, quòd negent præviam Dei motionem influentem in ipſas cauſas ſecundas. Immò illam ſemper ex mente apertiſſimâ S. Thomæ docuerunt; ut apertè monſtrabo, cùm agetur de iſtorum Authorum ſententiâ & mente. Undè totum fundamentum hujus primi argumenti penitùs corruit.

In ſecundo loco ſic argumentabatur R. P.: adhuc dato, quòd ſententia S. Thomæ ſit, quòd Deus movet ſecundas cauſas influxu prævio, adhuc conſequentia iſta nulla eſt: Deus movet influxu prævio cauſam ſecundam; ergò illam phyſicè prædeterminat: quià, ut dicebat, tenet à ſuperiore ad inferius affirmativè; ſicut ſi quis argumentaretur: hoc ens eſt animal; ergò eſt homo. Et, ut dicebat, eſt manifeſta inſtantia; quià Deus movet præviè per auxilium ſufficiens, & influit in voluntatem, non tamen illam phyſicè prædeterminat.

Ad quod Reſpondeo: quòd quamvìs iſta conſequentia ſit nulla, & teneat à ſuperiori ad inferius affirmativè: Deus movet auxilio prævio influendo in voluntatem; ergò phyſicè prædeterminat, tamen iſta conſequentia evidens eſt: Deus præviè influit in voluntatem, ipſam efficaciter movendo; ergò phyſicè prædeterminat. Hæc, inquam, conſequentia eſt manifeſta, & tenet ab æquivalentibus. S. Thomas autem, ut ex dictis relinquitur manifeſtum, conſtituit influxum prævium in cauſas ſecundas, quo Deus illas efficaciter movet, & ad agendum applicat. Et quandò nihil aliud dixiſſet, ibì reipsâ tradit auxilium phyſicè prædeterminans. Sed quod magìs eſt, ut oſtendi, in terminis docet, quòd Deus, hoc prævio influxu in cauſas ſecundas impreſſo, præviè voluntatem determinat ad agendum, in quo tradit phyſicam prædeterminationem. Undè R. P. committit fallaciam in ſuâ ratione; quià non ſumit antecedens, quod conſtituit S. Thomas; ſed aliud valdè diverſum; ut modò oſtendi.

Tertio loco R. P. hanc conſtituebat generalem Concluſionem: quòd S. Thomas non conſtituit Deum phyſicè prædeterminare voluntatem in ordine ad omnes in univerſum actiones tàm naturales, quàm ſupernaturales. Quod probabat primò *ex 1. 2. q. 9. art. 6. ad. 3.* dicente, quòd Deus movet voluntatem, ut generalis motor ad univerſale objectum voluntatis, quod eſt bonum; ſed homo per rationem determinat ſe ad volendum hoc vel illud: ſimùl affirmans, quòd aliquandò Deus movet aliquos ad aliquid determinatè volendum; ſicut illos quos movet per gratiam.

Ad quod Reſpondeo: veram intelligentiam hujus loci pendere ex his quæ docet S. Thomas *in art. 3. & 4. ejuſdem q.*, & ex his quæ docuit *1. 2. q. 111. art. 2.* Quibus locis apertè affirmat, quòd ad volitionem finis voluntas ſe non movet, ſed à ſolo Deo movetur; docens, quòd licèt voluntas liberè eliciat volitionem finis, tamen non ſe movet ad illam volitionem

Digitized by Google

habendam; quià non habet priorem volitionem & deliberationem, per quam ſe moveat. Undè neceſſe eſt quòd à ſolo Deo moveatur. At verò in ordine ad volitionem mediorum, docet S. Thomas in omnibus iſtis locis, quòd voluntas ſe movet ad illam per priorem volitionem finis, & per priorem deliberationem. Cùm ergò S. Thomas hanc doctrinam præſupponat à ſe traditam *in hâc q. 9. art. 3. & 4.*, ſtatìm *art. 6. in citatâ ſolut. ad 3.* docet, quòd Deus ut univerſalis motor movet & determinat voluntatem ad univerſale bonum, id eſt, ad finem; qui finis eſt univerſale bonum, & objectum voluntatis; movet enìm ad beatitudinem acquirendam. Omnis enìm homo, etiam in actu peccati, quærit bonum ut ſic, id eſt, beatitudinem, in tantùm quòd idem S. Thomas docet, quòd homo quærendo beatitudinem non peccat; ſed quià illam quærit in peccato, ubì reverâ non eſt, ideò peccat. Ad univerſale ergò bonum, ſcilicèt, ad beatitudinem acquirendam, quæ eſt finis voluntatis, Deus movet & determinat voluntatem, ut motor univerſalis; & ad hoc, ut bonum, voluntas non ſe movet. At verò ad hoc vel illud particulare bonum, quod eſt medium, homo motus & determinatus à Deo, ſeipſum per rationem movet ac determinat, & per priorem volitionem finis, & per priorem deliberationem. Et iſta eſt intelligentia S. Thomæ in iſto loco: quòd, videlicèt, ad volitionem finis voluntas non ſe movet, & tantùm movetur à Deo; at verò ad volitionem cujuſcunque boni particularis & movetur & determinatur à Deo, ſicùt à primo agente; & etiam ipſa in ſuo ordine ſicut agens proximum ſe determinat & movet per rationem & deliberationem.

Quod & S. Thomas clariùs præmiſerat *art. 4. ejuſdem q. ſolut. ad 3.* aìt enìm: *Ad tertium dicendum, quòd voluntas, quantùm ad aliquid, ſufficienter ſe movet, & in ſuo ordine, ſcilicèt, ſicut agens proximum, ſed non poteſt ſeipſam movere quantùm ad omnia; ut oſtenſum eſt. Undè indiget moveri ab alio, ſicùt à primo movente.* Cujus ſenſus eſt: quantùm ad aliquid, id eſt, quantùm ad volitionem mediorum ſeipſam movet in ſuo ordine, ut agens proximum; licèt ad id moveatur & determinetur à Deo, ſicùt à primo agente. At verò quantùm ad omnia, id eſt, quantùm etiam ad volitionem finis, non ſe movet nec determinat, ſed à ſolo Deo movetur & determinatur, & ipſa ſic mota, elicit liberè volitionem finis.

Subdit prætereà S. Thomas, quòd in his quos movet per gratiam, illos movet ad aliquid determinatè volendum; ità quòd ad illud determinatè volendum, ipſi non ſe moveant; ut explicavit *q. 111. art. 2.* docens, quòd per gratiam operantem Deus movet hominem ad aliquid determinatè volendum; ad quod volendum non ſe homo movet. Undè ex iſto loco nullo modo colligitur: quòd licèt homo ſe determinet per rationem ad hoc vel illud particulare bonum, non determinetur, ad id volendum, à Deo, ſicut à primo agente. Immò *ex iſtâ q. 9. art. 3. & 4.* totum contrarium conſtat ex apertâ S. Thomæ ſententiâ.

Deindè inducebat alium ſecundum locum S. Thomæ *ex eâdem 1. 2. q. 80. art. 1. ad 3.* ubì dicit: quòd Deus eſt univerſale principium omnis interioris motûs humani: ſed quòd determinetur ad malum conſilium voluntas humana, id quidem directè eſt à voluntate humanâ, & à Diabolo per modum ſuadentis. Ex quo inferebant PP. Societatis: quòd ex eo quòd Deus ſit univerſale principium omnis humani motûs, non tamen ſequi in doctrinâ S. Thomæ, quòd Deus determinet ad omnes tales actiones.

Ad quod Reſpondeo: S. Thomam in iſto loco aſſerere, quòd Deus non determinet ad malum culpæ, ſicut nec ad id movet; ſed quòd ſola voluntas ſe determinat directè ad malum conſilium, ſicut ad id ſe ſolam movet. Cum quo tamen ſtat, quod

S. Thomas

S. Thomas docet ſemper, quòd Deus, ſicut eſt univerſale principium movens ad omnem actionem & motum voluntatis, quatenùs entitas & actio eſt, quià ut ſic bona eſt: ità determinat ad omnem motum & actionem, quatenùs entitas & actio eſt. Et hoc ideò, quià eſt univerſale principium omnis entitatis & actionis, quatenùs entitas & actio eſt.

Deindè ad illud opponebat P. R.: quòd in S. Thomæ ſententiâ, Deus non determinat voluntatem ad aliquem actum ſupernaturalem. Quod primò probabat ex ſancto Thomâ *in 2m. diſt. 25. art. 1. ad 3.*. Verba ſunt: *Dicendum quòd Deus operatur in omnibus, ità tamen, quòd in unoquoque ſecundùm ejus conditionem. Undè in rebus naturalibus operatur, ſicut miniſtrans virtutem agendi, & ſicùt determinans naturam ad talem actionem. In libero autem arbitrio hoc modo agit, ut virtutem agendi ſibi miniſtret, & ipſo operante, liberum arbitrium agat: ſed tamen determinatio actionis & finis in poteſtate liberi arbitrij conſtituitur. Undè remanet ſibi dominium ſui actûs, licèt non ità, ſicut primo agenti.* In quo loco S. Thomas hanc conſtituit differentiam inter alias res naturales, & liberum arbitrium: quòd in aliis rebus naturalibus, Deus eis dat virtutem, & eas naturaliter movet ad unum, atque determinat; ità quòd determinatio actionis & finis illorum poteſtati non relinquitur: at verò in libero arbitrio ità operatur, ut ei det facultatem operandi, & ità in eo actualiter operatur, ipſum movendo & ad actionem determinando, ut tamen determinatio actionis & finis ſit in poteſtate liberi arbitrij; ità quòd liberum arbitrium ſe liberè determinet ad agendum, ſed non ſicut primum agens, ſed in ipſo gradu & ordine, ſicut agens proximum. Et propterea addidit illa verba: quòd determinatio actionis eſt in poteſtate liberi arbitrij, ſed non ſicut in primo agente; de cujus ratione eſt, quòd à nullo alio determinetur: ut expreſsè docuit S. Thomas *1. p. q. 19. art. 3. ad 5.* in loco inducto; ubi apertam poſuit differentiam inter divinam voluntatem, & voluntatem creatam: quòd divina voluntas, quià primum agens eſt, à nullo determinatur; voluntas autem creata, ut ſe liberè determinet, priùs naturâ à Deo determinatur. Undè in iſto loco S. Thomæ à PP. RR. inducto, nihil aliud dixit S. Doctor, niſi quod *in 1. p.*, videlicèt, quòd voluntas ſe liberè determinat, ſed non ſicùt primum agens, quod à nullo alio determinatur.

Aliud etiam ad idem inducebat teſtimonium *ex eodem Lib. in 2m. diſt. 28. q. 1. art. 1.* ubì S. Thomas hæc verba dicit: *Non enim eſſet homo liberi arbitrij, niſi ad eum determinatio ſui operis pertineret.* Ubì S. Thomas tantùm affirmat, quòd ut homo ſit liber, oportet quòd ſe liberè determinet: ſed non aït, quòd ità ſe liberè determinat, ut à nullo alio priùs, in actu primo, determinetur; quià hoc, ut dixi, proprium eſt primi agentis; ut S. Thomas docuit ſemper, utì dictum eſt modò.

Aliud prætereà inducebat ex ſancto Thomâ teſtimonium *ex eodem Lib. in 2m. diſt. 25. art. 1.* ubì S. Thomas hæc verba dicit *in fine corporis*: *Et indè eſt, quòd judicium de actione propriâ eſt ſolùm in habentibus intellectum; quaſi in poteſtate eorum conſtitutum ſit, eligere hanc actionem, vel illam. Undè & dominium ſui actûs habere dicuntur. Et propter hoc in ſolis intellectum habentibus liberum arbitrium invenitur; non autem in illis, quorum actiones non determinantur ab ipſis agentibus, ſed à quibuſdam aliis cauſis prioribus.* Hæc S. Thomas. Quibus verbis nihil aliud, ut ipſa verba ſonant, dicit, niſi quòd res non habentes intellectum non determinant ſeipſas; ſed tantùm ab aliis cauſis prioribus determinantur: & ſic quià ſe non determinant, libertatem non habent. At verò, quià liberum arbitrium prædeterminatum à Deo, videlicèt in actu primo, ità à Deo prædeterminatur, quòd etiam ſe liberè determinat per electionem & judicium

 rationis;

rationis; ideò habet libertatem. Itaque ſe liberè homo determinat & in hoc ejus libertas cōſiſtit: ſed non ſe primò determinat ſicut primū agens; ut S. Thomas *in 1. p. citato loco* apertè manifeſtat.

Præterea inſiſtebat P. R.: quòd ſi aliquis dicat S. Thomam in prædictis locis tantùm aſſerere, quòd liberum arbitrium non determinatur ab aliis cauſis prioribus, præter Deum; non autem negare quòd à Deo, ſicut à primâ omnium cauſâ determinetur: contrà hoc opponebat aliud S. Thomæ teſtimonium *in 4m. diſt. 49. q. 1. art. 3. ad 1.* cujus verba ſunt: *Ad primum dicendum, quòd potentia rationalis ſe habet ad oppoſita in his quæ ei ſubſunt; & hæc ſunt illa, quæ per ipſam determinantur; non autem poteſt in oppoſita illorum, quæ ſunt ei ab aliquo determinata; & ideò voluntas non poteſt in oppoſitum ejus, ad quod ex divinâ impreſſione determinatur, ſcilicèt, in oppoſitum ultimi finis: poteſt autem in oppoſitum eorum, quæ ipſa ſibi determinat, ſicut ſunt ea quæ ordinantur in finem ultimum, quorum electio ad ipſam pertinet.* Certè mirandum eſt valdè, quòd iſte locus inducatur à Patribus Societatis, cùm potiſſimè illorum damnet ſententiam. Inprimis enìm, quarè in eodem loco non legerunt, vel non conſideraverunt verba immediatè antecedentia, quæ ità habent: *Ad ſecundam quæſtionem dicendum, quòd operatio cauſæ ſecundæ ſemper fundatur ſuper operatione cauſæ primæ, & præſupponit eam: & ideò oportet quòd omnis operatio animæ procedat ex ſuppoſitione ejus quod inditum eſt animæ ex impreſſione primi agentis, Dei ſcilicèt.* Per quæ verba totaliter excluditur ſententia RR. PP., qui nolunt actionem cauſæ ſecundæ fundari in actione cauſæ primæ, negantes quòd cauſa ſecunda præſupponat actionem cauſæ primæ, & quòd non movetur ex impreſſione agentis primi.

Verba etiam in oppoſitum adducta, contrà RR. PP. apertè militant. Argumentum enìm cui S. Thomas reſpondebat, erat tale: *Videtur, quòd aliquis poſſit miſeriam appetere: omnis enìm rationalis potentia ad oppoſita ſe habet: ſed voluntas eſt potentia rationalis; ergò ſe habet ad oppoſita. Beatitudini enìm opponitur miſeria; ergò ſi poteſt aliquis appetere beatitudinem, poteſt appetere miſeriam.* Itaque argumentum hoc intendebat, quòd quià voluntas eſt libera ad oppoſita, poſſit ſicut beatitudinem, ità & miſeriam appetere. Et reſpondet S. Thomas verba relata, dicens: quòd voluntas eſt potentia ad oppoſita, in his quæ ei ſubſunt, ad quæ ipſa ſe determinat, videlicèt, in ordine ad media: non autem eſt libera, aut ad oppoſita ſe habens reſpectu eorum ad quæ ex neceſſitate & per modum naturæ determinatur ex impreſſione Dei; ſicut eſt id quod opponitur fini ultimo: quià à Deo ex neceſſitate, & per modum naturæ, ità determinatur ad beatitudinem procurandam in omni ſuo actu, quòd non poteſt velle miſeriam; quià ad hoc non minùs eſt determinata naturaliter, quàm brutum ad pabulum, vel lapis ad deſcenſum. Sed quod magìs eſt, P. R. quandò legit locum iſtum, non legit integrum. Solùm enìm legit: *& ideò voluntas non poteſt in oppoſitum ejus ad quod ex divinâ impreſſione determinatur;* & reliquit immediatè ſequentia, *ſcilicèt, in oppoſitum ultimi finis.* Quarè ergò iſta breviſſima verba immediatè conjuncta, per quæ tollitur omnis dubitatio, omiſit? Igitur tantùm abeſt, quòd hoc teſtimonium ſententiæ illorum faveat; quòd potiùs illam deſtruit.

Ad illa autem duo teſtimonia inducta *ex quæſt. 3. de potentiâ, artic. 7.* & *ex 1. 2. q. 10. artic. 4.* ubì S. Thomas docet, quòd Deus ex neceſſitate non determinat voluntatem ad unum; Reſpondeo: In illis duobus locis, etiamſi nulla alia eſſent, apertè tradere S. Thomam, Deum determinare voluntatem, liberè tamen & abſque neceſſitate. Illa enìm duo teſtimonia, ut verbis S. Auguſtini utar *Lib. 2. contrà epiſt. Petil. cap. 77.* a non ideò arma noſtra erunt, quià PP. RR. ea præoccupare conantur: à quibuſcunque enìm jactentur, viva oracula ſunt, a *Tom. 9. n. 172. col. 265*

& Dei

& Dei prædeterminationem manifeſtant. In illis enìm docet S. Thomas apertè, quòd Deus ex neceſſitate, & per modum quo determinat alia naturalia, nec movet, nec determinat voluntatem; attamèn determinat, ſine neceſſitate tamen.

Quod autem dicit de negatione quæ antecedit, non ſequitur &c. frivolum omninò eſt. Si enìm quis diceret: Petrus non eſt homo albus, negatio antecedit; ſed quamvìs antecedat, ſolùm negat Petrum eſſe album, non autem eſſe hominem. Itaque negat illud prædicatum cum illâ reſtrictione. Sic ergò cùm S. Thomas dicit, quòd Deus non determinat voluntatem ex neceſſitate, tantùm negat determinationem neceſſitantem, ſicut eſt in aliis naturalibus; non autem negat prædeterminationem non neceſſitantem. Immò illam conſtituit, dicens: quòd determinat quidem voluntatem, ſed non ex neceſſitate.

Inſuper alium inducebat locum ex S. Thomâ *quodlib. 1. art. 7. ad 2.* ubì dicit: quòd cuicunque auxilio prævenienti homo poteſt reſiſtere. Ex quo deducebat: quòd cùm auxilio prædeterminanti homo non poſſit reſiſtere, tale auxilium prædeterminans ibì negetur à S. Thomâ.

Ad quod Reſpondeo: quòd, ut ſæpè dixi & explicavi, auxilio phyſicè prædeterminanti homo poteſt diſſentire & reſiſtere, ſi verbum *reſiſtere* ſumatur pro eodem quod *diſſentire*; ut in illo citato loco à S. Thomâ ſumitur; ut alibì declaravi. Itaque etiam ſuppoſito auxilio prædeterminante, potentiam liberam habet homo ad diſſentiendum, ſi velit, licèt ſemper velit liberè conſentire. Et quià hoc ſæpiſſimè dictum & explicatum fuit, omitto.

Aliud etiam ſimile inducebat teſtimonium *ex q. 6. de malo, artic. unico.* Verba ſunt lecta, in quibus S. Thomas tantùm docet: quòd cuilibet cauſæ poteſt homo impedimentum præſtare, quià potentiam liberam habet ad impediendum, & quià poſitâ quâcunque ſufficienti ad conſentiendum & volendum, poteſt homo aliò divertere cogitationem. Sed in ſolutione hujus argumenti loquitur de aliis cauſis à primâ, quæ faciunt hominem ſufficienter velle, reſpectu quarum homo poteſt impedimentum præſtare, & aliò de facto divertere cogitationem. Non autem loquitur ibì de primâ causâ movente per auxilium præveniens efficax; quià illi homo de facto non poteſt impedimentum ponere.

Vel ſecundò intelligitur S. Thomas de omni causâ, etiam primâ movente per auxilium efficax, & reducente voluntatem de potentiâ in actum ad agendum: & docet, quòd licèt voluntatem ſic à Deo reductam in actum, neceſſe ſit neceſſitate infallibilitatis & conſequentiæ operari, tamen libera eſt in operando; quià potentiam liberam habet ad diſſentiendum, & ad divertendum aliò cogitationem, & ad impediendum ſi velit. Iſta ſecunda ſolutio videtur magìs litteræ conformis: quià in illo argumento S. Thomas intendebat iſta duo non ſtare; quòd voluntas, videlicèt, libera ſit ad oppoſita, & quòd ab aliâ reducatur in actum ad agendum; ità, quòd neceſſe ſit agere. Undè in ſolutione illâ duo concordat modò dicta.

Prætereà inducebat aliud ex S. Thomâ teſtimonium, *ex 1. p. q. 83. art. 1. ad 5.* ubì habetur: quòd inclinationes & qualitates, quæ ſunt in animâ, ſubjacent judicio rationis: undè per hæc libertati arbitrij non præjudicatur. Ex quo inferebat: quòd cùm phyſica prædeterminatio non conſtituatur ſubjacere judicio rationis, per illam præjudicatur libertati arbitrij.

Ad quod Reſpondeo: extrà Dubium & extrà propoſitum totaliter induci hoc teſtimonium. Quià Sanctus Thomas in illo articulo & in illâ ſolutione non loquitur de divinâ motione prædeterminante; ſed loquitur de aliis paſſionibus & qualitatibus naturalibus, quibus afficimur & inclinamur ad aliquid agendum; & de iſtis docet: quòd non neceſſitant volun-

tatem ad aliquid agendum vel faciendum; quià paſſiones tales appetitûs ſenſitivi, & ſimiles, ſubduntur judicio rationis. Et hanc eſſe veram intelligentiam conſtat ex argumento quinto, cui reſpondebat. Tale enìm fuerat à S. Thomâ propoſitum: *Præterea Philoſophus dicit in 3. Ethic.: qualis unuſquiſque eſt, talis finis videtur ei; ſed non eſt in poteſtate noſtrâ aliquales eſſe; ſed hoc nobis eſt à naturâ: ergò naturale eſt nobis quòd aliquem finem ſequamur: Non ergò ex libero arbitrio.* Quod argumentum, ut conſtat, in terminis procedit de paſſionibus & naturalibus qualitatibus, de quibus dicit, quòd ideò ſalvant libertatem, quià ſubduntur imperio rationis. Ex hoc tamen nullo modo licet inferre, quòd divina motio ſeu prædeterminatio, quæ eſt inſtrumentum Dei agentis ut ſalvet libertatem, debet ſubjici judicio rationis; immò ſubdit ſibi ipſam humanam voluntatem cum omni illius libertate. Quià efficax gratia non ſubditur in ſuâ efficaciâ libero arbitrio. Error enìm eſt iſte damnatus Pelagianorum; ut patet *ex epiſt. S. Proſperi ad S. Auguſt. verſu, nec conſiderant* [a]; ſed potiùs liberum arbitrium cum omni ejus libertate ſibi ſubdit. Satìs enìm manifeſtant PP. Societatis ità proponentes, quòd intendant efficaciam motionis Dei libero noſtro ſubdere arbitrio.

[a] *Inter Op. S. Auguſt. tom. 10. n. 5. col. 782.*

Itèm ſic opponebat S. Thomam: Neceſſitas quæ provenit ex cauſis prioribus, aufert libertatem: ſed neceſſitas orta ex phyſicâ prædeterminatione provenit ex cauſis prioribus: ergò &c. Antecedens probabat primò ex ſanĉto Thomâ *3. p. q. 46. art. 1. in corpore*, ità dicente: *Id quod eſt neceſſarium ex aliquo exteriori principio, ſi ſit cauſa efficiens vel movens, facit neceſſitatem coactionis.*

Ad quod Reſpondeo: S. Thomam ibì loqui de cauſis prioribus extrinſecis, violentiam cauſantibus, de quibus dicit, quòd cogunt & auferunt libertatem; quià poſuit exemplum in eo qui per violentiam detinetur ab aliquo alio, nè eat quò vult. Quòd autem non loquatur de voluntate Dei prædeterminante, quæ eſt cauſa prior & antecedens, patet manifeſtè; quià ibì dicit, quòd licèt Pater priùs definiverit ſeu prædeterminaverit Chriſtum pati, tamen Chriſtus voluntariè & liberè patiebatur, & abſque coactione, ſeu abſolutâ neceſſitate. Itèm patet, quià *1. p. q. 19. art. 8.* (qui fuit fundamentalis locus à me in principio inductus) in terminis loquens de neceſſitate proveniente ex priori & antecedente causâ, ſcilicèt, Dei voluntate, docet expreſsè, talem neceſſitatem non eſſe abſolutam, auferentem libertatem, ſed conditionatam, libertatem perficientem & conſervantem.

Inducebat etiam ad idem, quòd S. Thomas *2. Phyſic. lect. 15.* dicit: *quòd neceſſitas, quæ pendet ex cauſis prioribus, eſt neceſſitas abſoluta.* Ad quod Reſpondeo: nullo modo adduci hoc ad propoſitum; quià S. Thomas ibì loquitur, ſicut & Philoſophus quem commentabatur, de cauſis prioribus naturalibus; ut patet. Quià ibì dicit, neceſſarium eſſe abſolutè hominem corrumpi, quià compoſitus eſt ex contrariis: quod eſt eſſe neceſſarium abſolutè ex priori causâ materiali. Similiter ibì dicit, hominem eſſe rationalem, eſſe abſolutè neceſſarium, quià eſt neceſſarium ex priori causâ naturali & formali. Et ſimiliter aït, quòd habet neceſſitatem ex causâ efficiente, eſſe neceſſarium abſolutè; ſicut neceſſarium eſt eſſe alternationem noĉtis ac diei propter motum Solis. Hæc ibì dicit S. Thomas. Et de cauſis exterioribus merè naturalibus loquebatur, cùm aït, quòd cauſant neceſſitatem abſolutam. Et de iſtis cauſis merè naturalibus ſubdit: quòd id quod eſt neceſſarium ab eo quod eſt poſterius in eſſe, eſt neceſſarium ex conditione vel ſuppoſitione, ut puta, ſi dicatur: neceſſe eſt hoc eſſe, ſi hoc debeat fieri. Cæterùm cùm in ſpecie agit de neceſſitate proveniente ex voluntate Dei, antecedente & priori causâ; expreſsè docuit ſemper neceſſitatem talem, non abſolutam eſſe, ſed conditionatam,

tionatam,

tionatam, ſalvantem optimè libertatem.

Poſteà verò devenit R. P., vel aſcendit ad divinæ voluntatis prædefinitiones ſeu prædeterminationes; & ex S. Thomâ probare nitebatur, non omnem actum noſtræ voluntatis, etiam bonum, eſſe à Deo præfinitum ſeu prædeterminatum. Et ad hoc, primum locum inducebat *ex 2. 2. q. 174. art. 1.* ubì dicitur: quòd prophetiâ præſcientiæ præcognoſcit Deus ea quæ à noſtro fiunt libero arbitrio, ſivè bona ſint, ſivè mala: per prophetiam verò prædeſtinationis cognoſcit ea quæ à ſolo Deo fiunt. Ex quo inferebat: quòd actus bonus, qui à noſtro fit arbitrio, ſit tantùm à Deo præſcitus, non autem ab eo prædeterminatus, ſeu prædeſtinatus. Et quidem nullum alium locum cum apparentiâ induxit R. P., niſi iſtum ſolum. Cujus tamen vera intelligentia traditur ab eodem S.Thomâ *q. 12. de veritate, art. 10.* ubì tractans eamdem quæſtionem, quam in loco nunc objecto: *An*, videlicèt, *prophetia convenienter dividatur, in prophetiam prædeſtinationis, præſcientiæ, & comminationis?* tradit in ſolutione ad 3. argumentum, eamdem doctrinam quam tradiderat in loco objecto; ità dicens: *Ad tertium dicendum, quòd præſcientia hìc accipitur contrà prædeſtinationem diviſa, quantùm ad ea in quibus præſcientia prædeſtinationem excedit: non autem excedit præſcientia prædeſtinationem in malis ſolùm, ſi prædeſtinatio ſtrictè accipiatur; ſed etiam in omnibus bonis, quæ non fiunt ſolâ virtute divinâ.* Quibus verbis iterùm docet, quòd prædeſtinatio, ut diſtinguitur à præſcientiâ, eſt eorum tantùm quæ fiunt à voluntate ſolâ divinâ; præſcientia autem eſt tàm bonorum, quàm malorum, quæ fiunt à noſtro libero arbitrio.

Et hanc doctrinam ità in iſto loco, ſicut in iſto inducto *ex 2. 2.* tradit S. Thomas, ſicut doctrinam S.Hieronymi, S. Damaſceni & ſuam. Poſtquàm enìm S. Thomas hanc tradidit doctrinam, *ſolut. ad 3.*, ità contrà illam opponit in quarto loco: *Prætereà prædeſtinatio, ut dicit S. Auguſtinus, eſt de bonis ſalutaribus; ſed inter bona ſalutaria; noſtra merita deputantur, quæ ex libero arbitrio dependent; ergò prophetiæ ſecundùm prædeſtinationem noſtrum admiſcetur arbitrium: & ſic S. Hieronymus malè diſtinguit.* In quo argumento opponit S. Thomas, S. Auguſtinum, S. Hieronymo S. Damaſceno, & ſibi; quià S. Auguſtinus dicit: quòd prædeſtinatio eſt de noſtris meritis ſalutaribus, quæ à noſtro etiam fiunt & dependent arbitrio. At verò S. Hieronymus dicit, prædeſtinationem eſſe eorum, quæ à ſolo Deo fiunt, & nullo modo à noſtro arbitrio. In ſolutione autem hujus quarti argumenti, concordat perfectè S. Auguſtinum, S. Hieronymum, S. Damaſcenum, & doctrinam à ſe traditam: quòd prædeſtinatio non eſt eorum quæ à noſtro fiunt arbitrio, ità dicens: *Ad quartum dicendum, quòd meritum noſtrum, & eſt ex gratiâ, & ex libero arbitrio, non autem ſubjacet prædeſtinationi, niſi ſecundùm quòd eſt ex gratiâ, quæ à ſolo Deo eſt. Undè id quod ex noſtro eſt arbitrio, prædeſtinationi ſubeſſe dicitur per accidens.* Hæc Sanctus Thomas. Quibus verbis ſub unâ breviſſimâ diſtinctione concordat prædictos Doctores Sanctos, & veram tradit doctrinam, & omnem aufert æquivocationem & difficultatem. Diſtinctio eſt: ea quæ primò & per ſe ſubſtant prædeſtinationi, à ſolo Deo fiunt, & à ſolâ divinâ voluntate, & nullo modo à noſtro pendent arbitrio: ea verò quæ ſubduntur prædeſtinationi per aliud, vel ſecundariò, ſeu per accidens, fiunt & dependent à noſtro arbitrio libero. Cùm ergò S. Hieronymus, S. Damaſcenus, & S. Thomas dicunt: quòd prædeſtinatio eſt eorum quæ à ſolo Deo fiunt, & non à noſtro arbitrio; loquuntur, ipſo explicante S. Thomâ, de iis quæ primò & per ſe ſubſtant prædeſtinationi. Cùm autem S. Auguſtinus inductus *in hâc q. 12. de veritate*, dicit, quòd merita noſtra, quæ à noſtro fiunt arbitrio, ſubſtant prædeſtinationi,

Digitized by Google

prædeſtinationi, intendit quòd ſecundariò, & per aliud prædeſtinationi ſubduntur. Et ſic eſt ſumma concordia & veritas; quòd bona opera noſtra, quæ à noſtro fiunt arbitrio, ſunt prædeſtinata, & non præſcita tantùm; ſicut P. R. intendebat: ſed ſunt prædeſtinata ſecundariò, & per aliud; quod à ſolâ fit voluntate divinâ.

Id autem per quod bona opera noſtra cadunt ſub prædeſtinatione, quod primò & per ſe eſt prædeſtinatum, & à ſolâ fit voluntate divinâ, eſt gratia præveniens efficax. Hæc enim primò & per ſe cadit ſub divinâ prædeſtinatione; & hæc à ſolâ fit voluntate divinâ; & hæc in ſuâ efficaciâ non dependet à noſtro libero arbitrio. Undè, quod magìs eſt, ſi PP. RR. attendunt ad hanc doctrinam S. Thomæ, convincuntur manifeſtè, quòd gratia præveniens efficax nullo modo pendet ex libero noſtro arbitrio, ſed à ſolo Deo; quià eſt id quod primò cadit ſub prædeſtinatione; & eſt id per quod noſter actus liber bonus cadit ſub divinâ prædeſtinatione. Quod ità eſt verum, ut ſi præveniens gratia non ſit efficax ex ſeipsâ, & ex ſolo Deo, independenter à noſtro libero arbitrio; cùm deficiat id quod primò & per ſe cadit ſub prædeſtinatione, & id per quod bonus uſus arbitrij debet cadere ſub prædeſtinatione ipsâ; neceſſe eſt dicere: quòd nullo modo bonus uſus arbitrij cadat ſub prædeſtinatione. Et propter hanc rationem ipſe Molina, qui iſta cognoſcebat, cùm negavit prævenientem gratiam eſſe efficacem ex ſolâ voluntate divinâ, independenter à noſtro libero arbitrio; videns ex hoc manifeſtè ſequi, bonum uſum arbitrij non eſſe à Deo prædeſtinatum, ſed præſcitum tantùm: ideò in totâ ſuâ doctrinâ dixit, bonum uſum arbitrij non eſſe effectum prædeſtinationis, nec eſſe prædeſtinatum ſed præſcitum tantùm.

Quomodò autem ſit contrà ſententiam S. Auguſtini in omnibus Libris contrà Pelagianos, bonum uſum arbitrij eſſe tantùm præſcitum, non autem prædeſtinatum; immò quomodò ipſe S. Doctor convincat ultimos Pelagianos, hunc fuiſſe potiſſimum errorem illorum, docet apertè in toto Libro de prædeſtinatione Sanctorum, & Libro de dono perſeverantiæ. Ubì ſæpè repetit: quòd ſi Deus præſcivit, dona ſua præſcivit; & quòd ſi præſcivit, id quod ipſe facturus eſt præſcivit, dicens *in cap. 10. Lib. de prædeſt. Sanctor.* a in explicatione illius Apoſtoli *ad Rom. 4. Ideò ex fide, ut ſecundùm gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini: quoniam quæ promiſit, potens eſt & facere. Non aït Apoſtolus, prædicere; non aït, præſcire: nàm & aliena facta poteſt prædicere, atque præſcire; ſed aït, potens eſt & facere: ac per hoc facta non aliena, ſed ſua; quià etſi nos facimus, ipſe facit ut faciamus.* Quomodò ergò PP. RR. ex pravâ intelligentiâ loci illius S. Thomæ oppoſiti *ex 2. 2.* ſibi perſuadent, bonum uſum arbitrij noſtri non eſſe prædeſtinatum à Deo, ſed præſcitum tantùm, contrà apertam doctrinam SS. Auguſtini & Thomæ? Ergò bonus uſus à noſtro pendens arbitrio, per aliud ſub prædeſtinatione cadit, id eſt, per efficacem prævenientem gratiam, quæ primò & per ſe cadit ſub prædeſtinatione, & à ſolâ voluntate divinâ in ſuâ efficaciâ pendet, non autem à noſtro libero arbitrio.

a *Tom. 10. n. 19. col. 803. & 804.*

Inſuper adducebat adhuc ad idem S. Thomam *1. p. q. 23. art. 7.* quòd diceret, omnia corruptibilia eſſe à Deo præſcita, non prædefinita. Ad quod tamen ità F. Thomas reſpondebat: S. Thomas nullo modo illo loco id dicit; ſed tantùm docet corruptibilia non eſſe primò & per ſe prædefinita, ſed per aliud, nempè ratione rerum incorruptibilium. Nulla eſt igitur conſequentia: Corruptibilia non ſunt primò & principaliter prædefinita; ergò non ſunt prædefinita, ſed tantùm præcognita. Ut autem oſtenderet P. Vaſtida hanc eſſe S. Thomæ mentem, aperto Codice legebat totum articulum, in quo hoc manifeſtè habetur: quòd incorruptibilia ſunt principaliter

& per

Digitized by Google

& per ſe à Deo prædefinita : at verò corruptibilia non ſunt principaliter à Deo prædefinita. Ex quo nullo modo ſequitur, quòd ſecundariò non ſint à Deo prædeterminata. Undè Cajetanus ibì dicit : quòd numerus individuorum corruptibilium, præter ſpeciem humanam, eſt Deo certus, non prædefinitivè, ſed præcognoſcitivè : intellige, non prædefinitivè principaliter; ſed præcognoſcitivè ex prædefinitione ſecundariâ; ut in litterâ habetur.

Poſtremò dicebat, S. Thomam negaſſe phyſicam prædeterminationem, ex generalibus quibuſdam principiis. Primò, quià docet S. Thomas, quòd futura contingentia in ſuis cauſis non ſunt certò à Deo cognoſcibilia : ſed quòd illa Deus certò cognoſcit, pròut ſunt ſibi in ſuâ æternitate præſentia. Ad quod reſpondeo : ſanctum Thomam ſemper in doctrinâ ſuâ docuiſſe, futura contingentia, pròut in ſuis cauſis indeterminatis, non eſſe certò à Deo cognoſcibilia. Et hoc tantùm dicit. Secundò affirmat, illa futura contingentia certò à Deo cognoſci in prædefinitione & prædeterminatione ſuæ voluntatis. Quod docet expreſsè *1. p. q. 14. artic. 13.* dicens; quòd non ſolùm cognoſcit Deus futura contingentia per rationes quas apud ſe habet, id eſt, per ideas, ſed etiàm pròut ſunt ſibi in æternitate præſentia; ut ibì optimè Cajetanus notat. Et *in 1m. diſtinct. 38. q. 1. artic. 5.* ubì docet, quòd Deus non ſolùm cognoſcit ab æterno ordinem ſui ad rem, ex cujus poteſtate res eſt futura; ſed ipſum eſſe rei intuetur. Ubì docet, quòd cognoſcit Deus futura contingentia in determinatione ſuæ voluntatis, ex cujus ordine habent res, quòd futuræ ſint. Et *Lib. 1. contrà Gentes cap. 66. rat. 7.* idem dicit. Igitur ſecundùm S. Thomam, ſicùt eſt certum, quòd in cauſis contingentibus, pròut ſunt indeterminatæ, certò à Deo futura contingentia non cognoſcuntur; ità eſt certum quòd poſt determinationem divinæ voluntatis, & in determinatione ipsâ voluntatis ſuæ, ſicut in primâ radice & cauſâ, illâ cognoſcit.

Tertiò eſt certum in S. Thomâ, quòd etiam illa futura contingentia certò cognoſcit Deus in cauſis ſecundis, pròut ſubſtant determinationi divinæ voluntatis. Docet quartò S. Thomas : quòd etiam illa futura contingentia certò in ſeipſis cognoſcit Deus, pròut ſunt ſibi in ſuâ æternitate præſentia. Quod ideò dixit S. Thomas, non quià aliàs non certò cognoſcerentur futura illa, ſed ut aſſignaret omnem perfectiſſimum modum divinæ cognitionis ſuprà futura omnia. Si quidem non ſolùm illa certò cognoſcit Deus in ſuis cauſis, determinatis à divinâ voluntate; ſed etiam illa intuetur in ſeipſis, propterea quòd ejus cognitio divina æternitate menſuratur, cui æternitati, omnia futura nobis, ſunt Deo in ſuâ æternitate præſentia; non minùs quàm modò mihi eſt præſens quod præſentialiter video. Falſum eſt etiam dicere : quòd ſolùm Scotus tradidit illum modum cognoſcendi futura in determinatione divinæ voluntatis, non autem S. Thomas; ſed quòd Thomiſtæ, poſt exortam iſtam controverſiam, illum excogitaverunt, ad phyſicam prædeterminationem defendendam; quià S. Thomas ſemper id docuit; & ſemper Thomiſtæ id ex S. Thomâ docuerunt. Nec enìm in hoc S. Thomas & Scotus opponuntur.

Ad alia minutiora ob brevitatem Reſpondere minùs convenit; quià nullam omninò difficultatem faciunt. Et ſic finivit F. Thomas.

a " Dixit inſuper Vaſtida, S. Thomam negare divinam prædeterminationem, cùm ait, *q. 6. de veritate, artic. 3.* : quòd circà prædeſtinatum tot adminicula præparat Deus, quòd vel non cadat, vel ſi ceciderit, reſurgat. In ſiniſtrâ intelligentiâ hoc inducitur. 1°. Quià per hoc volunt S. Thomam ſentire, Deum in confuſo cognoſcere quo medio homo convertetur; quo nihil falſius poteſt contrà S. Thomam imaginari.

a Sequentia uſque ad hæc verba : Statim autem &c. in Congregatione non ſunt dicta ; ſed tantù in Mss. leguntur ad marginem.

Digitized by Google

» imaginari. Quod igitur docet, eſt: » quòd de auxiliis gratiæ Deus multa » præparat; determinat tamen, quòd » per hoc in particulari homo converta- » tur ex efficaciâ divinæ voluntatis. Alia » autem auxilia ſcit, quæ hominem non » converterent; quià nec divina volun- » tas eis efficaciam dedit. Ad oſtenden- » dam autem divinam voluntatem, aït » S. Thomas: Deus tot multiplicat au- » xilia, quorum aliquibus homo ex ſuâ » pravâ voluntate & libertate reſiſtit; in » quo ejus libertas maximè oſtenditur. » Cuidam autem auxilio, efficaci ſcili- » cèt ex Deo, liberè conſentit. Si au- » tem nullum aliud auxilium præparaſ- » ſet Deus, niſi unum ſolum determi- » natè efficax, quo homo convertere- » tur, non ſic appareret humana liber- » tas, ſicut in multis adhibitis: quibus » multis homo liberè reſiſtit, & alteri » liberè conſentit. Undè S. Thomas in » illo articulo non ſolùm dat circà præ- » deſtinatos certitudinem cognitionis; » ſed etiam certitudinem mediorum & » ordinis. Et ibi apertè deſtruit omnem » præſcientiam, ex quâ tantùm ſumatur » certitudo mediorum prædeſtinationis. » Et per hoc ſimiliter patet ad illud ad- » ditum de dono perſeverantiæ.

Statìm autem Pater Vaſtida plurima verboſitate dicebat ad falſam tradendam intelligentiam S. Thomæ. Et circà inducta teſtimonia à F. Thomâ pro veritate, plurima multiplicabat, minùs tamen ad propoſitum. Et in particulari dicebat: quòd S. Thomas *in qq. de veritate*, conſtituebat tantùm illud impreſſum voluntati, quòd Deus illam applicat, atque determinat; non autem hoc dixiſſe in Summâ. Et ſimiliter inſtabat: quòd Cajetanus negabat motionem Dei præviam. Similiter nec intelligere valebat, qualiter iſta applicatio prævia determinans, cùm in voluntate hominis poſita non ſit, non auferet hominis libertatem. Plurima autem alia, quæ extortè dicebat, quià ob temporis brevitatem illi reſpondere non erat poſſibile, nec memoriæ mandabantur. Omnes enìm Aſſiſtentes apertam ſententiam S. Thomæ manifeſtè videbant. Undè poſtquàm finivit;

Summâ brevitate Frater Thomas ad Sanctiſſimum Dominum noſtrum Papam, ità dicebat: PATER BEATISSIME, unicum tantùm verbum. Quòd Cajetanus teneat & doceat ſemper cum S. Thomâ præviam Dei efficacem motionem, non modò legendo, ſed tangendo tantùm, & ſignando loca, demonſtro. Primò Cajetanus id verbis expreſſis affirmat *1. p. q. 115. art. 6.* §. *ad evidentiam.* Itèm *eâdem 1. p. q. 105. art. 4.* Clariùs, *q. 45. art. 5.* §. *ad Durandum.* Et *1. p. q. 19. art. 8.* Sed omnium clariſſimè *eâd. 1. p. q. 2. art. 3.* Quæ omnia teſtimonia in ſequenti Congregatione apertè id affirmare monſtrabo.

Quod autem dicit, S. Thomam tantùm *in qq. de veritate*, non autem in Summâ, docuiſſe Deum per aliquid voluntati impreſſum præviè applicare & determinare voluntatem, falſum omninò eſt. Quià S. Thomas *1. p. q. 105. art. 5. in corpore, & ad 3.* ità dicit: *Ad tertium dicendum, quòd Deus non ſolùm dat formas rebus, ſed etiam conſervat eas in eſſe, & applicat eas ad agendum.* Et *1. 2. q. 109. art. 1.* aït expreſsè: ſine hâc motione, ſivè applicatione non poſſe voluntatem operari. Igitur in Summâ hoc apertè docuit ſemper. Ad quod ex eâdem Summâ multa poteram inducere loca; ſed iſta duo ſufficiant.

Quod autem opponit: quòd poſitâ illâ præviâ ſeu efficaci motione, non ſtat libertas. Ad hoc reſpondet S. Thomas; quòd potiùs illâ poſitâ, ponitur actualis libertas; quià ut docet *q. 3. de potentiâ, artic. 7. ad 13.* voluntas dicitur habere dominium ſui actûs, non per excluſionem cauſæ primæ, ſed quià operatio primæ cauſæ voluntatem ad unum non determinat, ſicut determinat alia quæ libertate carent. Quod apertiùs declaravit ſanctus Thomas *Lib. 1. contrà Gentes cap. 68.* ità concludens: *Dominium quod habet voluntas ſuprà ſuos actus, per quod in ejus eſt poteſtate velle vel non velle,*

excludit

Digitized by Google

excludit determinationem virtutis ad unum, & violentiam cauſæ exteriùs agentis, non autem excludit influentiam ſuperioris cauſæ, à quâ eſt eſſe & operari. Itaque libertas humana duo excludit, & quòd voluntas non habeat permanentem virtutem ad unum determinatam, & quòd à nullâ aliâ extrinſecâ causâ cogatur: ſed non excludit, immò eſſentialiter præſupponit influentiam primæ cauſæ, à quâ voluntas prævię, & efficaciter movetur, & applicatur, & ad agendum determinatur. Et ſic finita fuit Congregatio, cùm per quinque horas & dimidiam duraſſet.

Et de hâc Congregatione, ut potè S. Thomæ, omnes in univerſum Cardinales & Cenſores audientes cum Pontifice dixerunt: nunquàm ſic locutum fuiſſe Fratrem Thomam in Congregationibus præcedentibus. LAUS DEO.

CONGREGATIO QUADRAGESIMA SEPTIMA, SEU DECIMA ET ULTIMA CORAM PAULO V.

Habita eſt coràm Sanctiſſimo 22. Februarij die Cathedræ S. Petri anno 1606. ſeptem Cardinales præſentes fuère cum Cenſoribus omnibus.

In quâ nonò & poſtremò de prædeterminatione phyſicâ eſt diſputatum ex Theologorum præſertìm authoritate.

Vide Hiſt. Congreg. de Auxil. Lib. 4. cap. 14. col. 663. & ſeqq.

ACTUM fuit in hâc Congregatione de eodem Dubio, de quo in præcedentibus, videlicèt, de phyſicâ prædeterminatione, & efficaciâ gratiæ prævenientis. Et poſt orationem præmiſſam à Sanctiſſimo de Spiritu Sancto, more ſolito: P. Vaſtida incepit proponere, ut ſolebat, contrà phyſicam prædeterminationem ex Scholaſticis Doctoribus; quià de mente Scholaſticorum diſputare petierat. Et præmiſſis ſolitis ſuis præambulis, ſuam diſputationem in tres ordines Doctorum dividebat.

In I°. conſtituebat Scholaſticos, qui adversùs hæreticos hujus temporis ſcripſerunt, quique negarunt phyſicam prædeterminationem, ſicut minùs cum humanâ libertate cohærentem. Et in iſto ordine legebat primò Thomam Valdenſem *Lib. 1. doctrinalis fidei art. 1.* ità dicentem: *Neceſſitas ergò præcedens non compatitur arbitrij libertatem; & ideò ipſa non convenit humanis effectibus. Periculosè ergò, ut mihi videtur, quidam magni viri neceſſitatem iſtam præcedentem ponunt in humanis operibus; etiam & quòd fluat à voluntate Dei: maximè cùm in antiquis Patribus nihil conſonans reperire poſſunt.* Similiter inducebat Albertum Pighium *Lib. 8. de gratiâ & libero arbitrio cont. Calvin.* Ubì neceſſitatem hanc antecedentem & determinationem negat, ſicut minùs ſalvantem arbitrij libertatem. Ad idem inducebat Joannem à Mariâ Carmelitanum, in Sacrâ quâdam concione, ubì negabat Deum determinare hominis voluntatem ad operandum, ut ſalvet ejus libertatem. Clictovæum etiam quarto loco inducebat *Lib. contrà Luther. cap. de libero arbitrio §. ad hoc autem*, ubì idem contrà phyſicam prædeterminationem affirmabat. Adducebat etiam Franciſcum Belcarium *in Opuſc. cont. dogmata*

 Calvini.

Digitized by Google

Calvini. Et inducebat Anti-apologiam contrà Miniſtros ; Ubì etiam damnatur phyſica prædeterminatio. Adamum prætereà inducebat *in 1^m. q. 3. diſtinct. 14^a.*, & Armachanum *Lib. 16. cap. 7. ſuarum quæſtionum* ; Joannem de Bononiâ *Opuſc. de præſcientiâ*. Bellarminum etiam inducebat. Cùm autem illum legere voluiſſet, ipſe Bellarminus illi ſignum fecit ut omitteret. Et ſic lectus non fuit Bellarminus. Inducebat prætereà Gregorium de Valentiâ, 1. 2. *diſput. 8. punct. 4.* Itèm Alphonſum de Mendozâ *in quodlib. q. 6.* Et Joannem Antonium Delphinum *Lib. de juſtificat.* ℣. *de multiplici* ; Et Vincentium quemdam *cap. de gratiâ & libero arbitrio* ; Stapletonium *Feriâ 6. primæ hebdomadæ*, & *in Matth. cap. 25. de talentis*. Qui omnes directè negant efficacem prædeterminationem.

Deindè in II°. ordine alios inducebat authores, qui affirmant Dei prædeterminationem lædere libertatem. Et in hoc ordine primum inducebat Alexandrum Halenſem 1. *p. q. 40. memb. 4. ad 3.* ubì ità dicit: *Ad tertium dicendum, quòd, quemadmodùm dicit Damaſcenus, quòd Deus omnia præcognoſcit, non autem omnia prædeterminat ; præcognoſcit autem ea quæ ſunt in nobis, hoc eſt, in poteſtate noſtri arbitrij, non autem prædeterminat ; non enim vult malitiam, nec compellit virtutem : prædeterminat autem quæ non ſunt in nobis*. Similiter inducebat Henricum de Gandavo *quodlib. 9.* ; Ocham etiam *in 1^m. diſt. 38. q. 1.* ; Ægidium Cardinalem *quodlib. 4. versùs finem.* ; Gregorium Ariminenſem *in 1^m. diſt. 38. in p. 2. art. 3.* Caſtro-novo *in 1^m. diſt. 22. q. 6.* ; Gabrielem *in 2^m. diſtinct. 38. q. unicâ.* ; Ruardum Tapperum *art. 7. ad argumentum Calvini.* ; Didacum Paiva *Lib. 4.* ; Hangeſtum *Lib. ſuorum moralium cap. 1. concluſ. 2.* ; Carthagenam *Lib. de prædeſtinatione & reprobat. diſcurſu 4°.* ; Delphinum citatum *Lib. 4. de lib. arb.*, & *Lib. 1.* ; Cordubam *Lib. 1. q. 45.* Hos omnes ſecundi ordinis inducebat, & legebat, quòd aſſererent per phyſicam prædeterminationem tolli aut lædi libertatem.

Poſtremò in III°. ordine inducebat Doctores alios, qui affirmabant, quòd ſi Deus prædeterminaret ad materiale peccati, ſivè ad actionem quæ eſt in peccato, quatenùs entitas & actio eſt, etiam prædeterminaret ad peccatum ipſum. Et primum inducebat in iſto ordine Aureolum *in 1^m. diſtinct. 38.* ; Durandum *in 1^m. diſtinct. 47. q. 1. art. 6.* ; Cunerum *Lib. de grat. Chriſti cap. 10.* ; Carthagenam citatum ℣. *dico 2°.* ; Valdenſem *Lib. 1. cap. 28.* ; Zumel qui cum M. Bannez acriùs impugnavit Molinam, tamen 1. *p. q. 22. art. 4. concluſ. 5.* expreſsè damnat ſententiam, quæ affirmat Deum prædeterminare ad materiale peccati. Hos omnes inducebat pro oppugnãdâ phyſicâ prædeterminatione. Et multa circà illorum verba, cùm legeret, exaggerabat adversùs phyſicam prædeterminationem. Poſtquàm autem finivit;

Incipiens F. Thomas ità dicebat : Beatissime Pater, ad cujus pedes quæcunque dixero, humiliter ſuppono. Si liceret per Scholaſticos omnes longiùs diſcurrere, etiam in eis qui non ſunt tantæ authoritatis, oſtenderem modò eos nihil omninò contrà efficaciam divinæ gratiæ protuliſſe ; ſed illis omiſſis, quorum vel nulla vel parva authoritas eſt, & proptereà indigni, qui in conſpectu Sanctitatis Veſtræ inducantur ; graviores tantùm, qui Doctorum Scholaſticorum nomen merentur, ad teſtimonium ferendum pro prævenientis gratiæ divinâ efficaciâ ad præſens tantùm inducam.

Ut autem argumentum ad hominem à principio procedat, quid graviores Scholaſtici in hâc parte & causâ ſenſerint, ipſe Molina teſtetur primus. Sic enìm dicit *in Concord. diſp. 26. in principio* a : *D. Thomas 1. p. q. 105. art. 5. docet, Deum duplici ratione dici operari cum cauſis ſecundis. Imprimis, quià virtutes illis tribuit ad operandum, eaſque actu conſervat, ut Durandus dicebat. Deindè, quià eas ità ad agendum movet, ut quodammodò formas & virtutes*

a Pag. 112. col. 1.

& virtutes earum applicet ad operandum; non ſecùs atque artifex ſecurim applicat adſcindendum. Et ſtatìm; *Duo autem ſunt, quæ mihi difficultatem pariunt circà doctrinam hanc D. Thomæ. Primum eſt: quòd non videam, quidnam ſit motus ille & applicatio in cauſis ſecundis, quâ Deus illas ad agendum moveat & applicet.* Et *in diſp. 27. ſequenti additâ*
a §. Itèm pag. 115. col. 2. *in impreſſione Antuerpienſi*, a poſtquàm de illâ applicatione egit, dicit hæc verba: *Ille verò alius, quo cauſæ applicentur & moveantur ad agendum, ſit commentitius, & minimè neceſſarius;*
b Pag. 116. col. 1. ſtatìm *in* §. *adde* b ità concludit: *Adde, præmotiones iſtas, & applicationes cauſarum ſecundarum ad ſuas operationes, multùm præjudicare libertati arbitrij noſtri; ut ſuo loco oſtendemus.* Jàm ergò, ipſo teſtante Molinâ, S. Thomas tradit expreſsè illas applicationes & præmotiones, quibus Deus cauſas ſecundas applicat ad agendum; licèt dicat S. Thomam per illas lædere noſtri arbitrij libertatem. Et quod magìs eſt, non ſolùm dicit Molina lædi arbitrij noſtri libertatem per phyſicam prædeterminationem, ſed etiam per præmotiones & applicationes. Quid ergò mirum, ſi Diſcipuli Molinæ Diſcipulis S. Thomæ opponant modò, eos per has præmotiones, applicationes, & prædeterminationes tollere arbitrij libertatem; cùm ipſe Molina primitùs hoc ipſum de S. Thomâ auſus fuerit affirmare?

De Scoto autem ità dicit Molina
c Pag. 213. col. 2. ipſe *diſput. 50. §. etiamſi Scotus.* c Ubì poſtquàm apertam Scoti retulit ſententiam, quâ tenet divinam prædeterminationem, ità concludit: d *Ex*
d Pag. 214. col. 2. *dictis tamen diſput. 35. 47. & aliis, arbitror ſatìs eſſe manifeſtum, ſententiam hanc Scoti pluſquàm periculoſam eſſe in fide; tollit enim libertatem illam arbitrij, quam diſp. 2. ex Scripturis Sanctis, atque etiam ex ipsâ experientiâ demonſtravimus.* Jàm ergò, ipſo teſtante Molinâ, etiàm Scotus divinas prædeterminationes defendit; licèt etiam de illo, ac de S. Thomâ affirmet, utrumque per prædeterminationem tollere libertatem. Omnes præter PP. Societatis tollunt libertatem arbitrij, S. Thomas cum ſuâ Scholâ, & Scotus cum ſuâ.

Quid autem ſenſerint in hâc parte Capreolus & Ferrarienſis, teſtatur expreſsè Collegium Conimbricenſe ex PP. Societatis in illâ ſuâ Phyſicâ copulatâ, quæ nomine totius Collegij prodiit in lucem. *Ad 2m. enìm Lib. Phyſic. cap. 7. q. 13.* ità dicunt: *Circà modum quo Deus cum cauſis ſecundis ad earum operationes & effecta concurrit, diſcutiendam ſe offert celebris opinio D. Thomæ 1. p. q. 105. & 1. 2. q. 109. art. 1. & q. 3. de potentiâ, art. 7., ejuſque Sectatorum Capreoli in 2m. diſt. 1., Ferrarienſis Lib. 3. contrà Gentes cap. 70., & aliorum, exiſtimantium omnes cauſas ſecundas, antequàm operentur, accipere à Deo influxum quemdam & motum, qui ſit quaſi eſſe intentionale virtutis divinæ, quo, ad promovendas actiones, excitentur, eo modo quo artium inſtrumentum, ut dolabra & ſecuris præviam motionem à fabro accipiunt, cùm ad opus faciendum applicatur.* Igitur, teſtante toto Conimbricenſi Collegio, non quomodocunque eſt opinio S. Thomæ, Capreoli, & Ferrarienſis, ſed celebris eorum opinio eſt: quòd Deus influit in cauſas ſecundas influxum, quo illas applicat ad agendum, ad modum quo artifex applicat ſecurim ad agendum. Undè propoſitio iſta relata *in Lib. de ratione Studiorum*, à me relato in præcedenti Congregatione, non eſt de illis quæ poſſunt videri eſſe S. Thomæ; ſed eſt de illis, quæ apertiſſimè eſſe cognoſcuntur tanti Doctoris. Immò ut celebris ſancti Thomæ opinio cognoſcitur & publicatur, ſimiliter Capreoli & Ferrarienſis.

Sed his omiſſis, quæ, ut dixi, ad hominem oſtendunt; veniam jàm ad Cajetanum, S. Thomæ interpretem optimum, qui totus eſt in defendendâ hâc applicatione præviâ, & prædeterminatione. Nec Cajetanum, vel alios S. Thomæ Diſcipulos inducerem, niſi PP. Societatis publicarent

 Cajetanum,

Cajetanum, & alios S. Thomæ diſcipulos, ſuam illorum tenere ſententiam. Cajetanus ergò, multiplicatis locis, expreſsè hanc illorum refutat ſententiam, & præviam ac efficacem applicationem ſeu prædeterminationem defendit. Imprimis ità dicit 1. *p. q.* 115. *art. 6.* loquens de connexione cauſarum: *Connexio quidem eſt, quià nunquàm agentia inferiora coagunt cælo, niſi ſimùl patiantur à cælo; quoniam non movent, niſi mota.* Et *q. 105. art. 4.* ità dicit: *Ultima pars, ſcilicèt, quòd maximè proprium Dei ſit movere ſecundo modo, ſcilicèt, effectivè, propterea dicta eſt, quià movere objectivè voluntatem communicatur aliis, quamvis non ſufficienti efficaciâ: movere autem ab intùs nulli communicatur: ſolus enim Deus illabi poteſt libero arbitrio, qui ſolus fecit & conſervat illud.* Et *art. 5.* ità ex S. Thomâ affirmat: *Deus eſt cauſa operationum ſecundarum. non ſolùm ut applicans & conſervans formas, quæ ſunt principia actionum; ſed ut dans, applicans, & conſervans formas &c.* Et 1. *p. q. 45. art. 5. in 2â. ſolutione ad argumentum Durandi*, ità dicit: *Dicitur ſecundò, quòd etiam illa propoſitio eſt vera, ut patet ex q. 3. de potentiâ, art. 7. Ubì Angelus, & omnis cauſa ſecunda non agit, niſi agatur à Deo multipliciter, ut diffuſè ibidem oſtenditur. Oſtenditur autem ibì, quòd Deus quatuor modis agit in cauſas ſecundas. 1°. Quià illas produxit. 2°. Quià illas conſervat. 3°. Quià eas applicat ad agendum. 4°. Quià omnis cauſa ſecunda agit in virtute cauſæ primæ.* Et hanc S. Thomæ expreſſam ſententiam hìc refert, & ſequitur. Sed adhuc clariùs *1. p. q. 2. artic. 3.* ſuper illa verba S. Thomæ: *quià moventia ſecunda non movent, niſi per hoc quòd ſunt mota à primo motore: ex quâ motione demonſtratur contrà Philoſophos, eſſe unum Deum; quià omne quod movetur, ab ipſo movetur.* Quam propterea viam demonſtrandi unum eſſe Deum, enervant totaliter PP. Societatis, negando, quòd cauſa ſecunda moveatur & applicetur ad agendum à primâ. Super verba, inquam, iſta S. Thomæ, & ejus rationem, ità dicit Cajetanus, examinans quarè ſecunda cauſa debeat ſic moveri à primâ, priuſquàm agat: *Ad hoc breviter dicitur*, inquit, *quòd cauſa media, ex eo quòd cauſa media, neceſſariò dependet à primâ. Ad cujus evidentiam oportet recolere, quòd de ratione cauſæ eſt efficacia: niſi enim cauſa aliquid efficiat, cauſa in actu, de quâ eſt ſermo, dici non poteſt: efficacia autem cauſæ in illius cauſalitate actuali conſiſtit; propterea niſi cauſalitas compleatur, nec cauſa in actu, nec efficacia, ſeu ſufficientia aliqua ſalvatur. Oportet ergò ad hoc, quòd cauſæ ratio ſervetur, ut cauſalitas illius compleatur: ac per hoc, quidquid repugnat complemento cauſalitatis alicujus cauſæ, repugnat cauſæ illi. Cùm igitur cauſa media verè cauſa ſit, oportet ipſam habere cauſalitatem completam. Tunc ſic. Complementum cauſalitatis cauſæ mediæ nullatenùs poteſt eſſe ſine dependentiâ à primâ causâ: ergò cauſa media, ut eſt cauſa media, dependet à primâ.* Quid clariùs? Non ſolùm dicit Cajetanus, quòd cauſa ſecunda movetur, & applicatur à primâ ad agendum; ſed dicit, quòd à primâ recipit complementum & efficaciam cauſalitatis ſuæ. Vide præterea Cajetanum *2. 2. q. 172. art. 2. §. ad 2m.* Qui eſt locus inſignis, tradens præviam & efficacem Dei motionem, non per impreſſionem formæ, ſed per actualem Dei motionem.

Sed opponunt contrà tàm manifeſtam Cajetani ſententiam, id quod ipſe dicit 1. *p. q. 19. art. 8.* ubì ità habet: *Illa enim propoſitio aſſumpta non eſt ſic intelligenda, quaſi ſit aliqua duratio naturæ, in cujus primo inſtanti cauſa prima reſpiciat effectum, & in ſecundo cauſa ſecunda. Puerilis enim eſt hic ſenſus.* Ex quo deducunt Cajetanum negare applicationem præviam. Sed hoc deducere non habet apparentiam. Quià Cajetanus docet, id quod eſt indubitatum, videlicèt, primam cauſam non priùs naturâ attingere effectum cauſæ ſecundæ, quàm ipſa cauſa ſecunda; & dicit puerile eſſe, aſſerere contrarium. At verò non dicit, quòd

cauſa

cauſa prima non priùs naturâ moveat ſecundam ad agendum. Immò hoc dicit in hoc eodem loco oppoſito; dùm ità dicit verbis antecedentibus : *Ipſa cauſa ſecunda nullum effectum producit, niſi virtute primæ concurrente, & conjungente virtutem ſecundæ ſuo effectui.* Si ergò prima cauſa conjungit ſecundã ſuo effectui; ergò priùs naturâ illam conjungit & applicat ad agendum, quàm ipſa agat. Itaque utrumque dicit ut veriſſimum Cajetanus : & quòd prima cauſa conjungit & applicat ſecundam ad agendum priùs naturâ quàm ipſa ſecunda operetur : & quòd non priùs naturâ, ſed ſimùl naturâ, cum illâ ejus producit effectum. Quod etiam dixit *q. 14. art. 13.* Sic enìm aït: *Et quoniàm priùs naturâ modificatur*, motio, ſcilicèt, cauſæ primæ in ſecundâ, *quàm impellat ad movendum &c.* Ubì motionem cauſæ primæ moventem ſecundam conſtituit. Et ſtatìm : *Illa prioritas univerſaliter non eſt ſecundùm aliquam durationem naturæ, ut in uno inſtanti naturæ effectus attingatur à primâ causâ, & in alio à ſecundâ.*

Quod autem opponunt, quòd Cajetanus dicit in hoc *art. 8. q. 19.* quòd cauſa ſecunda non movetur à primâ ad agendum, motione prævià ; ſicut baculus motus à manu movet lapidem: optimè dicit; quià non habet ſe in omnibus ſicut baculus motus à manu. Quià baculus ità movetur à manu, quòd nullo modo ſe movet. At verò cauſa ſecunda libera, ità movetur à primâ causâ, quòd etiam mota ſeipſam verè movet. Undè negat Cajetanus præviam motionem, quæ tollat à ſecundâ causâ, quòd ſe moveat; & nullam aliam præviam motionem negat. Immò aliam expreſsè conſtituit in omnibus aliis citatis locis. Quibus addendum eſt illud inſigne teſtimonium *ad 4. cap. Matthæi*, in illa verba : *Et procedens indè, vidit alios duos Fratres &c.* ubì ſic aït Cajetanus : *Simili vocatione, ſcilicèt ad diſcipulatum & ſequelam corpoream, vocantur Jacobus & Joannes. Nec eſt mirandum, quòd iſti & illi ſtatìm ſecuti fuerint Jeſum; quià interiori operatione Jeſus movebat, motione non invitatoriâ ſed efficaci, corda eorum, ad relinquendum omnia, & ſequendum ipſum. Tali enìm attractioni interni Spiritûs nullus unquàm reſiſtit, nullus etiam reſiſtet unquàm; quià efficit voluntarium ſectatorem, operarium, martyrem &c.* Quæ verba ſunt valdè notanda.

Quod autem ultimò opponunt ex Cajetano : quòd in hoc articulo tantùm admittit motionem Dei cooperantem propriæ actioni cauſæ ſecundæ; ex hoc non licet inferre, quòd neget Cajetanus motionem præviam : quià Dei cooperatio eſt prævia ad actionem cauſæ ſecundæ. Immò hoc eſt maximè conſiderandum pro verâ intelligentiâ Scholaſticorum omniùm in hâc materiâ. Ubicumque enìm legunt PP. RR. in Scholaſticis Deum nobiſcum cooperari, ſtatìm colligunt illam cooperationem ſuam pediſſequam, & negant præviam; cùm tamen Scholaſtici ſemper per Dei cooperationem intelligant præviam ipſius Dei motionem, quâ ità facit nos facere, ut nobiſcum ſimùl cooperetur. Et ad hoc non advertere, fundamentum fuit, ut RR. PP. fallerentur in hâc parte. Quòd autèm Dei cooperatio prævia ſit, docet in terminis S. Thomas *1. 2. q. 111. art. 2.* cujus titulus eſt : *Utrùm gratia convenienter dividatur per operantem & cooperantem?* Et ità reſpondet: *Reſpondeo dicendum, quòd ſicut ſuprà dictum eſt, gratia dupliciter poteſt intelligi. Uno modo, divinum auxilium quo movet nos ad benè volendum & agendum. Alio modo, habituale donum nobis divinitùs inditum.* Ubì apertè loquitur de auxilio prævio, nos moventè ad agendum. Et ſtatìm dicit: *Utroque autem modo gratia dicta convenienter dividitur per operantem, & cooperantem.* Si auxilium ergò prævium, movens nos ad agendum, dividitur per operantem & cooperantem gratiam; ergò gratia cooperans auxilium prævium eſt, & prævìè operatur Deus cooperatione ſuâ. Et clariùs infrà: *Alius autem actus eſt exterior*, inquit S. Thomas, *qui cùm à voluntate imperetur, ut ſuprà*

Digitized by Google

ut ſuprà dictum eſt, conſequens eſt, quòd ad hunc actum operatio attribuatur voluntati. Et quià etiam ad hunc actum Deus nos adjuvat, & interiùs confirmando voluntatem, ut ad actum perveniat, & exteriùs facultatem operandi præbendo: reſpectu hujuſmodi actûs, dicitur gratia cooperans. Eccè gratia cooperans eſt, quâ Deus confirmat interiùs voluntatem, ut ad actum perveniat: ergò cooperatur Deus præviè in voluntate, ut perveniat ad actum. Hanc ergò præviam cooperationem Cajetanus intellexit.

Ferrarienſis etiam apertè tradit, Deum influere aliquid in cauſas ſecundas, quo eas efficaciter applicat & prædeterminat ad agendum. Nàm *Lib. 3. contrà Gentes cap. 70.* ità aït: *Circà illam propoſitionem: ſuperius agens dat inferiori agenti virtutem, per quam agit, vel eam conſervat, vel applicat ad agendum; Advertendum ex doctrinâ S. Thomæ de potent. q. 3. art. 7., quòd duplex vis ad agendum rebus creatis ineſt, dùm agunt. Una eſt forma, habens eſſe firmum & ratum in naturâ, per quam agunt tanquàm propriâ & naturali virtute. Alia eſt vis, quæ eſt intentio ſola virtutis divinæ, habens eſſe incompletum, per modum quo colores ſunt in aëre, & virtus artis in inſtrumento: & iſta vis non convenit rebus, niſi quandò actualiter operantur & agunt, tanquàm divinæ virtutis inſtrumenta; ſicut & virtus artis non remanet in inſtrumento, niſi quandò ipſo utitur ad operationem artis. Deus ergò dat rebus naturalibus utramque virtutem; ſed ſecundam tantùm illis communicat, dùm eas ad operationem applicat. Ideò dixit S. Thomas, quòd ſuperius agens dat inferiori agenti virtutem per quam agit, vel conſervat eam, quod pertinet ad primam virtutem, vel applicat ad agendum, quod per ſecundam virtutem efficitur.* Et *eodem Lib. 3. contrà Gentes cap 89.* clariùs proponit illud argumentum: quòd, videlicèt, homo non habeat in ſuâ poteſtate cauſationem cauſæ primæ; & ex conſequenti, quòd illa cauſatio cauſæ primæ non requiratur; vel voluntas humana, ſi illâ indiget, libera non ſit. Quod eſt argumentum RR. PP. & fundamentum. Et Reſpondet: quòd *habere perfectè in ſuâ poteſtate effectum, dupliciter poteſt intelligi. Uno modo, quià poteſt illum producere, & non producere, & à nullâ aliâ cauſâ dependentiam habet in illius effectûs productione; & ſic nec voluntas, nec quæcunque alia cauſa creata, habet effectum perfectè in ſuâ poteſtate: quià omnis cauſa creata neceſſariò dependet à primâ cauſâ, ſicut in eſſendo, ità & cauſando. Alio modo, quià poteſt producere effectum, & non producere, ſuppoſitâ primâ cauſâ, à quâ dependet; & à nullâ cauſâ ad producendum vel non producendum neceſſitatur. Et ſic conceditur, quòd voluntas habet perfectè in ſuâ poteſtate volitionem ſuam.* Prætereà, contrà Dei prædeterminationem ità in eodem Commentario argumentatur Ferrarienſis *in* §. *confirmatur. Quod ab alio determinatur ad aliquid, non habet perfectè illud in ſuâ poteſtate. Secundò: illud non eſt contingens propter habitudinem ſui ad aliquam cauſam, ad cujus eventum cauſa ſuperior eſt determinata; cujus cauſæ determinationem neceſſariò ſequitur determinatio omnium cauſarum inferiorum; ſed ſi voluntas divina eſt immediata meæ volitionis, jàm eſt aliqua cauſa determinata reſpectu ejus, ſcilicèt, voluntas Dei, & determinationem ejus neceſſariò concomitatur determinatio voluntatis meæ, reſpectu ejuſdem: igitur illud velle non eſt contingens. Hoc eſt falſum; ergò &c.* Et reſpondet: *Ad confirmationem patet per idem: quià poteſt determinari aliquid ab alio ad effectum, & tamen habere illud in ſuâ poteſtate, nimirùm ſecundo modo ſuperiùs dicto; eo quòd cauſa prima movet unamquamque cauſam ſecundam ad ſuum effectum, ſecundùm conditionem ipſius cauſæ ſecundæ; cauſam enìm non potentem deficere, ad effectum ſuum determinat, ut ipſum neceſſariò abſolutè producat. Cauſam autem, quæ deficere poteſt, ità determinat, ut tamen abſolutè deficere poſſit, in producendo.* Et infrà: *Dicitur ſecundò, quòd major eſt falſa de cauſâ ſuperiori, quæ eſt determinata non neceſſariò*

abſolutè

abſolutè, & eſt cauſa effectûs aliarum cauſarum, tàm ſecundùm eſſe, quàm ſecundùm modum neceſſitatis aut contingentiæ. Et infrà: *Itèm determinavit*, ſcilicèt, prima cauſa, *ut talis effectus neceſſariò, talis verò contingenter eveniat; & ejus determinationem ſequitur determinatio omnium cauſarum; quià effectus ſcilicèt, quos determinavit per iſtas cauſas evenire neceſſariò, ipſæ cauſæ neceſſariò producũt; illos verò, quos determinavit per illas cauſas contingenter & liberè evenire, ipſæ cauſæ efficiunt contingenter.* Itaque totus Ferrarienſis eſt in defendẽdâ phyſicâ prædeterminatione voluntatis divinæ ſuprà humanam voluntatem.

Conrardus ſimiliter hanc phyſicam prædeterminationem reipsâ verbis omninò æquivalentibus conſtituit *1. 2. q. 10. art. 4. ad3.*, ità dicens: *Ad minorem: ſequitur impoſſibile non abſolutum, ſed ex conditione ad illam. Non eſt ergò poſſibile, verùm ex ſuppoſitione; ſuppoſito, ſcilicèt, quòd Deus velit voluntatem ad hoc movere efficaciter: ſed eſt poſſibile abſolutè; quià poteſt Deus eam non movere, & movendo, movet eam ex parte voluntatis liberæ, tamen infallibiliter.* Igitur ex Conrardo duplex eſt auxilium; ſufficiens cui homo reſiſtit; & efficax cui non reſiſtit. Et quòd iſta efficax motio ſit prævia, præterquàm quòd id ſonat efficax motio, idipſum magìs declarat prædictus author *ſuper q. 109. art. 9.* ità dicens: *Nota tamen, quòd omnis quidem res indiget motione divinâ, ſed non eâ quâ indiget conſtitutus in gratiâ; quià prima eſt generalis, ſecunda autem eſt conſervativa gratiæ, & applicativa ejus ad operandum.* Clariùs verò *ſuper q. 112. art. 3.* dicens: *Nota ſecundò, quòd concluſio notanter dicit: iſto modo præparatio ad gratiam habet neceſſitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo; quià contingit, ut Deus moveat hominem ſufficienter, qui tamen non conſequitur gratiam, propter diſſenſum ejus ad gratiam: ſed tunc non eſt intentio Dei, quòd ipſam gratiam conſequatur, nec illam motionem ad gratiam ordinat. Quarè Doctor S. dicit: quòd ex præparatione, ut eſt à Deo, homo quidem conſequitur quod Deus intendit; ſed niſi intendat efficaciter movere, & conferre gratiam, tunc ipſam non conſequitur. Undè ſi ex intentione Dei moventis eſt, quòd homo, cujus cor movet, conſequatur gratiam, infallibiliter ipſam conſequitur: quià non ſtant ſimul propoſitum divinæ voluntatis, & fruſtratio effectûs.* Apertè ergò Conrardus tradit efficacem Dei motionem præviam & applicantem; quæ reipsâ eſt phyſica prædeterminatio.

Non docet contrarium Conrardus *q. 80. art. 1.* cùm dicit: quòd Deus movet ad bonum in communi, & voluntas ſe per conſilium determinat ad hoc vel illud particulare bonum. Quià non negat, quòd priùs determinetur à Deo: ut præcedenti Congregatione ex ſancto Thomâ fuit explicatum. Immò ibì dicit: quòd Deus non ità movet ad bonum, ſicut Diabolus ad malum, objectivè, videlicèt, tantùm movendo. Per quod tota ſententia contraria ruit totaliter.

Capreolus autem in eâdem ſententiâ eſt totus, ſicut Conrardus; Imprimis *Lib. 2. ſententt. diſt. 1. q. 2. concluſ. 6.* ità dicens: *Deus eſt cauſa, non ſolùm creaturæ, ſed etiam cujuſlibet actionis creaturæ quatuor modis. Hanc ponit S. Thomas, de potentiâ Dei q. 3. art. 7.* Et tranſcribit integrum articulum S. Thomæ, ut ſolet, & concludit: *Similiter ibidem ad 7m. ponit, quòd quomodocunque aliquas res naturales operatur, Deus influit ibì aliquid, quo actualiter agat. Undè virtus naturalis, quæ eſt rebus naturalibus in ſuâ inſtitutione collata, ineſt eis, ut quædam forma, habens eſſe ratum & firmum in naturâ: ſed illud quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, eſt ut intentio ſola, habens eſſe quoddam incompletum, per modum quo colores ſunt in aëre, & virtus artis in inſtrumento artificis.* Quid clarius, vel quid apertius pro phyſicâ prædeterminatione dicere potuit? Capreolus hìc ſe remittit ad illam *q. 3. de potent.*, quæ eſt fundamentum in totâ iſtâ materiâ. Et itèm *in 2m. diſt. 28. ad 12.* ità dicit: *Sic ergò ad argumentum dico: quòd Deus juvat nos immediatè, ipſum actum efficiendo, & quòd non ipſe ſolus efficit actum, ſed etiam ipſa voluntas*

Pppp *coefficit.*

coefficit. Sed, ut jam tetigi, non ſolùm juvat Deus ad bonum velle partialiter coefficiendo; qui eſt modus communis, quo concurrit ad cujuſlibet agentis creati effectum quemlibet: ut in argumento dicebatur: ſed etiam quodam modo ſpeciali, videlicet, faciendo ipſam voluntatem particulariter concurrere; ità quòd voluntas ipſa partialiter concauſat, applicata, & quaſi inſtrumentaliter mota à Deo, ad ſic partialiter concauſandum. Quibus verbis manifeſtè conſtituit voluntatem applicari & moveri ut inſtrumentum divinum ad opera ſupernaturalia. Et de hâc phyſicâ præmotione & prædeterminatione, & de hoc auxilio ſubdit: *Ideò aït S. Auguſtinus: ut ergò velimus, ſine nobis operatur; ſine nobis, inquam, operantibus, ut ſcilicèt velimus; quià licèt voluntas velit, & cauſet volitionem, non tamen facit ſe velle, aut cauſare volitionem.* Notanda ſunt verba: licèt voluntas velit, non tamen facit ſe velle & cauſare, ſed Deus facit ipſam velle atque cauſare.

Nec quòd PP. RR. volunt ex iſto loco ſententiam contrariam fundare, habet difficultatem aliquam. Dicunt enìm, Capreolum in actionibus naturalibus ſolùm admittere coefficientiam generalem, non autem prævium influxû in cauſam. Ad hoc enìm dicendum primò, quòd eo gratìs admiſſo, nunquid non apertè conſtituit pro operibus ſupernaturalibus auxilium phyſicè prędeterminans, cùm aït: voluntatem moveri & applicari à Deo, ut inſtrumentum divinæ virtutis, ad partialiter concurrendum? Nec per illud verbum *partialiter* admittit illas cauſas partiales Molinæ, quarum altera in alteram non influit. Immò Capreolus apertè dicit totum contrarium, affirmans quòd humana voluntas à Deo movetur & applicatur, ut illius inſtrumentum. Sed nec in illo primo de concurſu pro cauſis naturalibus, eis aliquo modo favet: quià tantùm dicit, hanc eſſe differentiam inter divinam motionem pro effectibus naturalibus, & pro effectibus ſupernaturalibus; quòd ad effectus naturales movet Deus motu communi, coefficiendo: at verò ad ſupernaturales actiones movet ſpeciali modo. Sed per verbum *coefficere* non intelligit ſimultaneam tantùm operationem, ſed præviam influentem in cauſam, quâ Deus movet illam, ut ſimùl cum voluntate coefficiat.

Et quòd illa ſit aperta mens illius, patet manifeſtè *ex eodem Lib. in 2m. diſt. 1. concluſ. 6.* ubì in terminis & ex profeſſo de hoc agens, illam fundat ſententiam ex S. Thomâ: quòd Deus movet omnes ſecundas cauſas, prævìè in ipſas influendo, & aliquid eis tribuendo, quo illas ad ſuas applicat operationes. En ejus verba, quæ in Congregatione non ſunt lecta: *Ex quibus patet ad argumenta, undè Henricus & Sotus decepti ſunt in hoc, quòd putaverunt liberum arbitrium & voluntatem univocè dici de Deo & creaturis; & quòd tanta libertas ineſſet voluntati creatæ, ſicut & increatæ: ut quòd ſicut divina voluntas à nullâ priori voluntate determinatur, aut neceſſitatur, aut movetur ad actum ſuum; ità nec voluntates creatæ. Quod falſum eſt.* Docet ergò apertè, quòd voluntas creata à Deo determinatur. Quod autem dicit, id negare Sotum, non placet; quià reverâ Sotus id non negat, ſed expreſsè admittit.

Idem Capreolus *in 1m. diſt. 45. q. 1.* hanc ſtatuit quintam concluſionem: *Licèt Dei voluntas conſequens ſemper impleatur; non tamen neceſſitatem rebus volens generaliter imponit; ſed aliquibus imponit neceſſitatem, & aliquibus non.* Et poſtquàm ex multis S. Thomæ teſtimoniis id probavit, ſtatìm opponit contrà Concluſionem argumentum, quo PP. RR. convincuntur; ità dicens: contrà ſecundam partem ejuſdem Concluſionis arguit Bernardus *3. p. Summa contrà Pelagium cap. 3.* primò ſic: *Deus poteſt neceſſitare omnem creatam voluntatem neceſſitate naturaliter præcedente: ſed hoc non poſſet aliquid aliud faciendo, quàm tantùm volendo; quoniam nullo alio modo agit ad extrà; nec aliter volẽdo quàm priùs naturaliter; & ſemper ſic vult: igitur Deus neceſſitat de facto quamlibet voluntatem*

luntatem creatam ad quemlibet ſuum actum liberum. Hoc eſt argumentum, quo ſemper PP. RR. inſtiterunt in iſtis Congregationibus: quòd, videlicèt, ſi Deus vellet neceſſitare voluntatem, non poſſet fieri, niſi prædeterminando phyſicè per voluntatem efficacem, priùs naturâ antecedentem. Ad quod tamen argumentum reſpondet Capreolus hoc modo: *Ad primum contrà ſecundam partem Concluſionis, dicitur: quòd minor eſt falſa. Licèt enim Deus poſſet voluntatem quamlibet creatam neceſſitare ad eliciendum actum, non tamen ſic neceſſitat eam. Et comprobatur: quià ſi neceſſitaret eam, hoc non faceret niſi volendo &c. Dico, quòd licèt faceret hoc volendo; tamen non vult nunc illud quod vellet tunc &c.* Et infrà: *Et ideò benè ſtat effectum provenire neceſſariò neceſſitate antecedente à causâ ſecundâ, & non à causâ primâ, niſi neceſſitate immutabilitatis & ſuppoſitionis: quià, videlicèt, prima cauſa eſt determinata ad hunc effectum per ſuam ſapientiam & voluntatem, non ſtat effectum non ſequi, illo modo quo prævolitum eſt, & diſpoſitum à primâ causâ illum ſequi. Undè neceſſitas naturaliter antecedens reſpectu cauſæ ſecundæ, non arguit neceſſitatem conſimilem in causâ primâ, ſed aliam neceſſitatem nobiliorem; quæ tamen ſtat cum contingentiâ effectûs in ſe.* Et infrà: *Ad quintum Dico: quòd licèt non ſit in poteſtate cauſæ ſecundæ, quòd prima cauſa, vel divina voluntas ſic vel ſic cauſet, vel velit, aut determinetur ad hoc vel illud; tamen &c.* Et iterùm infrà: *Ad tertium principale Dico: quòd neceſſitas in causâ ſecundâ originatur ex neceſſitate in causâ primâ exiſtente, loquendo de neceſſitatè immutabilitatis & ſuppoſitionis.* Quid clarius? Sæpè dicit, quòd ex neceſſitate exiſtente in causâ primâ originatur neceſſitas in causâ ſecũdâ; & quòd illa eſt neceſſitas ex ſuppoſitione, cum quâ ſtat libertas cauſæ ſecundæ; & quòd quià prima eſt determinata ad hunc effectum per ſuam voluntatem, non ſtat effectum non ſequi à causâ ſecundâ; & quòd prima cauſa nunquam determinatur à ſecundâ, ad cauſandum hoc vel illud; & multa ſimilia talia dicit, quæ ob brevitatem omitto, humiliter orans, ut videatur à Doctoribus Capreolus in hâc parte. Dicit enìm, quòd neceſſitas antecedens divinæ voluntatis non lædit libertatem.

a ” Sed melior ſolutio ad ea quæ PP. RR. opponunt ex Capreolo, eſt iſta, quæ in Diſputatione allata non fuit: videlicèt, quòd Capreolus in allato loco non loquitur generaliter de quolibet bono noſtro actu, ſivè naturali, ſivè ſupernaturali; ut patet ex verbis ipſis, & ex S. Auguſtini inductis teſtimoniis; quæ ſine dubio de omni actu bono, etiam ordinis naturalis, procedunt. Et dicit Capreolus, quòd præter coefficientiam ſimultaneam, qui eſt modus cõmunis cauſandi cum omni agente naturali; communis, inquam, quià ſic coefficere, eſt commune Deo & creaturæ; uterque enìm coefficit actum, id eſt, ſimùl producit. Inſuper eſt ſpecialis modus cauſandi Dei, qui creaturæ non convenit: & iſte eſt movere & applicare voluntatem ad benè volendum, faciendo eam facere. Sic ſe explicat Capreolus, & ſic ſumit modum communem concauſandi, & ſpecialem; ut conſtat ex illis verbis: *Unus eſt ſibi proprius, in quo voluntas noſtra non cooperatur, ut potè, facere nos velle.* “

a *Hæc ſequentia, uſque ad illa verba:* Eamdem etiã &c. *non fuerunt dicta in Cõgregatione; ſed tantùm leguntur in margine Mss.*

Eamdem etiam phyſicam prædeterminationem verbis omninò æquivalentibus tenet Albertus Magnus, S. Thomæ Magiſter *1. p. Summæ, tract. 3. q. 18.* ità dicens, agens ex profeſſo, ut magnus Philoſophus, de primo omnium Motore: *His viis ego addo duas. Una quæ ſumitur ex 8. Phyſic., in cujus principio probatur: quòd Motor primus non poteſt eſſe motus ab aliquo. Deindè probatur, quòd movens motum nec movere nec moveri habet niſi à Motore primo. Similiter motum tantùm moveri non habet, niſi per influentiam à primo, per omnia media moventia & mota uſque ad ultimum, quod eſt motum tantùm. Propter quod, ſi ceſſaret motus in primo, ſecundùm quòd eſt actus moventis, ceſſaret in omnibus mediis, in quibus eſt actus moventis & mobilis, & ceſſaret in ultimo, in quo eſt actus mobilis tantùm. Deſtruatur ergò conſequens: quià*

videmus, quòd non ceſſat in mediis, nec in ultimo. Ad ſenſum enim patet, eſſe multa mota, & multa eſſe moventia mota: ergò neceſſe eſt unum primum movens, in quo non ceſſat motus, ſecundùm quòd eſt actus moventis, & non mobilis. Hanc rationem ſupponit Auguſtinus, ſed non deducit illam, in Libro de Civitate Dei, dicens: quòd Apuleïus Philoſophus, propter iſtam rationem definiens Deum, dixit: quòd Deus eſt anima, motu & ratione mundum gubernans. Et addit: quòd ſi Deum animam non dixiſſet, ſed ſpiritum, vel ſubſtantiam intellectualem, nihil in ratione peccaſſet. Itèm *eâdem 1. p. tract. 20. q. 79.* ità reſolvit: *Dicendum, quòd voluntas Dei cauſa eſt per ſe immediata, & propria, & neceſſaria omnium eorum quæ fiunt ab efficiente causâ, & non à cauſâ deficiente. In toto enìm illo efficientium cauſarum ordine, voluntas Dei prima eſt & princeps, omnes alias movens, & agens ad cauſandum quæ vult, & ſicut vult. Aliter enim non eſſet in omnibus agentibus & actis eſſentialiter, præſentialiter, & potentialiter, ſicùt influens eis eſſe, ſpeciem, & virtutem ad operandum.* Ubì docet apertè, quòd ut ſalvetur hoc Theologicum principium, ab omnibus in univerſum Theologis communiter receptum: quòd, videlicèt, Deus eſt in omnibus rebus per eſſentiam, præſentiam, & potentiam; eſt neceſſarium, quòd influat in omnes cauſas, & eas agat, & moveat ad agendum. Et *in 2. p. tract. 17. q. 100.* agens de præveniente gratiâ Dei, ità quæſtionem proponit: *Quæritur, quæ ſit gratia illa, quæ voluntatem retinet à peccato?* Et ità illam ſolvit: *Dicendum, quòd Auguſtini authoritas, quam inducit Magiſter de gratiâ præveniente & ſubſequente ab Auguſtino poſitâ in Libris contrà Pelagianos, qui gratiam Dei evacuabant, & dicebant, à libero arbitrio eſſe bonum opus, ſicut volente & currente, & à gratiâ Dei non niſi adjuvante & concomitante. Et propter hoc Auguſtinus, ſecundùm Catholicam fidem, volens tunc errorem corrigere per verbum Apoſtoli ad Rom. 9.: non eſt volentis nec currentis, ſed miſerentis Dei; dividit gratiam in operantem & cooperantem, ſivè prævenientem & ſubſequentem; ut oſtendat, quòd totum eſt ex gratiâ Dei, quæ primò prævenit voluntatem, ut velit, & ſubſequitur voluntatem opus miniſtrantem, nè fruſtrà velit.* Et infrà: *Ad primum ergò dicendum, quòd licèt principaliter præveniat, informando voluntatem, tamen etiam quidam modus præventionis eſt, quo nos hìc prævenit in gratiâ; & quidam modus ſubſecutionis, quo gloria ſequitur gratiam. Et hoc intendit Auguſtinus, & non aliud: ut, ſcilicèt, intelligamus, quòd nihil eſt in nobis, niſi ex gratiâ Dei.* Quibus verbis apertè deſtruit totam doctrinam RR. PP., qui nolunt totum eſſe ex gratiâ; ſed aliquid reſervari arbitrio, quod non habeat ex gratiâ, videlicèt, quòd influat, & ſe applicet, ac determinet ad actum ſuum.

S. Antoninus etiam *4. p. Summæ cap. 4. de cauſis gratiæ*, §. 2. ità ex S. Thomâ dicit: *Pro cujus declaratione dicit Beatus Thomas 1. 2. q. 112. art. 3., quòd præparatio hominis ad gratiam, eſt à Deo, ſicut à primo movente, & ab homine, ſicut à moto.* Et refert verba S. Thomæ loco citato: quòd, videlicèt, ſi ex intentione Dei moventis eſt, quòd homo, cujus cor movet, gratiam conſequatur, infallibiliter illam conſequitur &c. Et *cap. 5. de neceſſitate gratiæ*, §. 7. ità ex eodem S. Thomâ dicit: *1. 2. q. 109. art. 1.: Sicut omnes motus corporales in motum cæleſtis corporis, ſicut in primum movens corporale; ità omnes motus, tàm corporales quàm ſpirituales reducuntur in primum movens ſimpliciter, quod eſt Deus. Et ideò quantùmcunque, aliqua natura corporalis vel ſpiritualis ponatur perfecta, non poteſt in ſuum actum procedere, niſi moveatur à Deo; quæ quidem motio eſt ſecundùm ſuæ providentiæ rationem.* Quibus verbis totam contrariam doctrinam evertit, quæ non admittit, quòd voluntas moveatur & applicetur à Deo, affirmans, quòd licèt à Deo non moveatur ad agendum, ipſa agere poteſt.

Omitto plures alios S. Thomæ Diſcipulos; & ſic coràm Pontifice quinque vel ſex Libros prætermiſit; & ità concludebat: Tandem cum totâ claſſe Doctorum, concludo celebri teſtimonio

nio Catechiſmi Romani, cujus vel ſola major authoritas eſt, quàm Scholaſticorum quos Pater induxit; quià hic Catechiſmus ex decreto Sacri Concilij Tridentini fuit per Pium V. toti Eccleſiæ propoſitus. Et explicans illud primum totius fidei noſtræ principium, quo credimus in Deum Patrem Omnipotentem, in explicatione hujus verbi *omnipotentem*, ità dicit: *Nec verò ità Deum Creatorem atque effectorem omnium credere oportet, ut exiſtimemus, perfecto abſolutoque opere, ea quæ ab ipſo effecta ſunt, deinceps ſine infinitâ ejus virtute conſtare potuiſſe. Nàm quemadmodùm, omnia ut eſſent, Creatoris ſummâ poteſtate, ſapientiâ, & bonitate effectum eſt; ità etiam, niſi conditis rebus perpetua providentia adeſſet, atque eâdem vi, quâ ab initio conſtituta ſunt, illas conſervaret, ſtatim in nihilum reciderent;* a Sap. 11. 26. *atque id Scriptura declarat, cùm inquit:* a *Quomodò poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes; aut quod à te vocatum non eſſet, conſervaretur?* Ubì apertè docet, ad articulum omnipotentiæ pertinere, & quòd Deus res produxerit, & quòd illas actualiter conſervet. Et ſtatim immediatè ſequitur aliud tertium, quod docet etiam pertinere ad omnipotentiam Dei; ità ſubjungens: *Non ſolùm autem Deus univerſa quæ ſunt, providentiâ tuetur atque adminiſtrat; verùm etiam quæ moventur, & agunt aliquid, intimâ virtute ad motum atque actionem ità impellit, ut, quamvìs cauſarum ſecundarum efficientiam non impediat, præveniat tamen; cùm ejus occultiſſima vis ad ſingula pertineat; & quemadmodùm Sapiens teſ-* b Sap. 8. 1. *tatur:* b *Attingat à fine uſque ad finem fortiter, & diſponat omnia ſuaviter. Qua-* c Act. 17. 27. *rè ab Apoſtolo dictum eſt,* c *cùm apud Athenienſes annuntiaret Deum; quem ignorantes colebant: Non longè eſt ab unoquoque noſtrûm; in ipſo enim vivimus, movemur & ſumus.* Quid manifeſtius? Ad articulum omnipotentiæ Dei docet pertinere, quòd Deus moveat intimâ ſuâ virtute & vi, & impellat omnes cauſas ſecundas ad agendum, præveniendo eas, ſed non tollendo earum propriam efficientiam: pariter docens, hoc docere Spiritum Sanctum, cùm ait: *Attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.* Qui locus à Diſcipulis S. Thomæ ſemper ad hoc propoſitum adducitur. Similiter & inducunt illud aliud Apoſtoli, quod Catechiſmus inducit: *In ipſo vivimus, movemur, & ſumus.* In ipſo, inquam, nos movente, & ſuâ virtute impellente, movemur & ſumus; ſecundùm quod Concilium Tridentinum, licèt definiret contrà Calviniſtas, vocat tamen motionem Dei, ob ejus efficaciam, Spiritûs Sancti impulſum.

Accedo jàm ad Doctores alios, illoſque graviſſimos.

Magiſter Sententiarum *Lib. 1. diſt. 47.* ità dicit: *Voluntas quippè Dei ſemper efficax eſt, ut fiat omne quod velit, & nihil fiat quod nolit; quæ de homine ſemper impletur, quocunque ſe vertat.* Et loquitur de voluntate beneplaciti, de quâ præmiſerat, quòd caſſari non poteſt. Alius ſecundus locus fuit ibì in Congregatione ſignatus; ſed ob brevitatem non lectus, nempè *Lib. 2. diſt. 27. §. cùm ergò ex gratiâ*, ubì ità dicit: *Sed in bonis merendis, cauſæ principalitas attribuitur gratiæ; quià principalis cauſa meritorum bonorum eſt ipſa gratia, quâ excitatur liberum arbitrium, & ſanatur, atque juvatur voluntas hominis, ut ſit bona.* Ubì ſermo eſt ad litteram de gratiâ præveniente; & docet quòd non ſolùm per illam excitatur & invitatur arbitrium moraliter, ſeu metaphoricè, ut PP. RR. dicunt; ſed dicit, quòd per illam juvatur arbitrium, ut bonum ſit; immò quòd per illam ſanatur. Quibus verbis expreſsè prævenientis gratiæ efficaciam prædicat; prout venit à Deo.

Alexander Halenſis, graviſſimus author, *1. p. Summæ, q. 40. memb. 1.* ità dicit: *Ex quo accipitur, quòd voluntas noſtra ſubjicitur in malis actibus divinæ voluntati materialiter, ſcilicèt ut materia ſub agente: quià de voluntate noſtrâ malâ, & actu malo, voluntas Dei operatur bonum; & hoc eſt quòd dicitur: de nobis impletur, quandò peccamus. In bonis*

verò actibus, voluntas noſtra ſubjicitur divinæ voluntati, ut efficiens ſub efficiente, ſecundùm illud: omnia opera noſtra operatus es Domine in nobis. Ergò in bonis actibus voluntas noſtra efficiens ſubjicitur Dei voluntati verè efficienti, quòd nos faciamus. Sed verbum, *verè efficere quòd faciamus*, eſt phyſicè prædeterminare; ut R. P. expreſsè in his Congregationibus propoſuit; & ità negavit Deum verè efficere ut faciamus, ac phyſicè prædeterminare. Ergò Halenſis conſtituit reipsâ phyſicam prædeterminationem. Itèm idem Halenſis *q. 23. de ſcient. Dei, art. 4.* ità dicit: *Itèm eſt quoddam immutabile ſecundùm cauſam ſuperiorem, & tamen mutabile ſecundùm cauſam inferiorem: ut, ſi Deus prævidit me iturum Romam: ſecundùm cauſam ſuperiorem eſt immutabile, ſecundùm cauſam inferiorem eſt mutabile; cùm Deus prævìderit & diſpoſuerit, quòd iſte actus eliciatur à noſtrâ voluntate non coactâ. Non ſequitur ergò: hoc eſt immutabile ſecundùm cauſam ſuperiorem; ergò eſt immutabile. Immò eſt quid mutabile, & ſimpliciter. Quod enim dicitur ſecundùm cauſam ſuperiorem immutabile, ſecundùm quid dicitur, & ideò ſecundùm quid eſt neceſſarium evenire. Nàm illa cauſa ſuperior non eſt determinata cauſa hujus, nec cogens inferiorem ad hoc quòd res ſit.* Eccè dicit, quòd ſi Deus diſpoſuit me venire Romam, eſt immutabile ſecundùm cauſam ſuperiorem, non autem ſecundùm cauſam inferiorem; quià ego ità veni, quòd potui non venire; quià nec divina voluntas ex naturâ erat determinata ut venirem, nec neceſſitavit meam voluntatem ad veniendum; ſed liberè determinavit, quòd ego cum meâ magnâ libertate venirem. Ad locum oppoſitum ex Halenſi reſpondebo poſteà.

Sanctus etiam Bonaventura divinæ gratiæ prævenientis ſeu prædeterminantis efficaciam conſtituit apertè *in 2m. diſtinct. 26. q. 6.* cujus titulus eſt: *An gratia comparatur ad animam in ratione motoris?* Reſolvens enìm quæſtionem, ità dicit: *Alius eſt modus intelligendi, ſecundùm quem liberum arbitrium dicitur à gratiâ moveri. Gratia enìm eſt ſicut quædam influentia, procedens à luce ſupernâ, quæ ſemper habet conjunctionem cum ſuâ origine, ſicut lumen cum ſole. Et quià ſemper ſuæ origini conjungitur; ideò non tantùm attribuitur operatio ratione ſubjecti in quo eſt, ſed etiam ratione ſubjecti à quo eſt. Undè ſicùt lumen non ſolùm operatur cum aëre, ſed etiam operatur in ipſum aërem, ratione conjunctionis cum ſuo fonte; ſic & gratia non ſolùm operatur cum libero arbitrio, ſed operatur in liberum arbitrium, & liberum arbitrium movet. Undè non eſt aliud dicere, gratiam liberum arbitrium movere, quàm gratiam eſſe inſtrumentum Spiritûs Sancti ad movendum liberum arbitrium; & non ſolùm operatur cum libero arbitrio, ſed in liberum arbitrium.* Et tamen Molina, & ſui Defenſores contendunt, quòd operetur cum libero arbitrio, ſed non in liberum arbitrium. Et infrà: *Deus per gratiam movet voluntatem, nec tamen hoc voluntati repugnat; quià voluntas vult ſic moveri à Deo. Itaque vult ſic moveri; & gratia facit, quòd ipſa velit ſic moveri à Deo.* Et *ſolutione ad 3.* ità reſpondet: *Ad illud quod quæritur: aut movet naturaliter &c. Dicendum, quòd movet voluntariè; non à voluntate, quâ ipſa gratia ſit volens; ſed à voluntate, quâ Deus gratiam influens eſt volens; & à voluntate, quâ liberum arbitrium gratificatum vult movere ſeipſum.* Quibus verbis deſtruit S. Doctor aliud Molinæ & Defenſorum ejus principium. Dicunt enìm etiam ipſi, quòd gratia movens liberum arbitrium operatur ex neceſſitate naturæ: quod non ità eſt. In quo enìm Doctore hoc invenerunt? Immò movet *ut quo* liberè per voluntatem Dei, quæ mediâ gratiâ movet voluntatem ad liberè operandum.

Prætereà idem S. Bonaventura *in 2m. diſtinct. 37. q. 1. art. 1.* inquirit: *An omnis actio, ſecundùm quod actio, ſit à Deo?* Et concluſionem conſtituit in hunc modum: *Omnis actio quantumvìs peccato ſubſtrata, eſt à Deo, cùm ipſa ſit ens, & à bonâ causâ procedat.* Et probat ratione tali: *Quià enim*

Deus

Deus eſt cauſa primordialiſſima, ideò eſt influentiæ maximæ in cauſas ſecundas, & adeò magnæ influentiæ, ut nec modicum, ſeu quantùmcunque parvum, dùm tamen aliquo modo ſit ens, procedat ab aliquâ cauſâ, niſi cooperante divinâ potentiâ. Itaque loquens de actione quæ eſt in peccato, docet apertè, quòd Deus influit in voluntatem, ut producat illum actum, in quantùm actio eſt. Et hanc influentiam in voluntatem vocat cooperationem, ut appareat, quomodò, etiam ſecundùm S. Bonaventuram, cooperatio eſt prævia. Et *ſolutione ad 5. in eâdem quæſt.* ità dicit: *Ad illud quod quæritur; aut tota operatio eſt à Deo &c. Dicendum, quòd tota eſt a Deo, & tota à libero arbitrio. Non enim eſt intelligendum, quòd Deus cooperetur libero arbitrio, ſicùt cùm duo ferunt lapidem, unus cooperatur alteri: ſed quià Deus eſt intimè agens in omni actione, & intimus eſt ipſi potentiæ operanti; ità quòd ipſa potentia in nihil exit, quod non ſit ab ipſo.* Ubì totum fundamentum doctrinæ RR. PP. penitùs evertit: qui dicunt, Deum & voluntatem creatam operari, ſicùt duo ferentes lapidem. Quod in terminis hìc damnat Bonaventura, docens: quòd Deus cooperatur voluntati hominis, influendo in ipſam, ut in actum exeat. Et *ſolut. ad ultimum*; qui eſt locus, qui inducitur à RR. PP. pro ſuâ ſententiâ; ità dicit: *Ad illud quod objicitur: quòd Deus eſt principale movens in tali actione, dicendum: quòd verum eſt; attamen non ſequitur ex hoc, quòd excitet liberum arbitrium ad faciendam illam operationem. Excitatio enìm dicit aliquem effectum gratiæ prævenientem ipſam voluntatem; hæc autem requiritur in bonis meritoriis; in aliis verò operibus indifferentibus, vel etiam malis, non eſt niſi cooperatio divinæ voluntatis, quæ exiſtens in creaturâ potentialiter, eſſentialiter, & præſentialiter, ſicut conſervat eam in eſſendo, ſic adjuvat in operando. Propter quod conceditur, ibì eſſe cooperatio, non præventio.* Ex iſto loco, quià dicitur, quòd eſt ibì cooperatio, non præventio; inferunt PP. Societatis illam ſuam cooperationem ſimultaneam non præviam. Cùm tamen S. Bonaventura ſemel atque iterùm in litterâ dixerit articuli expreſsè, iſtam cooperationem eſſe influentiam præviam in voluntatem ipſam. Quod ergò dicit ultimis verbis S. Bonaventura, hoc ſolùm eſt, quòd in malis operibus non eſt præventio, quæ ſit excitatio. Illam præventionem excitantem negat; non autem negat, ſed potiùs expreſsè in litterâ admittit cooperationem præviam, quâ Deus influit in voluntatem, ut operetur quidquid actionis eſt in tali operatione.

Similiter Scotus, cum ſuâ Scholâ, apertè conſtituit divinæ voluntatis & operationis efficaces prædeterminationes. Divinâ enìm providentiâ diſpoſitum videtur, quià pro iſtis temporibus ità expediebat, ut Scotus in hâc parte ità ſtrictè & formaliter loqueretur, ſicut S. Thomas. Nàm *in 4^m. diſt. 49. q. 6.* contrà efficaces divinæ voluntatis prædeterminationes ità opponit. *Non minùs tollit indifferentiam voluntatis determinatio ejus à causâ ſuperiori, quàm à causâ inferiori: ergò ſi ex ratione cauſalitatis ſuæ eſt indeterminata ad operandum, ità repugnat naturæ ſuæ, quòd indifferentia illa tollatur per cauſam ſuperiorem, ſicùt per inferiorem: ſicùt ergò eſt contrà naturam voluntatis, quòd habitus determinet eam neceſſariò; ità eſt, quòd Deus determinet. Confirmatur: quià magìs determinat cauſa ſuperior inferiorem, quàm è converſo: ergò ſuperior determinans, magìs tollit indifferentiam inferioris in agendo, quàm ſi inferior determinaret. Prætereà: non erit in poteſtate voluntatis ſic agere, vel non ſic agere: quià ad quod determinatur aliquid à causâ ſuperiori, non poteſt eſſe in poteſtate determinati; agit enìm ſicùt motum à determinante: ergò ille actus non erit laudabilis, nec propriè voluntarius.* Nunquid PP. Societatis aliquid ſtrictius opponunt contrà divinas prædeterminationes, quàm hìc opponat Scotus? Minimè quidem. Et tamen his argumentis ità reſpondet Scotus inter multa quæ dicit: *Non*

eſt ergò

eſt ergò ſimpliciter contrà naturam ejus, quòd determinetur à causâ ſuperiori, hoc eſt, quòd non poteſt contrà naturam ejus oppoſitum agere; ſicut eſſet contrà naturam ejus determinari ab habitu, ſivè à naturâ inferiori. Ad formam ergò; contrà naturam ejus eſt determinari in ſuo ordine, & nihil aliud primò repugnat ſibi; ſed ex conſequenti eſt contrà naturam ejus determinari à causâ inferiori: quià tunc ipſa non eſſet ſuperior. Non eſt autem contrà naturam ejus determinari à causâ ſuperiori; quià cum hoc ſtat, quòd ſit cauſa in ſuo ordine. Contrà: ſi cauſa ſuperior determinat; ergò voluntas in ordine ſuo cauſandi determinatur; ergò in ordine ſuo cauſandi non eſt contingens. Reſpondeo: propter determinationem ejus in ſuo ordine eſt æqualis contingentia; ſed quòd effectus, qui provenit ex ipsâ & aliis, non omninò contingenter proveniat ex contingentiâ ejus; hoc eſt, quià alia cauſa prior eſt determinata ad illum effectum. Ad ſecundum: laudabilis eſt, pro quanto voluntas ipſa in ſuo ordine contingenter ſe determinat. Quid apertius? Sæpiſſimè docet Scotus, quòd divina voluntas determinat, ſeu prædeterminat realiter noſtram voluntatem ad operandum; cum quâ divinâ prædeterminatione ſtat, ipſam ſe liberè determinare in ordine ſuo.

Nè autem dicat aliquis, Scotum admiſiſſe divinæ voluntatis æternam & efficacem prædeterminationem, non autem aliquid voluntati impreſſum per quod voluntatem phyſicè prædeterminet: Ipſe Scotus *in 2m. diſt. 37. q. 2.* tractans quæſtionem: *An voluntas creata ſit cauſa totalis ſui actûs, ità quòd ab aliâ priori non dependeat?* docet creatam voluntatem non eſſe totalem cauſam ſui actûs, ſed ab aliâ priori dependere. Quod probat: *Deus non habet præſcientiam de futuris contingentibus, niſi quià certitudinaliter cognoſcit determinationem voluntatis ſuæ reſpectu eorum, ad quæ voluntas ſua eſt immutabilis & inimpedibilis: ſed ſi voluntas creata eſt totalis cauſa reſpectu ſui velle, & ipſa ſe habet contingenter ad illud velle: ergò quantumcunque ponatur voluntas divina determinata ad unam partem eorum, quæ dependet à voluntate creatâ, poterit creata voluntas aliter velle: & ità non ſequitur certitudo ex cognitione determinationis divinæ voluntatis.* Et aliam ſubdit ſimilem rationem, ità dicens: *Quidquid vult Omnipotens, hoc fit; quòd ſi velit volitionem meam fore, & iſta eſt in poteſtate voluntatis meæ, ut totalis cauſa contingenter ſe habentis ad illud: ergò illa poteſt determinari ex ſe ad unam partem, vel ad aliam indifferenter; & ità non poteſt fieri illud aliud, ad quod voluntas divina illam determinavit.* Quibus rationibus apertè docet Scotus: quòd ut impleatur determinatio divinæ voluntatis, quâ determinavit voluntatem creatam aliquid operari, oportet quòd Deus determinet in tempore voluntatem creatam ad operandum id quod eſt à voluntate divinâ determinatum; aliàs poſſet impediri & caſſari divinæ voluntatis determinatio.

Ex quâ ratione Scoti, Franciſcus Suarez *in ſuis Opuſculis* expreſsè fatetur, quòd poſitâ divinæ voluntatis prædeterminatione de aliquo futuro libero eventu, ſine illâ priori ſcientiâ mediâ, neceſſe eſt ponere phyſicam prædeterminationem; aliàs non impleretur divinæ voluntatis prædeterminatio: quæ eſt ipſiſſima ratio Scoti citato loco; Ex quo illam deduxit author ille, & ab ipſo reputatur evidens; ſicut reverâ eſt. Itaque manifeſtum eſt, ut probat Scotus in iſto loco, quòd ſicut Deus ab æterno determinavit, me Romam venire, ità in tempore meam voluntatem determinavit, ut Romam venirem; ut ſic impleretur divinæ voluntatis prædeterminatio. Conſtituit ergò Scotus in terminis æternæ voluntatis determinationem, & etiam aliquid Deum voluntati imprimere, per quod illam in tempore determinat, ut infallibiliter faciat; quod ut fiat, ab æterno à Deo fuit prædeterminatum. Quomodò autem cum hâc determinatione ſeu efficaci prædeterminatione ſtet humana libertas, Scotus ſatis apertè declaravit

in 1m.

Digitized by Google

in 1m. diſt. 6. q.... ſub his verbis: *Indeterminatio eſt duplex. Quædam eſt potentiæ paſſivæ, ut indeterminatio materiæ: & quædam potentiæ activæ illimitatæ ad plures effectus. Exemplum. Sicut Sol eſt indeterminatus ad producendum multa animalia; non quòd aliquam formam recipiat, ut agat; ſed quià habet virtutem productivam illimitatam. Quod autem eſt indeterminatum indeterminatione materiæ, oportet quòd recipiat aliquam formam, ad hoc ut agat: quià non eſt in actu ſufficiente ad agendum. Sed quod eſt indeterminatum indeterminatione potentiæ activæ, eſt ex ſe ſufficienter determinatum ad producendum quemcunque iſtorum effectuum &c.* Cùm ergò ſecundùm Catholicam veritatem voluntas noſtra ſit potentia activa ad plures actus illimitata, habens potentialitatem annexam, & aliquam rationem potentiæ paſſivæ; indiget, quòd ex illâ potentialitate determinetur per aliquid à Deo.

Similiter Vega, Scoti diſcipulus, ipſum ſequens, ità dicit, *Lib. 6. de juſtificatione in cap. 5. Concil. Trident.: Eſt & duplex alia, hoc loco non diſſimulanda, inter has gratias diſtantia. Primò enim excitantis gratiæ adjutoria ſæpè per libertatem noſtram fruſtramus.* a *Vocavi enim, & renuiſtis. Verùm adjuvans gratia habet effectum immediatum, ad quem datur. Si Deus adjuvat nos ad credendum, credimus; ſi ad diligendum, diligimus &c.* Et iterùm; *ſecunda inter excitantem & adjuvantem gratiam differentia eſt &c.* Sunt ibi verba lecta.

a Proverb. 1. 24.

Quòd autem P. R. induxit pro ſe, ex Scoti Scholâ, Cordubam; inprimis ipſe Corduba fatetur ſe tenere contrà Scotum. Undè non mirum, quòd erraverit, Magiſtrum in hâc parte relinquens. Sed jàm quòd PP. RR. ſequuntur Cordubam, vellem quòd loquerentur clarè, ſicut Corduba, & faterentur apertè id quod ex hâc doctrinâ eſſentialiter ſequi vidit Corduba. Dicit enim voluntatem humanam prævenire divinam in hâc determinatione. Videant ergò PP. RR., ſi hoc concedunt: quià hoc eſſentialiter ex ſuâ ſententiâ ſequitur, ut Corduba expreſſit.

Ægidius etiam Romanus S. R. E. Cardinalis, Magiſter & Caput Auguſtinianæ familiæ, quem proindè meritò ſequuntur, efficacem Dei prædeterminationem, verbis omninò æquivalentibus, docet ſemper. Ut *in 2m. diſt. 5. q. 2.* ubì ità dicit: *Gratiam ergò gratum facientem præcedit converſio, quæ eſt diſpoſitio ad gratiam: converſionem autem præcedit motio & operatio Dei facta in animâ; quæ eſt impetus quidam ad bonum, quem ſequentes convertimur.* Ad ſignificandam gratiæ prævenientis efficaciam, vocat illam *impetum.* Et ut velit bonum gratiæ, & ut convertat ſe ad Deum, per quam converſionem recipiat gratiam, requirit ſpecialem Dei impetum, & motionem, quam ſequendo, dicitur converti ad Deum. Et iterùm: *Sed ſufficit, quòd ibi ſit operatio divina, faciens impetum in liberum arbitrium, quem ſequendo diſponimur ad gratiam.* Et ſtatìm: *Nec oportet inter talia eſſe prioritatem ſecundùm durationem ad tempus; ſed ſufficit, quòd ibì ſit prioritas naturæ & originis.* Et poſt pauca: *Cùm ergò quæritur: utrùm Angeli indiguerint gratiâ ad ſui converſionem? Dicemus, quòd antè converſionem, id eſt, motum liberi arbitrij, in Angelis ad ſuſcipiendam gratiam non requirebatur gratia prævia, ſed conſummans; niſi vellemus appellare gratiam ipſum Dei impetum & motionem, ſine quâ non potuiſſet eſſe hujuſmodi converſio.* Et *diſt. 14. q. 3.* explicans, quid faciat Deus per hunc impetum, quem imprimit libero arbitrio; ità dicit: *Sed cùm anima humana, quantùm ad ſuam eſſentiam, creetur immediatè à Deo, oportet quòd immediatè, quantùm ad voluntatem & quantùm ad liberum arbitrium, ſit ſuppoſita ipſi Deo. Deus enim, licèt non poſſit cogere voluntatem, quià tunc voluntas non eſſet voluntas, ſed implicaret; poteſt tamen eam pro libito immutare; quià cor Regis in manu Domini; & quocunque voluerit vertet illud.* Eccè prævium impetum immutantem

animam fatetur Ægidius; quæ eſt ipſiſſima phyſica prædeterminatio. Et iterùm: *Quantùm ad liberum arbitrium, non ſumus ſubjecti, niſi ſoli Deo; licèt indirectè, ut perſuadendo, aliis ſimus ſubjecti.* Et iterùm: *Reſpondeo ad argumentum primum dicendo: quòd deformitas & variabilitas actuum liberi arbitrij reducuntur in uniforme, ſed non in motum cæli &c. Sed directè reducuntur in divinam providentiam & voluntatem Dei.* Præterea idem Author, itèm *in 2m. diſt. 25. q. 1. reſp. ad argument.* ità dicit: *Propter quod, licèt Deus non poſſit cogere liberum arbitrium, poteſt tamen ipſum immutare. Nàm cùm Paulus, nullis bonis meritis, ſed cum multis malis demeritis, perſequeretur Eccleſiam, Deus in viâ convertit ipſum, & immutavit voluntatem ejus. Non ergò fecit, quòd invitus à perſecutione deſiſteret, ſed quòd ferventiùs aliis pro Eccleſiâ laboraret.* Inſuper *diſt. 36. art. 3.* cujus titulus eſt: *An gratia in operantem & cooperantem dividatur?* ità dicit: *Nàm opera bona gratiæ ſunt à Deo ſecundùm prioritatem, à nobis autem ſecundùm poſterioritatem. Nàm quòd à Deo ſint ſecundùm prioritatem, à nobis autem ſecundùm poſterioritatem, habetur Threnorum ultimo, ubì dicitur: Converte nos Domine ad te, & convertemur. Priùs ergò nos Deus convertit ad ſe, & poſteà nos convertimus ad ipſum.* Et infrà: *Aliquandò verò prioritas dicit principalitatem, vel dicit agere principaliter; poſterioritas verò dicit agere inſtrumentaliter. Et ſecundùm hunc modum prioritas boni operis, propter principalitatem attribuetur Deo, poſterioritas verò, quod eſt agere inſtrumentaliter, poterit attribui nobis; quià coadjutores Dei ſumus, & inſtrumenta ejus in agendo. Secundùm enim hunc modum, totum aliquod opus, principium & finis, poterit attribui nobis inſtrumentaliter, & totum Deo principaliter.* Et infrà: *Et quià, quòd nos inchoemus opus pertinens ad ſalutem noſtram, habemus hoc à Deo, refertur totum ad Deum. Erit ergò inchoatio operis gratia operans, & conſummatio gratia cooperans. Sed ſi volumus accipere opus juſtificationis noſtræ, pròut Deo attribuitur prioritas, pròut operatur principaliter, & nobis poſterioritas, pròut cooperamur inſtrumentaliter &c.* Ecce humanas voluntates vocat Dei inſtrumenta, & quòd priùs illas Deus ſuâ gratiâ moveat, quàm operentur. Nùm potuit Ægidius efficaciam gratiæ prævenientis, pròut venit à Deo, efficaciùs commendare?

Abulenſis etiàm *ſuprà cap. 9. Matth. q. 174.*, quem induxerunt PP. RR. contrà phyſicam prędeterminationem, illam non negat; quià tantùm dicit hæc verba: *Et tamen homo ſecundùm naturam non haberet libertatem arbitrij, niſi pertineret ad eum determinatio ſui operis, ut ex proprio judicio eligeret hoc vel illud.* Sed in hoc non negat, quòd determinatum arbitrium à Deo in [illegible]tu primo, ſeipſum determinet in actu ſecundo. Immò verbis ſtatìm ſequentibus ità dicit: *Et alij volentes ſalvare liberum arbitrium, & neſcientes tenere modum, lapſi ſunt in alium errorem. Dicunt enìm quòd liberum arbitrium non eſt de ſe determinatum ad aliquod opus, ſed ex ipſo dependet determinatio cujuſcunque operis.* Ubì pro errore Pelagianorum reputat: quòd determinatio cujuſcunque operis pendeat à libero arbitrio, & non à Deo. Quod tamen PP. RR. expreſsè fatentur.

Accedo jàm ad Controverſiſtas. Et primò Thomas Valdenſis, quem P. R. citavit pro ſuâ ſententiâ, illam totaliter negat, & efficaciam antecedentem divinæ voluntatis defendit, *Lib. de Sacramentis cap. 3.* ità dicens, ex S. Auguſtin[illegible] *Lib. de corrept. & grat.* a *Non eſt itaque dubitandum, voluntati Dei, quæ in cælo & in terrâ, etiam illa quæ futura ſunt, fecit, humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quominùs faciat ipſe quod vult; quandoquidèm de ipſis hominum voluntatibus quod vult, cùm vult, facit.* Et iterùm: *Quis non videat?* b *Quis hoc neget? Non enìm hoc non ex animo, aut non ex bonâ voluntate fecerunt corde pacifico; & tamen hoc in eis egit, qui in cordibus hominum quod voluerit operatur.* Et iterùm ex S. Auguſtino

a *Cap. 14. num. 45. col. 774. tom. 10.*

b *Ibid. col. 775.*

Digitized by Google

a Ibidem. guſtino hæc verba refert: *Et ſequitur:* a *intùs egit, corda tenuit, corda movit, eoſque voluntatibus eorum, quas ipſe in eis operatus eſt, traxit. Si ergò, cùm voluerit Reges in terrâ Deus conſtituere, magìs habet in poteſtate ſuâ voluntates hominum, quàm ipſi ſuas &c.* Qui iſta dicit ex S. Auguſtino, non potuit clarioribus verbis efficaciam gratiæ, independentem ab humanâ voluntate aperire.

Nec in hoc loco in contrarium adducto, ut iterùm ad illum non revertar, tenet contrarium. Quià non loquitur in illo, ut P. R. affirmat, contrà illos, qui conſtituentes antecedentem gratiam efficacem dicebant ſtare hominis libertatem. Immò loquitur contrà VVicleffum, qui dicebat omnia ex neceſſitate abſolutâ antecedente evenire. Et contrà eum dicit, negandam eſſe talem antecedentem neceſſitatem abſolutam; quod & verbis formalibus dicit. Intelligendi enìm ſunt Doctores à fine & formâ verborum. Finis Thomæ Valdenſis, erat diſputare contrà VVicleffum; ut dixi: forma autem verborum eſt: *Neceſſitas ergò præcedens non compatitur libertatem. Periculosè ergò, ut mihi videtur, quidam magni viri neceſſitatem iſtam præcedentem ponunt in humanis operibus, etiam & quòd fluat à voluntate Dei; maximè cùm antiquis Eccleſiæ Patribus nihil conſonans reperire poſſunt.* Et ſtatìm: *Dicamus ergò omnes cum Eccleſiâ Jeſu Chriſti: quòd nec præſcientia Dei, nec Deus ipſe quomodocunque neceſſitat creaturam ambulatoriè liberam ad opus ſuum &c.* Itaque quod dicit, eſt: ſecundùm fidem eſſe negandum ullam eſſe neceſſitatem abſolutam in humanis operibus; non autem negat antecedentem neceſſitatem conditionatam. Additur: quòd ſi aliquos magnos viros putat hanc neceſſitatem antecedentem conſtituiſſe, vel non eſſe aliam antecedentem, niſi abſolutam, fallitur nimìs, & contrà ſanctum Auguſtinum & ſanctum Thomam loquitur apertè.

Payva etiam, quem tanti facit P. R., & quem non modò tantùm, ſed & in aliis Congregationibus induxit, totaliter ſententiam ejus oppugnat, & veram efficaciam gratiæ defendit. Ità enìm dicit, *Lib. 4. pag. 139.: Colonienſes verò totius Catholicæ Eccleſiæ, & omnium Sanctorum Patrum ſententiam ſecuti, docent quidem contrà Lutherum, eſſe in nobis verè liberum arbitrium, non modò, quo annuente, omnibus nos ſceleribus inquinamus, ſed ſine cujus conſenſu, nec Dei gratiâ exornari, nec boni quidquam agere, integræ ætatis homines poſſunt. Nè verò ad Pelagij errorem deflectere aliquo modo viderentur, apertè ac plenè confitentur, ità eſſe vires noſtras tenues & infirmas, ut niſi divinâ gratiâ roborentur, nihil perfecti boni, hoc eſt, quod ad vitam æternam conſequendam valeat, prorsùs facere, aut velle poſſimus; adeò ut nec oblatam gratiam valeamus amplecti, niſi Sanctiſſimi Spiritûs vi atque virtute excitentur.* Roborentur, inquit, vi & virtute Spiritûs Sancti. Per quod efficaciam gratiæ prævenientis affirmat. Et clariùs, cùm dicit: non poſſe nos ſine iſtâ virtute & vi Spiritûs Sancti oblatam gratiam recipere. Et tamen PP. Societatis cum ſuo Molinâ contendunt, nos pro noſtrâ innatâ libertate oblatam gratiam recipere, & illam efficacem reddere. Et iterùm: *Niſi enìm potentiſſima Dei gratia voluntati noſtræ præeat, & præluceat, fieri certè non poteſt, ut eorum quæ perfecti boni nomen merentur, quidquam conſectari valeamus.* Et prædixerat: quòd per hanc potentiſſimam gratiam, *Deus non nobis dat ſolùm, quòd converti poſſimus, ſed etiam quòd convertamur.* Et in utroque damnat Molinam, & Patres Societatis, qui hanc potentiſſimam gratiam, dantem facere, præter auxilium ſufficiens, negant. Et ſubdit ſtatìm: *Quæ gratia, cùm naturam humanam non evertat ſed perficiat; non perdat, ſed reſtauret, & priſtinæ dignitati reſtituat; non quidem liberum arbitrium, nobis à naturâ inditum, alligat, illiuſque actionem impedit, aut retardat; ſed jacentem erigit, languentem excitat, vireſque ſuppeditat, ut*

Digitized by Google

quæ pulchra ſunt & divina ultrò proſequatur & complectatur. Quare minimè quidem ſeſe mutuò gratia & liberum arbitrium impediant, ut Pelagius ſomniabat; ſed potiùs ad idem agendum concurrunt, atque alterum ab altero adjuvatur, cùm gratia voluntatem erigit & confirmat; voluntas verò, Spiritûs Sancti vocibus auſcultat, gratiam amplectitur, & antecedentem ipſius impulſionem ſequitur. Quid clarius? Antecedentem impulſum ſequitur, quæ eſt antecedens gratia efficax. Et iterùm *pag. 141.* ità habet referens Catholicorum ſententiam: *Et ſanè, inquiunt, quamvìs nos à divinâ miſericordiâ pendeamus; quamvìs nihil boni operetur fidelis, quod in illo non efficiat Deus; quamvìs non ſolùm gratia conferatur ut converti poſſimus, ſed etiam ut convertamur; etiamſi gratia hæc, quæ ad operandum neceſſaria eſt, & velle facit, non ſit quæcunque inſpiratio, aut cogitatio ſancta, ſeu boni propoſiti ſuggeſtio, ſed efficax Dei operatio; quamvìs hæc omnia vera admittamus, & ex Divo Auguſtino variis locis elici poſſe concedamus: homini tamen ſemper liberum relinquitur, divinæ operationi præbere impedimentum, eamque vel amplecti, vel etiam repudiare.* Quid clarius? Non ſolùm gratiam dantem poſſe admittit, non ſolùm interiorem quamcunque inſpirationem, ſed efficacem, & efficientem quòd homo conſentiat, & poſſit eam reſpuere. Et itèm *eâdem pag. 141.* dicit: *Neque itèm oblatam ſibi gratiam amplexari, niſi pecùliaribus Sancti Spiritûs impulſibus adjuvetur; aut, ut tuis utar verbis, nunquàm ſe ad gratiam applicare hominem poſſe, niſi eadem cæleſtis gratia adjumento ſit.* Et ſtatìm: *Nàm cùm Spiritûs Sancti potiſſima motio voluntatem corroboret, ut velit gratiam amplecti, non quidem noſtram libertatem adimere, ſed perficere videri debet &c.* Igitur iſte Payva, in quo PP. Societatis confidunt, apertè illorum ſententiam damnat, & efficaciam prævenientis gratiæ independenter ab arbitrio creato prædicat.

Joannes etiàm à Bononiâ, quem R. P. pro ſe induxit, diſertis verbis efficaciam gratiæ, pròut venit ex Deo, prædicat. Sic enìm inter multa concludit in fine ſui Libri *pag. 511. Quarè aſſentiri divinæ gratiæ eſt etiam bonum præſtantiſſimum, & id ſine dubio proficiſcitur à Patre luminum: ideò is qui aſſentitur, non habet undè glorietur, niſi in Deo.* Et ſtatìm poſt pauca: *Eſt enim utrumque Dei gratiæ operantis opus, poſſe bonum, & velle perficere. Idcircò docuit Paulus,* a *cum metu & tremore nos debere noſtram operari ſalutem. At nè nos metueremus ad eam nos non poſſe contingere; cùm certum ſit, id minimè noſtris viribus fieri poſſe, ſubjungit: nos habere Deum ducem & patronum, qui efficaciam toti operi præbeat, & voluntatem noſtram ac opus ſic formet, ut nè minima quidem operis portio ſit arbitrij, quìn & eadem principaliter ſit gratiæ & Deo adſcribenda.* Quid clarius potuit pro efficaci Dei gratiâ independente ab hominis voluntate aſſerere, aut affirmare? Igitur Joannes à Bononiâ illis non favet. In loco autem ab eis inducto tantùm docet, quòd Deus non neceſſitat voluntatem, tollendo ab eâ, quòd ſeipſam liberè determinet.

a Philip. 2. 12.

Ruardus etiam Tapperus, egregius Controverſiſta, ut Pater Reverendus dixit, expreſsè & egregiè efficacem prævenientis gratiæ motionem, pròut venit à Deo independenter ab humanâ voluntate, tenet ac docet *Lib. de libero arbitrio artic. 7. pag. 216.* ità dicens: *Gratia autem ad benè operandum neceſſaria, eſt motio, quâ Deus applicat intellectum ad cogitandum ſalutaria, & voluntatem ad eadem benè afficit. Sic autem his viribus divinitùs applicatis & motis, per eas operamur, hoc eſt, per liberum arbitrium, ſicùt principium effectivum, cui ratio agendi eſt divina motio, aut vis intentionalis ei impreſſa, quaſi inſtrumento à causâ principali. Quæ vis impreſſa quaſi inſtrumento, vocatur gratia, quâ Deus applicat voluntatem ad benè agendum.* Et *pag. 217.* proponit contrà hanc efficacem gratiam argumentum RR. PP.; ità dicens: *Difficillimum eſt namque intelligere,*

ligere, quòd Deus operetur ipſum velle, utens voluntate tanquàm inſtrumento, ipſam applicans ad opus, ſicut intellectum ad ſalutares cogitationes; ut docent Scripturæ: ipſam tamen voluntatem ſic applicatam & motam ad opus unum, nihilominùs poſſe & in ſuâ habere poteſtate liberè eligere, & vella contrarium, ac refutare opus ad quod movetur. Nàm in poteſtate inſtrumenti non eſt, quòd moveatur, vel non moveatur, potiſſimè comparatione Dei, cujus poteſtati nemo reſiſtere poteſt; qui ut omnipotens plenum in omnia habet dominium, multò magis quàm figulus in vas quod format, vel maſſam ex quâ lutum. Non igitur in poteſtate liberi arbitrij eſſe videtur agere vel eligere aliud quàm agit vel eligit, cùm non operetur niſi motum: motum autem videtur non poſſe ceſſare, aut agere aliud, quàm ad quod movetur. Hoc eſt totum argumentum quod PP. RR. opponunt. Sed audiant ſolutionem. Sequitur. *Sed hæc objectio & difficultas non minùs adverſatur libertati voluntatis in naturalibus & politicis, in quibus etiam per divinam providentiam movetur & determinatur ad opus.* Quid apertius? Voluntas à Deo applicatur, movetur, ut inſtrumentum, & determinatur ad opus. Satìs clarè conſtituit phyſicam prædeterminationem; & ſubdit: *Cujus propterea providentiæ concordia cum libero arbitrio ſuperat omnem intellectum; ut docet Cajetanus circà q. 21. in 1. p. Beati Thomæ art. 4.; ita ut magìs fide credatur, quàm planè intelligi poſſit.* Non ergò ſolus Bannez dicit, hoc eſſe credendum, ſicùt Patres Reverendi opponunt. Nec Diſcipuli S. Thomæ dicunt eſſe inintelligibilem iſtam concordiam; ſed quòd non planè & demonſtrativè intelligitur. Undè ſtatim ſubdit Tapperus: *Et illuſtrari poteſt hæc obſcuritas, ſi conſideremus Deum operari in unâquâque creaturâ ſecundùm ejus conditionem & naturam; & propterea agentia libera ut inſtrumenta movere, atque ad opus applicare; ità ut liberè & contingenter ipſa operentur.*

Iſta eſt ſolutio ad argumentum primarium iſtorum Patrum ſæpè ſignata & tradita ex ſancto Thomâ in his Congregationibus. Proſequitur ampliùs Ruardus Tapperus, & dicit: *Suaſio enim ſola, ſivè à Deo fiat, ſivè ab homine, non movet voluntatem efficaciter; quià ſolùm in genere cauſæ finalis & objectivè, etſi activè, non ſufficienter.* Eccè ſuaſio, etiàm à Deo, efficaciter non movet voluntatem; ut Patres Reverendi dicunt. *Quam tamen poteſtatem in eam habet Deus, in cujus manu ſunt etiam corda Regum, ut à propoſito quod habent in aliud flectere efficaciter poſſit; immò quocùnque voluerit.* Deus ergò efficaciter flectit voluntatem quocùnque vult, præter illas interiores ſuaſiones, quæ efficaciam non habent. Et iterùm concludit: *Ex quibus patet, quòd ſicùt inſtrumentum nihil operari valet, niſi motum à principali agente, ità nec voluntas nec liberum arbitrium, niſi à Deo ut authore naturæ per virtutes naturaliter inſitas ad opera naturalia moveatur & ad opera pietatis &c. Hanc doctrinam ubique tradit Auguſtinus &c.* Hæc Tapperus dicit. Et *pag. 226.* ità dicit: *Ponam aliquot propoſitiones primariò circà libertatem arbitrij, quas, & omnia quæ hìc & in ſequentibus dicturus ſum, quæque ſuperiùs dixi, judicio SacroSanctæ Sedis Apoſtolicæ, & omnium rectè ſentientium ſubjicio.* Et inter has fundamentales propoſitiones in tertiâ Propoſitione, ità dicit: *Intelligitur præterea gratia, operatio Dei efficax, quâ hæc dona, fidem, converſionem, & opera pietatis, & horum initia in nobis operatur.* Et ſtatìm conſtituit quartam Concluſionem, ſub his verbis: *Omnes gratiæ, quæ ſunt in nobis operandi principia, aut quibus dirigimur, & protegimur, & univerſa quæ præcedunt tempore vel naturâ Dei operationem efficacem, eſſe poſſunt ſine uſu & fructu, & in vanum à nobis accipi; ità ut eis poſitis, poſſimus non credere, non converti, non benè operari &c.* Quinta Propoſitio: *Solâ gratiâ efficacis operationis divinæ poſitâ, neceſſariò ſequitur effectus quem operatur, fides, ſcilicèt,*

converſio, perſeverantia, & opus bonum, quamvis ſimpliciter per arbitrij libertatem poſſent non fieri. Quid clarius? In terminis damnat Reverendorum PP. ſententiam, & efficaciam antecedentis gratiæ verè prædicat. Quod adhuc clariùs docet in ſextâ Propoſitione, ità dicens: *Impoſſibile eſt, quòd gratiæ præcedentes converſionem vel fidem, ſi fiant ex vocatione ſecundùm propoſitum Dei, ſuo effectu & fructu fruſtrentur.* Per hanc Doctoris hujus apertam doctrinam intelligenda ſunt quæ poſteà dicit, quòd cum æquali auxilio gratiæ ſtat, unum converti, & non alium. Loquitur enim apertè de auxilio æquali excitante, non efficaciter adjuvante; ut ex profeſſo in præcedentibus propoſitionibus fundat.

Joannes etiam Driedo *Lib. de concord. lib. arb. fol. 43. pag. 1.* ità dicit: *Sic enim argumentatur Apoſtolus Paulus:* a Gal. 2. 21. *a ſi per legem juſtitia; ergò gratìs Chriſtus mortuus eſt: & ità non ſequitur, Deum ſuâ prædeſtinatione neque dirigere, neque determinare hominum voluntates ad opera bona. Verum quidem eſt, homines jàm Dei prædeſtinatione juſtificatos, ſuis ſtudiis, ſuis circumſpectis orationibus, ſuiſque conſiliis rectis, ſeipſos determinare ad bonorum operum electiones; ſed Deus facit eos ad benè vivendum ſpontaneè determinare ſeipſos, & omnia hæc facere liberâ voluntate.* Et poſt pauca: *Ipſe inclinat corda noſtra, dùm ipſe facit, quòd nos velimus ea &c.* Et *fol. 46. pag. 2.* referens argumenta quibus malè aliqui inferunt tolli libertatem hominis ex iſtâ efficaci Dei motione; ità habet: *Illa enim ſunt antiqua Hæreticorum retia, jàm ab initio trita, & ventilata, & abſoluta à Patribus ſcientibus in Scripturis Sacris nobis revelatum eſſe hujuſmodi conſequentias eſſe invalidas, quibus ex divinâ præſcientiâ, prædeſtinatione, electione, ſeu infallibilitate, & ſempiternâ voluntate, concluditur abſoluta rerum omnium futurarum neceſſitas. Nàm præſcientia Dei & efficacia virtutis illius exigit non ſolùm ut illud exiſtat, quod Deus præſcit, & vult ſuo tempore exiſtere; ſed etiam ut ſecundùm eum exiſtat modum, quo Deus præſcit & vult illud exiſtere.* Igitur Hæretici Calviniſtæ & Lutherani errant in conſequentiis ſecundùm Driedonem. Et *fol. 34. pag. 1.* declarans in quo Hæretici fallantur in his conſequentiis; ità dicit: *Confert autem huic materiæ intellecta diſtinctio Dialectica de neceſſitate conſequentis & conſequentiæ. Multæ enim ſunt conſequentiæ neceſſariæ, quarum conſequens eſt contingens. Et Hæreticus in hâc diſtinctione vincitur, & concluditur. Victus libidine contradicendi ſingulis & univerſis Eccleſiæ Doctoribus, niſus eſt deſtruere omnem Dialecticæ artis vigorem, refellens maximè eum Doctorem, qui de diverſitate conſequentiæ & conſequentis tractat. Quam tamen ex Scripturis Sacris ſemper ab initio intellexerunt Eccleſiaſtici viri, Tertullianus, Origenes, Chryſoſtomus, Ambroſius, Auguſtinus &c.* Idem Driedo *Lib. de Capite & Redemptore generis humani cap. 21. art. 6.* ità dicit: *Eſt quartus modus Dei gratiam concipiendi, ſecundùm quem Deus ſuâ gratiâ juvans, poteſt intelligi ſeſe habere ad liberum hominis arbitrium, ſicut artifex ſe habet ad inſtrumentum. Quemadmodùm enim is qui ſcribit, aut ligna ſecat, ad opus movet calamum ad ſcribendum, aut ſecurim, aut ſerram; ità Deus &c. Undè ſolet dici: quòd liberum hominis arbitrium operatur ſub Deo inſtar cauſæ inſtrumentalis, principali movente. Videtur autem hæc via intelligendi gratiam, fundari in Scripturis docentibus Deum movere hominem ad actionem & motum.* Et iterùm: *Quemadmodùm enim homo facit calamum aut ſerram facere, aut ſcribere, aut ligna dividere; ità & Deus ſignificatur in Scripturis facere ut nos faciamus.* Et explicans hoc magìs, aït ſtatìm: *Habent quidem iſta ſimilitudinem, ſed non omnimodam æqualitatem. Similitudo eſt quidem, in eo quòd liberum hominis arbitrium à Deo recipiat, non vires ſolùm, ſeu poſſibilitatem operandi, ſed & motum & actionem, quâ fiunt opera bona. In hoc tamen eſt diſſimilitudo; quòd inſtrumentum, non ex libero ſuo rationis judicio, ſed neceſſitate & vi quâdam impellitur*

Digitized by Google

pellitur ab artifice &c. Et *eod. Tractatu fol. 153. pag. 2.* ità concludit: *Undè & hâc ratione Pelagiani à SS. Patribus coarguuntur, quòd gratiam Dei, non ducem, ſed comitem dixerunt eſſe humanæ voluntatis: nàm è contrario rem ſe habere, humanam, videlicèt, voluntatem eſſe pediſſequam, comitem, atque ancillam &c.* Et poſt pauca: *Septimò, modus iſte docet gratiam Dei non eſſe poſſibilem, quâ benè velle & benè agere poſſumus; ſed docet Deum eſſe talem, qui ſuâ gratiâ & auxilio facit voluntatem benè velle, & benè operari. Et ità Deus non ſolùm dat nobis poſſe benè velle; ut Pelagius credidit; ſed bonum velle & operari.* Et infrà: *Loquitur enim S. Auguſtinus de prædeſtinatione ſeu perſeverantiæ gratiâ, quâ ex maſsâ perditionis electi, certiſſimâ Dei præſcientiâ, & indeviabili providentiâ liberantur quicunque liberantur. Indeviabili, inquit &c.* Ex quibus omnibus apertiſſimè fatetur Driedo contrà Pelagium efficaciam prævenientis gratiæ, quæ ſuâ indeviabili efficaciâ facit hominem rectè operari.

Alios plurimos Scholaſticos omitto; & ad objectiones, Reſpondeo: non debuiſſe Patres Reverendos inducere coràm Sanctâ Sede Ocham: cùm notiſſimum ſit non eſſe de iſtâ Sanctâ Sede benè meritum: nec Armacanum; quià negavit Dei providentiam circà futura contingentia: nec Durandum; qui Dei negavit errando concurſum. Ad alios autem Doctores, in illo triplici ordine & gradu inductos, generalibus ſolutionibus Reſpondeo 1°.: omnes illos tantùm in citatis locis contrà Hæreticos hujus temporis diſputare, & contrà illos aſſerere hominem non cogi aut neceſſitari à Dei efficaci voluntate & gratiâ; ſed liberrimè operari; Et nihil aliud dicunt. Reſpondeo 2°. pleroſque ex illis loqui in particulari de materialitate peccati, de quâ non eſt ità certum, quòd Deus ad illam efficaciter moveat, ſicut ad opera pietatis; ut in præcedentibus Congregationibus dixi. Reſpondeo 3°. prædictos authores non aſſerere quod Reverendi Patres prætendunt, videlicèt, hominem reddere pro ſuâ libertate auxilium gratiæ efficax aut inefficax; nec dicere auxilium eſſe efficax ab effectu, quià voluntas vult; nec dicere tantùm illud auxilium moraliter ſeu metaphoricè movere. Immò dicunt reipsâ totum contrarium, nempè, quòd gratia operatur & efficit quòd faciamus. Quod de verâ & propriâ efficaciâ intelligunt. Reſpondeo 4°. quòd ſi aliqui contrarium dicant, cùm teneant contrà apertam S. Auguſtini ſententiam, in præcedentibus Congregationibus comprobatam, quæ eſt ipſa doctrina Eccleſiæ, non erant magnificè extendendi à RR. PP., ſed piè explicandi.

Ille autem Diſcipulus ſancti Thomæ, nempè Zumel, tantùm dicit: quòd ad materiale peccati, ut videlicèt connotat ordinem ad formale, non moventur homines à Deo. Non autem negat, quòd ad actiones & eſſentias, ut actiones ſunt, quæque ut ſic nihil deforme connotant, Deus moveat, & præmoveat, ſeu prædeterminet. Cæterùm contrà iſtos paucos authores inductos & minùs graves qui contrarium ſentiunt, oppono duos Eccleſiæ ſanctæ Doctores, videlicèt, SS. Thomam & Bonaventuram. Si enim Bonaventura modò dicebat: quòd ad actionem quæ eſt in peccato, quatenùs actio eſt, Deus eſt maximæ influentiæ, influens in voluntatem ipſam, ut eam producat; nonnè iſtis verbis conſtituit apertiſſimè influxum in cauſam ad actionem quæ eſt in peccato? S. etiam Thomas non ſemèl fuit lectus, qui *in 2m. diſt. 37. art. 2. tit. 2.* probat Deum influere in voluntatem ipſam, ut agat quidquid actionis in peccato eſt, non autem deformitatem. Immò divinâ providentiâ id præordinante, quià neceſſe erat pro iſtis temporibus, qualificat ibì graviter S. Thomas, præter ſuum conſuetum modum, contrariam ſententiam, dicens: *Illam eſſe propinquiſſimam errori duplici, & tollere à Deo primam cauſalitatem.* Et alibì ſcripſit eſſe contrà fidem, quòd Deus

Deus non producat & moveat voluntatem ad producendum quidquid in actionibus entitatis eſt. Et 1. 2. q. 79. poſtquàm dixit *in artic.* 1. quòd Deus non eſt cauſa peccati; *in art.* 2. docet: quòd Deus eſt cauſa reducens agens ad agendum quidquid actionis eſt in peccato. In quo loco & in aliis modò citatis expreſsè docet, non ſequi, quod Reverendi Patres opponunt, videlicèt, Deum eſſe cauſam peccati; ſicut non ſequitur, inquit, quòd quidquid eſt cauſa principalis, ſit cauſa cauſæ ipſius peccati; quià quòd quidquid eſt cauſa motionis tibiæ claudæ, ſit cauſa claudicationis, nullus unquàm dixit. Hoc tamen producunt, qui contendunt primum ſequi; ut faciunt Patres Reverendi; qui cum Calvino conveniunt in Concluſione, in quâ ipſe deceptus eſt; quià illi errant, dicendo, Deum eſſe cauſam non ſolùm actionis quæ eſt in peccato, ſed ipſius peccati conjuncti; quià neſciunt diſtinguere inter actionem quæ eſt in peccato, & ipſum peccatum. Sicut Patres Reverendi modò cum ſimili Concluſione procedunt.

Multa quidem, Beatissime Pater, dixi in quadraginta ſex Congregationibus, coràm iſtâ Sanctâ Sede celebratis. Nec dubium quin in multis offenderim ſæpè, vel in ſubſtantiâ, vel ſaltèm in modo. Sed Sanctitas Veſtra, cui, inſtàr illius cujus imperium tenet in terris, proprium eſt miſereri ſemper & parcere, pro ſuâ bonitate & clementiâ omnibus benigniùs parcat.

Dixit poſteà Pater Vaſtida verboſitate multa, & Ego Frater Thomas de Lemos unico verbo Congregationem finivi, cùm duraſſet per quinque horas & dimidiam. Et iſta fuit Ultima omnium Diſputationum in iſtâ magnâ controverſiâ de Auxiliis divinæ Gratiæ. Laus Deo, et Gratiæ ipsius.

CONCLUSIO
HISTORICA TOTIUS OPERIS
A REVERENDO
PATRE LEMOS.

FINITIS Congregationibus 6. Martij anni 1606., Convocatis omnibus Illuſtriſſimis & Reverendiſſimis S. Inquiſitionis Cardinalibus, qui fuerunt undecim, quià ex Officio Inquiſitores erant, & Cardinalis alius *Du Perron* vocatus, qui ad hanc Auxiliorum Congregationem admiſſus fuit, tùm à Clemente VIII., tùm à Paulo V.; cum his igitur omnibus, habitâ maturâ deliberatione, decretum fuit, ut hæc magna controverſia Apoſtolicâ definitione terminaretur; decem ex prædictis Cardinalibus id unanimiter concludentibus; & duobus tantùm ex eis, Bellarmino, videlicèt, & illo Du Perron, renuentibus. Nomina horum Cardinalium ſunt: Cardinalis Pinellus; Cardinalis Aſculanus; Cardinalis Aldobrandinus; Cardinalis Givry; Cardinalis Blanchettus; Cardinalis Arrigonius; Cardinalis Bellarminus; Cardinalis De Bufalo; Cardinalis Zapata; Cardinalis Taberna; Cardinalis De Monopoli; & Cardinalis Du Perron.

Poſteà cauſa iterùm ſub ſilentio fuit, propter rebellionem Venetorum, per annum & ampliùs. Quo tempore Conſultores Theologi, ex ordine Sanctiſſimi,

Digitized by Google

Sanctiſſimi, Bullam diffinitionis ordinarunt, & anno 1607. 28. Auguſti, die videlicèt S. Patris Auguſtini, iterùm Pontifex Summus, ut ultimam reſolutionem ſumeret, convocatis novem Cardinalibus ex Inquiſitoribus, cum eis de modo terminandi negotium tractavit. Et quamvìs reſolutio ſub magno ſilentio lateat; tamen, ut refertur, ex eis quatuor, quòd Controverſia ſine Apoſtolicâ Definitione terminaretur, opinati ſunt; quinque autem terminandam fore Apoſtolicâ Diffinitione dixerunt; quibus & Pontifex conſenſit. Undè poſt tres dies convocatis ad ſe Pontifex Vicario Generali Ordinis S. Dominici, & Generali Societatis, eis propriâ manu Litteram ſequentem tradidit, ut ad ſuos ſubditos ipſam mitterent. In quâ promittit ſe declaraturum & determinaturum Controverſiam. Littera autem quæ legetur infrà, eſt eadem numero quam Pontifex ſuâ manu Vicario Ordinis noſtri dedit, quam mihi à Generali Vicario traditam in hoc Libro inſerendam putavi.

Nel negotio de Auxiliis, Noſtro Signore ha fatto intendere à i Diſputanti e Conſultori, che poſſono tornare alle caſe loro. Et ha detto, che à ſuo tempo la Santita Sua darà fuori la ſua dichiaratione e determinatione. E tra tanto ha ordinato moltò ſeriamente, che nel trattare di queſte materie, niſſuno ardiſca di qualificare, ò cenſurare l'altra parte: ordinando di più tanto à i Domenicani, quanto alli Padri Gieſuiti, che ſe alcuno manchera in queſto, ſia punito ſeveramente: intendendo Sua Santita che queſto ſuo ordine ſi eſſeguiſca inviolabilmente. Non mancara dunque Voſtra Riverenza di farlo oſſervare, e dar particolare aviſo di quanto ella havera eſſeguito, nelli caſi occorrenti, accio ſe ne poſſa dar conto alla Sua Santita.

Quod Latinè redditur.

Hæc verſio deſumpta eſt ex Hiſtoriâ Congreg. de Auxil. à R. P. Sery ſub nomine Auguſtini le Blanc L. 4. cap. 18. col. 703.

" In causâ de Auxiliis, S. D. N. » Diſputantibus & Conſultoribus ſignificavit, poſſe illos reverti ad propria. Dixitque Sanctitas Sua, ſe opportuno tempore promulgaturam Declarationem ac determinationem ſuâ. Atque interim quàm ſeriò injunxit, ut in hujuſce argumenti tractatione, nullus partem alteram notâ aliquâ, vel cenſurâ notare audeat. Juſſit inſuper, tàm Prædicatoribus quàm Jeſuitis, ut ſi quis hoc in capite deliquerit, ſeverè puniatur. Ità quippè ſuum iſtud Decretum inviolatè ſervari vult. Suo ergò officio non deerit Paternitas Veſtra, ut ejus obſervantiæ invigilet. Singulariter verò datâ occaſione ſignificabit quidquid in hoc executioni demandaverit: ut de iis Suæ Sanctitati ratio reddi valeat.

FORMULA EPISTOLÆ

In Hiſpanias à F. Thomâ de Lemos directæ poſt emendationem & ex conſenſu Sanctiſſimi.

E viſto lo que V. P. me eſcrive en la materia de Auxiliis. Y me maravillo mucho, que contra la intencion de Su Santidad, oſen affirmar ſemejantes coſas: por que la verdad es, que Nueſtro Senor no a eſtablecido coſa ninguna. Antes aviendo à ſi reſervado la determinacion, actualmente pienſa, y trata della. Y afirmarlo contrario, es grande deſacado è injuria, que ſe haze à la perſona de Su Santidad, y a la Santa Sede Apoſtolica. Que es todo lo que puedo dezir en eſta coſa, con toda la ſeguridad, y certeza moral, que ſe puede tener. Y de todo lo contrario que a conteciere de aviſo: para que los inobedientes ſean conocidos.

Quod ità Latinè redditur.

Hæc verſio deſumpta ut ſuprà ex eodem L. 4. cap. 20. col. 718.

" Legi quæ ſcripſit Paternitas Veſtra circà Auxiliorum controverſiam. Obſtupeſco vehementiùs, quòd contrà Sanctitatis Suæ mentem, hujuſcemodi fabulas dictitare atque in vulgus ſpargere audeant. Certiſſimum quippè eſt, nihil à S. D. N. definitum

Digitized by Google

„ eſſe. Immò poſt reſervatam ſibi De- „ terminationem, eam etiamnùm ani- „ mo meditatur & tractat. Quapropter „ qui oppoſitum affirmant, aut divul „ gant, ſummæ impudentiæ Rei ſunt, „ & injuriæ, quæ Sanctitati Suæ & „ Apoſtolicæ Sedi irrogatur. Hoc u- num eſt, quod mihi hàc in parte, « omni aſſeveratione, omnique, quan- « ta haberi poteſt, morali certitudine « dicere liceat. Reſcribas, ſi quid in « oppoſitum tentari contigerit; ut di- « gnoſcantur inobedientes. Romæ 8. « Januarij 1608. «

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX TITULORUM.

ACTA OMNIA CONGREGATIONUM ET DISPUTATIONUM in Controverſiâ de Auxiliis divinæ Gratiæ.

PARS PRIMA

Continens duodecim Scripta Clementis Papæ VIII. in quibus referuntur à Summo Pontifice Dubia in Congregationibus ac Diſputationibus reſolvenda & elucidanda. col. 1.

Dubium omnium Primum datum à Sanctiſſimo Clemente VIII. pro Congregationibus celebrandis coràm Suâ Sanctitate in Controverſiâ de divinæ Gratiæ efficacitate. ibidèm.

Dubium Secundum à Sanctiſſimo per Secretarios tranſmiſſum. 3.

Tertium Scriptum datum à Sanctiſſimo. 7.

Quartum Scriptum à Sanctiſſimo tranſmiſſum. ibidèm.

Quintum Scriptum à Sanctiſſimo datum. 9.

Sextum Scriptum à Sanctiſſimo exhibitum, Exponens quindecim Capitibus præcipua de Gratiâ dogmata ex mente & verbis Sancti Auguſtini. ibidèm.

I. *Secundùm S. Auguſtinum datur duplex adjutorium gratiæ divinæ.* ibidèm.

II. *Duplex gratia, operans & cooperans.* 11.

III. *Gratia Dei eſt quòd quis habeat ſuaſores ad bonum.* ibidèm.

IV. *Secundùm S. Auguſtinum datur gratia efficax, immò efficaciſſima, nec tamen per eam læditur libertas humani arbitrij.* 12.

V. *Hæc gratia habet ſuam efficaciam ab Omnipotentiâ Dei, & à dominio quod ſumma divina Majeſtas habet in voluntates hominum ſicut in cætera omnia quæ ſub cælo ſunt, ſecundùm S. Auguſtinum.* 15.

VI. *Per hanc gratiam ſecundùm Auguſtinum agit Deus Omnipotens in cordibus hominum motum voluntatis eorum, faciendo ex nolentibus volentes, ex repugnantibus conſentientes, ex oppugnantibus amantes.* 18.

VII. *Hanc gratiam efficacem ſecundùm S. Auguſtinum infundit Deus in cordibus noſtris per operationem Spiritûs Sancti innumerabilibus & occultiſſimis modis.* 22.

VIII. *Hæc gratia Dei efficax ſecreta eſt ſecundùm S. Auguſtinum.* 25.

IX. *Hæc gratia efficax ſecundùm S. Auguſtinum eſt prævia non pediſſequa: datur enim non quià volumus ſed ut velimus; atque adeò per ipſam efficit Deus nedùm ut operemur ſed etiam ut velimus.* 26.

X. *Effectus hujus gratiæ ſecundùm S. Auguſtinum, eſt certus & infallibilis.* 28.

XI. *Hæc gratia efficax ſecundùm S. Auguſtinum non inducit fatum, nec efficit proptereà Deum acceptorem perſonarum, nec tollit prædicationem & correptionem, ſed cum libertate humanæ voluntatis optimè conſiſtit.* 31.

XII. *Hæc gratia efficax cur uni detur & non alteri, occultioris judicij Dei eſt.* 34.

XIII. *Hæc gratia Dei neceſſaria eſt ad ſingulos actus.* 35.

XIV. *Hæc gratia nullis meritis noſtris redditur ſed gratuitâ bonitate donatur; nullum*

Digitized by Google

tum enim noſtrum bonum meritum illam antecedit. 36.

XV. *Donum perſeverantiæ eſt ſingulare quoddam Dei donum, non omnibus commune, per quod fit, ut perſeveret in bono quiſque uſque in finem.* 38.

Septimum Scriptum à Sanctiſſimo exhibitum. 45.

Octavum Scriptum cum Dubiis à Sanctiſſimo datum. ibidèm.

Nonum Scriptum à Sanctiſſimo tranſmiſſum. 47.

Decimum Scriptum à Sanctiſſimo ſignatum & miſſum. ibidèm.

Undecimum Scriptum à Sanctiſſimo tranſmiſſum. 49.

Duodecimum Scriptum tranſmiſſum à Sanctiſſimo cum Dubiis diſputandis. ibid.

ACTA OMNIA

CONGREGATIONUM ET DISPUTATIONUM in Controverſiâ de Auxiliis divinæ Gratiæ.

PARS SECUNDA

Continens XXXVII. Congregationes ſeu Diſputationes habitas coràm SS. PP. Clemente VIII. inter Patres Prædicatores & Jeſuitas ſuper causâ de divinis Auxiliis controversâ. col. 51.

CONGREGATIO I. *Sub Clemente VIII. In quâ examinatum fuit primum Dubium à Summo Pontifice propoſitum, ſed nihil fuit concluſum. Referuntur duæ Reſponſiones à RR. PP. Dominicanis Scripto tradita ad* 1^{m}*. &* 2^{m}*. Dubium. Deindè Reſcriptum PP. Jeſuitarum maximum, cui inſerta eſt Reſponſio PP. Dominicanorum.* ibidèm.

Reſponſio PP. Prædicatorum ad Dubium primum. 53.

Reſponſio PP. Prædicatorum data Sanctiſſimo Domino Noſtro Clementi VIII. ad ſecundum Scriptum. 61.

Reſponſio ad 1^{m}*. Articulum dicti Scripti.* ibidèm.

Reſponſio ad 2^{m}*. Articulum ejuſdem ſecundi Scripti.* 68.

Monitum Editor's circà duo Reſcripta ſequentia. 71.

Duo Reſcripta Jeſuitarum & Prædicatorum; ſivè Reſponſio Jeſuitarum pro Defenſione Molinæ, cum Reſponſionibus Patris Thomæ de Lemos ſimùl inſertis. 73.

CONGREGATIO II. *coràm Clemente VIII. In quâ agitatur Prima Molinæ Propoſitio, nempè, quòd poſſit homo ſolo concurſu generali Dei facere opus bonum morale fini ſupernaturali accommodatum &c. ibìque probatur, quantùm hæc Propoſitio Sancti Auguſtini contradicat doctrinæ; examinanturque loca quæ ex hoc Doctore adduxerant Jeſuitæ in præfato ingenti Reſcripto ad hanc propoſitionem cum S. Auguſtino conciliandam.* 165.

CONGREGATIO III. *coràm Clemente VIII. In quâ iterùm, reclamante licèt Lemoſio, de primâ Molinæ Propoſitione actum; tùm de Secundâ diſputatum, nempè, quòd poſſit homo ſine Dei gratiâ & ſolis naturæ viribus aſſentiri revelatis prout revelata ſunt.* 181.

CONGREGATIO IV. *coràm Clemente VIII. Ubì Tertia Molinæ Propoſitio fuit examinata, ſcilicèt: agnitâ aſſensûs ſupernaturalis neceſſitate, hominem poſſe ſolis naturæ viribus talem optare aſſenſum, immò & petere auxilium divinum atque ad illud recipiendum ſatagere ſe diſponere.* 195.

CONGREGATIO V. *coràm Clemente VIII. In quâ paucis de Propoſitione præcedenti reſumptis, tùm de Quartâ Molinæ Propoſitione eſt diſputatum, & actum præcipuè de laude & induſtriâ liberi arbitrij, tàm antè receptionem & in receptione gratiæ, quàm poſt ejuſdem ſuſceptionem.* 207.

CONGREGATIO VI. *coràm Clemente VIII. In quâ quinta Molinæ Propoſitio*

Digitized by Google

poſitio fuit diſcuſſa; nempè, hominem ſine gratiâ talem de peccatis, non tantùm attritionem, ſed & contritionem naturalem elicere poſſe, quæ propoſitum non ampliùs peccandi lethaliter includant. 217.

CONGREGATIO VII. *coràm Clemente VIII. In quâ ſexta Molinæ Propoſitio agitata fuit, nimirùm, hominem ſolis naturæ viribus poſſe abſolutum & merè naturalem, ſed non juſtificantem dilectionis Dei ſuper omnia actum elicere, & propoſitum abſolutum omnia in genere præcepta ſervandi.* 229.

CONGREGATIO VIII. *coràm Clemente VIII. In quâ diſceptatum fuit de Septimâ Molinæ Propoſitione, nempè, hominem poſſe ſolis naturæ viribus quamcunque etiàm graviſſimam tentationem vehementiſſimamque difficultatem ſuperare, etiàmſi pro Deo ſit mors toleranda.* 241.

CONGREGATIO IX. *coràm Clemente VIII. In quâ actum eſt de chimerico Molinæ pacto Deum inter & Chriſtum Filium ſuum; ut facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus Deus ſemper gratiam ſuam largiretur. Hâc in Diſputatione cùm P. Valentia Sancti Auguſtini locum corrupiſſet, P. Lemos fraudem falſitatemque detexit. Undè Jeſuita animi paſſus deliquium è Congregatione egredi coactus eſt, nec ultrà Diſputationibus interfuit; cùm indè gravi correptus morbo, paucis poſt menſibus Neapoli obierit.* 259.

Appendix ad Nonam Congregationem. 281.

I. *Scriptum concordiæ Caſſiani cum Molinâ; ſivè Reſponſio Fratris Thomæ de Lemos data Sanctiſſimo: An Molina cum Caſſiano conveniat in ſequentibus Concluſionibus &c?* 283.

Monitum Editoris in præcedens Scriptum Patris Lemos. 299.

Monita Patris Lemos circà ſubſequens Scriptum. 301.

II. *Scriptum concordiæ Caſſiani cum Molinâ; ſivè Reſponſio Fratris Thomæ de Lemos data Jeſuitis: An Molina cum Caſſiano conveniat in ſequentibus Concluſionibus &c?* ibidèm.

CONGREGATIO X. *coràm Clemente VIII. In quâ exponi cœpit Molinæ concordia cum Caſſiano, agitatæque duæ primæ Propoſitiones tertij Scripti, nempè, de naturali hominis lapſi potentiâ ad cognoſcendum bonum & malum, déque ipſius facultate ad utrumque amplectendum; Itèmque de gratiæ illuminantis, vocantis, & excitantis ſufficientiâ ad ſalutem.* 307.

CONGREGATIO XI. *coràm Clemente VIII. In quâ agitatum eſt, utrùm Molina cum Caſſiano conveniat circà Dei dilectionem ſuper omnia ex ſolâ naturæ facultate; & utrùm uterque affirmet Deum noſtros exſpectare conatus, ut prævenientem largiatur gratiam; vel ſaltèm duos vocandorum ordines ipſi conſtituant, alterum ex præveniente gratiâ & alterum ex præviis conatibus?* 327.

CONGREGATIO XII. *coràm Clemente VIII. In quâ diſputatum primò, nùm Molina cum Caſſiano concordet hâc in Propoſitione: Deus quodammodò occaſiones quærit & exſpectat, ut datio & elargitio ſuæ gratiæ rationabilis videatur? Deindè eorumdem concordia agitata, de viribus in naturâ lapsâ ſufficientibus tàm ad reſiſtendum gravibus tentationibus, quàm ad ſuperanda ſingula difficilia.* 351.

CONGREGATIO XIII. *coràm Clemente VIII. In quâ acriùs diſputatum eſt, nùm Molina & Caſſianus uniformiter hunc Sancti Pauli exponant locum 1. Cor. 10.: Fidelis Deus eſt qui non patietur vos tentari ſuprà id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum? Deindè eorum eſt examinata concordia circà laudem libero ſervandam arbitrio, antè gratiæ receptionem.* 375.

CONGREGATIO XIV. *coràm Clemente VIII. In quâ Molinæ cum Caſſiano concordia eſt diſcuſſa circà Perſeverantiæ donum, videlicèt, nùm uter-*

que

Digitized by Google

quæ ſolam habitualem gratiam & auxilium ſufficiens ad id requirat? Hic obiter actum de Scientiâ-mediâ. 397.

CONGREGATIO XV. *coràm Clemente VIII. In quâ de Molinæ cum Caſſiano concordiâ actum eſt. 1°. Circà liberi conatus arbitrij ad ſalutem neceſſarios antè gratiæ receptionem. 2°. An homini conanti ex naturalibus viribus ità detur gratia, ut illi conatus nec ſint meritorij, nec ſemper neceſſarij?* 419.

CONGREGATIO XVI. *coràm Clemente VIII. In quâ agitatum eſt primò, nùm Caſſianus & Molina conveniant quòd propter bona opera naturalia detur gratia? Deindè an uterque ſentiat, hominem poſſe quærere Medicum & ſanitatem deſiderare?* 445.

CONGREGATIO XVII. *coràm Clemente VIII. In quâ Tertij Scripti à Sanctiſſimo dati, poſtrema demùm examinata eſt Propoſitio circà Molinæ cum Caſſiano concordiam de gratuitâ Prædeſtinatione. Ubì obiter actum eſt de Scientiâ-mediâ, & variè à Clemente VIII. Molinæ Defenſores fuêre exagitati.* 477.

CONGREGATIO XVIII. *coràm Clemente VIII. In quâ diſputatum eſt, an ea quæ de Attritione & Contritione docet Molina opponantur iis quæ de eiſdem Tridentinum ſancivit Concilium Seſſ. 14. cap. 4. & can. 5.?* 509.

CONGREGATIO XIX. *coràm Clemente VIII. In quâ de bonis operibus noſtris moralibus quæſitum eſt, nùm, quandò ſunt bona ex genere, & objecto & omnibus circumſtantiis, non tamèn bona dicantur, nec ſecundùm Deum authorem naturæ & gratiæ, nec ad pietatem pertinere; niſi ſint facta ex motivo fidei & pietatis ſupernaturalis: quamvìs facta ſint ſuppoſitâ fide, & intuitu & conſideratione juſtitiæ Dei ſcelera punientis, & beneficiorum Dei miſerentis, & tàm copiosè munerantis, & præſertìm conſideratione beneficij effuſionis proprij Sanguinis in Cruce pro nobis?* 533.

CONGREGATIO XX. *coràm Clemente VIII. In quâ quæſitum eſt an ea quæ Molina docet circà actus qui elici poſſunt à libero arbitrio, quæque de lege aſſerit, ab eo dicantur 1°. in ordine ad effectum juſtificationis; 2°. an ex iis reſultet proxima vel remota præparatio ad juſtificationem?* 555.

CONGREGATIO XXI. *coràm Clemente VIII. In quâ acerrimè diſputatum fuit de modo quo gratia & liberum arbitrium ſunt cauſæ partiales ejuſdem actûs.* 581.

CONGREGATIO XXII. *coràm Clemente VIII. In quâ quæſitum eſt, an ſit expreſſa ſancti Auguſtini doctrina, vel ex illo colligi poſſit, liberum arbitrium ex ſe, ſeparatìm à gratiâ, nihil habere à Deo niſi poſſibilitatem illam quam Deus illi tribuit ab initio? An hoc potiùs conveniat cum Pelagio, præſertìm loco relato à Sancto Auguſtino Lib. de gratiâ Chriſti cap. 3. & ſeqq.?* 607.

CONGREGATIO XXIII. *coràm Clemente VIII. In quâ diſceptatum de actuum ex ſolâ facultate naturali elicitorum elevatione ad ſupernaturalitatem, juxtà Molinæ mentem.* 629.

CONGREGATIO XXIV. *coràm Clemente VIII. In quâ quæſitum eſt, nùm ſententia Molinæ, de internâ Dei vocatione ad fidem & ad pœnitentiam, multùm à libero arbitrio dependente, & ab Eccleſiæ Miniſtris; conformis ſit doctrinæ Sancti Auguſtini, vel potiùs Pelagianorum & Semipelagianorum principiis?* 657.

CONGREGATIO XXV. *coràm Clemente VIII. In quâ ſequens Molinæ Propoſitio fuit examinata, ſcilicèt; dùm ſumus in viâ, ſemper in manu liberi arbitrij eſt noſtra ſalus, perque nos ipſos ſtat quòd ad Deum non convertamur. Quæſitúmque eſt, utrùm Sancti Auguſtini doctrinæ concordaret, vel*

potiùs

potiùs opponeretur? 671.
CONGREGATIO XXVI. *coràm Clemente VIII. In quâ diſcuſſa eſt Molinæ Propoſitio, quâ dicit: Deum leges ordinarias donorum ſuorum adultis diſtribuendorum, magnâ ex parte uſui liberi arbitrij accommodaſſe: diſputatumque, nùm hæc cum Auguſtini, ſeu potiùs Pelagianorum principiis concordet.* 675.
CONGREGATIO XXVII. *coràm Clemente VIII. In quâ examinatum fuit, utrùm, juxtà Molinæ ſententiam Deus antequàm fidem donet, ab homine exigat, ut priùs faciat quod in ſe eſt? Et an Deus fidem concedere non ſoleat, niſi præcedant ea quæ homo ex ſe facere poteſt; quamvìs, ut dicit Molina, non eapropter Deus fidem largiatur?* 701.
CONGREGATIO XXVIII. *coràm Clemente VIII. In quâ eſt quæſitum: nùm omnes actus eliciti à libero arbitrio ex ſolâ naturæ facultate, qui à Molinâ conſtituuntur tàm circa fidem & Dei dilectionem, quàm circà pœnitentiam & tentationibus reſiſtentiam, quique juxtà ipſum omni bonâ veſtiti ſunt circumſtantiâ & ratione finis & ratione objecti, immò fiunt intuitu vel juſtitiæ vel bonitatis Dei; nùm, inquam, illi actus fiant pròut ad ſalutem oportet: ſuppoſitâ præſertìm lege, quâ, ut idem inquit Molina, facienti quod in ſe eſt Deus det gratiam?* 721.
CONGREGATIO XXIX. *coràm Clemente VIII. In quâ examinata eſt differentia quæ reperiri poſſit, inter Chriſtianæ motivum pietatis & motivum ex intuitu juſtitiæ & bonitatis divinæ, in actibus ex timore & amore Dei ſuper omnia factis.* 749.
CONGREGATIO XXX. *coràm Clemente VIII. In quâ fuit inquiſitum, an intellectu voluntati humanæ proponente Deum amandum ut ſummè bonum & juſtum, illud objectum ſit vel naturale, vel ſupernaturale, vel indifferens ad utrumque?* 773.
CONGREGATIO XXXI. *coràm Clemente VIII. In quâ quæſitum eſt: an ad fidem pertineat, & ideò ſit objectum fidei, cùm intellectus voluntati proponit Deum eſſe amandum ut ſummè bonum & juſtum?* 791.
CONGREGATIO XXXII. *coràm Clemente VIII. In quâ examinatum fuit, utrùm liberum hominis arbitrium primas in juſtificatione partes obtineat, ſuppoſitâ Molinæ doctrinâ de naturali arbitrij potentiâ ad actus morales & ſupernaturales, de lege dandi gratiam facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus, de gratiæ determinatione à libero hominis arbitrio, & de facultate vanam & irritam reddendi gratiam, cùm libuerit?* 815.
CONGREGATIO XXXIII. *coràm Clemente VIII. In quâ de Scientiâ-mediâ diſceptari primitùs eſt inceptum ex profeſſo, examinataque eſt ejus natura; & deindè quæſitum: nùm in Deo reperiatur?* 845.
CONGREGATIO XXXIV. *coràm Clemente VIII. In quâ iterùm de Scientiâ-mediâ eſt diſputatum; & præcipuè nùm Deus per illam futura conditionata libera certò cognoſcat?* 877.
CONGREGATIO XXXV. *coràm Clemente VIII. In quâ tertiò de Scientiâ-mediâ eſt diſputatum; quæſitumque, nùm Deus futura conditionata, antè, vel tantùm poſt ſuæ decretum voluntatis certò cognoſcat?* 897.
CONGREGATIO XXXVI. *coràm Clemente VIII. In quâ inquiſitum eſt: nùm admiſſo Scientiæ-mediæ uſu in Deo, abſolutum ſit nihilominùs Prædeſtinationis decretum, & non conditionale ſivè ex bono liberi arbitrij uſu dependens; & ſub hâc conditione quòd homo ex innatâ ſuâ libertate gratiæ conſentiat?* 927.
CONGREGATIO XXXVII. *coràm Clemente VIII. In quâ de bo-*

 no

no gratiæ uſu fuit diſputatum; quæſitumque, num hic uſus ab auxilio gratiæ procedat vel ab ipſis arbitrij viribus ſeu ab innatâ hominis libertate? 955.

ACTA OMNIA

CONGREGATIONUM ET DISPUTATIONUM in Controverſiâ de Auxiliis divinæ Gratiæ.

PARS TERTIA

Complectens X. Congregationes ſeu Diſputationes habitas coràm SS. PP. Paulo V. inter Patres Prædicatores & Jeſuitas ſuper causâ de divinis Auxiliis controversâ. 993.

CONGREGATIO XXXVIII. SEU I. *coràm Paulo V. In quâ prolixius Clementis VIII. Scriptum numero Sextum examini & diſputationi ſubjectum fuit, quæſitumque, num in materiis de gratiâ veram Sancti Auguſtini attingeret mentem?* 997.

Dubium à Sanctiſſimo Paulo V. ad diſputandum tranſmiſſum. 1025.

CONGREGATIO XXXIX. SIVE II. *coràm Paulo V. In quâ de gratiæ efficaciâ, ſeu de phyſicâ prædeterminatione primò & generatìm eſt diſputatum.* ibidèm.

CONGREGATIO XL. SEU III. *coràm Paulo V. In quâ iterùm de prædeterminatione phyſicâ eſt diſputatum; quæſitumque: nùm in Scripturâ Sacrâ fundari poſſit?* 1061.

CONGREGATIO XLI. SEU IV. *coràm Paulo V. In quâ tertiò de phyſicâ prædeterminatione fuit diſputatum, nempè ex authoritate Conciliorum Tridentini præcipuè & Senonenſis.* 1087.

CONGREGATIO XLII. SEU V. *coràm Paulo V. In quâ de phyſicâ prædeterminatione quartò eſt diſputatum potiſſimè ex Sancto Auguſtino.* 1119.

CONGREGATIO XLIII. SEU VI. *coràm Paulo V. In quâ de phyſicâ prædeterminatione eſt quintò diſputatum, & potiſſimè ex SS. Patribus tàm Græcis quàm Latinis.* 1159.

CONGREGATIO XLIV. SEU VII. *coràm Paulo V. In quâ de prædeterminatione phyſicâ ſeu de gratiâ per ſe efficaci ſextò eſt diſputatum, ipſam potiſſimè conferendo cum Calvini erroribus.* 1193.

CONGREGATIO XLV. SEU VIII. *coràm Paulo V. In quâ Theologicis præſertìm rationibus de prædeterminatione phyſicâ ſeptimò eſt diſputatum.* 1233.

CONGREGATIO XLVI SEU IX. *coràm Paulo V. In quâ de prædeterminatione phyſicâ octavò eſt diſputatum Doctoris Angelici præſertìm authoritate.* 1269.

CONGREGATIO XLVII. SEU X. ET ULTIMA *coràm Paulo V. In quâ nonò & poſtremò de prædeterminatione phyſicâ eſt diſputatum ex Theologorum præſertìm authoritate.* 1317.

Concluſio Hiſtorica totius Operis à R. P. Lemos. 1359.

Epiſtola Summi Pontificis Pauli V. propriâ manu tradita Vicario Generali Ordinis Sancti Dominici & Generali Societatis, Italico idiomate ſcripta, in quâ Sanctiſſimus promittit ſe determinaturum Controverſiam de Auxiliis & promulgaturum

Digitized by Google

rum Declarationem ſuam. 1361.
Eadem Epiſtola Latinè reddita. ibidèm.
Formula Epiſtolæ in Hiſpanias à Fratre Thomâ de Lemos directæ poſt emendationem & ex conſenſu Sanctiſſimi, & ſtylo Hiſpanico exaratæ. 1362.
Eadem Epiſtola Latinè reddita. ibidèm.

ERRATA IN ACTIS LEMOSII.

COlumn. 9. initio. An quòd liberum arbitrium conſideratum. *lege* An quòd liberum arbitrium & gratia, ſint duæ cauſæ partiales ad eumdem actum perficiendum; & quòd liberum arbitrium conſideratum. Ibid. in quinto Scripto lin 2. necdùm, *lege* nedùm. Ibid. lin. 5. veſtitâ, *lege* veſtita. Col. 47. lin. 5. pœnitend. *lege* pœnitendi. Col. 57. poſt hæc verba S. AUGUSTINUS, legitur in margine: *hunc locum invenire non potui*. Equidèm non reperitur L. de dono perſever. cap. 1., ſed cap. 19. num. 48. col. 848. Col. 73. lin. 6. à fine; reſpondens, *lege* reſpondentis. Col. 115. In notulâ marginali ſub litterâ c. legitur: *Hic locus falsò citatur*. Hoc quidèm verum eſt, verba enìm laudata non reperiuntur *L. de nat. & grat. cap. 68.*: ſed *Lib. de prædeſt. SS. cap. 2. num. 3. col. 791*. Col. 130. poſt ſecundum titulum PRÆDICATORES. lin. 5. ſi, *lege* niſi. Col. 222. lin. 34. dilectione, *lege* diſtinctione. Col. 326. lin. 1. quinque, *lege* quinquaginta. Col. 450. lin. 46. Molinæ, *lege* Medinæ. Col. 706. lin 11. liberis homo & bonis, quibus faciendo, *lege* liberis & bonis, quibus homo faciendo. Col. 998. lin. 17. aliud, *lege* aliquid. Col. 1105. lin 28. objectum *lege* objecti.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google